conf. hujus Edit: pag. 390. cum p. 309. Romanæ Edit. 1647. fol.

4 carte tra le pp.
52 e 53

20 Tav. f. T.

JOH. BAPTISTÆ CASALII ROMANI
DE
PROFANIS ÆGYPTIORUM, ROMANORUM
ET
SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS,
LIBRI TRES.

JOH. BAPTISTÆ CASALII ROMANI
DE
PROFANIS ET SACRIS VETERIBUS
RITIBUS
OPUS TRIPARTITUM,
CUJUS
PRIMA PARS
Agit de
Profanis Ægyptiorum Ritibus, veluti
Deorum cultu, Superstitione & Idololatria, Obeliscis,
Funeribus, Linguâ, Characterum Varietate, Symbolis &
Hieroglyphicis, Iside, &c.
SECUNDA PARS
Agit de
Profanis Romanorum Ritibus, vario scil. Deorum Cultu, Diis,
Sacrificiis, Virginibus Vestalibus, Sponsalibus, Connubiis, Balneis, Tricliniis,
Funeribus, & Sexcentis aliis.
TERTIA PARS
Agit de
Sacris Christianorum Ritibus, velut de Imaginibus Ecclesiæ,
Fidelium Ritu orandi, Baptismo, Triplici Cœnâ, Ritibus Missæ, Calicis Usu,
Communione, Catechumenis, Sacramentis, Ordine, Reliquiis, Monachis, Diebus Festis,
Funeribus, Decimis, Conciliis, Indulgentiis & similibus.
Editio post Romanam, omnium prima, quæ in Germaniâ prodiit, quam plurimis
ÆNEIS TABULIS *ornata.*
Accedunt
Indices Capitum, Rerum item & Verborum copiosissimi, & accuratissimi.

FRANCOFURTI ET HANNOVERÆ,
Sumptibus THOMÆ HENRICI HAUENSTEINII, Bibliop. Hannov.
Anno M DC LXXXI.

DE VETERIBUS ÆGYPTIORUM RITIBUS,

AUCTORE

Joanne Baptiſta Caſalio Romano.

Francofurti & Hannoveræ,

Sumptibus Thomæ Henrici Hauenſteinii, *Bibliop. Hannov.*

Anno M DC LXXXI.

Eminentiß. & Reverendiß. DOMINO,

DN. JULIO MAZZARINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

JOANN. BAPTISTA CASALIUS ROMANUS F.

GRATULATUR Tibi Eminentißime Princeps, non ſolum noſtra hæc Urbs, in qua natus, & educatus es; verum & univerſus Chriſtianus Orbis; non propter opulentiam, & honores, quos conſequi potuiſti; quoniam hæc fragilia, & vitrea, dum ſplendent, ſæpe franguntur, ſed certè quod tuo ingenio, & prudentia merueris aßiſtere conſiliis Ludovici XIII. ejusdemque filii Ludovici XIV. potentiſſimorum, & Maximorum Regum terrarum in Galliis, de quorum potentia Magnus Gregorius Romanus Pontifex, & Eccleſiæ totius lumen vix primo elapſo ſæculo; cum primum Francorum ſplendor, & potentia eluceſcere videbatur, ſcribens ad Childebertum Regem lib. 5. Regiſtr. epiſt. 6. ſic teſtatur. Quanto cæteros homines Regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium Regna Regni veſtri profectò culmen excellit; quicquid autem cæteri Reges ſe gratulantur habere, habetis; ſed ipſi in hac re vehementius ſuperantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis, &c. *Hoc igitur Te conſequutum fuiſſe magnum eſt, ſed quod absque alicujus Principis opera, nec aliquo gentis tuæ prævio famulatu erga Chriſtianiſſimam Coronam, ſed præclaris tantum, & ingentibus officiis, quæ Tu in illam contuliſti, hunc gradum fueris conſequutus; hoc profectò magnum, & juxta Tibi, Galliæque glorioſum, exiſtimari debet.*

At vero, quod Tu Iuſti, & Inviċtiſſimi Regis Ludovici XIII. adepto favore, nec non & Ærmandi Cardinalis à Richelieu, tunc Regni clavum tenentis; ipſi unanimes Te in partem conſiliorum, & curarum vocaverint, ac Te magno animi ardore ad Cardinalatus gradum nominaverint, poſteaque iisdem in ſummum Cælum ſublatis; non minus à Chriſtianiſſima Regina, quam

à Dyna-

à Dynastis omnibus promotus fueris, hoc maximum est, & alteri forsan recenti memoria non concessum.

Memini ego, Eminentissime Princeps, quod cum anno millesimo sexcentesimo trigesimo essem Gratianopoli, quæ est provinciæ Delphinatus caput apud fel. mem. Ioann. Franciscum Cardinalem à Balneo, tunc Nuntium Apostolicum ad Ludovicum XIII. ibi cum tota aula residentem; & cum interim omnem Sabaudiam, & Pedemontii partem à Ducis Caroli Emanuelis Imperio arma prædicti Regis occupassent: Tu vero à sanctissimo Pontifice Vrbano ad illa componenda missus fueris; tunc Cardinalis à Balneo Te ad primum colloquium cum ipso Rege duxit: Ac vidi ego jam præsens, quanta animi alacritate Rex ille Te ob insignes mores, & præclarum animum tuum, ut Pacis præcursorem, exceperit: Memoria habeo etiam omnes illos populos audito adventu tuo, quamvis aliàs consternatis animis propter infaustos bellorum illorum eventus, mentes primum revocasse, metu disjectas; ac etiam demum lætitia exultasse ob pacem, quam à Te firmari revera sibi persuaserant; ut plurimi ex his gentibus propterea à me tunc requisierint, an esses Tu sanguinis affinitate summo Pontifici conjunctus? ac sacra purpura insignitus? vel alicujus ex primariis Ecclesiæ Antistes? sed hæc parum à prudentibus pendenda sunt; quoniam populi amores, & plausus breves, & aliquando etiam infausti esse solent. Hoc vero satis admirari potius possum, quod Tu ipsemet præsagisti felices eventus tuos, ut ex familiari sermone, quem mecum habere voluisti, conjicere mihi postea non fuit difficile.

Istud unum minimè prætermittendum est; quod in procinctu cum essent acies adversæ, ut inter se acriter in Insubria dimicarent, Tu Pacis nuntius hilari vultu statim equo insiliens apparuisti, unde prospectu Tuo sedatis animi motibus exercitus illi ob reverentiam filialem erga sanctissimum Vrbanum, tuorum officiorum interventu deposito furore, ac armis conquieverunt, nec multo postea se se pace reconciliarunt.

Hoc vero insigne factum sanctissimus Vrbanus sic magni fecit, ut cum depingi curavisset apud Vaticanum in suo intimo ambulacro illos exercitus hinc inde dispositos, Te eorum in medio repræsentarit iras, & dissidia frænantem, & componentem; illamque picturam scio ego sanctissimum Pontificem pluribus Principibus tanquam singulare apud posteros gloriæ Tuæ monumentum exibuisse.

Sed hæc ulterius addam, quod in Regno Galliæ, in quo sub aliis Regentibus Fœminis ortas vidimus seditiones, ac Civilia bella, & simul hæresin omnia

profani,

profana, & sacra penitus devastantem: Tu contra ope, consilio, & prudentia tua fecisti, ut quietum, & tranquillum istud Regnum permaneat, quod à Rege ætate provectiore magna tranquillitate regatur; ut summo jure prudentissimus ille Cardinalis à Richelieu sæpius retulerit: Non alium unquam genii sibi similis præter te bonum comperiisse.

Sed hoc nostrum, & totius Italiæ negotium recens est, quod hisce præteritis mensibus, cum penes nos Italos omnia in armis essent, quorum malorum adhoc remanent reliquiæ; (utinam ne diu supersint) Tu in animum Christianissimæ Reginæ induxisti, ut illius opera, exemplo Christianissimorum Regum, dissidia componerentur, ejusque auspicio, & imperio subsequuta est per universam Italiam Pax summoperè omnium votis exoptata.

Magna certè hæc sunt inter alia egregia facinora, quæ Tu parasti, ut in eorum quolibet potuisses assequi gloriam alterius cujusque Herois; sed hæc simul omnia nihil sunt in comparatione eorum, quæ tibi remanent exequenda; scilicet ut dum Christianissimus Ludovicus XIV. in impuberi est adhuc ætate; Tu solita prudentia animum Christianissimæ Reginæ disponas, ac in eundem Regem instilles opportuna consilia ad Pacem cum Christianis Principibus maximè in proprio Galliæ Regno conciliandam; quoniam pomerium, & confinia illius ita in præsens sunt dilatata, ut uberius ampliari non possint; & ut ille omnia arma, ac totius Italiæ vires, imitando Regem sanctum Ludovicum IX. ac alios progenitores suos contra communem inimicum Ottomannum convertat, ac illo everso Imperio valeat ipse Rex sanctissimum Redemptoris nostri sepulchrum sibi vendicare, simulque terram illam aliàs promissionis, mox sanctam, nunc à Barbaris occupatam; ut inde Rex ipse in Cœlum, sicuti oracula præseferunt, spoliis, & gloria onustus attollatur.

At mihi si daretur super hoc alloqui Reginam Christianissimam, non aliis certè verbis uterer, quam quibus sanctus Leo in epist. ad Imperatorem Theodosium, quæ est in Concilio Chalcedonensi. Defendite contra Hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, ut & vestrum Christi dextra defendat Imperium.

Ego vero, Eminentissime Princeps, ut hoc ultimum senectutis meæ tempus non inane penitus consumerem, De Veteribus quibusdam Ritibus Collectanea scripsi; hæc Tibi lubens dico, & sacro; ut sic obsequium Tibi præstitisse credam. Restat, ut Tu sicut magna, & heroica disponis, & geris, mea non despicias, sed oculo ita benigno minimum hoc opus respicias, ut per manus virorum tuo feliciter auspicio transire mereatur. Vale.

Ad

Ad Lectorem.

OPus, quod assumpsi in cadente mea ætate, quo minuerem sollicitudines, quæ accidunt ex Chiragra, & Podagra, ac potissimum ad sublevandum aliquantisper animum ex assiduis calamitatibus, quas patitur S. Mater Ecclesia, cum in præsentia tota ferè Europa bello ardeat.

Hoc opus inquam, non alium habet scopum, quam ut ex multis congestis à S. Patribus, & aliis viris piis in augmentum Catholicæ Religionis; ego quoque aliqua utilia delibarem, quæ maximè respiciunt Ritus nascentis Ecclesiæ, eaque minus eruditis forsan non bene nota, nec minus injucunda: ac etiam fortasse ex istis nonnulla, quasi racemos post vindemiam, & spicam post messem præ nimia copia neglectam, & reliquos fructus post illos perceptos, oblivioni traditos; coacervantes excipiemus.

At quamvis multa in epitomen redacta sint ex Ægyptiorum, & Romanorum superstitione (quorum mentes succum nequitiæ perbiberunt) non erit ab hoc, inquam, proposito abhorrens; nam ex horum detestatione magis veritas Catholicæ Religionis roborabitur.

Præterea homines ex prædictarum vanitatum delectatione allicientur forsan facilius ad proficua veræ Religionis, ut ex Lactantio lib. 5. de Justitia cap. 6. *Circumliniatur modo poculum cœlestis sapientiæ melle, ut possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari; dum illiciens prima dulcedo, acerbitatem saporis asperi sub prætextu suavitatis occultet.*

His ego ductus, ac etiam amicorum suasu, ut opus prosequerer; illud qualecunque sit, in tres partes divisi, occasione fragmentorum antiquitatis, non solum rerum materialium, quarum ego multa, & alii Antiquarii plurima apud se in propriis retinent Musæis, verum & de aliis fragmentis antiquis multa assero, de quibus scripsere sacrarum Scripturarum Interpretes.

In prima igitur parte de Ritibus Ægyptiorum, & de variis eorundem Idolis agemus: In secunda pariter de Romanorum Religione, eorundemque nefandis superstitionibus tractabimus: Tertia autem pars, Deo dante, aliqua forsan jucunda, & proficua Christianæ Religionis continebit.

Optimè calleo, nonnullos contra me genii, & zeli similitudine insurrecturos, multosque errores lynceis oculis contra meum opus comprehensuros; ita ut ignorantiæ notam mihi incutere non formidaverint: sed cum ego pro mea ingenii tenuitate solum ad majorem Dei gloriam illud protulerim; eos precor, in quorum manus hoc veniet, ut quæ minus recta censuerint, mihi ostendant; nam libenter corrigam: quod si spes laboris me fefellerit; illud certè me consolabitur,

In magnis voluisse fas est. Hæc omnia S.R.E. judicio subjecta sunto. Vale.

)( )(Erudi-

ERUDITISSIMO VIRO,

DN. JOANNI BAPTISTÆ CASALIO SALLUSTIUS PECULUS Episcopus Venusinus, S.

Quod tuas ad me, de Veteribus Ritibus lucubrationes, tanquam ad Lydium, ut tibi quidem videbatur, lapidem mittere properaveris, Eruditissime Joann. Baptista; non meæ virtutis, aut meriti, sed tuæ modestiæ fuit; aut certè quoddam communis amicitiæ pignus. Quod vero legenti mihi, tametsi studiorum, laborumque tuorum non ignaro, tam varia, tamque abundans sese obtulerit discendi, atque obstupescendi materies; ejus fuit sapientiæ, atque solertiæ, quæ non modo tenuissimi ingenii mei captum, verùm ipsam quoque versatissimorum in omni litteratura virorum de te conceptam opinionem, amplissimique nominis famam longè superaret. Quare si quid tibi, quod ante non debuerim, debere possum, novo hoc amicitiæ strictioris indicio, jam facis ut debeam.

Num vero (quod petis) decentius, aut elegantius in publicam possint prodire lucem istæ tuæ tam latè radiantes elucubrationes, quam sub duobus Italiæ, Galliæque luminibus, hoc est, sub felicissimis auspiciis purpuratorum Patrum Bichii, ac Mazzarini, ut liberè dicam, nec dubitandum quidem, nedum trahendum in consultationem fuit. Quandoquidem, ut silentio, vel in opportuno, pertranseam spectatam, celebratamque toto Orbe virtutem gloriosissimorum Heroum, Romanæ nuper Ecclesiæ, fœderatisque Principibus ob refractos, sedatosque terribilium bellorum tumultus supra modum proficuam; Quas alias par erat, ut peterent Columnas, quam duplex illud Francorum, Italorumque fulcimen robustissimum scripta tua, Joann. Baptista, qui & Romæ natus es, & Eminentissimi Bagnes quondam sodalis, aut verius commilito non tam itineribus Gallias, ac variis temporibus Europam ferè universam lustravisti, quam inquisitione lectissimorum voluminum, aut potius lectione, ac subinde uberrimæ sapientiæ communicatione magno illi Platoni non impar, quin etiam Romana nobilitate major jucundus Principibus, sapientibus charus, cunctis venerabilis Christianitatem omnem illustravisti? Quid itaque? Opus suspicio, consilium laudo, vitam tibi mortalem ad otium immortale cœlitus tributam, non ut gloriam, quam fore præsagio sempiternam, sed quamdiu Christianæ Reipublicæ expedire providentiæ divinæ decreto sancitum est, diuturnam deposco. Vale.

INDEX

INDEX CAPITULORUM
DE
PROFANIS ÆGYPTIORUM RITIBUS,
LIBER PRIMVS.

APPRO-

APPROBATIONES.

Imprimatur, si Reverendiss. P. M. Sac. Pal. Apost. videbitur.

A. Sacratus Episcopus Comaclen. Vices gerens.

EGO Paulus Josephus Meronus jussu Reverendiss. P. Michaelis Mazarini Sac. Apostol. Pal. Mag. legi Librum hunc de profanis & sacris veterum Ritibus Collectanea, Auctore Joanne Baptista Casalio Romano, nihilque in eo deprehendi, quod à Catholica Fide, bonisque moribus abhorreat, immò multa vidi, quæ voluptatem, & utilitatem Lectori allatura sint. Die 12. Julii 1644.

Ita judico Ego Paulus Josephus Meronus.

REverendissimus P. Mazarinus Sac. Apost. Pal. Mag. mihi mandavit, ut de Collectaneis profanorum, sacrorumque veterum Rituum Auctore Joanne Baptista Casalio Romano judicium proferrem, Opus ab omni culpa liberum arbitror, imò omni dignum laude censeo; ut de eo dici posset. Romanè factum.

Octavii Tronsarelli manus, & nota.

Imprimatur,

Fr. Hyacintus Serronius Mag. & Soc. Reverendiss. P. Fr. Michaelis Mazarini Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædicatorum.

Isaias Cap. 19. in princ.

E*Cce Dominus ascendet super nubem levem* (scilicet in uterum Virginis) *& ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulachra Ægypti, & cor Ægypti tabescet in medio ejus.*

Cap. I.

Quæ cauſa ſuſcepti operis?

ANno præterito, cum Dominus Paulus Joſephus Meronius eruditiſſimus in literis ſacris & prophanis; tum Latinis, Græcis, & Hebraicis, in meo Muſæo, ad radices Aventini montis, oculos conjeciſſet in multitudinem Cimeliorum artis, & naturæ, præſertim antiquorum, ut eſt ingenuè ille curioſus, & aliquibus non ſine voluptate conſideratis; Quid tu, inquit, Joannes Baptiſta hæc tua Cimelia venire in conſpectum hominum non permittis? Ego tenuitatem mei ſtyli excuſare, ſive potius accuſare, & materiam non omnino convenientem reſpondi: etenim Seneca illum otioſum vocat, qui majorem dierum partem in æruginoſis Lamellis conſumit; & Hor. ait lib. 2. ſer. Sat. 3. *Inſanit, veteres ſtatuas Damaſippus emendo.*

At Meronius contrà jubere, de ſtylo ſollicitum me eſſe non debere: amaſſe etenim magnos viros loquutionem ſolutam, & familiarem, neque aliud requiri, quàm ut ſit imago quædam ſermonis domeſtici, & quotidiani; fidejubere ſe præterea ſegetem rerum haud diſplicituram exemplo eorum, qui hæc ſimilia inſeruerint; inſpecta eruditione, ac etiam delectatione: Nec intellexiſſe Senecam de iis Cimeliis, quæ eruditionem pariunt, ſed de iis, quæ delectationem, & ornamentum in ſe tantummodo habent.

At ego cognito tanti viri judicio dixi: Tui arbitrii facio, Meroni, An hæc, quæ ſubnotabo, redigenda ſint in libri cenſum? & ſtatim dedi manus, coacervando hæc mea Cimelia, ac ſimul aliqua eruditione illa annotare: Propalando primum Ægyptiaca; Deinde alia profana, præſertim Gentilitatis Romanorum: Demum ad noſtra ſacra Chriſtianorum tranſiturus; Ita tamen, ut meum conſilium ſit, non explanare ſolum fragmenta & rudera, verum & alios reconditos ritus antiquitatis explicare, prout ſe offeret occaſio.

De veteribus Ægyptiorum Ritibus.

DE Ægyptiorum Ritibus ſcripturus. Videamus de illorum potentia, de Idololatria & ſuperſtitione eorundem. De Lingua, Characteribus, Hieroglyphicis, & Scientiis. Deinde de pluribus eorundem Diis, ac etiam de aliquibus particularibus Hieroglyphicis.

 De

Cap. II.

De Ægyptiorum Monarchia & Potentia.

Dicturus de Ægyptiorum Monarchia, quæ ante Persas extitit: præfandum, quod Ægypti Regio habitata primùm fuit post Diluvium, ut ex nomine *Mesrain* illi apposito ab uno ex Nepotibus Noe, ut in cap. 10. Genes. Filio Cham, unde in Psalm. 104. & 105. nominatur Ægyptus terra Chanaan, quæ postea tempore Abraham redacta sub dominio politico fuit; & tunc Rex Ægypti nominabatur Pharao, ex Genes. cap. 12. quod nomen dignitatis attributum deinde fuit quibuscunque Regibus Ægypti successoribus, ut quoque Cæsares & Augusti nominantur Imperatores Romani.

Aucta fuit ingenti populo terra Ægypti propter illius fertilitatem & fœcunditatem ad prolem procreandam, ut refert Plinius lib. 7. cap. 3. Incrementum quoque maximè fecit ex concursu exterorum, qui à prædicta fertilitate allecti, singulis quoque mensibus fruges ferebant, & magno proventu fructus colligebant, ut ex Plinio lib. 18. cap. 10. Ac tanta erat in ea regione fertilitas, ut priscis temporibus cum fames per tres vices universum orbem coarctaret, sola Ægyptus vicinis populis fruges subministrarit: prima, de qua in Genes. cap. 12. anno ætatis Abraham septuagesimo sexto: Altera verò fames facta est temporibus Isaac, ut in Genes. cap. 26. Tertia, quæ maxima fuit gubernante Joseph Ægyptum, qui cum horrea frumento antea replevisset, refertur in Gen. cap. 41. *Omnes Provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Hinc factum, ut Regnum Ægypti ex tunc extolleretur, inquit Diod. lib. 1. Hominum colonias ex universo orbe illuc advenisse: Etenim ex Pomp. Mela de Situ Orbis habemus, extitisse antiquitus in Ægypto Amasi regnante viginti millia urbium, ex quibus aliquæ tam grandes, ut non aliæ similes, nempe Heliopolis, Memphis, Sajis, Thebæ & aliæ.

Fuerunt in Ægypto Aurifodinæ, ex quibus circa Æthiopiæ confines tanta auri copia extraheretur, ut vix concipi valeat, refert Diodorus ubi supra.

Præterea ex ingenti pretio frumenti venditi à Josepho nomine Pharaonis, empta deinde fuere omnia Ægypti prædia, quæ postea prioribus Dominis restituta fuere cum responsione quintæ partis dicto Pharaoni.

Cœpit deinde Dominium Ægyptiorum in vicinos populos, ex quibus plurimos ad arma colligebat, ut ex Hieremia recensente exercitum Pharaonis habetur. *Ascendite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes Æthiopia, & Lybies, tenentes scutum, & Lydii arripientes, & jacientes sagittas*, qui numerus, ut refert Strabo lib. 17. erat unius millionis diversarum Gentium: unde inquit Deus per Ezechielem cap. 31. *Fili hominis, dic Pharaoni Regi Ægypti & populo ejus, cui similis factus es in magnitudine?* & cap. 32. *Leoni gentium assimilatus es, & Draconi, qui est in mari.*

Fuit

Fuit igitur Osiris Rex, qui prius contra exteros dimicaret; & creditur hunc eundem fuisse, ac fuit ille Pharao, qui Joseph gubernante tempore famis, imperavit in Ægypto; propter quod attribuitur illi inventio Agriculturæ à Diodoro in lib. 1. eo quod ministraverit frumentum esurientibus populis.

Rhamses deinde regnavit in Ægypto, qui invasit, & superavit Phœnices, occupavit Insulam Cypri, & sub Imperio redegit Mœdos Assyrios & alios Orientis populos; unde in Obelisco, quem in honorem illius construxit Rex Sermneserteus, leguntur hæc verba apud App. Marcellinum lib. 17. *Dominus orbis terrarum Rhamesthes longævus*; & Germanicus Cæsar, cum advenisset in urbem Thebas, jussit explanari quasdam eorum notas, refert Tacitus lib. 2. his verbis: *Jussusque è senioribus Sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat, habitasse quondam septingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu Regem Rhamsen, Lybia, Æthiopia, Mœdisque & Persis, & Bactriano, ac Scythia potitum, quasque terras Suri, Armeniique, & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare Imperio tenuisse. Legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti, & auri, numerus armorum, equorumque, & dona templis ebur, atque odores, quasque copias frumenti, & omnium utensilium, quæque natio penderet, haud minus magnifica, quam nunc vi Parthorum, aut potentia Romana jubentur.*

Vesores obtinuit postea Ægypti monarchiam, de quo Orosius lib. 1. cap. 14. inquit, *Vesores Rex Ægypti Meridiem, ac Septentrionem, aut miscere bello, aut Regno jungere studens, Scythis bellum indixit.*

Cui Rhamses successit, quem, inquit Orosius, vixisse ante Romæ ædificationem quadringentis annis.

Refert Suidas in verbo Thule de alio Ægypti Rege Thulis nominato, eo quod extenderit Imperium usque ad extremam Oceani Insulam, nomine Thulis, in præsenti Islandia.

Smendius, sive Simandius inde fuit, qui usque ad mare Caspium, seu Baruch redegit ditionem suam, proximus Sesostris antecessor, ex Eusebio in Chronic.

Sesostris in sacro textu Sesac appellatus, omnium aliorum Ægypti Regum potentissimus, duxit exercitum in Soriam, de quo lib. 2. Paralipom. cap. 12. dictum. *Anno quinto Regni Roboam ascendit Sesac Rex Ægypti in Hierusalem (quia peccaverunt Domino) cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Ægypto Lybices scilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes.* Et idem habetur 3. Regum cap. 14. Hic conquisivit Soriam, occupavit Hierusalem, & templum Salomonis deprædavit, debellans totum Orientem, & Scythiam; transiens in Græciam, ut reverteretur in Ægyptum, ex Herodot. lib. 1. & Clement. Alexand. in Protreptico, reliquit in qualibet Regione Trophea incisa his verbis, ut inquit Diodorus lib. 1. *Hanc provinciam armis subegit Rex Regum, & Dominus Dominantium Sesooris.* Demum spoliis & thesauris onustus triumphavit in Ægypto, de quo Lucanus ait:

Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit.

Verum, quia omnia orta occidunt; & Ægyptiorum iniquitas jam completa erat; corruit demum Ægypti Imperium à Cambyse filio Cyri occupatum, & dirutum, annis 521. ante Redemptoris nostri ortum, cujus destructionem prophetans Jeremias cap. 43. & 44. inquit, *Veniensque percutiet terram Ægypti: quos in mortem, in mortem: & quos in gladium, in gladium, & succendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos: & conteret statuas domus Solis, quæ sunt in terra Ægypti, & delubra Deorum Ægypti comburet igni.* & Ezechiel cap. 29. *Inter cætera regna erit humillima, & non elevabitur ultra super nationes, & imminuam eos, ne imperent gentibus.* Et hæc de Ægyptiorum potentia, quæ quoniam nulla alia in re hodie apud nos resplendet, quam in Obeliscis; Ideo de iis videamus.

CAP. III.
De Obeliscis.

De Nomine. OBelisci sunt lapides asperrimi, in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgentes excelsam: utque radium imitentur, gracilescentes paulisper, specie quadrata, in verticem producti angustum, innumeras notas hieroglyphicas habent; atque ad jam tum exorientis sapientiæ initia commonstranda ex Veterum auctoritate adinventas, ut refert Ammianus Marcellinus. Imitabantur in iis Ægyptii radios Solis, quem ipsi adorabant, eidemque etiam illos dicavere: nec non ab iisdem Solis radiis sumptum est nomen Obeliscus, diminutivum verbi Obeli, quod Veru, seu Acum significat, quamvis sint lapides excelsi, ex Herodot. in Euterp. & Bargæo de Obelisco. Nec forsan in hoc satis dissimile est nomen Guglie sermone Italico, cum illud sit forsan desumptum à verbo Gallici idiomatis Aguglie, quod Acum denotat, quamvis alii credant hoc verbum Guglia processisse, quia in Basi Vaticani Obelisci aliàs legebatur à rudioribus JULIUS; at illi corrupto verbo nominavere Guglia, ut refert Mercatus de Obeliscis cap. 1.

Materia. Præfatorum Lapidum materia nominatur Granitum rubeum, nempe ex mixtione versicolori, tendente potissimum in rubeum colorem, nec non tenacissimæ firmitatis: ita ut, nisi difficile, frangi possit: nominatur hic lapis communiter à Græcis *Pyropœcilos*, ex Plinio lib. 36. cap. 8. quod idem sentit, ac versicolor in rubeum, quamvis ab aliis *Psaronium*, cum sit ille similis maculis sturni, ex Plinio lib. 36. cap. 22. Thebaicus quoque lapis sic dictus à Thebaide Ægypti provincia, sicuti etiam *Syenites* à Siene civitate ejusdem Thebaidis, apud quam extant adhuc voragines, ex quibus hic lapis excavabatur ad Obeliscos extruendos, seu ingentes columnas elaborandas: & ex hinc per magnam fossam ducebantur ad Nilum versus Elephantinam civitatem, ut refert Herodot. in Euterp. & ex prædicto lapide solummodo elaboratos fuisse Obeliscos, patet ex omnibus, quos adhuc videmus, diversæ etiam magni-

tudinis

tudinis ab Ægypto Romam advectos circiter quinquaginta, ut refert dictus Mercatus cap. 3. Quare autem ex prædicto lapide solummodo extructi fuerint Obelisci? præter illius tenacitatem; videtur illius materia satis conveniens ad exprimendam quoque Generationis materiam, in qua exercet Sol propriam virtutem, siquidem cum sit ille lapis compactus ex variis partibus versicoloribus, quarum plurimæ in colorem rubeum ad similitudinem elementi ignis; aliæ partes crystallini coloris sicuti aer, & aqua; cæteræ verò assimilantur colori terræ: quæ omnia simul denotant mixtionem, quæ præcedit generationi; sicuti quoque significant multas & varias res, quæ generantur, ut voluit Mercatus cap. 8.

Forma. Unde autem Obeliscorum forma assimiletur radiis solaribus? Dicimus prædictos radios, quo magis erga nos extenduntur, eo amplius restringantur, quasi Coni figura, sicuti etiam Obelisci; sed quamvis differant, quod Obeliscus terminet in acumen quadrum, conus autem in formam circularem, sicuti alterum veru: Dicimus hoc expressisse Ægyptios, ut quadra Obeliscorum forma solummodo responderet radiis Solis, non autem radiis cæterorum astrorum; quoniam Solis cursus continuo per quatuor anni tempora vertitur, nempe in Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem, quod non est in cæteris astris. Secundo ea sit ratio, quoniam terrarum orbis illuminatur à Sole in quatuor partes, nempe in Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem: ex iis expressere Ægyptii radios Solis in Obeliscis forma quadra, ut differrent à radiis cæterorum astrorum circularibus: unde ex Horoapolline lib. 1. Hieroglyphic. 5. volentes Ægyptii annum exprimere, quartum numerum exprimebant.

Causa extructionis. Quare autem Obelisci ab Ægyptiis fuerint fabrefacti? Dico, cum potissimum Ægyptii intenderent futura per judiciariam astrologiam præcognoscere: unde & Prophetæ nominabantur ipsorum sacerdotes, ex Clemen. Alexan. lib. 1. propterea scalpendo ipsi prognostica in lapidibus magnificentissimis, ea mysteriosis figuris distinguendo, juxta materiam, de qua tractabant, nempe ad Imperium spectantem, scalpebant ea in Obeliscis Soli dicatis, tanquam Gubernatori, & dispensatori omniū viventium, iidemque hoc efficiebant, cum præviderent qualitatem futurorum temporum circa corporum dispositionem, circa pestiferam contagionem, ut legitur apud Suidam in verbo Joches, ac etiam confirmatur à Galeno lib. 5. de corpor. medic. & lib. 6. epidem. sic etiam hieroglyphicæ notæ in basibus sphyngium admonebant futura de Nili inundatione, sicuti de fertilitate, &c. & hæc sunt, quæ intellexit Plinius lib. 36. cap. 9. continere Obeliscos inscriptos rerum naturæ interpretationem. Erigebantur etiam Obelisci in consecrationem alicujus viri illustris, seu proprii Regis affinis, ut in Obelisco Semnisertei; sicut etiam colore Religionis in honorem Solis exprimebant potestatem Imperii, Victorias consequutas, Magnitudinem tributorum, & cætera, unde gloriam reportarent: Non defuere tamen, qui fastum respuentes, & vanam gloriam, dicarunt etiam Soli, absque ullis hieroglyphicis characteribus.

Differebant inter se Obelisci Magnitudine, quod proveniebat ex facultatibus

 corun-

eorundem auctoris Principis, aut Privati, quod ille esset; seu ex temporum varietate, quod sic servaretur.

De eorundem Obeliscorum Inventoribus refert Plinius lib. 36. cap. 8. *Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis urbe*, nempe Heliopoli, *regnabat somnio jussus, & hoc ipsum inscriptum est in eo*, quamvis ab Eusebio in Chronico non appelletur Mitres, sed Mesphres, cum constet de corruptione diversorum exemplariũ ex Josepho lib. 1. contra Appion. Euseb. in Chronic. & aliis. Quod autem scribit Plinius de prædicto somnio, fuit hoc figmentum, ut Obeliscorum inventio, tanquam quid Divinum esset auctoritatis apud posteros, sicuti plurimis dein Regibus usque ad exterminium Cambysis id fuit exemplar in aliorum similium extructionem. Ab inventione autem prædictorum Obeliscorum usque in præsens tempus transierunt circiter 3200. anni ex Mercato cap. 12.

Mitres.

Post Mitrem, qui Obeliscos invenit, ut inquit Plinius lib. 36. cap. 8. *Sochis quatuor numero quadragenum octonum cubitorum longitudine. Ramises autem is, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum*; & hunc Ramisem fuisse filium, & successorem potentiæ Sochis indubitatum apud Josephum, & alios: Et extruxit hic Ramsses alios quinque Obeliscos, ex Plinio dicto cap. 8. & 9. lib. 36. quorum quatuor non amplius quadraginta cubitorum, quintum verò tantæ altitudinis, ut nec à præcedentibus, nec à subsequentibus Regibus similis fuerit unquam erectus: *In hoc opere*, inquit idem Plinius cap. 9. *elaborasse xx. hominum millia*; *& ipse Rex cum esset illum subrecturus in Thebis civitate prope Nilum, vereretur que, ne machinæ ponderi non sufficerent, quæ majus periculum curæ artificum denuntiaret, filium suum adalligavit cacumini, ut salus ejus apud molientes prodesset lapidi*: Hunc eundem Obeliscum, refert Diodorus lib. 3. fuisse annumeratum inter septem mundi mirabilia; ac ut refert Constantius Magni Constantini filius in inscriptione, quam posuit, & adhuc visitur in basi prædicti Obelisci, his verbis: *Et quod nulla tulit tellus, nec viderat ætas.* Hic Obeliscus ille est, quem fel. recordat. Sixtus Quintus Pont. Max. erutum ex ruderibus Circi Maximi erexit ante Lateranensem Basilicam, ut supra illum extolleret salutiferum Crucis signum, & nostræ Religionis tropheum.

Sochis, & Ramises.

Sesostris Ægypti Rex, qui extitit regnante Salomone, ut habetur 3. Regum c. 11. his verbis: *Voluit autem Salomon interficere Jeroboam, qui surrexit, & aufugit in Ægyptum ad Sesac Regem Aegypti, & fuit in Aegypto usque ad mortem Salomonis.* Fuit siquidem Sesac idem, qui Sesostris, ut ex præcipuis literis, quæ reperiuntur in utrisque verbis, ut etiam à Diodoro Scoosis, & à Plinio Sesosis, & Sesochis nominatur: Hic Rex Sesostris post ingentes victorias, ut diximus in præcedenti Capitulo de Monarchia Ægyptiorum, reversus in Ægyptum inter illustria, & mirabilia destinavit, & cœpit simul jungere mare Rubeum, & Mediterraneum, ut ex Arist. Meteororum lib. 1. Præterea scribit Diodorus lib. 1. Ab hoc eodem Sesostre duos fuisse extructos Obeliscos, utrumque altitudinis centum viginti cubitorum, de quibus alterum refert Plinius lib. 36. cap. 9. in fine, fuisse Romam advectum ab Augusto, & in Campo Martio erectum: & ab urbe Heliopoli ante exportatum voluit Diodorus; nec non

Sesostris.

non idem ſcribit, feciſſe Seſoſtrem in prædictis inſcribi ipſius potentiam, cum tot conſequutis victoriis ſuperbus deveniſſet, quamvis velit Plinius fuiſſe in illis ſcriptam Ægyptiorum Philoſophiam.

Nuncoreus filius Seſoſtris, poſtquam à libidinibus ſobrius devenit, & continens; obtulit plurima dona templis diverſis, & præſertim Heliopoli obtulit Soli duos Obeliſcos excelſæ magnitudinis, quos extrui fecit abſque ulla hieroglyphicorum characterum ſculptura, ut hic Romæ ex iis duobus alterum in Vaticano videmus à Cajo Imperatore Romam advectum: Quare autem fuerit abſque notis hieroglyphicis extructum? Credimus, quoniam ſcientiæ, ad quæ Hieroglyphica inſerviebant, jam fuerant diminutæ. Altitudo prædictorum Obeliſcorum Nuncorei, ut refertur ab Herodoto, Diodoro, & Plinio erat centum cubitorum, quamvis hodie conſtet non ejuſdem eſſe magnitudinis, quem habemus in Vaticano, ſed hunc fuiſſe diminutum ſexdecim cubitis: unde Plinius de hoc ipſo inquit; *Ex omnibus unus factus eſt in molitione.* & hunc forſan tempore Nuncorei, quando ipſe fortè illum erigere fecit, non autem tempore Caji, ut ex verbis, quæ ſubſequitur Plinius. *quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus.*

Annis ducentum poſt Nuncoreum elapſis, regnavit in Ægypto Smarres, qui ab Euſeb. in Chronic. Merres Æthiops nominatur, vixit tempore Manaſſis annis 690. ante Chriſti nativitatem, ſcribit de prædicto Plinius dicto cap. 9. his verbis: *Sunt & alii duo Obeliſci, unus à Smarre poſitus, alter ab Eraphio ſine notis quadragenum octonum cubitorum*: non legitur apud auctores, ubi illum erexerit Smarres, Romam autem ambos advectos, & in Mauſoleo Auguſti collocatos, quorum unus dicti Smarris ille eſt, qui modo ante Eccleſiam ſanctæ Mariæ Majoris viſitur, cum ſit abſque notis, nec non ejuſdem menſuræ cubitorum quadraginta octo.

Smarres.

Regnavit deinde Nectabis, ſeu Nechao in Ægypto ante Chriſti adventum annis ſexcentum & duodecim: Hic circa confinia Babyloniæ vicit, & occidit Joſiam Regem Judæ, reduxitque totam Judæam tribus menſibus ſub ditione ſua, & cum perveniſſet Hieruſalem, privavit Imperio Joacham, in quod ſucceſſerat poſt mortem Joſiæ patris, refert Herodot. in Euterp. & pluries in ſacro textu, Regum lib. 4. cap. 23. Paralipom. lib. 2. cap. 35. Eſdræ lib. 3. cap. 1. Jerem. cap. 46. Reverſus poſt victoriam Nectabis in Ægyptum juxta morem Seſoſtris, & aliorum extruxit Obeliſcos in memoriam victoriæ. Plinius dicto lib. 36. cap. 9. inquit; *Alexandriæ ſtatuit unum octoginta cubitorum Ptolemæus Philadelphus, quem exciderat Nectabis Rex, purum; majuſque opus fuit in devehendo, ſtatuendoque, quam in excidendo*: erexit dictum Obeliſcum Ptolemæus Alexandriæ trecentum viginti quinque annis poſt mortem Nectabis, ut voluit Mercatus cap. 17.

Nectabis.

Aphries, ſeu Ephrees nepos dicti Nectabis regnavit in Ægypto ante Chriſtum natum annis quingentis nonaginta quinque, & ſeptimo Regni ſuo anno capta eſt Hieruſalem à Nabucdonoſor, qui captivos in Babyloniam duxit Judæos; ex iis tamen plurimi in Ægyptum fugerunt, protegente illos Ephree contra Dei præceptum, & propterea minatus eſt Deus flagella non ſolum fugitivis, verum & ipſi Regi Ephree,

Aphries.

phree, ex Jerem. cap. 44. his verbis: *Ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius, sicut tradidi Sedeciam Regem Judæ in manu Nabucdonosori Regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam ejus*; etenim dictus Ephrees trigesimo Imperii sui anno proditoriè occisus fuit ab Amasi exercitus sui Duce, qui in Imperium successit, ex Herodoto in Euterp. & Diodor. lib. 1. Erexit dictus Ephrees Obeliscum similem alteri Smarris cubitorum quadraginta octo, absque hieroglyphicis notis, & hic unus ex iis reputatur, jam in Mausoleo Augusti erectis, ut apud Plinium dicto cap. 9. à quo per errorem dictus Rex non Ephrees, sed Eraphius nominetur.

Samniserteus.

Fuit Samniserteus Rex, qui ab Herodoto in Euterp. Psammenitus; hic filius Amasis, & postremus in Ægypto regnavit; sed cum paulo post obitum Amasis advenerit Cambyses ad destruendam Ægyptum, supponendum ex hoc, nec Obeliscos, nec aliud quippiam insigne potuisse perfici per Samniserteum, sed quod vivente adhuc patre Amase in senectute extrema Samniserteus extrui fecerit Obeliscum, quem Augustus dein Romam adduxit, & in Circo Maximo collocavit, ut ex Plinio dicto cap. 9. his verbis: *Is autem Obeliscus, quem Divus Augustus in Circo Magno statuit, excisus est à Rege Samneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum, & dodrantis, præter basin ejusdem lapidis: is vero, qui est in Campo Martio novem pedibus minor à Sesostride; inscripti ambo rerum natura interpretationem Ægyptiorum opera Philosophiæ continent.* Fuit hic annus quingentesimus vigesimus primus ante Redemptoris nostri adventum. Quamvis desuevissent præcedentibus seculis inscribere Obeliscos hieroglyphicis notis, ut diximus. Voluit tamen hic Rex iterum apponere illas in Obeliscis, quoniam cum illius Pater Amasis ignobili esset genere natus, ex Herodot. in Euterp. sibi persuasit ipse Samniserteus Rex nobilitatem assumere, demonstrando propriam originem à Rhamse celeberrimo Ægypti Rege; & propterea Obeliscum Soli dicavit nomine dicti Rhamsis, attributis illi in consecratione titulis, & prærogativis, iisdemque hieroglyphicis notis exaratis.

Ammianus Marcellinus lib. 17. refert partem explicationis hieroglyphicarum notarum in prædicto Obelisco Samnisertei, & inquit, eam transsumpsisse ex libro Hermaphionis, qui forsan illam à Sacerdotibus Ægyptiis receperat, seu quod vixerat ille Hermaphio tempore, quo prædictæ notæ scribebantur; & eandem notarum explicationem, nec non earundem declarationem refert Mercatus dicto tractatu de Obeliscis cap. 19. & seq.

Diruti à Cambyse Obelisci.

Erectis in Ægypto prædictis Obeliscis, ut diximus, Cambyses Persarum Rex in Ægyptum transiens septimo imperii sui anno, nempe quingentesimo vigesimo primo ante Christum natum, totum illud regnum devastavit, ut sæpius vaticinaverant Jeremias cap. 43. 44. & 46. Ezechiel cap. 29. 30. & 31. & seq. nec non etiam Isaias cap. 19. & 20. his verbis: *Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum.* Ex cujus eversione diruti sunt Obelisci, quod demonstratur jam ante prænuntiatum à Propheta Jeremia cap. 43. *Conteret statuas do-*

mus Solis, quæ ſunt in terra Ægypti, & delubra Deorum Ægyptiorum. Nec ambigendum, quin ſtatuæ domus Solis eſſent Obeliſci, qui repræſentabant radios Solis, & erigebantur in loco ejusdem Templi aperto. Scribit Strabo lib. 17. de hac everſione Obeliſcorum Heliopoli in Ægypto patrata per Cambyſen, quorum duo ab igne ſatis combuſti Romam advecti fuerunt: eosdem Obeliſcos dirutos refert vidiſſe Thebis Ammianus Marcellinus lib. 17. Plinius vero lib. 36. cap. 9. inquit, quod Cambyſes cum Thebas expugnaret obſtupefactus magnitudine molis à Ramiſe extructæ, juſſit ignem extingui, ne illud incendio abſumeretur, quamvis nullam urbis miſerationem habuiſſet.

Mortuo Cambyſe perſeverarunt in Ægypto ſpatio centum nonaginta quinque annorum bella, & ſeditiones uſque ad Alexandrum Macedonem, qui ſubacto Dario ultimo Perſarum Rege obtinuit omnia à Dario poſſeſſa, ſicuti & Ægyptum, ubi Alexandriam à proprio nomine extruxit, trecentum viginti octo annis ante Chriſtum natum, quæ poſtea Macedonum fuit Regia uſque ad Auguſtum, qui Ægyptum in ditionem Romanorum redegit. Inter Macedones tertius fuit Ptolemæus Philadelpdus, qui inter egregios illius animi ſenſus, Bibliothecam inſignem collegit ex auctoribus omnibus, qui illa ætate poterant inveniri, inter quos, ut & ſacram Scripturam haberet liberaliſſimè erga Hebræos ſe præbuit; quæ tunc primum ab Hebræo in Græcum idioma per Septuaginta duos Interpretes fuit traducta; duobus ſeptuaginta annis ante Chriſti nativitatem: Idem Ptolemæus pariter erexit dirutos à Cambyſe Obeliſcos; & illum Regis Nectabis Alexandriæ in templo Arſinois uxoris ſuæ collocavit, Plinius dicto cap. 9.

Romanis autem in Ægyptum ingreſſis ex omnibus ab illis Regibus geſtis, Obeliſcos ſolummodo ſunt æmulati; illosque Romam (ut inquit Plinius dicto cap. 9. Sueton. in Claudio, & Ammianus lib. 17.) per mare advehendo ſupra naves ſatis planas, quarum duæ ſimul catenis compactæ ducebant unumquemque Obeliſcum per flumina Nili, & Tiberis; in mari vero inſerviebant aliæ Naves, quæ altiores, & profundiores eſſent, ut refert Ammianus dicto lib. 17. quod Navis, qua Conſtantius vexit Romam Obeliſcum Lateranenſem, fuerit ita grandis, ut nec antea, nec poſtea viſa fuerit ſimilis in Nilo, nec in Tiberi trecentorum remorum, quæ per Nilum vehebatur exuberante aqua menſibus Julii & Auguſti.

Auguſtus igitur primus fuit ex Romanis Imperatoribus, qui Romam duos ex majoribus Ægypti Obeliſcos advexit à Civitate Heliopoli anno vigeſimo ſecundo ante Chriſti ortum, quorum unus Semneſertei in Circo Maximo erectus, & Seſoſtris alter ab eodem Auguſto in Campo Martio poſitus, ac utrumque illorum idem Auguſtus Soli conſecravit; ſicuti etiam Circus, in quo primus fuit poſitus, ſymbolum erat Mundi, qui à Sole circundatur: & quamvis locus in Campo Martio, ubi alter Obeliſcus Seſoſtris fuit collocatus, non eſſet Soli dicatus; nihilominus ad Solis mirandum uſum ibi accommodatus extitit, ut Solis umbræ dierum, ac noctium magnitudinem oſtenderent: Quale opus tamen ſuo tempore defeciſſe refert Plin. lib. 36. cap. 10.

Cajus Imperator in Circo Vaticano à se extructo, cum vellet ibi Obeliscum apponere, advexit Romam post Christum natum anno quadragesimo primo unum ex duobus Obeliscis à Nuncoreo elaboratis, quamvis ante fractus fuisset, ut diximus, & refert Plinius cap. 11. lib. 36. eumque consecravit Augusto, & Tiberio parentibus, & in Imperio prædecessoribus, ut legitur in inscriptione per ipsum Cajum ibi apposita.

Post Caji Imperium advecti Romam fuere quadraginta quatuor Obelisci diversæ magnitudinis, notis hieroglyphicis fere omnes incisi, ac in variis Urbis partibus collocati, & ii à diversis advecti, quorum ignoratur nomen, ex quibus duo in Mausoleo Augusti erecti ab Imperatoribus subsequutis, refert P. Victor. de Regionibus Urbis, & alter in Hortis Salustii, inquit Ammianus Marcellinus lib. 17. his verbis: *Sequutæque ætates alios transtulerunt, quorum unus in Vaticano, alter in Hortis Salustii, duo in Augusti monumento erecti sunt.* Quamvis satis probabile sit, hos duos in Augusti Mausoleo prope Tiberim à Claudio advectos Romam, ibidemque unus sit erectus, & ab eodem Claudio alter erectus in Salustii Hortis, refert Mercatus cap. 27. & 28. ac etiam ex prædictis quadraginta duobus Obeliscis, creditur etiam fuisse illos, qui in Circo Floræ, & in Circo Caracellæ fuere, inquit Mercatus cap. 29.

Magnus Constantinus Thebis advexit Alexandriam Obeliscum, quem Rex Ramises extruxerat, cum decrevisset illum Constantinopoli erigere in Circo, quem ibi extruxerat, sed morte præventus Constantinus remansit in portu Alexandriæ dictus Obeliscus, donec Constantius filius sequuta divisione inter fratres, plurimis elapsis annis, illorumque morte sequuta, ac Tyrannis debellatis, cum dictus Constantius Romam advenisset, ibidemque triumphasset, ad augendam sibi gloriam, Alexandria Romam advexit Obeliscum, quem ibi pater Constantinus reliquerat, & in Circo Maximo eundem magna pompa collocavit; de cujus erectione maximè dubitarunt artifices, ut refert Ammianus Marcell. lib. 17. Theodosius Imperator deinde in Circum Constantinopolis ex Ægypto alium Obeliscum advexit, ibidemque reposuit, sicut Magnus Constantinus jam destinaverat, ut refert Mercatus cap. 34.

A Gothis secundo confracti.

Erectis Romæ Obeliscis, ut vidimus, iterum illi diruti fuere, & hoc non casu seu fortuito incendio, vel terrarum motu, sed data opera. Credidêre aliqui hoc à Summis Pontificibus Christianis zelo Religionis peractum, qui destruentes Circos cum omnibus suis ornamentis, everterint etiam Obeliscos, sicuti à sanctis Patribus reprehenduntur spectacula Circensia, & Equestria, quæ in Circo repræsentabantur, ut ex sancto Cypriano, & Tertull. in lib. de Spectaculis, & Prudentius, ut penitus tales ludi tollerentur, hortatur Honorium, *Tu mores miserorum hominum prohibeto litari.* Quod exequutus est Honorius, quamvis Arcadius & Honorius permiserint solum, quæ in Circo & Theatris agebantur, *Ne nimia tristitia in Populo generaretur.* Affirmat Theodoretus cap. 26. lib. 5. Deinde in Concilio Constantinopolitano generali anno 681. Can. 66. omnia spectaculorum genera diebus festis fuerunt prohibita. Demum Romæ propter ejusdem Urbis vastationem & desolationem penitus remanserunt abolita spectacula: etenim spatio annorum quinquaginta

part. 3. p. 18.



ginta septem Roma Orbis dominatrix ter violenter capta, & direpta fuit à Barbaris; Primum à Genserico Rege Gothorum, anno Christi 412. Secundò Valentiniano mortuo anno 456. capta iterum, & crudelius direpta à Rege Vandalorum, qui secum adduxerunt in Aphricam Eudoxiam Imperatricem Valentiniani viduam, una cum immenso populo captivo: & duodecim elapsis annis. Tertiò, direpta à Ricimero Suevo, qui Valentiniani duxerat aliàs exercitum; Respiravit nihilominus deinde Roma sub Theodorico Gotho, à quo etiam restaurata fuere spectacula, & alia insigniora ædificia, ut Cassiodor. lib. 3. in epist. ad Faustum Præpositum.

At verò postquam Justinianus Imperator dein Urbem à Gothorum dominio recuperavit, à Totila eorundem Gothorum Rege, quartò crudeliter bis capta, & penitus desolata remansit anno 547. ut omnibus habitatoribus vacua remanserit, refert id Procopius lib. 3. de Bello Gothorum, & de hac eadem desolatione Leonardus Aretinus sic scribit: *Itaque insurgens Totila mirabili crudelitate mœnia Romæ pluribus in locis ad solum evertit: fuit autem illa, quæ eversa est tertia pars totius ambitus murorum; Capitolium deinde incendit; circa Forum, & Suburram, & viam sacram omnia conflagrarunt: Fumabat Quirinalis, Mons Aventinus flammam incendii evomebat: Fragor ruentium domorum ubique audiebatur.* Ex tunc de spectaculis, seu aliis Pompis Urbis non amplius penitus actum: siquidem anno 589. eandem etiam Longobardi obsederunt, quamvis tunc non fuerit capta: fuit nihilominus deinde bis à Saracenis direpta, nempe anno 829. item anno 845. & sic variis seditionibus depressa remansit usque ad Caroli Magni Imperatoris adventum.

Hinc clarè constat Gothos, & Barbaras alias nationes in tam longa Urbis vastatione, ipsas, non autem Summos Pontifices devastasse Obeliscos in Circis inclusos. Præterea nec omnes Obelisci erant intra Circos, sed ex iis plerique in Campo Martio, in Mausoleo Augusti, & Hortis Salustii, ac in aliis Urbis partibus reperiebantur erecti; & ille Vaticani Obeliscus, quem ex omnibus unicum adhuc integrum videmus; ante alios omnes à Pontificibus fuisset confractus, quando hoc illi egissent, ut tollerentur spectacula; cum hic in Circo Vaticano esset erectus.

A Sixto, V. P. M. erecti secundo.

Post dictam Obeliscorum à Gothis devastationem plurimi ex Summis Romanis Pontificibus sibi in animum induxêre velle prædictos Obeliscos erigere; nempe Nicolaus Quintus, Paulus Secundus, Julius Secundus, Paulus Tertius, & Gregorius XIII. sed vel morte præventi, seu bellis, aut aliis detenti impedimentis, ut refert Mercatus cap. 35. supersederunt, donec fel. recordat. Sixtus Quintus anno 1585. Pontificatus primo ardenti veræ Religionis zelo, quos bis Ægyptii, & prisci Romani falsis eorum Diis ante dicaverant; & propterea justo Dei judicio à Persis sub Cambyse in Ægypto, & à Gothis sub Totila hic Romæ fuerant prostrati; hos eosdem dictus Summus Pontifex vero Deo ante insigniora Urbis templa jussit erigi, ut supra illos salutiferum Crucis signum, tanquam prostratæ Idololatriæ trophæum, extolleretur, sicuti jam pridem Isaias vaticinatus fuerat: *Elevabitur signum in Gentibus.*

Destinavit Summus Pontifex Architectum Dominicum Fontanam, qui ministerio septingentarum operarum usus artificio Camilli Agrippæ cum machinis ab

equis deductis mirabili inventione mathematica priſcis temporibus ignota, erexit Obeliſcum Vaticanum, quamvis apud Plinium legamus ad erectionem Obeliſci Regis Ramiſis, hodie in Laterano, viginti hominum millia elaboraſſe.

Erecti Obeliſci fuerunt quoque exorciſmis expurgati, nec non ab Epiſcopo ſolenni pompa, & hominum concurſu ſanctiſſimæ Cruci conſecrati, ac demum ſupra illos Crux elata.

Et hæc de Ægyptiorum potentia, & maximè in Obeliſcis dicta ſufficiant, quibus conſequens eſt videre de eorundem Idololatria & ſuperſtitionibus.

Cap. IV.
De Origine Idololatriæ Ægyptiacæ.

LACTANTIUS Firmianus Inſtitut. divinarum lib. 2. De orig. erroris cap. 14. refert Deum poſt perditum Diluvio humanum genus, elegiſſe ad multitudinem reparandam Noëm, qui corruptis omnibus, ſingulare juſtitiæ ſupererat exemplum. Ille egreſſus ex Arca, terram ſtudioſè coluit, atque vineam ſua manu ſevit, unde arguuntur, qui authorem Vini Liberum putant. Ille enim non modo Liberum, ſed & Saturnum multis anteceſſit ætatibus, qua ex vinea cum primum fructum cœpiſſet, bibit usque ad ebrietatem, jacuitque nudus. Quod cum vidiſſet unus ex filiis, cui nomen Cham, non texit patris nuditatem, ſed egreſſus etiam fratribus indicavit: At illi ſumpto pallio intraverunt averſis vultibus, patremque texerunt. Quæ cum facta recognoviſſet pater, expulit filium; At ille profugus in Arabiam ivit, ibique conſedit, eaque Gens à nomine ſuo Chanaam dicta eſt, & poſteri ejus Chananæi: Qui primi Deum ignorarunt, quorum princeps, & conditor cultum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo, & ignorantiam divinitatis poſteris reliquit. Deinde Menſter filius Cham, & alii ab eo propagati: primi, qui Ægyptum occuparunt, cœleſtia ſuſpicere, atque adorare cœperunt; & quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem curſus ſyderum, & defectus notaverunt, factumque eſt, ut dum ea ſæpè curioſius intuerentur, adoraverint. Poſtea portentificas Animalium figuras, quas colerent, commenti ſunt, quibusdam prodigiis inducti. S. Joannes Damaſcenus de Hæreſibus inquit, quod Seruch Idololatriam primus invenit. Cum enim omnes ritum, quem tum probaverant, ſuperſtitione quadam ad humaniorem cultum deducere communi conſenſu conſtituiſſent: mos ſimulacrorum hominum generi ponendorum ortum habuit.

Deinde erexêre ſimulacra hominibus quoque celebrioribus, vel potentioribus propter beneficia, ob adulationem, & alias cauſas, prout infra in ſecunda parte dicemus.

Habuere Ægyptii inter ipſorum Deorum monſtra in veneratione cœleſtia ſigna, ſed potiſſimum Solem, quem Oſiridem appellarunt, & Lunam Iſidem. Hinc Theodoretus ſermon. 3. de Diis & Angelis inquit, *Atque ut teſtis eſt Siculus Diodorus, omnium mortalium primi Ægyptii Solem, Lunamque Deorum nomine appellantes Solem*

Solem quidem Osirim, Lunam verò Isim esse dixerunt: hinc Jeremias cap. 43. & sequenti, ait: *Et conteret statuas domus Solis, quæ sunt in Ægypto.* Et iterum: *Sacrificemus Reginæ Cœli, & libemus ei libamina.* Hinc Suetonius in triumpho, quem Augustus de Antonio, & Cleopatra Romæ habuit, præcedere fecit imaginem Solis, & Lunæ. Et de prædictis Ægyptiis conqueritur propterea Apostolus ad Rom. cap. 1. dicens: *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

Cap. V.

De Ægyptiorum superstitione.

AD antiquissima Ægyptiorum rudera, ac temporis injuria semisepultas monumentorum parietinas, pauci ex Antiquariis aspirare, quod ego sciam, sunt ausi: nunc ex magna satis messe, colligam spicilegium aliquod hujusmodi figurarum, quarum penes me aliquas detineo: Nihil enim ita absonum infingendis uspiam fuit, quod non æquarent, vel etiam exsuperarent monstrosæ Imagines Ægypti, quibus ex antiquitate pepercit tempus edax rerum, etenim ut inquit Arist. lib. 12. Metaph. cap. 4. in fine. *De Diis & universa natura, multa ad persuasionem multitudinis, & legum opportunitatem fuisse inventa: nam præter substantias, quas Deos arbitrabantur, invenerunt etiam formas hominum, & aliorum animalium, & similium, ut ea venerentur.* Colebant enim Bestias ferè omnes, quas portentorum mater Ægyptus alebat, in iis & serpentes, & dracunculos. Hæc enim sacra (ut ipsi dicebant) animalia eo studio venerabantur, ut cum admiratione diceret Cicero 1. de natura Deorum: *Firmiores apud Ægyptios opiniones esse de bestiis quibusdam, quam apud Romanos de sanctissimis Templis, & simulacris Deorum*; cui consonat illud Juven. sat. 15.

> *Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens*
> *Ægyptus portenta colat?* Et paulò post,
> *Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.*

Ita prorsus, ut si quis Canem, Accipitrem, Felem, Ibim, Crocodilum, & alia hujusmodi violasset, capite plecteretur: cujus præcipuum extat testimonium Moysis Exod. cap. 8. in Ægypto sacrificare detrectantis: *Quod si* (inquit) *mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent:* & hoc fundamento Josephus contra Appionem ratiocinatur: *Orbem terrarum, si Ægyptiorum sacra suscepisset, brevi bestiarum plenum, inanem hominum futurum:* horum tamen cultus non solum totam Ægyptum, Regionesque finitimas, verum universum ferè orbem incredibili superstitione pervaserat: & dum hujusmodi deliria Arnobius exagitaret, hæc scripsit lib. 5. adversus Gentes: *Si contemptor aliquis Numinum, & sacrilegi pectoris immanitate furiosus, intendisset animum maledicere Diis vestris, auderet in eos quicquam gravius dicere?* Hinc Lactantius lib. 2. cap. 2. *Vos altas mentes, & ad Patrem suum*

cum corporibus ſuis erectas ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat, non Quadrupedes eſſe natos.

Ægyptiaca ſuperſtitio, licet per orbem fere univerſum diffuſa, exagitata tamen, & ſapientum contumeliis vexata fuit: Romæ Anno ſiquidem Urbis DCXCVI. Piſone & Gabinio Coss. ex Urbe hujusmodi ſacra ejecta ſunt, ut narrat Arnobius lib. 2. adverſus Gentes, & Tertullianus in Apolog. cap. 6. Anno 700. Fana Iſidis & Serapidis ex S. C. ſolo æquata: & M. Apripa Ædilis anno 732. extra Pomerium receptas imagines eliminavit, vetuitque in Urbe, & ſuburbano intra 500. paſſus conſiſtere, ex Dione lib. 40. 42. 47. & 54. Expulit poſtremo Senatus Tiberio imperante, Tacitus lib. primo. Exinde tamen, tanquam ruptis obicibus in Urbem, ſuperſtitionum aſylum, nefaria hæc ſacra agmine ſacro irruperunt adeo, ut Imperatores Commodus, Caracalla, Al. Severus manus dederint ex Lampridio & Spartiano, ac Tertulliano in Apolog. cap. 6.

Hinc diſce Amice lector ex D. Leone ſermone primo in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli; Quod, *Roma ignorans ſuæ provectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem: unde quantò erat per Diabolum tenacius illigata, tanto per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta.*

Laboravit tamen cultus hic Ægyptiacus infamia quadam peculiari, cujus teſtis Auguſtus ex Dione cap. 51. qui Apim adorare noluit, quod ſe Deos, non Boves adorare diceret.

Hæc ſacra ſub Auguſto nondum Romæ recepta; ſed lenocinia, & mollities præter cætera objectabantur, ut de Paulina Illuſtri Fœmina legimus, quam perditus Amator obtentu Ægyptiacæ Religionis polluit, ut latè Joſeph. lib. 11. cap. 47. antiquitatum; quod & actitatum innuit Juven. Satyr. 6.

Jamque expectatur in hortis,
Aut apud Iſiacæ potius ſacraria Lenæ.

Et Suetonius in Othone inter alia molliciei, & effœminati animi ſigna, refert; quod in linea, religioſaque veſte, Sacra Iſidis propalam celebraſſet.

Ex prædictis vanis ſuperſtitionibus diſcamus nos Chriſtiani non ſuperbire, ſpernentes verba prudentum, & ſapientum; ſed quod bonum eſt permixtum falſæ doctrinæ tenentes, & approbantes, ut docuit D. Auguſtinus de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 4. his verbis: *De ipſis Gentibus, Idolorumque cultoribus multa utique à nobis diverſitate diſtantibus, nihil aliud nobis demonſtrat Apoſtolus; niſi ut iis quoq; quod parvum eſt, corrigamus, ut quod fortè rectum eſt, approbemus: nam utiq; Idololatras redarguebat, ubi ait: Qui cognoſcentes Deum non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium: Talia quippe novimus fuiſſe ſimulacra Ægyptiorum, ubi inſtituta eſſe Idololatria perhibetur: talem ſcilicet fingentes Deum, qualis non*

non est Deus, & non sicut eum cognoverunt, tradentes hominibus. Et paulò post, de illis dicit: *Qui immutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt Creaturæ potius, quam Creatori: quod ergo immutaverunt in mendacium suum, culpat, detestatur, evertit; quod autem verum in doctrina, quamvis multis falsitatibus permixta, confusaque servarunt; approbat, tenet, & affirmat.* Simile etiam habemus ex Origene in Exod. c. 17. homil. 11. ibi: *Unde & nos si fortè aliquando invenimus aliquid sapienter à Gentilibus dictum, non continuo cum auctoris nomine spernere debemus & dicta, nec pro eo quod legem à Deo datam tenemus, convenit nos tumere superbia, & spernere verba Prudentium, sed sicut Apostolus dicit: Omnia probantes, quod bonum est tenentes.*

Sed quanquam gloriaretur, & triumpharet Diabolus de prædicta Idololatria, & infidelitate, ut David sapienter cecinerit in Psalmo 28. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*; nihilominus benignitas Salvatoris nostri assumpta humana carne, primo itinere voluit in Ægyptum se transferre ad evellendam, & extirpandam radicem, & sementem Idololatriæ, quam inimicus Diabolus ibidem seminaverat; ut jam pridem Spiritus Sancti lumine vaticinatus fuerat Propheta Isaias cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem (scilicet in uterum Virginis) & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti, & cor Ægypti tabescet in medio ejus*: quæ prophetia ex Rabano in cap. 24. Eccl. fuit adimpleta, ex quo Joseph admonitus ab Angelo fugit in Ægyptum cum puero JESU, & sanctissima Matre ejus; & Origenes in divers. Homilia 3. declarans dicta Angelica verba, ait: *Fuge in Ægyptum, propterea, ut destruantur manufacta eorum, & confringantur, & pereant Idola ipsorum; propterea, ut Dæmones turbentur, & Regum fabricæ in Idolis destruantur, ut fiat in Adventu Domini fugitivorum servorum, atque malorum interitus.* Et hoc iter, ita peculiare, propriumque fuit in Ægyptum, ut ad alias Barbaras nationes non transierit, ex Divo Anastasio Sinaita in Exameron. lib. 8. ibi: *Prima omnium Regionum Gentilium terra Nili vidit Deum in carne apud se venientem; & nulla Regio Barbarorum alienigenarum in mundo Christi faciem vidit in carne, nisi sola Ægyptus.*

Interitus Idololatriæ in Ægypto non solum per Isaiam fuit prænunciatus, verum quod mirabilius est per Hermetem, seu Mercurium Trismegistum Asclepii cap. 9. ibi *Futurum tempus est, cum appareat Ægyptios incassum pia mente Divinitati sedulam Religionem servasse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur.* Deinde in eodem capitulo prædicit tempus, quo Christiana Religio cuncta fallacia figmenta subvertet.

Quod autem, ut mirum, est advertendum, quod homo ita sapiens, qui apertè cognovit ridiculas superstitiones Ægytiacas, doleret tamen de earundem subversione, quod magno jure S. Augustinus reprehendit de Civitate lib. 8. cap. 23. ibi: *Hæc vana, deceptoria, pernitiosa, sacrilega Hermes Ægyptius, quia tempus quo auferrentur, venturum sciebat, dolebat, sed tam impudenter dolebat, quam imprudenter sciebat: Non enim hoc ei revelaverat Spiritus Sanctus sicut Prophetis sanctis, qui hæc præ-*

prævidentes, cum exultatione dicebant : si faciet homo Deos, & ecce ipsi non sunt Dii ; & in alio loco : Erit in die illo, dicit Dominus : Exterminabo nomina simulacrorum à terra, & non erit eorum memoria.

Lætabantur autem Sancti advenisse Christum, quem venturum prædixerant, qualis Simeon, qualis Anna, qualis Elisabet, quæ etiam conceptum in utero agnovit, qualis Petrus revelante Patre dicens : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* ; & propterea huic Ægypto maligni spiritus trementes indicaverunt futura tempora perditionis suæ, qui præsenti in carne Domino dixerunt Matth. 8. *Quid venisti ante tempus perdere nos ?* sive quod tardius venturum opinabantur, sive quod ante tempus Judicii, quo æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur.

Prædicta Idola Ægypti (quamvis Christo in carne) non omnia penitus defecerunt ; dein tamen à Christianis Imperatoribus, & à Theodosio primo potentissimum templum Serapidis Alexandriæ in Ægypto toto orbe terrarum celeberrimum, & notissimum cum aliis Gentium templis subversum fuit occasione turbarum à Gentilibus in Christianos motarum ob detecta secreta quædam nefanda eorundem Gentilium mysteria, ut refert Ruffinus lib. 26. cap. 22.

Prædixerat illam, & aliorum templorum demolitionem non solum Beslarion Abbas, sed ab Antonio quoque Ethnico Philosopho, & Mago prænunciatam fuisse, auctor est Eunapius Sardianus in vita Philos. in Ædesio. Inde Gentiles cum in templi jactura erubescerent ; & quod Christiani illa pronunciassent ; eorum tamen rursus prædicare potentiam cœperunt, refert Baronius anno 389. & ibi Spondanus n. 14. & 15. ubi etiam fit mentio de flagitiosis mysteriis, ac fraudibus ab illis peragi solitis, unde Gentiles plurimos, hujusmodi sceleribus deprehensis, fidem Christianam amplexos esse per cunctas Ægypti Urbes, & alia loca : & ibidem etiam Baronius, & Spondanus num. 17. inquiunt, quod Theodosius, ut ea quæ adversus delubra Gentilium fieri præceperat, ne avaritiæ potius quam pietati adscriberentur, Deorum imagines jussit (ut inquit Socrates) ad pauperes sublevandos impendi.

Successu deinde temporum Sole justitiæ jam mundo exorto per sanctos Apostolos, eorumque successores Ægypto ad veram Christi fidem adducta : multi ex Ægyptiis amore Evangelicæ perfectionis instigati, se contulerunt ad loca strepitu semota cœlestium contemplationi maximè apta, cujusmodi Thebaidos solitudo erat, & monasticæ vitæ sectatores ea loca elegerunt, ut in quibus tantæ superstitionis monumenta intuebantur, quæque Dæmonum furiis infesta erant, sanctis Christianæ vitæ discipulis initiata, in Spiritus Sancti habitaculum mutarentur, refert Baronius dicto anno 389. ubi Spondanus num. 15.

Hæc inquam eadem ipsa loca fuere, in quibus ex crudeli illa, atque formidanda Diocletiani Imperatoris persequutione, dicti Augusti decimo nono, Marcellini Papæ septimo salutis nostræ 302. teste Cardinali Baronio, ad viginti millia Chri-

Christianorum crudelitate inaudita, innumeris aliis in exilium amandatis, vitam glorioso fine terminarunt, ut in chronico Alexandrino cap. 2. fol. 19. & sequent. Quin imo Ignatius Patriarcha, ex prædicta persequutione cœpta anno 19. Diocletiani propter ejusdem edictum martyrio coronata fuisse fidelium Terræ Coptæ centum quadraginta quatuor millia, septingenta autem in exilium amandata. Ut etiam refertur in dicto Prodromo cap. 2. fol. 24. & seq.

Cap. VI.

De Propagatione Idololatriæ Ægyptiorum.

AEGYPTII expeditiones fecere in Persiam, in Indiam, & usque ad extremos terminos Sinarum, ut latè refert P. Athanasius Kircherius in Prodromo cap. 4. etenim, cum ipsi Ægyptii habuerint commodissimos maris Erythræi portus; ex Erythræo vero mari in Æthiopiam, Persidem, & reliquam denique Indiam non incommodus tractus fuerit; frequentissimè nullo non tempore ultro citroque commearunt, testatur id celeberrima illa Salomonis ex Asiongaber maris Rubri portu in Regionem Ophir facta maritima expeditio: Ophir vocem Ægyptiacam esse, qua veteres Ægyptii eam Indiam appellabant, quæ continet Malabar, Zeilanum, Auream Chersonesum, Samatram, Malucas, Javas, aliasve vicinas Insulas auriferas, in quas Rex Hiram classem Salomonis statutis temporibus expediverat; id quod non aurum tantum; sed & gemmæ, lapides, & ligna pretiosa, Pavones, Simiæ, quæ ex dictis Regionibus, rebus hujusmodi refertis, afferri solebant, testatum faciunt.

Hujus Regis Hiran vestigia frequentius postmodum Ægyptios sequutos, hujusmodi plagas adiisse, verisimile est; certe Persarum Magos, Indorum Brachmanas, uti & cæteros Asiæ serpentes omnem philosophandi rationem, omnes circa Deorum cultum, & ritus, & ceremonias ab Ægyptiis, non aliter quam hoc reciproco commercio accepisse; præterquam quod clarè in vita Apollonii docet Philostratus; certè dictarum Gentium & mores, & consuetudines id luculenter indicant; cum in hodiernum diem in India, China, Japone, Tartaria, quin etiam in ipsa America Solis, Lunæ, Siderum, Terræ, animalium omnis generis cultum, non secus; ac in Ægypto ab innumerabili tempore vigere intueamur. Osiridis, & Isidis statuas, Aphides quoque, Anubes, Canopos, & similia Ægyptiorum monstra ibi passim coli reperias; Pyramides mysticas, & magnificentissima templa Geniis ad Ægyptiorum normam erecta; uno verbo Ægyptiacam rerum faciem ubique reperies.

Et de his satis, quibus consequens aliquid solummodo de eorum funeribus brevissimè degustare.

Cap. VII.
De Ægyptiorum Funeribus.

NOn erit omninò à nostro instituto alienum aliquid breviter recensere de Ægyptiorum funeribus, cum sæpius viderimus eorundem Cadavera adhuc ad præsens servata, (quæ Mumiæ nominantur) & præsertim hic Romæ in Domo Nobilissimi Domini Petri de Valle, quæ illomet ex illis Regionibus hùc advexit.

Ægyptii mortuo eorum Rege dilaniabant vestes, flentes, & clausis templis, ac Prætorio septuaginta diebus deturpantes faciem limo, nullum ostendebant lætitiæ signum; Et bis in die multitudo Virorum, ac Mulierum circumibat Civitatem, renovando fletum, ac Regis virtutes canendo.

Abstinebant omnino ab esu ciborum, qui essent cocti, à vino, & ab omni apparatu mensæ sumptuosæ, sicuti à Balneis, Unguentis, ab Accubitu in lectis, ab actu venereo, sed sicuti cuique proprius filius fuisset mortuus, per totidem dies flebant.

Refert Diodorus Siculus lib. 2. Histor. idem ferè servatum fuisse in morte conjunctorum Consanguineorum, & affinium.

Posito igitur supra feretrum Cadavere ante Sepulcrum, referebant adstantibus Sacerdotibus, & Populo omnia ipsius Defuncti gesta; quod si turpia vivens ille gessisset, Sepulchri honore privabatur.

Efferebant deinde Cadaver ad domum artificis, qui ex ligno Formas Cadaveris elaborabat extrinsecus depictas, & postquam ex illis una pretio empta fuerat; Primum ferro adunco extrahebant cerebrum ex naribus cadaveris, repleto odoribus loco cerebri vacuo; acutissimo postea Æthiopico lapide incidebant illius latera, & ex corpore omnia viscera extrahebant, lavantes, & abstergentes diligenter ipsum cadaver vino Phœnicio, replentes illud contusis odoribus, nempe Myrrha, Casia, & similibus præter Thus. Et ita apertum illud claudebant trajecto acu.

Num. 1. Deinde septuaginta diebus illud sale servabant. Ac postea fasciis byssinis illud involvebant & Gummi oleo ungebant. Conjunctiores illud includebant intus Formam illam jam emptam, ibique custodiebatur; ut intra Pyramides reconderetur, quæ oculis adhuc præstò sunt extra Cayri Urbem, ex Herodoto, quod illæ pro sepulchris inservirent, quamvis Nazianzenus, & alii velint, Josephum Patriarcham illas fabricari fecisse in horreorum usum, quoniam apud ipsos vox πυρὸν, frumentum denotat.

Hæc, & similia refert Thomas Porchachius in suis antiquis funeribus Tabula Decima, Undecima, & alibi.

Retineo quoque apud me Iconculas, quæ passim è thorace conditorum cadaverum ad nos adducuntur: & quidem hæc imago Infantis pueri involuta nimirum fasciis, & compositis pedibus, quo statu Deorum simulacra apud Ægyptios fingi testatur Heliodorus lib. 3. Æthiopicarum; & refert de iis quoque Pignorius in sua Tabula Isiaca.

Cognitis præfatis de Ægyptiorum historia, videamus nunc de lingua, characteribus, hieroglyphicis, & scientiis eorundem.

Cap.

Cap. VIII.

Quod linguâ Ægyptiaca antiqua ſimillima eſſet Coptæ linguæ.

LInguam Ægyptiacam antiquam ſimillimam eſſe Linguæ Coptæ eſt indubitatum ex P. Athanaſio Kircherio in ſuo Prodromo cap. 5. ſiquidem Coptam ab Urbe Coptos (quæ Thebaidos eſſe caput) originem duxiſſe; ut in dicto Prodromo cap. primo; eamque eſſe germanam antiquæ Ægyptiacæ filiam, non puram, qualis ab initio floreſcentis Ægyptiorum Imperii tempore Patriarcharum vigebat, ſed è varia hominum, linguarumque commixtione, ſtatusque Ægyptiaci mutatione ſuccedentibus ſæculis corruptam; & quamvis apud Coptitas non ſit mentio de Gentium Deorum nominibus (præter unum Ptha) neque unquam Oſiridis, Iſidis, Hori, & ſimilium; Id ſiquidem proceſſiſſe, non quod Coptitæ hujusmodi nomina ignorarent, ſed quoniam nefas eſſe putabant, cum eſſent ipſi Chriſtiani, ſacras Hiſtorias, in quibus conſcribendis toti erant intenti fabuloſis Gentilium nominibus profanare, in hoc imitantes Hebræos, qui ſilentio etiam hujusmodi nomina ſupprimebant, tum quia Ægyptiis nunquam licitum erat Hebræis commiſceri, tùm ob Idololatriæ deteſtationem, ut falſi numinis nomen vel ore proferre crimen exiſtimarent morte piandum.

Cap. IX.

De Affinitate linguæ Coptæ ſive Ægyptiacæ cum nonnullis aliarum Nationum.

AEGYPTUS vetuſtiſſimis ſeculis, ut refert Herodotus lib. 3. fuit celeberrima Æthiopum Colonia; Ægyptos enim univerſorum mortalium primos extitiſſe, ac manifeſtas hujus rei demonſtrationes eſſe, multi perhibent: nam indigenas fuiſſe non advenas; ideoque meritò *Autochthonas* nominatos; quod omnium conſenſu probatur: magnum tamen fuit inter eos populos de ſapientia, ac eruditione certamen. Amaſis Rex Ægyptiorum per litteras ex Plutarcho in Convivio, ſeu ſympoſ. imperavit Regi Æthiopum, ut pronunciaret, quidnam antiquiſſimum ſit, quid maximum, ſapientiſſimum, pulcherrimum, communiſſimum, utiliſſimum, nocentiſſimum, potentiſſimum, facillimum? Reſpondit Æthiops antiquiſſimum Tempus; maximum mundus; ſapientiſſimum veritas; pulcherrimum lux; communiſſimum mors; utiliſſimum Deus; nocentiſſimum Diabolus, potentiſſimum fortuna; facillimum ſuave. Quas ſolutiones Amaſis partim accepit, partim rejecit: Hinc Ægyptios polluiſſe litteras, illarumque notis uſos fuiſſe ad aperienda animi arcana, clarè videmus.

Hi verò litteris bifariis (ut idem Herod. inquit lib. 2.) *utuntur, quarum unas ſacras vocant, populares alteras.* Hiera dicebatur pars illa, quæ ſacra ſignificabat,

Dimotica vero, quæ popularia docebat. Plato in Philœbo tribuit Theuto, sive Taauto litterarum Ægyptiorum inventionem. At Diodorus lib. 1. Mercurio acceptam refert. Mercatus autem cap. 11. de Obeliscis Urbis, & alii interpretantur eundem esse Theutum vel Taautum & Mercurium cum Mercurio illo Trismegisto ter maximo, Ægyptiorum celeberrimo. Thales dicit fuisse Herculem Ægyptium, qui litteras suis demonstraverit: at Anticlides asserit Ægyptios à Memnone litteras didicisse: alii vero referunt Isidem Reginam eorum litterarum inventricem fuisse. Immò ipsi litteras aliis conscripserunt; Hercules enim Ægyptius Phrygibus litteras dedit, ex Pansa in Bibliotheca Vaticana.

Porrò autem litteræ Ægyptiacæ similes sunt in numero, connexione, & pronunciandi modo litteris Hebræorum, Chaldæorum, & Arabum, & horum quoque Populorum scriptioni non dissimiles, qui in exarandis litteris à manu dextera in sinistram deflectunt; interque Ægyptios & Hebræos (litterarum ergo) magnum commercium habitum fuisse commemorant.

Abraham in Urbe Heliopoli cum Sacerdotibus Ægyptiis vixit, illosque Astrologiam docuit; & è converso Moyses (prout habemus in Act. Apost. cap. 7.) eruditus est omni sapientia Ægyptiorum.

Ipsi etiam Græci rerum Ægyptiarum amantissimi, eorum disciplinis exculti fuerunt, ut Plato in Epinomide testatur. Pythagoras Heliopolitam habuit præceptorem, & Solon in eadem Urbe Heliopoli, Sai, & Sebennito diversos audivit Ægyptiorum Sacerdotes; ut bene Causinus colligit in principio sui operis selectorum Symbolorum; Verum dum Coptam linguam Græcæ similem existimo, hæc non ita plana proferam, nisi vocabula respiciamus; cum in nominum verborumque constructionibus Coptica Græcam linguam ullo pacto sibi non vendicet. Quamvis P. Kircherius in suo Prodromo cap. 7. dicat, verisimile esse linguam Ægyptiacam in Græcia novam Coloniam instituisse, quæ brevi ingentia incrementa fecerit; adeò ut nec Græcis Ægyptiacam, nec Ægyptiis Græcam adsciscere esset difficile, quod & Trismegisti libros plerosque stylo Græco conscriptos insinuare videmus; sicuti quoque certum est, & linguam Græcam apud Ægyptios in usu fuisse, ut testantur complurium Philosophorum in Ægyptum susceptæ expeditiones, continuumque litterarum utrinque commercium, quod factum non esset, nisi communi aliqua lingua, sicuti Europæi Latina, usi fuissent: Confirmant id quoque variæ Cipporum & Columnarum Græca Lingua ab antiquis Regibus factæ inscriptiones; de quibus Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. ad Basil.

Cap. X.

De Varietate Characterum apud Ægyptios.

Verum apud Ægyptios triplex litterarum, seu Characterum genus fuisse usitatum novimus. De quibus Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, videlicet: *Qui ab Ægyptiis instituuntur, primum quidem Ægyptiarum litterarum viam, & ratio-*

rationem addiscunt. Nempe, quæ tunc temporis toti Ægypto erat communis in litteris vulgari linguâ conscribendis, quæ eadem erat cum lingua Copta. ***Secundam autem Sacerdotalem qua utuntur ii, qui de rebus sacris scribunt.*** Hoc est qui arcana Theologiæ, aut Philosophiæ suæ mysteria arcano quodam modo Characterum è variis formis, similitudinibusque rerum naturalium, & artificialium figuris consignabant, cujusmodi minutum illum Characterum, quem Mummiis, Canopis, Isiacis, Statuis, & in Bembina tabula appictum videmus, & vocare solent Characterem Hieroglyphicum currentem, eo quod ea, quæ ob artis defectum pingere nequirent, minutiori Charactere, & ad scribendum aptiori exprimebant absque cujusdam Alphabeti figuris. ***Ultimam autem scripturæ speciem, id est, sacram, quæ insculpitur; cujus una est, quæ res per consimiles Characteres exprimit, altera verò symbolica, id est, per signa significans, videlicet per imitationem, alia verò scribitur per quædam Ænigmata, nempe qui Solem volunt scribere, faciunt circulum; Lunam autem, figuram Lunæ Cornuum formam præferentem.***

Difficilem hanc antiquitatum Ægyptiarum, sacrorumque Mysteriorum sub hieroglyphicis disciplinis latentium, à nemine huc usque tentatam investigationem, Idiomatis quoque Ægyptiaci antiqui, quod Coptum vocamus, restaurationem, suppeditavit nobis hæc omnia R. P. Athanasius Kircherius è societate Jesu totius orbis admiratione; siquidem in summa rerum humanarum inconstantia, & vicissitudine nihil difficilius est, ac arduum magis, quam earum, quas vetustas temporum paulatim ab hominum memoria longè remotas ita abdidit, ut omnem intellectus lucem effugere videantur, describere narrationem; etenim ubi multæ tenebræ, ibi multus error contingere solet.

CAP. XI.

De Scientiis, quas Ægyptii invenerunt & propagaverunt.

ALteri Regioni à priscis scriptoribus non est attributa inventio tot artium, & scientiarum ita nobilium, sicuti Ægypto, & in hoc maximè opitulabatur qualitas situs. *Arithmetica* primum inventa fuit occasione magni commercii, quod exercebant Ægyptii; simili causa etiam attribuitur Phœnicibus inventio illius à Strabone lib. 17. *Geometriam* iidem invenerunt, ex Diodoro lib. 1. & Strabone allegato, quia prædia Ægypti certo anni tempore Nilus inundabat; unde termini illius terræ transferebantur, & cum ex hoc litigia inter Ægyptios orientur, necessaria fuit continua exercitatio mensurationis, ac etiam inde perfecta cognitio Geometriæ. ***Ad Astrologiam*** acquirendam conferebat etiam natura Regionis, quoniam propter aeris qualitatem, quia domiciliis non tegebantur, cursus syderum, & defectus notaverunt, maximè dum ea sæpè venerantes curiosius atque liberius intuebantur, ut inquit Firmianus Divin. instit. lib. 2. cap. 14. & ex hoc Astrologi peritissimi devenere.

Ex iis perſpicaciores facti, conſiderantes res naturales, apprehenderunt Medicinam, cujus inventor (ſcribit Mercurius Triſmegiſtus) fuit Aſclepius, ſeu (ut proferunt Græci hoc nomen) extitit Æſculapius Avus Aſclepii, quem introduxit Triſmegiſtus in Dialogo de hoc nomine: Poſt verò (res naturales declinando in ſuperſtitiones) immerſere ſe in magicas artes, ut in ſacro textu Exod. cap.7. & 8.

Poſt cognitionem rerum naturalium ex univerſalibus ſcientiis redegerunt ad methodum perfectam *Philoſophiam* naturalem, ex qua potuerunt agnoſcere ſupernaturalia, *nempe Metaphyſicam*, quæ à Mercurio habuit initium, qui primus de Majeſtate Dei diſputavit Diodor. lib.1. & hic Mercurius Avus fuit Triſmegiſti, ut ipſemet refert in Dialogo Aſclepius: ultimam verò ſcientiarum inventionem habuit Triſmegiſtus, cujus libri numero quadraginta duo ab Ægyptiis ſacerdotibus inter precioſiora, & ſacraria templorum habebantur; & juxta cujusque applicationem illos quilibet apprehendebat, ut refert Clemens Alexandrin. Stromatum lib. 6. Hinc à Græcis ille Triſmegiſtus nominatus propter veram de Deo cognitionem, refert Suidas in verbo Hermes, adeo ut de Ethicis Philoſophis non alius, ut ille pervenerit ad cognitionem ſanctiſſimæ Trinitatis. Referunt Lactantius Divini Inſtitut. lib. 1. cap. 6. & S. Auguſt. de civit. Dei lib.8. cap.33. Vixit dictus Triſmegiſtus circa tempora Moyſis; ex Euſebio in Chron. & ex iis patet floruiſſe in Ægypto Philoſophiam quingentis annis, antequam illam apprehenderent Græci, ut voluit Plato in Timæo.

Moralis Philoſophiæ inventio tribuitur quoque Ægyptiis à Dionyſio Afro de ſitu orbis. Is loquitur de Nilo his verſibus:

Hunc habitant juxta ſapientum corda virorum,
Diſpoſuere vias, qui vitæ mente potenti.

Quod etiam affirmat Ariſtoteles lib. 7. Politic. cap. 10. Ægyptios leges habuiſſe ſatis ante Græcos, & refert Strabo lib. 17. Reges Ægypti ordinaſſe perfectè inter ſe *Politicum regimen:* quoniam Ægyptiaca multitudo in tres partes dividebatur, in quarum prima erant Sacerdotes, in Secunda Artifices & agrorum cultores, in Tertia Milites.

Inter Sacerdotes continebantur omnes Nobiles, qui ſolum officia, & gradus dignitatis exercebant, ſicuti quoque ſcientias, de quibus fuerant inventores, tractabant; hinc ſegregati manebant à cæteris duabus Reipublicæ partibus, liberi ab omni tributo, ut in Geneſi cap. 47. Habebant in omnibus inſignioribus Ægypti Civitatibus Collegia penes templa, ubi inhabitabant, qui in illis miniſtrabant, quique alios docebant ſcientias, ſeu illas apprehendebant: nec aditus patebat illas addiſcendi, niſi ſacerdotum filiis, ſub ſilentii ſigillo, ne ſcientiæ ad plebem divulgarentur; unde recondita hieroglyphica dimanavêre, de quibus inferius: nec minus inter ſacerdotes adſcribebantur, niſi qui ad Imperii ſucceſſionem erant ordinati, & qui inter ſcientias, & nobilitatem eſſent inſigniores, ut voluit Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 1. ſimiliter omnes, qui gradum, ſeu dignitates penes Regem obtinebant, non eligebantur, niſi à Sacerdotibus, ut propterea maximè incumberent in apprehenſionem, ſeu ampliationem ipſarum ſcientiarum, quarum allecti plurimi è Philoſophis ex Orbis

par-

partibus in Ægyptum transierunt, ex quibus ante Trojæ bellum Orpheus Thracius, Linus Thebanus, Musæus Athoniensis, Melampodes Argivus, ubi apprehenderunt Theologiam illam Sacerdotalem: sequuti idem pariter postea sunt Homerus, Hesiodus, Cuncus, Lycurgus, Solon, & Thales Milesius, sicuti quoque Pythagoras, Zamolsis: Ita & Plato tredecim annis ibidem moratus est, ut de iis omnibus referunt Clemens Alexandrinus, Diodorus Siculus, Diogenes Laertius de Vitis Philosophorum.

Ex cognitione naturalium scientiarum pervenerunt Ægyptii ad supernaturalia, & quamvis ex hoc ad Idololatriam fuerint delapsi, adorando Lunam, & Solem: ex Jerem. cap. 43. & 44. nihilominus aliqui ex iis etiam naturali lumine cognoverunt verum & unicum Deum, qui aliis præcelleret; de quo satis clarè loquitur Trismegistus in Asclepio: dividentes siquidem Deorum numerum inter Intelligibiles, & Sensibiles; In intelligibili parte unicum Deum posuerunt, cui attribuitur forma totius regiminis in Universo; nec isti summo Deo nomen aliquod diffinitè est attributum, quia cum sit unus, & totus, non potest unico nomine comprehendi. Inter Sensibiles verò Deos adscripsere Solem, & Lunam, & alios, de quibus infra.

Et quoniam in Ægypto inter eorum sacras scientias maximè studebant Astrologiæ, & Magiæ, ut per has futura prævidendo, ac faciendo supra humanum usum, appellarentur ipsorum Sacerdotes Prophetæ, & summus Sacerdos Archipropheta; At Isaias perfectius eorum ruinam, & destructionem annuntiat, quæ jam proxima erat; & improbans incertitudinem talium scientiarum cap. 19. inquit: *Ubi nunc sunt Sapientes tui? annuntient & indicent*, & subdit idem Isaias, quomodo Ægyptus deciperetur à sapientibus, & principibus suis ibi: *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens: stulti facti sunt Principes Taneos, emarcuerunt Principes Mempheos, deceperunt Ægyptum angulum Populorum ejus. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens.*

CAP. XII.

De Symbolis, & Hieroglyphicis Ægyptiorum.

SYMBOLUM apud Antiquos aliquando sumitur pro signo bellico, seu Tessera, quæ in bello dabatur militibus, per quam Amici ab inimicis discernebantur; Ac etiam dari fuit solita eisdem militibus, quando erat tempus incipiendi bellum, invadendi Inimicum, seu præcipuum aliquod aliud aggrediendi; & sic Plutarchus in vita Romuli nominavit signum, quod Romulus dedit Romanis, quando aggredi, & rapere deberent Sabinas iis verbis; *Erat autem Symbolum, aggrediendæ rei opportunitatem adesse, cum assurgens, purpuram in sinu contraheret, ac rursus contractam explicaret.*

Voluêre Latini, quod sic definiretur. Symbolum est nota alicujus mysterii significatrix, cujus natura est, ducendi animum nostrum, interjecta quadam similitudine,

dine, ad intelligentiam rerum satis distantium ab iis, quæ sensui exterius afferuntur; ejusque proprietas est, remanere absconditum sub velo reconditorum dictorum, vel sub umbra metaphoricarum figurarum. Existimantes Ægyptii, quod decens non esset, ut majestas sacrarum rerum pateret Plebi, & hominibus rudioribus: Hinc Plutarchus de Iside & Osiride, sic ait: *Pythagoras autem maximè, ut apparet, in admiratione habitus, admiratusque Sacerdotes istos; imitatus est rationem eorum res notis quibusdam, & per ambages proponendi, suasque sententias involucris texit.*

Non solum Legislatores, & Institutores novarum Religionum non abstinuerunt ab ænigmatibus & metaphoris reconditis; verum magnus Moyses, & cæteri Prophetæ, & ipsemet Redemptor noster Deus ad nostram salutem iisdem sæpius usi fuere: Hinc Julius Firmicus Maternus ad Lollianum in ultima parte; *Cælari & abscondi plurimis tegumentis natura Divinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis esset accessus, neve, ut cunctis patefacta majestatis suæ origine panderetur:* Et propterea Pythagorici sequuti Doctrinam eorundem magistri in Ægypto apprehensam, & post ipsos Platonici talia documenta recondita dare erant soliti. Et D. Dionysius Areopagita de Cœlesti Hierarchia cap. 2. refert, negari non posse, quod obscuræ similitudines plurimum non excitent mentem nostram, quodque ad Cœlum eam non extollant, quas ipse sacra Symbola nominavit.

De Symbolis autem, quæ verbis exprimebantur, non solum Ægyptii verum & Hebræi, & Chaldæi, iis utebantur, ut in libris Moysis, Salomonis, & Prophetarum, quorum multa similitudinem Proverbiorum habent: Hinc Pythagoras ad æmulationem Zoroastris exhibere volens Discipulis suis, quomodo humana anima posset se disponere ad volandum in Cœlum, unde jam descenderat, dixit, quod anima nostra sit alata, & quando alæ cadunt, ipsa in corpus repente ruit; sed cum iterum alæ creverint, ipsa in Cœlum, & ad Deos transvolat, ut ex Platone in Phœdro; & ex tali Symbolo nobis indicatur, quod, quando alæ Virtutum cadunt ex anima, ipsa in profundum vitiorum illico ruit, & in res sensibus objectas se immergens tota efficitur corporea, & terrestris; At cum denuo creverint alæ virtutum, nempe se alienando à vitiis, & peccatis; iterum virtutes viriliter ac sanctè amplectitur, per quas ad Cœlum erigitur.

Et ad prædicti Zoroastris Symbolum alludere volens D. Augustinus in expositione Psalmi 138. concione prima: *Si sumpsero pennas meas diluculo*, inquit, *quas pennas vult assumere, nisi duas Alas, duo præcepta Charitatis, in quibus tota lex pendet & prophetæ?* Et sæpius in Scripturis sacris fit mentio de Alis Dei; nam in Psalmo 16. *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Et in Psalmo 35. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt:* Et Moyses in Cantico Deuteronom. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis:* Et Dominus noster ad Civitatem Hierusalem Matth. 23. ait: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub alas, & noluisti;* Unde cum hæc Scripturis sacris habeamus, quod in Divina Natura alæ existant, ac etiam quod nostra anima creata sit ad imaginem, & similitudinem Dei, consequens quoque est, quod anima nostra creata sit alata, ut similitudo respondeat suo prototypo.

Hinc

Hinc est, quod ad prædictum symbolum alludentes antiqui Institutores Ægyptiacæ Theologiæ, in ipsorum symbolicis figuris exprimere fuere soliti varias imagines humana facie, & corpore instar volucrum, & aliorum alatorum. Quæ hic exprimi curavi, desumpta ex Tabula hieroglyphica Cardinalis Bembi, & successivè Serenissimi Ducis Mantuæ, ac ego quoque ex his metallo scalptis servo in meo Musæo. Num. 2.

Quas Imagines quamvis antiqui Philosophi Ægyptiaci formaverint ad significanda suprema mysteria supra indicata; nihilominus insensati, & stulti populi Ægyptiaci tractu temporis has imagines, & alia multa detestanda monstra adoravere, ut diximus supra.

Restat quoque indicare, quod signa, seu tesseræ solitæ erant dari Militibus, ut amici ab inimicis dignoscerentur, & hæc symbola nominabantur; Ita quoque quoniam multi pseudoprophetæ, & falsi apostoli insurgebant, falsam doctrinam prædicantes, ad hoc institutum fuit Credo, quod Symbolum nominatur, ut illi agnoscerentur, an veri, vel falsi essent. Ita Ruffinus Aquilejensis, ex Commentario in symbolum.

Solebant Antiqui, & præcipuè Ægyptii exprimere etiam sua symbola Imaginibus, & figuris, suosque sensus exprimebant sub occulta significatione, vel proprietate illorum, & in hoc conveniebant Ægyptii cum Hebræis: Hinc Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 5. cap. 3. ait: *Quod attinet ad occultationem sunt Hebraicis similia Ægyptiorum ænigmata.* Ægyptii aliquando formarunt oculos, & aures ex pretiosa materia, suisque falsis Diis illa consecrabant, volentes ex hoc innuere, quod omnia Deus videt, & audit: Leo apud ipsos Symbolum erat fortitudinis: Bos Terræ, & Agriculturæ: Equus, animi generosi, virtutis, & libertatis: Sphinx, habens totum corpus leonis, & faciem hominis, corporis firmitatem, & ingenium simul denotabat: In homine exprimebatur Ingenium, Prudentia, Ars, Industria: Accipiter cum sit igneus, & habeat vires occidendi, denotat Solem: Justitia exprimebatur simulacris Judicum absque manibus; & eorundem Judicum Principis, oculis in terram demissis; refert Plutarchus de Iside, & Osiride, ibi: *Thebis simulacra fuerunt dedicata Judicum manibus carentium, & Princeps Judicum oculos in terram dejectos habens, quo innuebatur Justitiam donis, & alloquiis non esse obnoxiam*: Regem, vel Deum significabant depicto sceptro, & supernè oculo, sceptro quidem hominis potestatem, oculo providentiam innuentes.

Habuere propria symbola non solum Ægyptii, Syrii, Græci, Romani; verum primi quoque Christiani, qui exprimendo Pavonem mundi vanitatem denotabant: Obedientiam, & Pacem exprimebant Columbæ imagine portantis ramum Olivæ: In denotanda aviditate vilissimarum rerum mundi, pingebant Corvum: Pro symbolo Resurrectionis exprimebant Phœnicem, & similia.

Hieroglyphica, quibus utebantur Ægyptii, non sunt alia, quam sacræ notæ. Goropius Hieroglyphicorum lib. 2. *Nihil est aliud Hieroglyphicum, quam rei sacræ Symbolum materiæ cuipiam incisum:* Hinc patet, quod non omnia Symbola sint Hieroglyphica, sed sacra tantummodo: Hujusmodi Hieroglyphicis Ægyptii Sacer-

dotes indicabant mysteria suæ occultæ Theologiæ, quoniam aliter scribebant res sacras à rebus Popularibus: Herodotus lib. 2. ait: *Ægyptii litteris bifariis utuntur, quarum unas sacras vocant, Populares alteras.* Hieroglyphica solum sacerdotibus erant nota, & de illis privatim proprios filios instruebant Diodorus Siculus rerum antiquarum lib. 3. parte 2. cap. 1. *Quod Ægyptii litteris utantur propriis; has quidem vulgo discunt omnes; Has verò quas sacras appellant, soli sacerdotes norunt à parentibus eorum arcanè acceptas.*

Quod autem fuerit primus inventor Hieroglyphicarum litterarum non satis constat, quamvis ab Æthiopibus harum sumpsisse formam Ægyptios voluit Diodorus Siculus Rerum antiquarum lib. 3. cap. 1. ibi: *Sed de Æthiopum litteris, quas Ægyptii sacras vocant, ne quid de priscis rebus omittatur, dicendum; sunt Æthiopum litteræ variis animantibus, extremitatibusque hominum, atque instrumentis, sed præcipuè Artificum persimiles; non enim syllabarum compositione, aut litteris verba earum exprimant; sed imaginum forma, earum significatione usu memoriæ hominum tradita: scribunt quidem Accipitrem, Crocodilum, Serpentem, Hominis oculum, manum, faciem, & cætera hujusmodi: Accipiter rem denotat citò factam; quoniam hæc aliarum fermè omnium Avis sit velocissima; Transfertur hæc notio ad domesticas res, quæ velociter fiant: Crocodilus malum significat: Oculus Justitiæ servator, & totius corporis interpretatur custos; Reliquarum corporis partium, dextera manus digitis expansis libertatem designat: sinistra verò compressis tenacitatem, atque avaritiam: Eodem modo cæterarum corporis partium figura, atque instrumenta certum aliquid notabant. Quæ memoria hominum longo usu, ac meditatione observata, è vestigio quid ea exprimerent, internoscebant.* Corn. Tacitus Annal. lib. 11. dixit fuisse primos Ægyptios, qui per figuras animalium exprimerent sensus mentis. Marsilius Ficinus in Platonis Comment. cap. 20. voluit, quod Zoroastres, & ejusdem Sacerdotes habuerint præcipuam formam scribendi litteras Characteribus signorum cœlestium, ac stellarum, quæ Mercurius Trismegistus sequutus ipse quoque litteras figuris animalium, & plantarum expressit, ne vulgo innotescerent mysteria recondita Theologiæ. Ammianus Marcellinus lib. 17. disserens de significatu litterarum Ægyptiorum inquit: *Non enim, ut nunc litterarum numerus præstitutus, & facilis exprimit, quicquid humana mens excipere potest; ita Prisci quoque scriptitarunt Ægyptii; sed singulæ litteræ singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus: Cujus rei scientiæ in iis interim sit duobus exemplum. Per Vulturem naturæ vocabulum pandunt, quia mares nullos posse inter has aliter inveniri rationes memorant Physicæ. Perque speciem Apis mella conficientis, indicant Regem: Moderatori cum jucunditate aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes; & similia plurima.*

Porphyrius pariter tractans de figuris Ægyptiacis, ut refert Eusebius Cæsariensis de Præparatione Evang. lib. 3. cap. 4. *Scarabæum Animal rerum Divinarum indocti abominabantur, quod Ægyptii summopere venerantur, Animatam Solis effigiem esse putantes: Scarabæus autem omnis virilem sexum habet, & spermate in stercus inclusio,*

cluso, pila deinde confecta, pedibus involvitur; veluti Sol in Cœlo; & mensem Lunarem expectat. Sic de Ariete, de Crocodilo, de Vulture, cæterisque animalibus philosophantur: ita ex sapientia, & religione ad cultum animalium pervenerunt.

Et hæc de Symbolis & Hieroglyphicis Ægyptiorum delibasse sufficiat; quod attinet ad necessitatem, & utilitatem nostri tractatus subsequens est; ut mox dicamus de pluribus eorundem Diis.

Cap. XIII.

De Iside, & Osiride, seu Serapide.

Refert Plutarchus in tractatu de Iside, & Osiride, hos mutuo impulsos amore, antequam alvo Rheæ Matris exirent, in tenebris corpora miscuisse. Item Osirim Regno inito statim Ægyptios inopi, & belluina victus ratione solvisse, cum & fruges iis ostenderet, & leges poneret, & Deorum cultum præciperet: Postmodum universam obiisse terram, hominesque mansuetos redegisse minimo armorum usu, cum plerosque persuadendo, & docendo adhibitis Carminibus, & Musica alliceret; creditum est; Endemque esse cum Libero Patre; Ubi cum Isis quoque litteras docuisset; uterque Divinos honores meruit: Tandem à Typhone fratre clam occisus Osiris; & ab Iside diu quæsitus est; Demum apud Phialam juxta Syenem laceratus repertus est; Curavitque Isis sepeliendum in Abato Insula; nec nisi Sacerdotes; eosque Mitratos certis diebus eò accedere voluit. Sed cum apparuisset deinde Ægyptiis Bos quidam, Osirim putaverunt, adoraveruntque, ut Deum, & vocaverunt Apin, id est Bovem eorum lingua; & postea dictus Serapis. Num. 1.

Nulli Numini magis, quam Isidi convenire Scientiam, & Cognitionem voluit Plutarchus: Græca enim Vox Isis est à scientia demanans; & hujus Deæ inimicus Typhon à fastu (qui Typhos Græcè dicitur) nomen habet; quod inscitia, & erroribus inflatus discerpat, aboleatque sacram doctrinam, quam Dea colligit; componit, traditque Divinitatis comparendæ initiatis.

Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 2. scribit, quod Apis Bovis nomen apud Ægyptios pro Deo colebatur alio nomine Serapis; Corpore erat niger, candida fronte, in tergo alba nota insignis. Responsa autem illum dare non ut reliqua oracula solitus, sed si manu oblatum pabulum sumpsisset è consulentibus, secundos eventus, atque omnia prospera decernebat: si verò abnueret, omnia sinistra portendebat; Ideo cum à Germanico Cæsare pabulum oblatum renuisset, funestum omen, & indubiam necem, quæ postea sequuta est, pronunciavit.

Eusebius Cæsariens. lib. de Præparatione Evang. post Diodorum Siculum inquit, fuisse primos Ægyptios, omnium motum, ordinemque cœlestium Corporum admiratos, & Solem, & Lunam Deos putasse; ac Solem quidem Osirim, Lunam Isim nuncupasse, à proprietate quadam inditis ipsis nominibus: Multioculus enim Osiris dici potest; Radiis enim suis quasi multos rebus immittat oculos, quibus omnia perspicit, ut inquit Poeta:

Sol, qui Terrarum flammis opera omnia lustras.

Isim verò dicere possumus Latinè, Lunæ hoc nomine indito, quoniam sempiterna, priscaque sit; cui idcirco Cornua depingunt, vel quia cum minor est, Cornuta videatur, vel quod Bos ei apud Ægyptios sit dedicatus.

Volunt alii, Serapidem fuisse Apim Regem Argivorum ex D. Augustino de Civitate Dei lib. 18. cap. 5. ubi: *His temporibus Rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus: Hominis autem hujus cur non Apis esset post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit: Quia enim Arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes jam Sarcophagon vocant: & ibi eum venerari sepulium cœperunt, priusquam Templum ejus esset extructum: velut Sorosapis, vel Sorapis primo, deinde una littera, ut fieri assolet, commotata Serapis dictus est*; Arn. Pontacus Episcop. Vasatensis in suis notis ad Eusebii Chron. inquit, quod Serapis dicatur ab *Apis* & voce Hebraica *Sor*, quæ Bovem significat, ut Serapis idem sit, quod Bos Apis; de Etymologia vide etiam, quæ refert Corn. à Lapide in Genesi 41. ad finem. De hoc eodem Serapi, seu Osiri inquit Tertull. adversus Marcionem lib. 1. cap. 13. *Sic & Osiris quod semper sepelitur, & in vivido quæritur, & cum gaudio invenitur; reciprocarum frugum, & vividorum elementorum, & recidivi anni fidem argumentantur.* Cujus figuram Osiridis in Sarcophago hic supra effigiavi, ut in ædibus Eminentiss. D. D. mei Cardinalis Verospii.

Ac vero Julius Firmicus Maternus de Mysteriis, & erroribus Prophanarum Religionum cap. 14. scribens Constantio, & Constanti Imperatoribus filiis Magni Constantini; hæc inquit, *Discite etiam Sacrosancti Imperatores, Venerandum Alexandriæ Numen, unde sumpserit exordium. Cum ingrueret arescentibus frugibus malitiosa fames, Jacobi Religiosi Patriarchæ semine procreatus juvenis Joseph, interpretatusque somnium Regis, totum, quicquid innuebat, ostendit: Joseph est Jacobi filius, qui ob pudicitiam in carcerem missus: ereptus post interpretationem somnii, fuit particeps Regni: nam septem annorum collectis, & servatis frugibus, alterius septennii egestatem Divinæ manus providentia mitigavit; Huic post mortem Ægyptii patrio gentis suæ instituto, templa fecerunt: Et ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo Modio esurientibus, & ementibus frumenta diviserat, capiti is superimpositus est; Nomen etiam, ut sanctiùs coleretur, ex primo auctore generis accepit. Nam quia Saræ Pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham, indulgentia Dei, susceperat filium, Serapis dictus est. Sed hoc invitò Joseph accidit, imò mortuo; neque enim ad hoc facinus Religiosus animus, & Deo summo dicatus, adduci potuisset, ut erroris illecebras, ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse præberet, præsertim cum sciret, hæc esse in Dei sacrosanctis legibus; ne quis hominum tale aliquid, aut veneraretur, aut coleret. Hic in Ægypto colitur, hic adoratur, hujus simulacrum Neocorum turba custodit; sed & in ipso simulacro, sicut in cæteris, ex assiduis sacrificiis immundi Dæmonum spiritus colliguntur.*

Refert Baronius super Annum 389. ubi etiam Spondanus n. 16. quod apud Ægyptios vox Serapis idem erat, ac *Mundi Salvator*: nam si hoc erat, non alium

quam

quam Joseph illos significare voluisse, certum redditur. Sanè fertur ab antiquis Serapis oraculum Josepho Patriarcha dignissimum, à nostris etiam decantatum, sic Latinè redditum.

Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus unus,
Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in unum.

Certè non frumentum tantum, sed veram Dei cognitionem Joseph tradidisse Ægyptiis, satis asseritur in Psal. 104. dum ait Pharaonem: *Constituisse eum Dominum domus suæ, ut erudiret Principes sicut semetipsum*, ut jure dici possit eam de sacrosancta Trinitate sententiam fuisse Josephi. Traduntque insuper à Serapi inventa esse Symbola quædam ab obsessis Dæmones pellerentur, quod Hebræorum sapientiæ convenit, ut apud Spondanum d. n. 16.

Sed quicquid fit super tanta varietate hujus pseudodeitatis, de qua nil certum constat; Habemus ex Ruffino lib. 26. cap. 22. Magnificentissimum templum, ingensque Serapidis Idolum, quod factum olim fuit à Sesostre Rege per Bryantem artificem ex omnibus generibus metallorum, lignorum, lapidumque pretiosorum commixtione; Socrates lib. 5. cap. 17. Histor. Eccles. refert in expurgatione ejusdem templi Serapidis facta per Theodosium: primum fuisse ibidem repertas figuras Crucis; tractans quoque de Significatu earundem his verbis: *In Delubro Serapidis jam diruto, & fundamentis convulso, litteræ repertæ fuerunt lapidibus incisæ, quas Hieroglyphicas appellant. Erant formæ insculptæ, quæ Crucis habebant effigiem. Quas & Christiani, & Gentiles oculis intuentes, utrique eas ad suam ipsorum Religionem accommodarunt: Nam Christiani Crucem Salutaris Christi passionis signum esse dixerunt, propriamque suæ Religionis notam censuerunt; Gentiles aliquid in ea commune esse Christo, & Serapidi affirmarunt. Nam effigiem Crucis aliud Gentilibus, Christianis aliud significare: Dum isti inter se de hac re digladiantur; Gentiles quidam ad fidem Christianam conversi, qui litteras hieroglyphicas accuratè noverant, formam Crucis, quid sibi vellet, interpretantur* VITAM FUTURAM *significare docent; Quod quidem Christiani, utpotè pro sua Religione maximè faciens, cupidè arripere, & de eo animos efferre cœperunt; Postquam per alias litteras hieroglyphicas significatum erat, Serapidis Delubrum tunc dirutum fore, cum Crucis effigies appareret (id enim esse Vitam venturam) multò plures ad Religionem Christianam se transtulerunt, peccataque confitentes baptizati sunt: Hæc de Crucis effigie ipse equidem accepi.*

Hæc eadem quoque referunt Sozomen. lib. 7. Eccl. Hist. cap. 15. Suidas in Theodosio. Nicephorus Calystus lib. 12. cap. 26. & Historiæ etiam tripartitæ lib. 9. cap. 29.

Cælius Rhodiginus in suis antiquis lectionibus lib. 10. cap. 8. loquens de efficacia, & virtute, quam existimarunt Antiqui habuisse Imaginem Crucis, inquit: *Quæ opinio ab Ægyptiis initia duxit, confirmataque vel præcipuè est, inter quorum Characteres Crux erat insignis, vitam, eorum more, futuram significans; proinde figuram ejusmodi Serapidis pectori insculpebant*, & hoc idem refert Ruffinus Eccles. Hist. l. 2. c. 29.

Aſtruunt prædictam Hiſtoriam Picturæ, in quibus paſſim hodie videas D. Antonii vetuſtiſſimi Anachoretæ penulæ, & manui imponi hanc Crucem ſeu Tau; ſiquidem Ægyptio illi Viro jam notum inter Sacra erat hoc Signum. Quod pariter Obeliſcis, qui inde Romam vecti ſunt, inſculptum ſæpiſſimè videmus, uti unicum & fulgentiſſimum ſalutis ſymbolum: Et forſan hunc Crucis Characterem Ægyptii primùm ſumpſerunt à Moyſe exaltante Serpentem in deſerto, aut ex Virga ejuſdem mirifica, in qua Totragrammaton Dei nomen forma Crucis inciſum fuiſſe traditur, ut refert Kircherus in ſuo Prodromo.

Hinc nos ſuperius effigiari curavimus non ſolum effigiem Iſidis ex metalli ſimulacro hieroglyphicis characteribus ſculptam, ut in meo muſæo; ſicuti & Oſiridis facie Bovis in Sarcophago, demum ejuſdem Oſiridis habentis præ manibus ſignum Crucis, ſeu Tau, ut diximus.

Cap. XIV.
De Canopo.

Num. 4. FUit Canopus Gubernator Navis Oſiridis, quæ à Græcis Argo dicta fuit, & ſecundum Ægyptiorum fabulas, hæc in honorem Oſiridis translata eſt in Cœlum inter Stellas. Ita ut hodie nominetur *ARGO NAVIS* imago ſtellarum, quæ reſplendet propè imaginem Orionis, & Caniculæ, inter quas lucidiſſima eſt illa, quæ fingitur collocata in Remo, quæ Canopus nominatur. De qua Plutarchus de Iſide, & Oſiride ſic ait: *Imperatorem nominant Oſirim, & Gubernatorem Canopum, cum quo ſtella idem habeat nomen; Et Navim, quæ Argo à Græcis dicitur, inter ſydera relatam, in honorem Navis Oſiridis non procul ab Orione, & Cane ferri.* Et de hac eadem Stella dicit Plinius lib. 6. cap. 22. *Canopum lucere noctibus, ſidus ingens, & clarum.*

Voluerunt alii hunc Canopum fuiſſe Gubernatorem Navis Menelai Imperatoris Græcorum, qui regreſſus ab expugnatione Trojæ ducens ſecum Helenam à Paride raptam naufragatus ad ripas Ægypti, deſcendit in parvam Inſulam ad oſtia Nili, ubi mortuus, & ſepultus eſt à Menelao, in cujus honorem juſſit ibi Urbem ædificari ab ipſius nomine Canopum, ſicuti quoque pariter nominatum oſtium illud Nili: De hac Inſula loquitur Tacitus 2. Annal. Cum Germanicus in Ægyptum provectus, ut illas antiquitates inviſeret, ſic ait: *Nilo ſubvehebatur; orſus oppido à Canopo: Condidere id Spartani ob ſepultum illic Rectorem Navis Canopum, qua tempeſtate Menelaus Græciam repetens, diverſum ad Mare, Terramque Lybiam delatus.*

Temporis decurſu à ſuperſtitioſa Ægyptiorum gente fuit iſte Canopus habitus Deus, & poſt Iſidem, & Oſiridem nulli alteri hujuſmodi honores habiti fuerunt; ejuſdemque ſepulcro vota appenſa, & in templo illius erat celebrius Gymnaſium totius Ægypti, in quo hieroglyphicæ litteræ apprehendebantur.

Refertur hiſtoria iſtius Canopi, ſeu illius ſacerdotis memoranda, & curioſa, propter quam in rudi Plebe illorum temporum maximè crevit ſuperſtitio circa prædictum

No:1. pa:18.



No:2. pa:25.




No:3. pa:27.



IN. ÆDIBVS. EMIN. DÑI. CARD. VEROSPII.

IN MVSEO AVCTRIS EX ÆRE.

No:4. pa:30.



No:5. pa:32.



dictum Deum. Ruffinus Aquilejensis in historia Ecclesiastica lib. II. ad Eusebium adjuncta cap. 26. his præcisis verbis ait: *Ferunt aliquando Chaldæos ignem Deum suum circumferentes, cum omnium provinciarum Diis habuisse conflictum, quo scilicet, qui vicisset, hic Deus esse ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris, aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materia conflabant, quæ per ignem procul dubio corrumperentur, ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret; Hæc cum audisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitavit: Hydriæ fieri solent in Ægypti partibus fictiles, undique crebris, & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua desudans, defæcat, ac purior redditur: Harum ille unam cera foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam, statuit ut Deum. Et excisum veteris simulacri, quod Menelai Gubernatoris ferebatur, Caput desuper positum aptavit: Adsunt post hæc Chaldæi: itur in conflictum, circa Hydriam ignis accenditur, Cera, qua foramina fuerant obturata, resolvitur: Sudante Hydria ignis extinguitur: Sacerdotis fraude Canopus Chaldæorum victor ostenditur: Unde ipsum Canopi simulacrum, pedibus perexiguis, attracto collo, & quasi suggillato ventre tumido in modum Hydriæ, cum dorso æqualiter tereti formatur, ex hac persuasione, velut Deus Victor omnium, colebatur.*

Hanc eandem Historiam similiter referunt Suidas in verbo Canopus; Gyraldus de Diis Gentium, Syntagm. I. & alii, sed hæc maximè contestantur ex duobus antiquissimis simulacris hic Romæ Canopum repræsentantibus è silice Ægyptiaco, quorum unum reperitur in Palatio Farnesiorum, & alterum in Domo, quæ erat Dominorum Jacobi, & Antonii de Bosiis: Utrumque, ante, & retro repletum est Characteribus Hieroglyphicis, & sunt in forma Hydriæ, supra quam appositum est Caput Canopi eodem modo, quo à Ruffino fit descriptio relata; Et maximè est mirandum, quod inter prædictos characteres hieroglyphicos sæpiùs expressa est variis modis effigies salutiferæ Crucis.

Hanc eandem Canopi ignis Victoris repræsentatam Historiam exactè refert Numisma expressum in Prodromo Patris Athanasii Kircherii cap. ultimo fol. mihi 227. Ubi idem Canopus sindone amictus, forma autem tereti intra hydriam positus quibusdam signis, figuris, seu characteribus circundatus; nec non quibusdam lineis à prædicta hydria procedentibus, quibus facilè aqua denotabatur, quæ à foraminibus hydriæ desudabat, & ex his patet, quod Ægyptii postmodum more suo in omne superstitionis genus præcipites juxta relatæ historiæ seriem in certa materia dictum numisma effigiantes inter sacra symbola collocarunt, eoque, phylacterii loco, postmodum contra ignis, flammarumque violentiam usi sunt. Unde ego ad majorem cognitionem hic delineari curavi, tum simulacrum existens in domo Dominorum de Bosiis, ac etiam Numisma prædictum à Patre Kircherio effigiatum.

CAP.

Cap. XV.
De Harpocrate.

Num. 5. Est mihi figura Harpocratis valde concinna ex antiquiſſimo metallo, quam hic delineatam propono. Ea ſiquidem puerum redimitum repræſentat, qui ad os compreſſum dextero digito ſilentium indicit, innixus trunco arido, & ſpinoſo, de quo Ovidius in Metamorph.

Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

De quo Apulejus, Martianus libro primo, & alii.

Hæc ſcribit Plutarchus in lib. Iſidis,& Oſiridis. Genitum fuiſſe poſt interitum Oſiridis ex Iſide, & Helitomeno, imbecillumque natum membris inferioribus: alibi autem idem auctor non puerum fuiſſe (ut fertur) imperfectum, ſed Deum juvenilis adhuc imperfectæ, & inarticulatæ orationis præſidem, & moderatorem, ex quo digito ori admoto ipſum effigiabant uti ſilentii, & taciturnitatis ſymbolum, refert Gyraldus de Diis Gentium ſyntagm. primo.

Dicebatur Harpocrates ſilentii Deus: re vera autem Græcus Philoſophus fuit; cujus eruditio, ac præcepta in id maximè tendebant, ut ſilentium præciperet, & omnibus rebus anteponeret. Hunc ipſum Deum Harpocratem una cum Oſiride, & Iſide eliminatos Italia; Piſone, & Gabinio Coſs. refert Tertull. in Apologet.

Quod autem hæc mea figura præter cætera curioſum in ſe continet; eſt illi quoque ſupra caput nota quædam quaſi membri virilis erecti: quod ſymbolum declaratur, quod quæ contraria ſunt pudori, & honeſtati ſervari debeant ſub ſilentio apud Harpocratem. Hinc Catullus in Gellium epigr. 59.

Gellius audierat Patruum objurgare ſolere,
Si quis delicias diceret, aut faceret:
Hoc ne ipſi accideret, Patrui perdeſpicit ipſam
Uxorem, & Patruum reddidit Harpocratem.

Ubi reddere Harpocratem, ut monet Eraſmus in Adagiis, proverbialiter dictum eſt per ſilentium imponere.

Quamvis alii crediderint, ſed non ego, ſupra caput dicti mei Harpocratis non fuiſſe effigiatum membrum prædictum, ſed Ciſtulam quandam, in qua cognitio de Deo ſervetur. Plutarch. in lib. de Iſide, & Oſiride inquit; *Hi autem ſunt, qui ſacram de Diis doctrinam omni à ſuperſtitione, & curioſitate puram in animo ſuo tanquam in Ciſta geſtant, atque continent: fugiuntque atra & umbroſa: manifeſta autem, & ſplendida de Deo ſcientiam monſtrantia, amplectuntur.* Unde S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. inquit: Quod in omnibus templis, ubi colebatur Oſiris, & Iſis, erat ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videbatur, ut ſilentium fieret: hoc ſignificare Varro exiſtimans, ut Homines eos fuiſſe taceremus. Hinc ait Lactantius lib. 5. cap. 20. Quod fida ſilentia Sacris inſtituta ſint ab hominibus callidis, ut neſciat Populus quid colat.

Vera

Vera autem significatio ejus notæ expressæ in effigiata figura mei Harpocratis hæc est; ut repræsentet frondes arboris Persicæ, quæ circundant ejusdem fructum ab Ægyptiis huic Deo dicatæ, quod ejus arboris frondes linguæ, fructus autem cordi sint quam simillimi, Gyraldus in historia de Diis Gentium syntagmate primo, fol. mihi 56.

Et propterea quidam Albinus offerens munus hujusmodi fructuum Alciato scribit eidem Epigramma per hæc verba:

Fert folium linguæ, fert poma simillima cordi,
Alciate, hinc vitam degere disce tuam.

Itaque præcipitur ei, qui sit Oraculum aditurus, ut sanctè, pièque sentiat, & modestè loquatur.

Hinc Pythagoras discipulos suos prius tacere, quam loqui instituerat: ostendens ex eo, verba prius præmeditanda, quam effundenda esse; ipsum siquidem dentium vallum coërceri linguam, indicat: proinde idem Philosophus loquaciores adolescentes, quinquennali vocis exilio comprimebat, Franciscus Patrit. Senen. de instit. Reip. n. 64. & Socrates admonebat suos discipulos, ut tria præcipuè in omni vita haberent: In animo Prudentiam, in vultu Verecundiam, & in lingua Silentium: At Simonides dicere solebat: nunquam se pœnituisse silentii, sermonis autem sæpius. Marc. ser. 20. & propterea Euripides apud Stobæum titulo 34. *Grande est malum sua nocere sibimet eloquentia: Os morsicandum potius, quam hæc proferat.*

Cognito de præfatis Ægyptiorum Diis, videamus de pluribus Hieroglyphicis, & aliis hujusmodi ad rem nostram facientibus.

Cap. XVI.
De Sphynge.

SPHYNX monstrum est apud Thebas, cujus caput & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis similitudinem referebant. Dicta est autem Sphynx à constringendo, vel vinciendo, quod prætereuntes suis quæstionibus ita stringeret, ut se expedire non possent: scribit Lactantius Thebaidos Interpres, quod Sphynx insidens scopulo viæ imminenti insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, & quotquot ea dissolvere non poterant, unguibus, & aliis interficiebat. Ænigma erat hujusmodi. Quodnam animal quadrupes, meridie bipes, Vesperi tripes esset? Cujus Ænigmatis nodum Oedipus ita dissolvit, ut Hominem esse diceret, qui in infantia manibus, & pedibus repens Quadrupes est: Factus vir qui nullo alio, quam pedum adminiculo nititur, Bipes: Ingravescentibus annis assumpto scipione Tripes; sed hæc fabulosa.

Constat ex testimonio Alberti Magni, & aliorum Sphyngem animal esse ex genere Simiarum, & Solinus, & Diodorus Siculus inquiunt. Sphynges villosas comis, mammis prominentibus dociles ad feritatis oblivionem. Quin imò naturam habere mansuetam pluribus exercitiis, & disciplinis aptam.

Ægyptii ex Leone, & Virgine Sphynges perficiebant, quales videmus hic Romæ, & alibi; Ea ſcilicet de cauſa, quod Quintili, & Sextili menſibus, in quorum tutela Leo & Virgo ſit, exuberet Nilus. Bellonius lib. de Admirabil. Antiq. Rerum præſtant. cap. 2. Ant. Auguſt. numiſm. Dialog. cap. 3.

Apponebantur præ foribus Templorum, ut docerent Deum, & amandum, & timendum eſſe: Feræ enim, & Hominis imaginem Sphynges gerere; itaque Deum Impiis ferum, Juſtis humanum eſſe: Plinius lib. 8. cap. 22. Pignorius ſuper tabula Iſiaca pag. mihi 36.

Cap. XVII.
De Bovis Capite.

Num. 6. Reperitur in meo muſæo ex antiquo metallo Bovis caput carne nudatum, quod Symbolum Ægyptiorum erat, dum vellent illi laborem occultè demonſtrare: ea quippe ratione, quod aratio Boum miniſterio abſolvatur: carne verò nudatum, quod laborioſi homines plerumque macilenti ſint, ex Hori Apollinis Hieroglyphicis cap. 16.

Eſt quoque penes me aliud Bovis caput ex ære ſimiliter antiquiſſimo; at hoc carne circundatum; quod Apin repræſentaſſe credo ab Ægyptiis pro Deo habitum; Reſponſa autem illum dediſſe, non ut reliqua oracula ſolitum, ſed ſi manu oblatum pabulum ſumpſiſſet conſulentibus, ſecundos eventus atque omnia proſpera decernebat; Si verò abnueret, omnia ſiniſtra portendebat, Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 2. de quo etiam ſupra diximus.

Hinc eſt, quod Hebræi Divinorum beneficiorum immemores ab Ægyptiaca ſervitute liberati, & in luxuriam prolapſi, ad prophanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt: cum enim Moyſes Dux eorum aſcendiſſet in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur aureum caput Bovis, quem vocant ipſi Apin, quod eos ſigno præcederet, figurarunt: Quo peccato & ſcelere offenſus Deus impium, & ingratum populum meritis pœnis affecit; & legi, quam per Moyſen dederat ſubjugavit. Lactantius Firmianus lib. 4. de vera Sapientia cap. 10.

Cap. XVIII.
De Scarabæo.

SCARABÆI Symbolo Mundum ſignificari apud Veteres Ægyptios refert Horoapollo hieroglyph. 50. lib. 1. *Unigenitum aut ortum, aut Patrem, aut mundum, &c. ſignificantes, Scarabæum ſcribunt.* Et paulo poſt: *Mundum verò ſignificant per Scarabæum, quod ad mundi figuram ejus procreatio, ac fœtus accedat.* Nam cum certo anni tempore Bubulum excrementum nactus, materiem eam ſibi ſuſcipit elaborandam: utcunque primum ex eo Pilulas conficit; ut jam mundi ipſius formam initio imitetur; mox eas ab ortu occaſum verſus poſticis impellens pedibus non intermiſſa rotatione protrudit; ipſe interim averſus orbem ſpectat,

quaſi

No: 6. pa: 34.



No: 7. pa: 33.



No: 8. pa: 36.




No: 9. pa: 38.



No: 10. pa: 41.



No: 12. pa: 44.



quasi ipsius Cœli exemplar intuendo imaginem illam exprimere conetur. Plinius lib. 30. cap. 11. *Scarabæum, qui Pilulas volvit, propter hunc Ægypti magna pars Scarabæos inter Numina colit: curiosa Apionis interpretatione, qua colligat Solis similitudinem huic animali esse, ad excusandos Gentis suæ ritus.* Certè in ea veneratione vile hoc animal Ægyptiis fuit, ut publicas semitas, viasque incedentes hoc unicum summa cura cavere viderentur: Ne numen illud fimosum sibi forte obvium incauti pedibus obtererent.

Hoc animal Bicorne Lunæ Sacrum, ut Porphyrius animadvertit, In partu fovendo octo & viginti dierum periodum Lunarem observat, ut notat Horoapollo lib. 1. cap. 10.

Scarabæi charactere Ægyptiorum Bellatores signabantur ea ratione, quod cum fœmineo genere hoc insectum careat, Viros utique solos doceat Bella tractare. Plutarch. de Iside & Osiride, inquit, *Bellicosis sculptura Anuli erat Scarabæus &c.* & propterea etiam Gemmæ, lapideve eosdem elaborari in eum videlicet usum, ut filo trajecto gestarentur, docet Pignorius super dicta Tabula Isiaca pag. 22. Ut est videre apud me, & alios de prædictis prout hic delineatis. Num. 7.

Pater Athanasius Kircherius in suo Prodromo cap. ult. fol. mihi 264. inquit, per Scarabæum unigenitum Dei Filium significari, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, neque indignum quispiam clamitet Deum ipsum omni admiratione majorem insecto omnium vilissimo teterrimo, putidissimo assimilari; siquidem Magnus August. in Soliloquiis inquit: *Bonus ille Scarabæus meus non ea tantum de causa, quod Unigenitus, quod ipsemet sui auctor mortalium speciem induerit, sed quod in hac fæce nostra sese volutaverit & ex ipsa nasci Homo voluerit.* Nec dubitavit sanctus Augustinus Deum Scarabæo comparare, quippe satis exploratum habebat, Deum per Prophetam se vermem appellasse, quo loco multi Scarabæum vertunt: Ut sic vilitas conditionis humanæ, qua infinita Majestas Dei induta venit in mundum, indicaretur.

Cap. XIX.

De Gracilitate in effigie Isidis & statu Pedum.

De Gracilitate in Isidis figura, sicuti in aliis ferè omnibus Ægyptiorum. Excusavit illam Pierius Valer. lib. 49. cap. 32. ea ratione, quod innuere vellent Dei naturam spiritu, non corpore constare; Nisi velimus asserere potius, adeo indoctè Pictores tunc temporis penicillum tractasse, ut adscribere nomina rerum necesse haberent: vel quod studio eorum in id magis incumberent; ut picturas miras exprimerent, quam ut venustatem affectarent. Pignorius super dicta Tabula Isiaca cap. 2.

Est quoque notandum in fere omnibus hujusmodi Imaginibus commune, status Pedum complicatorum: etenim veteri mortalium instituto ad suæ quisque gentis similitudinem omnes Deorum species effingunt: hinc ab ipsa Ægyptiæ gentis corporum habitudine petendæ sunt causæ, ob quas crura eorum depravari contingat:

unde docuit Galenus hoc in Ægyptiis provenire propter incompositi corporis molem atque onus, ut rectiora non sint, quam naturæ usus exposcit. Et de hoc quæstionem latè formavit Antonius Querengus relatus in Expositione dictæ Tabulæ Isiacæ per Pignorium.

Cap. XX.

De Plantis Pedum.

Num. 8. EXtat penes me non ignobile marmor album forma quadrata duorum ferè palmorum altitudinis, & latitudinis: scripsere de hoc ipso eruditissimi viri, & quamvis libenter aliud non adderem; nihilominus non indecorum putabo breviter hæc quoque recensere.

Hoc Votum fuisse Isidi Deæ dicatum ex illis duabus litteris hinc inde. I, D. cui conforme est aliud simile marmor hic Romæ in Ecclesia sanctæ Mariæ de Ara Cœli una cum litteris infra notatis.

ISIDI
FRUCTIF.
POSUIT.

De primo illo verbo in hoc meo marmore QUIEIANÆ, cum sit aliquantulum corrosum ab antiquitate, ac etiam ambiguum, non potui verum illius intellectum scrutari; nisi fortè sit nomen proprium alicujus, qui votum solvit, vel etiam propter corrosionem litteræ D. ante verbum JANÆ. Dianæ fuerit dicatum, quæ eadem est cum Iside, ut diximus supra.

Diodorus Siculus lib. 1. cap. 12. scripsit ubique terrarum Isidem cultam, idque propter manifestas ejus morborum curationes (tales miseris offucias obtrudebat Diabolus) cujus testimonio adjungimus nummum æreum Claudii Imperatoris, in quo Isis cum Situla, & Sistro inscribitur SALUS AUG. Hinc Juvenalis satyr. 12. naufragii mentionem faciens, Pictores tebularum quæstu vitam quærentes ab Iside pasci dixit, tanquam naufragantium tutela, & ventorum Domina.

si quando Poetica surgit
Tempestas, genus esse aliud discriminis audi:
Et miserere iterum, quanquam sint cætera sortis
Ejusdem; pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam VOTIVA testantur fana TABELLA
Plurima: Pictores quis nescit ab Iside pasci?

Quare autem in nostro marmore votivo appositæ sint Plantæ Isidi dicatæ? Dico ea re nil aliud significari nisi prudentem rerum progressum, ut notavit Calcagninus de rebus Ægyptiacis. Vel potius crederem, quod nostræ Plantæ pedum non in terra positæ, & firmatæ, sed potius suspensæ in aere vacillationem, seu varietatem denotent: etenim sicuti Pedes in solido constituti jactum ostendunt fundamentum:

ut

ut apud Jurisconsultos ponere pedem pro jacere fundamentum: In Deo pedes virtutis ejus firmitatem ostendunt, & solidi fundamenti stabilitatem, Isaias cap. 66. *Cœlum mihi sedes est, terra autem Scabellum pedum meorum.* Pierius lib. 35. cap. 41. Hinc etiam Ægyptii volentes indicare Solis cursus, dum in Solstitio est Hyberno, seu in Bruma, significabant geminos pedes simul compactos, ac firmatos. Ex Horo-apolline lib. 2. cap. 3. Ita contra vacillatio, seu variatio denotetur ex Hieroglyphico Pedum, qui non sunt positi in terra, & loco stabili, Psalmo 73. legitur: *Mei penè moti sunt pedes.* Græca lectio habet vacillarunt, seu fluctuarunt Pierius d. lib. 35. cap. 40.

At in proposito nostro sicuti Variatio & Inconstantia significatur per varietatem Lunæ, & Nothum Lumen. Ecclesi. cap. 27. *Sapiens sicut Sol permanet, Insipiens sicut Luna mutatur.* Et apud Matthæum legitur de Juvene Lunatico, qui nonnunquam in ignem, nonnunquam in aquam cadere conseverat, Pierius lib. 44. cap. 41. Infertur ex iis, quod Plantæ nostræ suspensæ, & non firmatæ denotent dictam varietatem, inconstantiam, & fluctuationem, quod proprium est Lunæ, & Isidi attributum; ut dixit etiam Juvenalis in antecedenti Satyra, in qua dicitur Isis Ventorum, & Naufragantium Domina.

Post hæc à me scripta circa dictum meum marmor; cum in revisione hujus mei operis eadem legisset Dominus Octavius Tronsarellus bonarum scientiarum eruditissimus, sicuti & Numismatum, & aliarum cujusque generis antiquitatum peritissimus: Quæ ego ingenii mei tenuitate assequi non potui circa intellectum illius verbi QUIEIANE in prædicto marmore scalpti; ipse statim maxima perspicacitate declaravit, quæ hic inferius ego ad verbum transscripsi.

De Interpretatione QUIEIANE.

Diana à Nigidio, qui à Macrobio primo Saturn. cap. 9. refertur, Jana appellabatur, alii postea Διος, Græca voce adjuncta, quæ Jovem significat, Dianam pronunciatam fuisse opinantur, quasi Jovianam, id est, Jovis filiam dictam. Apud Ciceronem vero lib. 2. De Natur. Deorum; nomen sortita est Diana. Quod noctem quasi diem Jana efficiat. Alii verò quasi Duanam interpretantur, quod duobus temporibus noctu, & interdiu appareat, & ex Juliano Aurelio cap. 2. de Cognominibus Deorum; Nonnulli quasi Devianam; hoc est per dovia in venatu errantem nominatam affirmant; ut videre est apud Gyraldum de historia Deorum syntagm. 12. Hinc ego suspicor, hanc inscriptionem esse nomen compositum à Jana, & Quiete, & compactam fuisse vocem Quiejanam, ut etiam Vejovis nomen, à Ve, & Jove factum dicunt, quasi Jovis non juvantis; particula enim Vè privandi, habet significationem, id est, Nocentis: & Ovid. 3. Fast. Vejovem explicat, quasi non magnum Jovem, hoc est parvum.

Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicor esse Jovis?

Et Dijovis vocem à Di, & Jove in unum conjunctam, quasi dici Patrem Jovem, quis non intelligit? Summanus quoque à vocibus Summo, & Manibus simul annexis

dictum esse à Martiano Capella lib. 2. de Nuptiis Philologiæ comperi, in quo habetur. Summani nomine intelligendus est Pluto, quem ita nuncupant, quasi summum Deorum Manium. Unde non mirum, si à vocibus Quiete, & Jana. Quiejana uno vocabulo ipsa quoque Diana pronuncietur. Luce enim clarius est hoc nomen non esse dicantis votum, nam in A, primi casus terminaret, & diceret Quiejana, verum cum sit in tertio casu prolatum, inscriptio hæc innuit Deitatem, cui votum solutum erat, & ita explicari possit. Quiejanæ Isidi dicatum.

Votum hoc autem plantarum pedum potest esse peregrinantis, & defatigati viri, qui à longis itineribus dimensis quietem aliquando sortitus fuerit; pedum quippe vestigia angusta, & prælaboriosa peregrinationis lassitudine satis gracilia in hanc opinionem animum meum deduxerunt; unde erectæ hæ plantæ habentur, quasi non amplius peregrinando terram suis vestigiis impressuræ, sed in quietis signum Dianæ sint suspensæ; & hoc votum cum altero, naufragantis apud Horatium non valde dissentiat, de quo cecinit Poeta:

Suspendisse potenti,
Vestimenta maris Deo.

Cap. XXI.
De Triplici Isidis Figura.

Num. 9. Fictilis est Figura penes me palmorum duorum circiter altitudinis, variis coloribus picta, de recenti eruta è ruderibus viæ Appiæ. Hæc humanum fœminæ caput repræsentat, habitu Ægyptiaco, & præter fasciolas, seu vela, quibus hinc inde est circumsepta, ut de iis inferius.

Primò, Coronam radiatam habet colore fusco circundatam. Secundò superimposita sunt prædicto Capiti duo cornua erecta. Tertiò, sub cornibus sunt quoque aures Canis.

Hanc Isidem puto, quæ pro Luna communiter sumitur, ex Plutarcho, Eusebio, & aliis relatis per Pierium lib. 39. cap. 3. & possent hæc tria signa denotare, quod Isis; seu Luna Trivia, & Tergemina, seu Triformis sit nuncupata; solet enim Luna in triplicem speciem sese convertere: malunt alii cognomina hæc ei tributa, quod ipsa tres facies, seu tres vias, hoc est tria numina in diversis locis habeat, nempe in Cœlo, ubi Luna dicitur, & apud inferos, ubi Hecate, seu Proserpina nominatur; & in terra, seu sylvis, ubi Diana vocatur: Hinc Prudentius contra Symmachum:

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu,
Cum succincta jacit calamos Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio Plutonia conjux,
Imperitat Furiis, & dictat jura Megera.

Et incertus auctor:

Terret, Lustrat, Agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, Superna, Feras Sceptro, Fulgore, sagitta.

At

At verò quo ad nostram figuram, præter illas fasciolas versicolores, quibus illustratur, est prima circundata corona radiata; & hæc à Sole pulchritudinem suam participat, nempe lucem, quæ Divinæ pulchritudinis imago quædam est. Hinc Cicero de Somnio Scipionis: *Luce lucebat aliena, hac Solis discipula obsequitur cursibus supernis, & prout accedit ad Solem, vel recedit crescens, aut senescens, dispensat lumen, ideoque semper instabilis.* Ovidius 15. Metamorph.

Nec par, aut eadem natura forma Dianæ
Esse potest usquam.

Et Macrobius: *Dispensationibus septenariis Luna sui luminis vices sempiterna lege variando disponit.* Hinc est, quod dicta nostra radiata Corona ad Caput Isidis non sit coruscantibus radiis depicta, sed potius fuscis, cum illi non ex se subsistant, sed alieno Solis lumine egeant; ad differentiam aliorum radiorum coruscantium, qui superne descendunt super caput nostræ Isidis; quasi nobis velint indicare, quod ii coruscantes à Sole emissi recipiantur à Luna, seu Iside tenebrosa.

Quod autem radiata corona Divinitatem sapiat. Plinius Jun. in Panegyrico: Radiatum caput Principis vocat, quod inter Deos referebatur (qualiter pinguntur hodie Divorum Imagines) sic ait: *Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret, aut ebore.* Et Sueton. in Augusto cap. 94. referens somnium patris ejusdem sic ait: *Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona supra laureatum currum.*

Alterum Figuræ nostræ signum erant cornua erecta tanquam symbolum Proserpinæ imperantis Furiis: cornua enim animum, viresque efferunt. Ovid. eleg. 9. lib. 4. Tri stib.

Jam feror in pugnas, & non dum cornua sumpsi.

tractum à pecoribus, quæ cornibus minantur; quamvis alibi sumatur cornu pro potentia, & in sacris litteris: *Protector meus, & cornu salutis meæ.* Et Horat. de Baccho loquens 3. carm. Ode 21.

Viresque, & addis Cornua pauperi.

Tertium quoque signum nostræ Figuræ appositum erant aures, & hæ canis: nec dubium est ex iis Dianam denotari, quæ ob Virginitatis amorem fertur virorum consortia fugisse, & ut à se libidinis pruritum amoveret, venando sylvas incoluisse, paucarum virginum comitatu contenta, Arcum ferebat, & pharetram, succincta semper incedens, & cothurno induta; unde sylvarum, & nemorum Dea putabatur, dum illa arrectis auribus instar canis prædæ invigilabat, otiumque fugiebat, & propterea aures symbolum sunt vigilantis Dianæ; nam sicuti dormire in aurem est animo otioso, securo, vacuoque esse, ita ut supinam securitatem intelligi velit Menander in Plotio apud Gellium: *In aurem utramque si dotata fuerit, est cubitura*; contra purgatis auribus pro attentis & vacuis est proverbium apud Plautum in Milite: *Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.* Lucianus in Dialogo Meretricis: *Ad Deorum aures pervenit*; ubi facinus clanculum patratum resci-

rescisscitur ab iis, qui possunt, vel remunerari rectè factum, vel punire secus admissum.

Canes præterea à canendo dicuntur, quod noctu in custodia, & venando signum dent: Hinc Columella lib. 7. cap. 12. *Quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam, aut furem prædicat, quam ille latratu? Quis famulus amantior Domini; quis fidelior Comes? Quis custos incorruptior? Quis excubitor vigilantior? Quis denique ultor, aut vindex constantior?* Quæ omnia cum sint propria vigilantis Dianæ, non immerito pro symbolo eidem inservire videntur.

Cum hæc ostendissem Domino Dominico Berto Cæsenatensi annuit idem, ac statim ex cornibus posse denotari flumen, sicut quoque per aures canis Anubin Deum, liceat mihi & hæc addere, ut Lector, quæ maluerit ex his seligat, vel ipse afferat meliora.

Igitur primò ex radiata corona videtur denotari influxus Lunæ, dum illa lumen à Sole acceptum restituit; ut in sequenti dicemus Capitulo: & propterea in Novilunio ineunte Vere celebrabant Ægyptii festum, quod appellant ingressum Osiridis in Lunam; unde nominant etiam Lunam matrem mundi, propter naturam compositam, & mixtam ex utroque sexu; quoniam cum sit plena, & prægnans ex Sole iterum emittit in aerem generabilia principia.

Secundò ex Cornibus Flumen significatur; etenim per translationem Cornua fluminum dicuntur Flexus, & curvitates alveorum, eo quod multis in locis ad Cornuum similitudinem flectantur. Valerius Flaccus lib. 1. Argonat. *Elatis cornibus amnes.* Ovid. eleg. 2. lib. 4. Tristium: *Cornibus hic fractis*, nempe Rhenus: Flumen autem istud in præsenti non aliud esse quam Nilum; quoniam crediderunt Ægyptii illius augumentum respondisse illuminationi Lunæ: etenim majus illius fluminis augumentum prope Civitatem Eleusinam ascendit ad cubitos viginti octo, quot sunt dies quibus Luna singulis mensibus terminat circuire cœlum: at minimum augumentum penes Civitatem Mendetes, & Xoin ascendit ad sex cubitos, & totidem sunt dies, in quibus orbis Lunaris ostenditur per medium divisus: Mediocrè verò augumentum, quod est prope Memphim, & hoc quatuordecim cubitorum respondens tempori Plenilunii; hinc Eusebius de præpar. Evangelic. lib. 3. cap. 3. dixit, quod putarint Ægyptii fructuum procreatricem virtutem, quæ inest Nilo, Osirim esse; & Osiridi Isidem conjungi, & propterea cum tanta sit correlatio inter flumen Nilum, & Isidem, quæ eadem est cum Luna; non abhorrebit à vero, qui dicat Cornua, symbolum fluminis, apposita esse Capiti nostræ Isidis.

Tertiò, ex auribus Canis denotatur Anubis, quem Ægyptii Deum canino capite effingunt, ac etiam lingua Ægyptiaca Canis dicitur. Virg. 8. Æneid.

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis.

Voluerunt tamen aliqui, quod sub forma Canis, seu Anubis coleretur Mercurius Lucanus lib. 8. *Nos in templa tuam Romana accepimus Isim, Semideosque Canes*; videlicet Mercurium, quem Anubim Expositores vocant. Boccacius in sua Genealogia lib. 7. cap. 34. scribit, Mercurium Nili filium fuisse, ut legitur apud Tulium de

de Natur. Deorum: Hunc ſcribit Theodontus Hermetem Triſmegiſtum fuiſſe Pium quidem hominem; & pluribus imbutum doctrinis: & quidem de vero Deo mirabiliter ſenſit; & in libro quem Aſclepium de Idolo ſcripſit. Hic apud Ægyptios in maxima fuit veneratione; adeo ut apud eos nefas fuerit, ipſum proprio nomine nuncupare ob reverentiam Numinis, ne forte nominando de ejus humanitate, & mortalitate ſermo contingeret; & ſic videretur Deitati ejuſdem in aliquo derogari: Nili autem filius dictus eſt ad extollendam fluminis, & ejuſdem gloriam: Cum autem Anubis Mercurius fuerit, idemque fluminis Nili filius, & ſic reſpondens illuminationi Lunæ, ſeu Iſidis, ut diximus; non mirum propterea eſt, quod antiqui expreſſerint Numiſma argenteum hic delineatum ſicuti quoque eſt in diſcurſu antiquæ Religionis Romanorum Guglielmi Choul, de quo etiam Ant. Auguſtinus in tertio Dialogo; cum ipſe crediderit fuiſſe hoc Valentiniani Imperatoris: Habet hoc Numiſma in anteriori parte effigiem Iſidis, quæ tenet dextera manu Siſtrum, & in ſiniſtra Ciſtam, ſeu Vas fructuum plenum: eo quod illa fuerit horum inventrix; in poſteriori verò parte eſt imago Anubis ab aliis Cinocephalus nuncupatus; quoniam exprimebant illum habentem caput canis, tenentem quoque Siſtrum dextera manu, & Caduceum Mercurii ſiniſtra: Anubim ſiquidem, & Mercurium, & hunc Triſmegiſtum eundem fuiſſe à pluribus exiſtimatur, ut diximus. Addit Feſtus Pomp. lib. II. capite canino effingi ſolitum, quod canis ſagaciſſimus ſit animalium. Et hæc, quæcunque de Iſidis figura vaticinati ſumus, dicta ſufficiant.

Num. 10.

Cap. XXII.

De Faſciolis ſeu Velis circa Iſidis caput.

QVod verò attinet ad illas Faſciolas varias, & multicolores appoſitas capiti Iſidis figuræ: non ſolum illæ demonſtrant ſeptem aſpectus Lunæ; verum etiam manifeſtant illam virtutem ſuam, quæ verſatur circa materiam, dum gignit, & concipit omnia, nempe Lucem, & Tenebras; Diem ac Noctem; Principium, & Finem: unde quis non admiretur continuam varietatem aſpectus Lunæ? modo exinanitæ, modo cornutæ, modo dimidiatæ, modo tumidæ, modo plenæ; ac demum de vario ejus ſplendore, quid dicemus?

Certè, quo magis diſtat à Sole, eo amplius ſplendet, & juxta revolutionem ſui aſpectus variat ſpeciem ſplendoris. Pariter ipſa Iſis, ſeu Luna, myſticè ſignificat materiam tenebroſam, quæ nondum aſſumpſit formam aliquam: Sol verò formam, & agentem vim; Lunaque Solem ſuum ita obſervat, ejuſque radios ſemper excipere quærit, quibus illuſtretur, & ſecundum Platonem ſicuti conjux conjugem expectat avidiſſima; unde rerum ſpecies concipiat, & loco reddat, ac etiam ſicuti mollis cera apta recipere modo hanc, modo alteram impreſſionem; ita Luna lumen acceptum mutuo, quo poteſt ſtudio, reſtituit, ut latè Plutarchus de Iſide, & Oſiride.

Dominus Octavius Tronſarellus in reviſione hujus Libri ex ordine Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii, habens ipſe præ manibus ſimulatum æreum hieroglyphicis repletum; voluit idem Octavius illud explanare, cujus ſimulacrum hic in ſequenti

Capitulo effigiatum propono, simulque explicationem prædictam transscripsi, ut hoc meum opus ornarem.

Cap. XXIII.
De Mystica Isiacæ Imaginis Interpretatione.

Num. 11. HÆc Deæ Isidis Effigies, quæ eadem est cum Diana, asservaturque in celeberrimo Domini Francisci Angeloni Musæo, pulchras in se continet veritatis indagandæ ambages, rerumque symbola mirè complectitur.

Pinnas Accipitris in capite gerit, nempe mysticæ volucris Osiridem, seu Solem exprimentis, ex Valerian. lib. 21. hieroglyph. cap. 1. Accipiterque Soli dicatus est: nam Isis, hoc est Luna à Sole lumen recipit: unde Cicero de somnio Scipionis inquit de Luna:

Luce lucet aliena.

Hinc est, quod Orbis ille, qui in ipso Pinnarum medio fingitur, Mundus rectè judicetur, qui ut à pennis Accipitris, hoc est Solis radiis illuminatur, ita à Luna, quæ illi subjacet, & in Cornua surgit, illustratur.

Verum quia triplicem Diana habet potestatem, nempe cœlo, ut in hac Isidis superiori parte videre est; sic etiam Terris vires extendit suas, & nostras has plagas suo numine complet; ideo Fascia, qua ejus caput ornatur, turres, Terræque imaginem repræsentat, & mundi insignia profert; & hac in parte Venatrix Diva apparet; unde illi pharetra, & sagittæ humeros gravant, spoliumque Cervi medium pectus operit; hoc enim Cervi spolio insignitam Arcades suam coluerunt Dianam, & Natal. Comes lib. 5. cap. 15. hæc scribit: in sacrificio Isidis cognomento Tithonoæ apud Phocenses, à quibus fiebant ejus anniversaria, mos fuit, ut horis pomeridianis homines opulentiores Isidi, aut Boves, aut Cervos immolarent. Porro hæ tergori Alæ appositæ Deæ velocitatem in venatu demonstrant; ni forte velimus interpretari, orbem Lunæ inter Planetas cunctis velociorem circumvolvi, & viginti novem dierum spatio suum cursum metiri; alatumque fuisse Dianæ simulacrum refert Cartarius lib. de Deorum imaginibus; & ita ex Pausania apud Corinthios in Cipseli Tyranni Arca fictum videtur.

Fert dextera Serpentem, prosperitatis signum, ut ipsa Historia docet apud eundem Pausaniam: nam Atheniensibus contra Medos apud Salamina navalem pugnam ituris, serpens draco in navibus dicitur apparuisse, fœcundissimo rerum, quæ prospere subsequutæ sunt, prodigio, cujus rei monumentum in Salamine templum fuit Cichreo dicatum, quod Apollo responderit, serpentem illum, Cichreum Heroem fuisse, qui auxilium allaturus fuisset. Verum cum patera delibantem videamus, licebit anguem interpretari signum Salutis: unde habemus in Virgilio 5. Æneid.

Ille agmine longo
Tandem inter pateras, & lævia pocula serpens,
Libavitque dapes.

Et


No:ii. pa:42.

Et plura hoc etiam Imperatorum numiſmata teſtantur, in quibus ſerpens patera delibat cum inſcriptione *Salus*. Aut verè hoc, & propriè de ipſa Dea Iſide affirmemus, de qua Natalis lib. 4. Mytol. cap. 10. cum Iſis, ſive Ceres, ut quidam putarunt, multa pharmaca ad ſanitatem invenerit, ut magnam partem medicinæ Empyricæ, Salus haberi poteſt, ſerpentisque ſigno denotari.

Gubernaculum autem Navis manu tractat; nam Luna fluctibus, & velitationibus præeſt, navigantesque ſervat. Lucianus ſcribit in dial. Jovis, & Mercurii, cui mandat Jupiter, *Ipſam verò Io per pelagus in Ægyptum abducens Iſim facito. Cæterum Dea illis eſto, Nilumque attollat, & ventos immittat, & navigantes ſervet*; & de maris fluctibus loquens fuſius ipſa Iſis in Apulejo 11. Metam. inquit: *Diem æternam mihi nuncupavit Religio, quod ſedatis hybernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus navigabili jam pelago rudem dedicares carinam, primitias commeatus libant mei ſacerdotes.*

Siniſtra verò Iſidis Cornucopiam cum fructibus, & ſpicis gerit Apul. lib. 11. de Iſide loquens dixit: *Spicis etiam Cerealibus deſuper porrectis.* Eadem autem eſt Iſis ac Ceres. Natal. Com. ex loco ſupra citato: *Cum Iſis, ſive Ceres:* & clarè Diodorus Siculus, Plutarchus, & Euſebius. Frumento enim ex Nili alluvione maximè Ægyptus redundat; & ideo Julianus Aurelius lib. 2. de cognominibus Deorum colligit eandem fuiſſe apud Ægyptios Iſidem, quæ fuit apud Græcos Ceres, & lib. 3. in fin. refert Diodorum accipere Oſirim, & Bacchum pro eodem numine; ſicut Iſidem, & Cererem; itemque aſſerit Natalis Com. lib. 2. Mytol. *Quidam antiqui ſcriptores voluerunt Saturnum regnaſſe in Ægypto; ac Rheam ſororem duxiſſe in matrimonium, è quibus nati ſunt Jupiter, & Juno, qui ob virtutem, præſtantiſſimaque animi ornamenta univerſo terrarum orbi imperitarint; ex his natos eſſe quinque filios, omnino memorant Oſirim, Iſim, Typhonem, Apollinem, Venerem; Atque Oſirim eſſe Dionyſium tantopere à Græcis celebratum, Iſim autem Cererem*; & ideo dum à Virg. dicitur 1. Georg.

vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.

Nil aliud intelligitur niſi Sol, & Luna, hoc eſt Oſiris, Iſis; quæ triplici imperio, ut hæc denotant ſymbola, Cœlo, Terræ, & Mari præeſt. Hoc autem Imperium à Virg. 4. Georg. Jovi aſſignatur.

Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque Maris, Cœlumque profundum.

Unde cum ab aliis Jupiter dicatur Omnipotens, meritò etiam legimus Capuæ in antiquo marmore de Iſide, quod ſit omnia. *Te tibi una, quæ es omnia, Dea Iſis:* Quin & ipſa Oſiridis, & Iſidis capita huic Cornucopiæ affixa, & ex antiquorum Numiſmatum fide recognita, totum hoc probant, meæque fidei manifeſtè, clarèque adſtipulantur.

Cap. XXIV.

De Siſtro.

Num. 12. SUbſequitur, ut dicamus de Siſtro, cujus typum hic damus, quod ſervatur in nobiliſſ. Muſæo Domini Franciſci Gualdi Ariminenſis, Equitis S. Stephani, qui eſt rerum antiquarum diligentiſſimus indagator, & cuſtos: Erutum eſt è ruinis Urbis, viridique ærugine obductum. Igitur Siſtrum eſt inſtrumentum frequens apud Ægyptios ex ære ad ſonitum fabrefactum, quod adamuſſim delineavit Apulejus lib. 11. Metamorphoſ. inquiens: *Dextera quidem ferebat æreum crepitaculum, cui per anguſtam laminam in modum Balthei recurvatam; trajecta mediæ paucæ virgulæ criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem.* Hinc Propertius:

Romanamque tubam crepitanti pellere Siſtro.

Et Ovidius:

Crepuitque ſonabile Siſtrum.

Et nemo eſt, qui Plutarchum de Siſtro legerit, & gemmas, nummosque antiquos pertractaverit, qui non hæc ſentiat, ſicuti etiam de eodem latè refert Dominus Franciſcus Angelonus in ſua Hiſtoria Auguſta de Numiſmatibus in Adriano num. 57.

Siſtrum verò vel motum, vel ortum rerum indicabat ait Plutarchus, vel Nili acceſſum, vel receſſum ex Servio 8. Æneid. Fuit verò Siſtrum peculiare Iſiacorum geſtamen, quo Typhonem arceri credebant, ex Plutarcho, & hoc Iſidis imitatione, quam Ovidius, Apulejus, & Numiſma ſuperius delinearunt, qua de re ſcribens ſiſtratam turbam appellavit Martialis lib. 12. annuendo capiti calvo, lineis veſtibus, & Siſtris, quæ portabant ſtulti Sacerdotes Iſidis, ubi inquit:

Janigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba
Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes.

Et Ovidius Eleg. 8.

Quid nunc Ægyptia proſunt Siſtra?

Adhibebantur etiam ad ſedandos Infantium ploratus, Martialis lib. 14.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet;
Hæc quatiat tenera garrula ſiſtra manu.

Sed & in Bello uſi eo eſſe Ægyptii videntur. Virgil. de Cleopatra in pugna 8. Æneid.

Regina è puppi patrio vocat agmina Siſtro.

Et Manilius lib. 1.

Atque ipſa Iſiaco certarunt fulmina Siſtro.

Iſim Siſtratam, aut Anubim dixerat Propertius:

Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubim.

Apulejus non ærea tantum, ſed & argentea, & aurea fuiſſe Siſtra innuit lib. 11. At neſcio, an ulla præter ærea ſint hactenus reperta, ex ære ut plurimum factitari ſolita, quod æs præ cæteris metallis ſit admodum vocale; Id elici poteſt ex Tibullo, qui æra ſimpliciter vocat Siſtra iis verſibus:

Quid tua nunc Iſis tibi Delia? quid mihi proſunt
Illa tua toties æra repulſa manu!

Quam

Quam ob rem Statius primo Thebaid. *Nilum ærisonum* vocat. Nam ajebat Claudianus. *Nilotica Sistris Ripa sonat.* Æs certe ad res Divinas adhiberi solitum testatur Macrob. 5. Saturnal. quod & alicubi innuit Festus Pompejus.

Isidem eandem cum Luna creditam esse nemini obscurum est, quin & ipsomet Sistri curvamine designari *Lunæ globum ea complectentem, quæ motionibus, & mutationibus sunt obnoxia.* Plutarch. de Iside, & Osiride, ubi etiam loquitur de Fele, quæ cum catulis curvato Sistri vertici incubat, ut etiam in nostra effigiata figura.

Cap. XXV.

De Lucernis apud Ægyptios.

QVamvis in tertia parte videbimus de Lucernis Christianorum; nihilominus quoniam variæ sunt mihi de illis etiam prophanis, fictilibus, ac æneis hic delineatis; operæ pretium duxi de earum usu apud Ægyptios potissimum circa Religionem cognoscere. Num. 13.

Lucerna propriè dicitur instrumentum aliquod Metallicum, aut fictile, in quo posito oleo, & parato lychno nutritur ignis, ut omnes, qui ingrediuntur, lumen excipiant.

Sacrum verò aliquod portendisse Lucernam tàm Græcis ex testimonio Suidæ, quam Latinis ex auctoritate Senecæ de Vita Beata cap. 27. certum est; præsertim ex monumentis Ægyptiorum, penes quos adeo frequens hæc consuetudo fuit, ut sola Lucerna teneret Hieroglyphicum Ægyptiæ Religionis, teste Beroaldo in 11. Aupulei; ea fortasse ratione, quod ipsi ad cultum Idolorum, tunc primis Lucernis uterentur, vel quia Lucernarum usus ab Ægyptiis ad reliquas translatus nationes, sentiant plurimi; In quo quidem adeò fuerunt superstitiosi Romani apud Plutarch. lib. 7. sympo. 14. ut Lucernam extinguere Religio esset: quamobrem oleo posito inextinctam Lucernam dimittebant, quousque ignis oleum consumpsisset, & deficiente nutrimento, ipsa quoque deficeret flamma: sive id reverentia sacri ignis facerent, ut dicebat apud Plutarchum Cesernius; sive ut Lucius ibidem, ne viderentur necem inferre elemento quodammodo animato; sive denique ne Lucernam extinguentes lucem aliis invidere existimarentur, quod ibidem affirmabat Florus.

Verum Ægyptios in Lucernis colendis cæteris religiosores dicit Herodot. lib. 2. Is enim cujusdam diei festi solennissimi apud Ægyptios meminit; qui Festus dies Accensio Lucernarum dicebatur, quod noctu sub dio, per universam Ægyptum Lucernæ sale imbutæ, oleo plenæ, Elychnio quam optimè instructæ accenderentur: eaque luce Luciferum, Solemque Orientem attingerent.

De hoc die Festo, illiusque significatione aliter atque aliter autores censent; sunt, qui putent, Lucernas has ab Ægyptiis accendi solitas in honorem Vulcani, quem ignis inventorem existimarent; sed unde lamenta, ejulatus, & lacrymæ, de quibus Lactantius lib. 1. Divin. institut. cap. 21. certè nihil cum Vulcano? Arbitrantur alii ad inquirendum cum Iside Osiridem Lucernas accendere consuevisse Ægyptios, hujusque gratia lacrymabilem Festum diem ab ipsis institutam: Hunc Jovis filium crediderunt, Isidemque, ut placet Lactantio, ibidem habuisse Matrem,

ſeu, ut aliis placet, Uxorem fabulantur: Quod verò uterque beneficiis maximis Ægyptum affeciſſet, Divinos ab illis Populis promeriti ſunt honores; Iſidem namque litteras, litterarumque uſum excogitaſſe, Ægyptiisque tradidiſſe affirmant: Oſiridem varias artes ad vitam excolendam à ſe inventas, eos docuiſſe: tamque Religioſum Iſidis numen habebatur, ut morti obnoxius crederetur, qui illius aditum penetrare auderet, Pauſanias ſic ſcribit: *Tunc igitur cum Romanus quidam gubernaret Ægyptum, hominem mercede conductum miſiſſe in aditum Iſidis, quod eſt in Kopto: & rediiſſe quidem: ſed mox ut narravit, quæ vidit, & hunc ſubitò mortuum eſſe.*

Quærebant verò Oſiridem Ægyptii inter nocturnas tenebras, quod à Thyphone fratre aliquando occiſus, non modico tempore ab Iſide lacrymis comitata, ac ejulatibus quæſitus fuerit.

Quamobrem in Plenilunio ſub dio inter tenebras quaſi Lunam, id eſt, Iſidem, comitarentur, lucernis accenſis magno cum luctu Oſiridem requirebant: credentes hoc cultu arva fœcundari, Nilumque excreſcere, & ſic ſcribit Pauſanias: *Egere Iſidi Ægyptii Feſtum, quando ipſa Oſiridem lugere dicunt; & illis quidem diebus Nilum incipere creſcere dicunt, & multi Incolarum dicunt augumentum fluminis, & inundationem agrorum lacrymis Iſidis fieri.* Inde Statius lib. 1. Thebai:

Melius votis Mareotica fumat
Coptos, & ariſoni lugentia flumina Nili.


Nam Sacerdotes Ægyptiorum ſua pectora tundebant, quemadmodum Iſidem, cum Oſiridem amiſit, feciſſe putabant; quotannis illum perdebant, totidem eundem quærebant, unde Lucanus:


Nunquamque ſatis quæſitus Oſiris.

Sole mox oriente inventum Oſiridem cum gaudio excipiebant.

At ſi divinare liceret de hoc feſto Lucernarum ab Ægyptiis culto lacrymis, atque ploratu; Dicerem in memoriam illius necis actum, quam Deus ad abducendos filios Iſrael, Primogenitis Ægyptiorum quorumcunque tàm hominum, quam Brutorum ipſe intulit: tunc enim Pharao Rex ſub media nocte, totaque Ægyptus luctu, ac lacrymis conſperſa, è ſtratis ſurgentes, accenſisque Lucernis necatos filios lamentabantur, filiosque Iſrael exire compellebant de terra Ægypti, ut Exod. 12. *Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne Primogenitum in terra Ægypti à Primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat; usque ad Primogenitum captivæ, quæ erat in carcere: ſurrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaque Ægyptus, & orſus eſt clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.* Etenim potuit fieri, ut is Primogenitus Pharaonis, qui mortuus eſt, Oſiris appellaretur: nam de Oſiride Ægyptio loquuntur omnes: Et præterea Feſtus hic dies Lucernarum, qui in Plenilunio celebraretur, teſtis eſt Apulejus lib. 11. *Qui circa primam ferme noctis vigiliam experrectus pavore ſubito præmicantis Lunæ candore nimio completum orbem, commodum Marinis emergentem fluctibus.* Quemadmodum & exitus filiorum Iſrael ex Ægypto Plenilunii tempore in Martio contigiſſe ſacra tradidere oracula.

APVD AVCTOREM.





hominem mercede conductum misisse in aditum Isidis, quod est in Kopto



in qua non sa-


Primogenitus Pharaonis, qui mortuus est


LARIBVS
SACRVM
PFROAMOEN
PALLADI
VICTRICI

APVD AVCTOREM.






APVD AVCTOREM.
No:15. pa:52.
D.N.IVSTI NVS.PP.A.
No:13. pa:45.
No:14. pa:48.


LTEITIVS
ALYPVS
I8VIDD

De Apparatu verò Pompæ Iſidis, ut in ea Lucernarum cultum, & in Religionem agnoſcamus, meminit Apulejus dicto lib. II. dicens: *Magnus præterea ſexus utriusque numerus Lucernis, tædis, & alio genere facium, luminis ſyderum cœleſtium ſtipem propitiantes.* Et de Antiſtitum ejusdem Religionis apparatu ſcribens: *Quorum primus Lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non noſtris conſimile, quæ veſpertinas illuminant Epulas, ſed aureum Cymbium in medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem.*

In uſu Lucernarum, & Lucernario cultu Idolorum, adeo ſuperſtitioſi fuere Ægyptii, & aliæ nationes teſtibus Clem. Alex. lib. I. Strom. Euſeb. lib. 10. de præparat. Evangelic. ut quamplurimas illis appenderent Lucernas, quam ſuperſtitionem irridet Lactantius lib. 6. Divinarum Inſtit. & Tertull. *Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec Lucernis diem infrigimus?* & Seneca ep. 95. *Accendere aliquam Lucernam Sabbathis prohibemus, quoniam, nec lumine Dii egere, & nec homines quidem delectantur fuligine.* Unde Lucretius:

Tecta lucernantur florentia numina ſertis.

Hinc Hieremias in epiſtola ad filios Iſraelitas, qui captivi in Babylonem adducendi erant, Lucernarum meminit, quas Babylonii ad Idola accendebant, Baruch. 6. *Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre poſſunt.* Et quidem multas, inquit Propheta: cum tamen D. O. M. ſeptem tantum Lucernas in Candelabro uno intra Tabernaculum oleo apparandas juſſerit, Exod. 25. *Facies & Lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Quamvis, ubi Dei cultus ſub Salomone augeri cœpit, Lucernarum quoque numerum auctum legimus 3. Reg. Cap. 3.

Effigiandas curavi plures ex meis Lucernis æreis, quæ varia continent ſymbola, nempe Canem, Bovem, Sphyngem, Mutinum, ſeu Virile membrum, ac etiam Lunam, quæ eſt ſignum Dianæ.

Accedunt etiam aliæ quatuor Lucernæ æreæ inſigniores in urbe, quarum una in honorem Jovis; cum Aquila, altera Neptuno dicata cum Equo, tertia Palladi; Quarta Laribus, quæ reperiuntur in Muſæo Domini Franciſci Angeloni.

Eſt quoque altera inſignis Lucerna ex celebri Muſæo Domini Franciſci Gualdi Ariminenſis, Equitis ſancti Stephani, quæ creditur inſerviſſe alicui Lupanari, ſupra quam eſt fœmina nuda; quaſi proſtituta, penes quam adeſt Rota, quam Cucurbitæ pendentes circundant. Certum eſt Rotam vitæ noſtræ progreſſum ſignificare; unde à die nativitatis ad extremum usque hoſpites, & peregrini dicimur; utpotè qui ſolum hoc extra patriam incolimus, ubi nulla conſiſtendi firmitas, perpetua vero ſemper eſt agitatio animi; ſicuti quoque imperitorum præcipitium per Rotam ſignificatur: Rota quippe circumvolvimur: Poſteriora ſunt bona fortunæ, quæ quia noſtra non ſunt, ea nobiſcum transportare non poſſumus. Anteriora vero ſunt æterna, quæ nos aſſidue comitantur. Impurus igitur, & imperitus rerum (ut effigiata fœmina ſenſus deliciis dedita) cum fortunæ bonis augetur, dum quæ retro ſunt, averſus reſpicit; obliviſcitur quoque, quæ æterna ſunt, in anteriori parte poſita, & in

præceps

præceps mergitur, ut inquit Job: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt,* ut propterea exclamet Pſalmographus: *Deus meus pone illos ut Rotam.* refert Pierius lib. 39. cap. 26. & 28.

Simile etiam conſtat ex effigiata Cucurbita, quæ, ut inquit Pierius lib. 58. cap. 12. inanes ſpes præſagit, utpotè, quæ cum ventricoſam admodum ſpeciem præſeferat, multumque item nutrimenti polliceri videatur, illud tamen tenue, & ſine condimento omnino fatuum, ac cito ſimul putreſit, & exſiccatur; quia cito nata, cito perit: ſymbolum præfatæ fœminæ innixæ vanæ, & tranſeunti corporis pulchritudini. Et hæc de Lucernis.

Cap. XXVI.

De Circulo, Corona, ſeu Diademate.

Num. 14. EXtat apud me ex marmore nigro ſcalpta figura longitudinis ferè dimidii palmi, Iſidem ex habitu repræſentans: Circulum ſeu Coronam ſupra caput habens, quod Regium inſigne erat, ex Horoapolline lib. 1. cap. 15. ac Æliano lib. 6. cap. 37. Quinimo antiquitus nulla quidem Corona, niſi Deo dabatur, Plinius lib. 16. cap. 4. Et hunc orbem ab ipſis Ægyptiis etiam ſumpſiſſe Romanos, cui divinum quid ineſſe putabant; eoque ſitu Corona aptaretur, qui tamen ornatus inſequentium Principum moderatione, & tacito omnium conſenſu Deo & Sanctis ejus, ut alia pleraque, ceſſit, & antiquum Diadematis nomen in hodiernum diem retinuit; ut latè Pignorius in expoſitione tabulæ Iſiacæ, fol. mihi 23.

Quibus accedit, quod Circulus ſit Hieroglyphicum Æternitatis, Perpetuitatis, Perfectionis, & ejusdem Dei, qui Principium non habet, nec Finem, ex Pierio Valeriano lib. 39. cap. 7. 8. 10. & 16. latè.

Et propterea Deus præcipiens Moyſi formam, quam Arca teſtamenti eſſet habitura; dixit Exod. 29. *Faciesque ſupra Coronam auream per Circuitum.* Et ſimiliter 1. Maccab. cap. 4. *Milites illi ornaverunt faciem templi Coronis aureis:* Ac etiam inter Deos Gentilitatis. Tertull. de Corona Militis cap. 7. ait, Saturnum ante omnes coronatum, Jovem Diodorus poſt devictos Titanas; dat etiam Priapo tænias idem, & Ariadnæ ſertum ex auro & Indicis gemmis.

Reges geſtaſſe. Tractu temporis in ornamento capitis adeo ambitioſi fuere Romani Imperatores, & alii Reges, ut non ſolum Lauream, ſed Auream etiam, ac Radialem Coronam excogitarint: quin imo etiam, quaſi cum Sole vellent certare, non tam Radiis, ac Gemmis Circulum illum aureum condecorare curarunt, quam ad curſum Solis, ad Numerum menſium, ad Circulum anni, & ad ſigna Zodiaci reſpicientes in ipſa Corona Radiorum quoque numerum illum duodenarium continuerint, ut ſignificavit Virg. 12. Æneid. Coronam radialem Latini Regis deſcribens:

- - - - Ingenti male Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis Avi ſpecimen.

Uſos

Usos Diademate fuisse Persarum Reges ostendit Brissonius lib. 1. de Regio Persarum Principatu: Xerxem etiam Diadema gestasse pro more Persarum, Plutarch. lib. de Fraterno Amore, & Xenophon in Cyri Pœdia sæpe testantur. Numidas quoque Reges ex Livio lib. 4. Decad. 3. habuisse. Similiter apud Macedones Diadematis úsus fuit, Herodotus lib. 4. Valer. Maximus lib. 5. cap. 1. ubi de Gneo Pompejo sermo est, & Tigrani Armeniæ Regi usum Diadematis adscribit.

Circa formam, & Colorem Diadematis. A. Gellius de Græcorum Diademate inquit: *Dicitur autem Diadema, id est, Regium gestamen, quod exponitur pro Fascia candida, quæ Regum capitibus obligabatur.* Diadema quippe Laneum, vel Lineum extitisse ligamen, quo caput Regis circumligabatur; quam ob rem Creon apud Statium lib. 12. Thebaid. inferias Menœti celebrans, cum sceptrum, Diademaque illius in rogum injecisset, dolens sic inquit: *De forma.*

Accipe nate tui nova libamenta triumphi,
Accipe, & hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
Vincula, quæ Patri nimium portanda dedisti.

Et lib. 9. de morte Regis Adrasti ait:

- - - *Heu qualem versare in sanguine vidi*
Exutum canos, lacero Diademate, crines.

Et Seneca in Troade ait:

Ego esse quidquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen? & falso comam
Vinclo decentem?

Falsum vinculum vocat, quasi nullo vinculo coërceri possit omnimoda Majestas.

Diadema fuisse latum, longumque ligamen colligitur ex Plutarcho in Lucullo, cum de Monima Uxore Mithridatis agit, cui mortis genus eligendum in ejus libera voluntate Mithridates reposuit, quod de Regno, suisque rebus jam actum esse intelligeret, inquit: *Cum advenisset Baccharides, & Regiis mulieribus imperasset, ut quod cuique facillimum & gratum esset, genus mortis eligerent, avulsum à capite Diadema Monima collo circumligavit, & se ipsam suspendit: quo cito confracto; ô execrabilis inquit fascia, neque ad hoc mihi utilis fuisti.* Unde colligitur Diadema fuisse fasciam, seu vittam longam, quæ ad suspendium apta censeretur.

De hoc Diadema Curopalata de officiis Curiæ Constantinopolitanæ c. 6. num. 33. his verbis; Illud quod nunc vocatur stemma, olim appellatum esse Diadema: id autem erat Vitta ex unionibus, & margaritis, posita quidem in Imperatoris fronte, sed circa cerebrum retro ligata: unde & Diadematis quasi dicas ligamenti nomen obtinuit: quod paùlatim mutatum evasit tale, quale hodie visitur, & nominatur stemma: idem auctor num. 34. ibidem ait. Porrò, quòd nunc vocatur Diadema, olim Zona militaris dicebatur, insigne honoris: hinc Tyranni venerandos Milites; qui Christum confitebantur, ante omnia privabant Zona, & Torque, & postea tradebant Tortoribus.

Colorem in Diademate purpureum apud antiquos extitisse Alexander lib. 1. Gen. dier. cap. 18. scribit. Album tamen apud exteros, ut plurimum fuisse, consensu Scriptorum omnium comprobatur.

Suetonius cap. 79. in Cæſare refert; cum quidam Lauream Coronam faſcia candida colligatam Cæſaris ſtatuæ impoſuiſſet, Tribuni plebis Coronæ detrahi faſciam, & hominem in vincula duci juſſerunt: Fremebat enim Populus, & Tribuni; non quidem quod Corona Cæſari, aut ſtatuæ illius imponeretur, hanc enim deberi Cæſari non negabant; ſed quod faſcia candida Coronæ alligaretur, atque una cum Corona Diadema quoque ei imponeretur.

Coronarum genera.

Hoc autem Diadema caput cingebat, adeo ut in Occipitio aliquid fluctuaret, quod indicatur, cum varia eſſent Coronarum genera apud Græcos, & Latinos: Nam præter illas ex floribus, de quibus in conviviis, quæ propriè ſerta appellabantur; erant quoque Coronæ Laureæ, ex quibus Lemniſci, ſeu Vittæ pendebant, ex Plutarcho in Silla: *Nam illico ſacrificanti jecur Coronæ laureæ typum habere viſa eſt, & lemniſcorum binorum ex illa dependentium.*

Fuere quoque Coronæ ex Oleaſtro, ſeu alia planta ad ornandum victores in Ludis, ſeu Triumphis, quorum filamina ad conſtringendum ramuſculos Coronarum apponebantur, quæ propriè phylira, ſeu ſcirpi vocabantur, de quibus Horat. 1. Carmin. ode 38.

> *Perſicos odi Puer apparatus*
> *Diſplicent nexæ phylira Coronæ.*

Tertium genus Coronarum metallicum fuit ex auro, ſeu argento: nam quos virtute bellica Regio ſive Imperatorio ornatu dignos Græci agnoviſſent, Vitta quadam, ac etiam aurea ornabant Corona; Vitta quidem, qua quotidie uterentur, corona vero, quam in ſolennioribus tantum diebus geſtarent, ex Thucydide lib. 4. hiſtor. ibi: *Braſidam cum aliis rebus honorificè acceperant, tum etiam publice quidem aurea Corona redimerunt, ut Græciæ liberatorem; privatim vero teniis coronabant, & ad ipſum ut athletam accedebant.* Ex quibus Coronis non Lemniſci, ſeu Vittæ, ut in præcedentibus Coronis, ſed ſatis ampliores, & coloris albi, quæ in occipitio Imperatorum fluitabant ad humeros uſque protenſi; & neque colligandis ſertis, neque conſtringendis ramuſculis uſui erant; ſed ad Diadema pertinuiſſe, ut ex Feſto, qui de Lemniſcis ait: *Lemniſci, id eſt, faſciolæ coloriæ dependentes ex Coronis propterea dicuntur, quod antiquiſſimarum genus coronarum lanearum:* Colorias nimirum dici eas Coronas, quia unius tantum Coloris albæ erant; id ipſum fermè loquens de Corona tradit Iſidorus lib. 19. cap. 130. *Hujus principium à Libero quondam duci Gentiles exiſtimant, quod is inpotando mota vino Capita vincire faſciolis inſtituerit; idcirco olim Linei, ac Lanei generis coronas fuiſſe.* Et has quidem Vittas à laurea Corona Cæſariana diſtrahendas juſſiſſe Tribunos, cum in ludis aliquando ab adulante coronaretur, ne tales eſſent additamentum honoris.

Diadematis uſum à priſcis uſque temporibus Romanæ Reipublicæ penes Reges exſtitiſſe ſcribit Dionyſius Alicarnaſſæus lib. 3. & de Regio Diadomate Servii Tullii Juvenalis ſatyr. 8.

> *Ancilla natus trabeam, & Diadema Quirini,*
> *Et faſces meruit, Regum ultimus ille bonorum.*

Et

Et apud Ant. Augustinum Numismata sunt Romuli, Numæ Pompilii, & Anci Martii, in quibus hi Reges Diademate redimiti conspiciuntur, sed Republica postmodum ad ordinem redacta Crassus dives primus argento, auroque folia imitatus ludis suis Coronas dedit, accesseruntque, & Lemnisci, quos adjici ipsarum Coronarum honos erat, inquit Plinius lib. 21. cap. 3.

Refert quoque Plinius lib. 16. cap. 4. Primum omnium Liberum Patrem imposuisse capiti suo ex Edera Coronam: Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere; Victimis simul coronatis: Novissime, & in sacris certaminibus usurpatæ; inde natum, ut & Triumphaturis conferretur in templis dicandæ; mox ut & ludis darentur.

Prisci quoque Christiani non abstinuere ab hujusmodi Coronis, quibus ornare Statuas, & Imagines summi Dei, & Sanctorum ejus soliti sunt: siquidem Imagines Sanctorum non denotant solum, quæ ipsi in terris gesserunt, verum quæ in cœlis ab ipsis geruntur, cum immensa gloria fruantur; & quicquid auri, gemmarum, coronarum adhibueris, nec minimam partem ejus gloriæ descripseris, quam Deus iidem Sanctis jam in æterna vita largitur, ut refert Molanus de sanctis Imaginibus lib. 2. cap. 4.

Quamvis Josephus Scaliger in Priapeia referens imprecationem Priapi apud Horatium *merdisque coinquinet albis Corvorum*. Idcirco Minisci imponebatur statuis, ne ab avibus conspurcarentur. Hi minisci adhuc hodieque in templis Christianorum imponuntur capitibus statuarum, cujus tamen rei causam ignorantes Pictores, dum putant honoris causa imponi debere, non solum non omnibus statuis imponunt: sed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt: quæ tamen illis opus non habent, ut Statuæ: & hi Minisci sectiones circuli significabant, & dabantur Divis jam in cœlum relatis.

Mos quoque fuit apud Priscos fideles in picturis Viventium, qui pro Sanctis tunc habebantur pingere, aut scalpere etiam Diadema forma quadrata, non autem circulari; sicuti adhuc videmus opere Musivo delineatas in Triclinio Leoniano apud Lateranum effigies Magni Constantini, Leonis Papæ, & Caroli Magni, quas figuras etiam effigiatas propono in tertia parte mei Operis cap. 3. ubi de sacris Imaginibus, & de hoc adducitur ratio, quoniam Viri insignes virtutibus habentur pro lapidibus Quadris, ut describitur à sancto Gregorio homil. 21. in Ezechielem cap. 40. super ea verba: *Mensa de lapidibus quadris extructa*, ait: *Quos enim hoc loco Lapides quadros accipimus, nisi quoslibet Sanctos, quorum vita in prosperitate, & adversitate novit fortiter stare? Lapis etenim quadrus æque stat, in quocunque latere fuerit versus: Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à bono opere non revocatur, Lapis quadratus est; & quasi ex omni parte statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet: Certe cum Judæorum populum Propheta à fide perire cognosceret, & sanctos Apostolos surgere in Ecclesia prævideret, per quos multi sunt in fidei & vitæ fortitudine solidati, in magna consolatione loquutus est dicens; Lapides ceciderunt, sed magnis lapidibus ædificabimus, &c.* Ac de prædicto Diademate quadrato latè scripsit Nicolaus Alemannus in libro, quem edidit de Leoniano Triclinio.

Num. 15. Nullo tamen unquam tempore fuit ita limitata Adulatio, ut fines non tranſierit: etenim Juſtinus Imperator Chriſtianus, una cum filio Juſtiniano, quantumvis Chriſtiani, utiq; non abhorruerunt ſibi aſſumere etiam Coronam circularem, ſicuti Deo, & Sanctis ſolitũ fuit apponere, ut diximus; & videre eſt in Numiſmate hic adjecto, quod expreſſit etiam dictus Alemannus in ſuis Notis ad hiſtoriam arcanam Procopii fol. 344. Refert Evagrius Juſtinum anno Imperii octavo, menſe nono, (is erat Martius) Juſtinianum participem Regni feciſſe, & cum eo imperaſſe quatuor menſes, & eo tempore de prædictis adhuc viventibus, honoremque Divinitatis aſſumentibus dici forſan potuerit, quod Caracalla de Geta fratre ſuo dixit, ut refert Spartianus:

Sit Divus, dum non ſit vivus.

Lubet hic referre, quod annotavit Sirmondus Soc. Jeſu ad epiſt. 3. lib. 6. epiſtolarum Sidonii. Tonſura Clericalis ita olim fiebat, ut circulus tantummodo capillorum emineret inſtar Coronæ: ſic enim deſcribit Gregor. Turonen. de Nicetio Trevirorum Epiſcopo: *S. Nicetius*, inquit, *ab ortu ſuo Clericus eſt deſignatus, nam cum in partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo puerorum, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu vero mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iisdem Coronam Clerici fuiſſe ſignatam.* Hodie apud nos antiquam Coronæ formam ſoli fere Monachi retinent, & pueri vocales ſymphoniaci. Nam brevis ille orbis in vertice, quo Cleri magna pars utitur, inſolens olim, atque inuſitatus in Eccleſia fuit, ut docet Canon 40. Concilii 4. Toletani.

Scio voluiſſe aliquos circulum ſupra Caput prædictæ meæ Iſidis figuræ, indicare voluiſſe circulum Lunarem in ſingulis menſibus: ſed de hoc ſatis ſit in præſenti dictum.

HÆc ſunt, Clariſſime Lector, quæ ex meis potiſſimum Cimeliis congeſſi, ut eruditionem afferre valeant circa Ægyptiorum potentiam, ſuperſtitionem, Hieroglyphica, & alios ritus: & quamvis hæc tota chartacea ſint, ut vides, ſi tu illa probaveris, Aurea, Gemmea, & quantumvis pretii fient: Colligant Araneæ (ſi quæ ſint) venena de floribus; Tu Apis ingenioſa merum ex iis nectar ſtipando, mel eruditionis hauries. Vale.

PARS

DE ANTIQUIS ROMANORUM RITIBUS,

AUCTORE

Joãne Baptiſta Caſalio Romano.

Francofurti & Hannoveræ,

Sumptibus Thomæ Henrici Hauenſteinii, *Bibliop. Hannov.*

Anno M DC LXXXI.

Eminentiſſ. & Reverendiſſ.
DOMINO,
DN. ALEXANDRO BICHIO,
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

JOANN. BAPTISTA CASALIUS ROMANUS. F.

Liber à me in cadente mea ætate de Veteribus Romanorum Ritibus compactus eſt; Scio abſque fulcimento Tuo (Princeps Eminentiſsime) per ſe non poſſe ſubſiſtere: Hinc, ſicut Galliæ Reges nil unquam magis cogitarunt glorioſius, quam ſublevare, & à preſſuris eruere ſanctam Romanam Eccleſiam, ut de Martello, Pipino, Carolo, Ludovico Pio, & cæteris uſque in præſens Succeſſoribus narratur. Et cum Tu Comprotectionis munere de Galliæ Regno hoc, Romæ fungaris; Tu fulcimentum eris huic Operi de Veteribus Romanorum Eccleſiæ Ritibus elaborato ne cadat.

Præterea Tibi ſacra Purpura inſignito, qui Eccleſiæ quoque Gallicanæ inter primos exiſtis Antiſtites, maxi-

mè debitum eſt patrocinium hujus voluminis ; quod nulla ſit penitus Eccleſia poſt hanc noſtram Romanam omnium primam , cujus præclare geſtis , pugnisque cum inimicis Chriſti, victoriis, atque trophæis magis illuſtrentur ſcripta Eccleſiaſtica.

Sicuti nec alia fuit Eccleſia in qua magis viguerit, florueritque Divinorum Dogmatum puritas, diſciplinæ obſervantia, Morum Cenſura, Cuſtodia Canonum, & nitor Veterum ſacrorum Rituum quam Eccleſia Gallicana: De qua inquit Hieronym. adverſus Vigilant. *Tu ſola monſtra non habuiſti, ſed viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundaſti.* & Hilar. de Synod. in princ. *Tu fidei integritatem, glorioſæ conſcientiæ inconcuſſam ſtabilitatem, intemeratæ voluntatis illæſam , imperturbatamque conſtantiam, innocentem inviolatamque Religionem ſervaſti, & ſanctæ, & indemutabilis perſeverantiæ glorioſo triumpho præfulſiſti.* De qua etiam S. Gregor. Magn. lib. 5. regiſt. Ep. 6. ad Childebertum Regem ait ; *Sicuti magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate fulgeſcit ; ita fidei tuæ claritatem inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilare, ac coruſcare.* Et alter Roman. Pontifex Gregorius IX. Epiſt. ad Epiſc. Rhemn. de hac ipſa ait; *Poſt Apoſtolicam Sedem eſſe quoddam totius Chriſtianitatis ſpeculum , & immotum fidei firmamentum ; utpotè, quæ in fervore fidei Chriſtianæ ac devotione Apoſtolicæ Sedis non ſequaris alias, ſed antecedas.* Et Arnulph. Lexovienſis ad Epiſcopos Angliæ de iſta ſic etiam inquit : *Sicut omnes , quos ad oppreſſionem Romanæ Sedis, rabida Tyrannici furoris provexit invidia,*

dia, virtus Altiſſimi manifeſta dejecit; ſic omnibus, quos devotio GALLICANA ſuſcepit, victoriam ſemper contulit, & Triumphum; Neque hanc fœtidæ Harpijæ nuper obortæ obſcurare, vel inquinare potuerunt, quin ſemper appareat candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, ſapphyro pulchrior, ſpecioſior forma præ cunctis gentibus, & multo florentior in Liliis ſuis, quam Salomon in omni gloria ſua, firmiter innixa ſolidæ Petræ Petri, ejusque doctrina fulſerit, ut Sole Luna.

Tibi quoque Eminentiſſime Princeps, potiſſimum debitum eſt patrocinium hujus de Veter Eccleſ. & Roman. Ritibus libelli; ſicuti Tu ſolus idoneus, electus & miſſus fuiſti à Glorioſa memoria Juſti, & Invictiſſimi Ludovici XIII, ut ſublevares recentes Eccleſiæ Romanæ, totiusque Italiæ calamitates, atque removeres turbines, & monſtra bellorum, quæ communis tenebrarum Hoſtis undequaque commoverat, & ad hoc ipſum munus præmortuo prædicto Rege Ludovico XIII. confirmavit Te invicta Pietas Regentis Reginæ.

Vellem Tullii Eloquentiam mihi accommodari, ut commemorare valerem labores, vigilias, excurſiones, quæ die, noctuque obieris, media hyeme, nihil ſollicitus de pluviis, & rigoribus nivis, convolans ſtatim à die Tibi injuncti muneris in Italiam è Gallia, ac dein continuo diſcurſando ad aulas ſingulorum Principum, removendo difficultates, quæ undequaque objiciebantur; ut tandem Tibi acclamare valeamus, *Facta eſt Pax*

 in

in virtute tua; & propterea omnes exultent, & dicant: *Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.* Tibi etiam beatus Petrus, qui in propria sede & vivit, & præsidet, eo quod Tu Pacem Ecclesiæ suæ attuleris, æternam felicitatem præstabit.

At quoniam satis hæc omnia nos per Te facta nuper vidimus, ut omnium Populorum debitum est, Deum precari pro Regis, Reginæ, & Tui felicitate; ita ego Te valde precor, ut patrocinium hujus operis, in quo Veteres Romanorum, & Ecclesiæ Ritus continentur, suscipere digneris: quippe qui Galli in illorum observatione potissimum insistunt: Tua enim auctoritate suffultum minimè corruet; sed Tuo gloriæ præsidio feliciter stabit, & Tua luce, & splendore illustratum, in luce oculisque omnium vivet. Vale.

INDEX

INDEX CAPITULORUM DE PROFANIS ROMANORUM RITIBUS,

LIBER SECUNDUS.

S. Leo ſerm. 1. in Natali Apoſt. Petri, & Pauli.

Roma ignorans ſuæ provectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus; & magnam videbatur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebant falſitatem: Unde quanto erat per Diabolum tenacius illigata, tanto per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta.

PARS

PARS SECUNDA,
DE
PROFANIS ROMANORUM RITIBUS.

Videbimus de Priscorum Romanorum Idololatria in genere. Deinde de aliquibus eorundem Diis. De Sacrificiis, & Virginibus Vestalibus: sicuti de aliis eorundem Ritibus, & in specie de Sponsalibus, Connubiis, Balneis, Tricliniis, Funeribus, & similibus.

Cap. I.
De Gentilium Diis, & aliis Romanorum Ritibus.

De Deo sententia Philosophorum.

POst varias Ægyptiorum superstitiones transiturus ad alia similia Gentilitatis, de quorum Deorum cognitione scripturus: ante omnia recensebo, quid de Deo Veteres senserint; & Thales Milesius Deum esse dixit, mentem cunctarum rerum ex aqua procreatricem: Aquam enim putavit initium rerum omnium: Pythagoras nil aliud credidit Deum, quam Animum per universas Mundi partes diffusum: Cleantes & Anaximenes Deum statuerunt Aerem, eumque gigni, esseque immensum, & infinitum, & semper in motu. Sed Anaxagoras Atheos, mentem infinitam: & Xenophanes mente adjuncta omne præterea, quod esset infinitum, Deum esse putarunt: Plato censuit Mundum ipsum, & Cœlum, & Astra, & Terram, & Animas esse Deum: & Aristoteles modo menti, modo ipsi Mundo, modo Cœli ardori omnem tribuit Divinitatem, quem sequutus est discipulus Theophrastes: sunt qui naturalem vim Divina ratione præditam, & naturalem legem Deum fecerunt, ut Chrysippus, & Zeno: sunt qui naturam ipsam Deum statuerunt, ut Straton: Quin & fuerunt, qui sint ne Dii dubitarent? sed omnia sua sponte esse nata, omnia fortuito fieri, quæ geruntur, ut Protagoras, Diagoras, & Theodorus: Fuere Epicurei, qui esse quidem Deos affirmant, sed curare quicquam negant, neque irasci eos, neque gratia commoveri: Pausanias meminit in Attica erectas fuisse Aras Incognito, & Ignoto Deo, quæ Aræ Epimenidis

Vatis Cretensis suasione erectæ fuerunt. Cum enim terra Attica pestilentia laboraret, consultum est ab Atheniensibus oraculum, quibus Pythium Numen respondit, urbemque & agros expiari, oportere, non expresso, cui Deo sacra essent facienda: Epimenides ab Atheniensibus accitus jussit ibi Ignoto Deo propitio immolari debere, ubi oves nigræ per agros dimissæ constitissent: Itaque ex eo tempore, ut ait Laertius, frequentes per agros Atticæ Aræ sine nomine Dei ridebantur: meminit de Diis Ignotis Pausanias, Cicero, Hesychius, & alii: meminit etiam Divus Lucas in Actis Apostolorum cap. 27. ita de Paulo loquens; *Præteriens, & conspiciens vestros cultus inveni, & Aram, in qua erat inscriptum Ignoto Deo.*

Fuerunt, qui dixere, non influere Deum omnimoda sua virtute in terram; Siquidem Aristoteles in lib. de Mundo, ac etiam Apulejus eodem libro de Mundo ait: Quod cum Deus in summo culmine Çœli suum domicilium collocaverit, cumque natura divina ab uno eodemque simplici primo vim suam immittat in ea, quæ sunt primo, continentia sunt, nempe in Solem, Lunam, & Cœlum, omne circumagat: Ac proinde quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, ejus opitulationem quoque sentiunt; Quo fit, ut terra, & terrena omnia, longissimè à divinitatis adminiculo infirmitate sua dejecta, ideoque multo tumultu exagitata sint.

Sed hæc Philosophi opinio, quod omnipotens & misericors Deus non valeat, seu quod indignetur extendere Divinos influxus ad res humanas, tanquam impia, & erronea, habetur ex Psalm. 112. dum ait: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo, & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem*; ac etiam in suo Cantico B. V. Mater, inquit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Præterea omnes prædicti auctores licet summo ingenio fuerint, tamen gravissimè hallucinati sunt, utpote, quibus præluceret tantum naturæ quædam bonitas, non autem Christiana Veritas perfecta. Lactantius tamen libro de falsa Religione ad confundendam Gentilium Idololatriam, ex opinione Poetarum, Philosophorum, Oraculorum, & Sybillarum evincere conatur, etiam antiquissimis temporibus nunquam dubitatum fuisse, nisi à male feriatis quibusdam unum esse Deum; licet non intelligerent, quisnam ille esset, seu quomodo ageret. Ideoque eos excusari non posse, qui in Deorum numerum homines impios reposuerint: hinc si bona pars Gentilium Deum spiritum, ac mentem vocaverint, eumque animo colendum esse etiam libris testati sint: mirum est, unde tanta Deorum multitudo inventa sit, hominesque jam morte deleti divinis honoribus affecti sint? Equidem existimarim errorem illum ab impostore Cacodæmone fuisse inductum: nam cum ille malorum omnium auctor sit, & parens, procul dubio, & in hanc, & multo profundiorem erroris caliginem miserorum mortalium corda tamen demersit.

Deificationis origo.

Referunt tamen Ethnici Scriptores istas hominum consecrationes propter merita, vel virtutum, vel munerum, vel artium repertarum à Veteribus in memoriam inventas; sic enim Cicero de natura Deorum. *Suscepit vita hominum, consuetudoq; communis, ut beneficiis excellentes Viros in Cœlum tolleret:* Unde Horatius ad Augustum:

Romulus, & Liber Pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta, Deorum in Templa recepti.

Hinc colunt Cererem, quia prima fruges invenit; hinc Bacchum, quia primus, ut putabatur, vites plantavit.

In libro Sapientiæ Salomonis cap. 14. ibi: *Acerbo luctu dolens Pater citò sibi rapti filii, fecit imaginem; & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra, & sacrificia: Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine hic error tanquam Lex custoditus est, & Tyrannorum Imperio colebantur figmenta.*

Lactantius lib. 1. de falsa Religione cap. 22. scribit, hunc ritum Deorum colendorum à Jovis immodica superbia fluxisse; nam cum terras circumiret, morem hunc habuisse, ut curaret sibi templa de Hospitum suorum nomine construi; Sic erecta fuisse templa Jovi Atabyrio, Jovi Labradeo, Jovi Laprio, Jovi Molioni, Jovi Cassio; qui omnes Jovis hospites, eique in bello adjutores fuere.

Templa & simulacra Diis quomodo decreta.

Quomodo autem Cacodæmon superstitiosam antiquitatem magis ac magis, cui non satis fuerat, ut hominibus Divinitas tribueretur, nisi quoque eisdem Templa, Simulacra, & Imagines statuerentur, ludificatus est? certè Persæ, & aliæ plurimæ gentes licet patrio ritu Deos colerent; eis tamen, neque templa, neque Simulacra ponebant, sibi persuadentes Deum, ubique præsentem esse

- - - Atque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.

Ideoque stultissimum velle eum certo loco concludere. Et quia Deum nemo unquam vidit, ridiculum credebant, eum specie figuræ humanæ repræsentare. Romani quoque plusquam annis centum septuaginta Deos ex instituto Numæ coluerunt sine simulacris, neque fictis, neque pictis; quamvis templa eisdem erexerint; nefas esse judicantes deterioribus meliora assimilare. Primus autem Tarquinius Priscus Simulacra Romæ posuit; Quod Varro probare non potuit, dum scribit: *Futurum, ut si absque simulacris Religio mansisset, castius Dii observati fuissent.* Et Seneca sic scribit: *Simulacra Deorum venerantur, illis supplicant, genu posito illa adorant, illis per totum assident diem, illis stipem jaciunt, victimas cædunt, & cum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt.* Et inquit Lactantius lib. 2. cap. 2. *Quod ii infecti tali persuasione, mentes eorum succum stultitiæ perbiberunt.*

Nolim autem hæc de Deo, & de Sanctorum nostrorum imaginibus intelligi in tot Conciliis approbatis, quamvis hæretici sæpe eas conculcaverint. Ethnici enim dæmones, & bruta animalia in suis simulacris colebant; nos autem Creatorem, & optimos, ac sanctissimos Viros imaginibus solum repræsentatos, ut hi apud Deum pro nobis Patroni esse velint, invocamus.

Dii Consentes, & Selecti.

Verum quia Gentiles non omnes Deos unius faciebant potestatis, hoc loco Deorum divisionem paucis attingamus. Divus Augustinus de Civitate Dei. Quosdam dicit appellatos fuisse Consentes, quosdam Selectos, his verbis: *Quis enim ferat, quod neque inter Consentes Deos, quos dicunt in consilium Jovis adhiberi, neque inter*

Deos,

Deos, quos Selectos vocant, felicitas constituta sit? Consentes enim dicti quasi in eo, quod gerendum est, consentientes; appellantur etiam à Cicerone Dii majorum Gentium, quasi inter omnes Deos principatum obtinentes ad differentiam eorum, qui minorum Gentium dicuntur; & ii consentes sunt sex masculi & totidem fœminæ ex Ennio:

Juno, Vesta, Minerva, Ceresque, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Pluralitas Deorum aliquando pro unico Deo sumpta ab Ethnicis.

Quoniam Ethnici Scriptores multos Joves faciunt, multos Apollines, multos Mercurios, multas Veneres; opere pretium facturus videor admonere omnia sub unius tanto persona aliquando relata: illud namque notissimum est, Stoicus unum tantum Deum credidisse, nominaque ejus variari pro actibus, & officiis: Hinc Sacrificaturam apud inferos Didonem Jovem Stygium pro Plutone nominare.

Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravit.

Aristoteles in libro de Mundo: *Cum Deus unus sit, mult a nomina habet ab affectionibus variis.* Et Apulejus eundem imitatus in libro de mundo, ad Faustum scribens: *Unus est*, inquit, *Deus, unumque numen pluribus quidem nominibus propter specierum multitudinem, quarum diversitate fit multiformis*; *nam à Juvando Jupiter dicitur, idem fulminator, tonitrualis, ac serenator*, ut latè D. Augustinus de Civit. Dei lib. 4. cap. 11. Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 18. cum Deorum omnium nomina ad unum vellet referre, hunc Orphei versiculum recitat:

Bacchus, Sol, Orcus, & Juppiter unus & idem.

Quod Deus unus sit.

Quod autem Deus unus sit solummodo, patet ex Lactantio de falsa Religione libro 1. cap. 3. Quod illa summa rerum potestas, ac Divina Vis, ne semel quidem dividi potest: quicquid enim capit divisionem, & interitum capiat necesse est; si autem interitus procul est à Deo, quia incorruptibilis est, & æternus, consequens est, ut dividi potestas æterna non possit; Præterea, quando pluralitas esset deorum; sequeretur, quod illi partiti inter se essent officia; ut ex illis quilibet sufficere omnibus nequiret; & nisi singularium partium potestas ad unam providentiam referatur, non poterit summa illa constare potestas; unoquoque nihil curante amplius, quam quod ad eum proprie pertineat; Et de iis vide Gyraldum Syntagma 1.

Dii erant Dæmones.

Sciendum quoque prædictos Deos, qui in templis à Gentibus adorabantur, ibique responsa reddebant, non alios fuisse, quam Dæmones; etenim Homerus summum illum Jovem Dæmonibus aggregavit, sicut & alii Poetæ, & Philosophi, qui eosdem modo Deos, modo Dæmones nuncupant; & illi nequissimi spiritus ubi adjurantur; se Dæmones confitentur; ubi coluntur se Deos mentiuntur, ut errores hominibus immittant, & avocent à veri Dei notione; Ac iidem sunt, qui varios sibi cultus per diversa Regionum condiderunt mentitis tantum assumtisque nominibus, ut fallerent; & quoniam divinitatem per se ipsos affectare non poterant, asciverunt sibi nomina potentium Regum, sub quorum titulis honores sibi Deorum vindicarent: unde facilis probatio, ex quo adstantes Christi fideles Ethnicorum sacrificiis, Idolis responsa dare negabant, & Deos eorum fugaverunt,

verunt, ne possent in visceribus Hostiarum futura depingere, ex Lactantio lib. 4. cap. 27.

Est quoque indubitatum Deorum ejusmodi Cultores bonos & justos esse non posse. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt Deos cruentos Martem, atque Bellonam? quomodo autem Parentibus parcent, qui expulsorem Patris sui Jovem? aut natis ex se Infantibus, qui colunt Saturnum? Quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam nudam, & adulteram, & quasi apud Deos prostitutam? Quomodo à rapinis, & fraudibus abstinebunt, qui Mercurii furta noverunt? quomodo libidines coercebunt, qui Jovem, Liberum, Herculem, Apollinem, cæterosque Deos venerantur, quorum adulteria, & stupra in mares, & feminas non tantum Doctis sunt nota, sed experiuntur etiam in theatris, atque cantantur, ut sint omnibus notiora? Possuntne inter hæc Justi esse homines, qui etiam si natura sint boni, ab ipsis etiam Diis erudiuntur ad injustitiam, & scelera? Lactantius lib. 5. cap. 10.

Quales Deorum cultores?

Nec Religiosi hujusmodi homines habendi sunt, cujus nomen à vinculo Pietatis est deductum, quod hominem sibi Deus relegarit, & pietate constrinxerit, quia nos servire ei, ut Domino, & obsequi ut Patri necesse est: Superstitiosi quidem vocabuntur; cum superstitem memoriam Defunctorum colant, aut qui Parentibus suis superstites colebant Imagines eorum domi, tanquam Deos penates: nam qui novos sibi ritus assumebant, ut in Deorum vicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant; hos superstitiosos vocabant. Lactantius lib. 4. cap. 28.

At infelices illi, nec ex sceleribus suis intelligunt, quam grande malum sit, quod colunt; quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & se piè sacrificare opinantur, si cutem laverint, tanquam libidinem intra pectus inclusam ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent: non retinentes memoria, quod Cicero suis Legibus castè ad sacrificia præciperet accedere. *Pietatem inquit adhibeto, opes amoveto, qui secus faxit, Deus ipse Vindex est.* Quanto satius est mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur, & uno virtutis, & fidei lavacro universa vitia depellere: Quod qui fecerit quantumlibet inquinatum, ac sordidum corpus gerat, satis purus est.

Perseveravit hæc Idololatriæ cæcitas penes homines usquequò Christus. R. N. humana carne assumpta misit Apostolos suos in universum mundum prædicare Evangelium, quorum quoque discipuli idem sunt prosequuti: donec Theodosii, & Valentiniani Imperantium jussu prædicta Idola, eorumque templa funditus eversa sunt: unde Gentiles ubique concussi, atque pro defensione Deorum suorum multos Christianos occidentes; nec non Episcopos, inter quos Marcellum Apameæ in Syria Episcopum, cum famosissimum ejusdem Civitatis Jovis templum demoliendum curaret: cujus Martyrium describit Sozomenus lib. 7. cap. 15. additque Theodoretus lib. 5. cap. 21. Dæmones ejus templi ruinam impedire conantes Aqua signo Crucis sanctificata fugatos fuisse. Cæterum, Zelus, qui tetigit Orientis Episcopos sub ipsis Principibus piis Idola demoliri, æque, Occidentales impulit id ipsum præstare, si quidem à sancto Martino plurima in Galliis diruta fuisse Deorum templa, magnaque ista oc-

casione ab illo edita fuisse miracula, quibus Ethnici hujusmodi demolitionibus resistentes ad fidem conversi sint; narrat Severus in vita S. Martini cap. 10. ex quibus conjecturam capere possumus, quid à cæteris quoque sanctis Episcopis gestum fuerit. Quæ quidem anno 390. cœpta, sequentibus sine dubio agi perseverarunt; nullibi autem majori studio quam Romæ delubra prostrata esse, constat ex Hieronymo in procem. lib. 2. Commentar. in Epist. ad Galatas, & tradit Baronius dicto anno 390.

CAP. II.
Ex Ethnicis ante Christum natum fuerintne aliqui salvi?

DIximus in antecedenti Capitulo, quod ex Philosophis ante Christum in carne natum, eorum damnatio processerit potissimum; quoniam plures Deos ipsi, non autem unicum, & verum coluerunt; modo antequam ulterius procedamus de prædictis pseudo-Diis dicere est consilium: videndum igitur nobis est in præsenti, *An salus ex fide in Christum fuerit etiam ante ejus adventum.* Neque est ambigendum, quin & aliqui ex Ethnicis ante Christi adventum æternam sint adepti salutem, quod præ cæteris ostendit. S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 1. *Adhibita est enim semper universis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ & si parcioris, occultiorisque gratiæ fuit; suffecit tamen sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium; omnibus autem ad testimonium.* Certe enim Christus ante suum adventum, ut dixi, quibusdam etiam Ethnicis ipsam veritatem detegere dignatus est; atque ad Job respexisse videtur. S. Augustinus Epistola 49. dum ait: *Cum enim nonnulli commemorantur in sanctis Hebraicis libris jam ex tempore Abrahæ nec de stirpe carnis ejus, nec ex populo Israel, neque ex adventitia societate in Populo Israel, qui tamen hujus sacramenti participes fuerunt; cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus alias alios fuisse; quamvis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus?* Quapropter auctor epistolæ ad Demetriadem specioso elogio Job appellat, *Virum ante Evangelia Evangelicum: & Apostolicum ante Apostolica præcepta, & discipulum Apostolorum:* quia nimirum ea penè didicisset, quæ postmodum Apostoli docuerunt, edoctus scilicet ab ipso Veritatis, & Justitiæ largitore Deo. Est enim in confesso apud Catholicos, hominibus in statu naturali constitutis, opus fuisse ad salutem speciali aliquo Divinæ gratiæ auxilio, quo ad fidem in Christum perducerentur, neque enim naturalem legem sufficere ullatenus potuisse; Sed neque ipsis legi scriptæ traditæ Judæis ea vis inerat; & hoc est, quod Apostolus in Epistola ad Romanos docet: *Non Legis opera, atque actiones, sed fidem fuisse, quæ Abraham justum effecit*; Quod idem describit S. Thomas in sua summa parte 3. quæst. 60. articulo primo, ibi: *Nunquam homines potuerunt salvari ante Christi adventum, nisi fierent membra Christi; quia, ut dicitur Act. 4. non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, sed ante adventum Christi homines Christo incor-*

pora-

parabantur per fidem futuri adventus: nec minus perspicuè S. Augustinus epist. 57. inquit: *Sicut etiam illi, quando idem sacramentum occultum erat, credebant Christi incarnationem futuram, sic & nos credimus factam: Et à nobis autem, & ab illis futurus expectatur ad judicium ejus adventus:* Et quamvis Judæi loco Baptismi, qui hodie est necessarius, Circumcisionem haberent, ea tamen gentes non utebantur, quibus fides abundè tunc erat. Divus Thomas parte 3. quæst. 68. art. 1. ibi: *Licet ipsum Sacramentum Baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem; fides tamen, cujus Baptismum Sacramentum est, semper necessaria fuit.* Atque hoc idem de Gentibus esse statuendum clarè evincit, quod de Christo ajebat Aggæus Propheta cap. 2. *Et veniet desideratus cunctis gentibus:* siquidem ex Romanis, Græcis, Ægyptiis, & similibus, qui Christum venturum desiderarent, fatendum est, & iis aliquam de Christo venturo inditam fuisse notitiam, quoniam rei ignoratæ nullum concipere desiderium possumus. Hinc Augustinus epistola 89. *Ut sciamus etiam antiquos justos, quicunque esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænunciabatur, sicut & à nobis facta annunciatur.* Sed quatenus in contrarium adducatur Lactantius divin. instit. dum voluit Pythagoram, & Platonem, qui amore indagandæ veræ sapientiæ ad Ægyptios, & Persas penetrarunt, ab Judæis, penes quos ea tunc veritas erat abstinuisse; *Siquidem,* inquit ille, *aversos esse Divina providentia, nescire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus Religionem Dei veri, justitiamque notescere:* Quoniam non usquequaque id verum est, neque enim veritatis radios ab eorum obtutibus subduxit Deus, qui recta incedentes semita, procul ab errorum caligine perv estigatum illum irent. Dixit equidem ille Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis:* multum enim interest, qua ratione, qua via, quibus auxiliis quæratur, quidve sit, quod potissimum quæritur, & inquit S. Ambrosius epist. 10. *Qui per Dominum quærit, invenit: Laban, quia quærebat Idola, non invenit.* Invenit Regina Austri, quæ quamvis Ethnica rectæ voluntatis ductu è longinquis Regionibus veræ sapientiæ adipiscendæ causa profecta est. De qua Regina S. Paulinus sic refert epistola prima. *Barbara natione non animo, & in aperto peregrina, sed in occulto Judæa sanctorum fieri Civis optabat; unde non solum cœlesti præmio Resurrectionis beata, sed etiam potestate Apostolorum de Judæis adulteris judicandi, ipsius ore Judicis digna censetur, quia Christum in Salomone mirata, verum Reginæ cœlestis affectum in imagine mystica Ecclesiæ providentis impleverat.* Certè enim Christus ante suum adventum quibusdam etiam Ethnicis ipsam veritatem detegere dignatus est. ut de Job inquit Divus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei: *Divinitus provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad Hierusalem spiritualem.* At de Platone, & Pythagora quis nescit non Dei, sed suam ipsorum gloriam aucupatos, & multis etiam culpis fuisse obnoxios, adeo ut alter luxui, & libidinibus addictus, alter etiam magicas curiositates sectatus fuerit.

Id quæ causæ fuit, cur Justinus Martyr in Apologia 2. non Abrahamum solum, sed & Socratem, & Heraclitum Christianos iis verbis appellaverit: *Christum Primogenitum esse Dei edocti sumus, Verbumque, ac Rationem esse, cujus universum humanum genus est particeps, antea ostendimus, & quicunque ex præscripto rationis vixerunt, licet impii habiti sint, quemadmodum inter Græcos Socrates, & Heraclitus, atque iis similes; inter Barbaros vero Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misael, & Elias, & complures alii.* Quamobrem comprobatur, quod Justini mens in prædicta Apologia fuerit Dei Filium Verbum, ac Rationem rationis compotes fecisse homines: qui verò rationis ductu vitam innocenter transigerent, illud consequutos esse, ut Christiani fierent, hoc est eo fidei lumine afflarentur, ut Christum venturum crederent, sive illi ex Populo Dei peculiari fuerint, ut Abraham, aliique, sive ex Ethnicis, ut Socrates, qui ab iisdem Ethnicis impius habitus fuit, quia nimirum Deos respueret, quos ipsi colebant: qua potissimum de causa mortis sententiam subiit. Quanquam non sit in hoc ambigendum multo clarius Abrahamo Christum innotuisse, quam Socrati; quoniam ex Apostolo ad Ephesios 4. *Unicuique data est gloria secundum mensuram donationis Christi.* Et si Socrates verè ullam Christi cognitionem habuit, habuit illam ut loquitur Justinus involutam nimirum, & subobscuram; sed quæ eo tempore satis esse poterat ad salutem tribuendam.

At verò Divus Joannes Chrysostomus, homilia 38. in Matth. quamvis videatur docere Dei solius cognitionem necessariam tum temporis fuisse, dum inquit: *Poterant enim tunc homines etiam Christum non confessi salvari, non enim hoc ab illis petebatur, sed ut Idololatria abstinerent, unumque solum Deum cognoscerent:* Et subdit exemplum de Macchabæis, & tribus pueris, & de aliis apud Judæos, quos optimam vitæ rationem sequutos, ejusque cognitionis mensuram servasse, dum ait: *Ad consequendam enim salutem Deum solum nosse, tunc sat erat: nunc id non sufficit, sed & Christi cognitione opus est.* At profecto de notitia ad religionem profitendam necessaria loquitur Chrysostomus: nam Macchabæi ipsius quidem Christi venturi fidem habebant, ut sentit Nazianzenus, forsitan & Socrates, uti Justino videtur, illam tamen in adito cordis custodiebant: siquidem fides quæ corde concipitur, ex Apostolo ad Romanos 10. c. tanquam justificationis instrumentum necessaria semper est, at non semper, quæ ore emittitur fidei professio, sed tum demum cum res postulat. At priscis illis ante Evangelium temporibus, qui fidei possessionem edere adigebantur; sat erat; si unum se Deum credere faterentur; de Christo autem non opus erat quicquam proferre, nec credita sibi speciali privilegio mysteria profanis evulgare, qui nec illa intelligere ullatenus poterant. Itaque cum ait Chrysost. sat tunc fuisse solum Deum nosse, nunc verò etiam Christi notitia opus esse, intelligendus est de perspicua illa, & explicita notitia, quæ post Christi adventum ad ipsius confessionem requiritur. Quam ob rem fatendum est, eos omnes, qui sive apud Ethnicos, sive apud Judæos lumen ipsum non repulerunt, quo docentur rectam vivendi rationem, subsidium à summo Deo reportasse, ut Christum perfectè cognoscerent, ac demum per ipsum Christum ad immortalitatis præmia pervenirent. Hinc Dionysius

ſius Areopagita de cœleſti Hierarchia cap. 9. in fine inquit: *Omnes autem Angelos, qui ſingulis Gentibus præſint, ad illud ipſum principium, ut proprium eos, qui ultro, ac ſponte ſequantur, deducere.* Cum etenim intelligatur à Dionyſio Deus pro ipſo principio proprio, quæ proprietas non ad Iſraelitas ſolummodo, verum & ad Gentes pertinet, ut inquit Apoſtolus ad Romanos 3. c. *An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium*; & nominavit ſe Chriſtus Joan. 8. cum à Judæis interrogatus; *Tu quis es?* reſpondit *principium, qui loquor vobis.* Quapropter ea Dionyſii mens fuiſſe videtur, ut Tutelares Angeli gentes præcipuè edocerent Chriſti Incarnationem; hoc enim myſterium explicitè ſaltem Doctioribus etiam ante Evangelium credendum erat, ut iis ſalutis janua pateſceret, ex Divo Thoma 2. 2. quæſt. 2. artic. 7.

Advertendum inſuper, quemadmodum Judæis Prophetas ad Chriſti fidem aliqua ratione nunciandam, ita Gentibus ſuos Vates fuiſſe datos, tradit Auguſtinus epiſtola 49. ibi: *Ab initio Generis humani alias occultius, alias evidentius, ſicut congruere temporibus Divinitus viſum eſt; nec prophetari deſtitit, nec qui in eum crederent, defuerunt, ab Adam usque Moyſen, & in ipſo populo Iſrael, qui ſpeciali quodam myſterio Gens prophetica fuit, & in aliis Gentibus antequam veniſſet in carne.* Id verò muneris præcipuè inter Gentes habuerunt Sibyllæ, quemadmodum lib. 6. ſtromatum ſcribit Clemens Alexandrinus. Ac ſane cum libro primo idem aſſerat prolatum ab Heraclito fuiſſe, non humanitus, ſed divinitus potius apparuiſſe Sibyllas: ſupponendum eſt ſapientem illum virum nonnulla de Chriſto ab ipſis quoque Sibyllis elicuiſſe, iisque aſſenſum fidei præſtitiſſe: Ut propterea non immeritò Heraclitus inter eos à Juſtino Martyre collocetur, qui Chriſtianam fidem ante Chriſti adventum aliquatenus perceperunt. Quam fidem implicitam vocat ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. ibi: *Non fuerunt ſalvati absque fide mediatoris; quia & ſi non habuerunt fidem explicitam in Divina providentia, credentes Deum eſſe Liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus revelaſſet.*

Sed Heraclitus quamvis Sibyllino Vaticinio credidit, non tamen credidit Virgilius, qui Sibyllæ Cumeæ carmina tam apertè de Chriſto loquentia, & pertractavit, & alioſum detorſit, cum verſaretur uterque in tenebris Gentilitatis: Quia nimirum ut in Pſalm. 111. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*; Et Heraclitus recto tramite incedebat: Per devia Virgilius. Ille veram Philoſophiam amplexatus, unique Deo cultum exhibens, & vitiorum labes fugiebat, & virtutem ſectabatur: Hic verò Idololatriæ addictus, & à veritatis luce procul aberrans, ut propterea immunis non fuerit à maculis, exercens potiſſimum calamum commentitiis figmentis. Itaque, quod adeò perſpicuè de Filio Dei vaticinata fuerat Sibylla, ridiculè Maro ad Pollionis filium tranſtulit Ecloga 4. ibi.

Jam nova progenies cœlo demittitur alto?

Subſequitur modo diſcutere etiam locum Clementis Alexandrini, qui in libro ſtromatum Philoſophiam à Deo hominibus conceſſam voluit, nimirum rectè vivendi regulam, & ante Chriſti adventum fuiſſe hanc neceſſariam Gentibus ad Juſtitiam,

 quem-

quemadmodum lex Hebræos docebat, ut iis verbis potissimum. Ac sanè præter ea, quæ dicta sunt; illud Clemens voluit, Philosophiam quasi viam stravisse ad justificationem; cumque esset ex Dei dono piæ, atque innocentis vitæ norma: qui amplexatus illam fuisset, fidei lumen à clementissimo Justitiæ largitore consequebatur; inde justificatio; jactabant siquidem Judæi adeo suam legem, ut Ethnicos, qui eam non reciperent, ab æternæ vitæ consortio excludendos omnino crederent, quam opinionem evertere studet Apostolus ad Romanos cap. 2. ibi: *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ sunt legis, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Et hæc de Gentibus ante Christi adventum intelligenda esse Theologi censuerunt: & ex iis, quæ fuerit Clementis sententia, in aperto est maximè ex ejusdem sequentibus verbis: *Præparat itaque Philosophia, eum dirigens, qui à Christo perficitur.* Perspicuè indicans non à lege naturali, non à Philosophia, sed ab ipso tantummodo Christo perfectionem, sive eam justificationem provenire.

CAP. III.

De Matre Deorum.

Num. 16. HÆc una, teste Orpheo, est mater hominum, materque Deorum, & idem Orpheus Terram omnium matrem dixit, divitias, & opes largientem, vel quod remedia multis non modo pecorum, sed & hominum, inprimis puerorum morbis excogitarit. Servius Matrem Deum appellari putat, quod ipsa sit ex iis Diis, qui Cœli certas non habent sedes, sed ubique generatim ab omnibus coluntur. Magna Mater à Martiano confingitur Grandæva, corpulentaque Mater, quamvis fœcunda circumfusaque partubus, tamen floridam, discoloremque vestem herbida palla contexuerat, in qua totus Gemmarum, metallorumque census, atque omnium proventus, frugumque, & sationum larga admodum ubertate ferebantur; & idem subdit, quod qui Allium gustassent, arcebantur procul ab hujus Deæ templo.

Appellata est Maja, & Magna Mater, teste Macrobio à Magnitudine, ipsam enim arbitrati sunt tanquam Piam Matrem maxima sua ubertate cuncta nutrire, & suo gremio morientia suscipere. Item bona Dea, quod omnium nobis ad victum bonorum terra causa sit: & Faunia, quod omnibus animantibus faveat; & Ops quod ipsius ope vita nobis constet: Appellata est Cybeles à monte Cybelo, in quo à Mente Patre Phrygiæ Rege fuerat exposita: Dicta est Berecynthia, Idæa, Dyndimena, Ovid.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa Parentis erunt.

De hac eadem Plinius lib. 2. ait: *Sequitur terra, cui uni rerum naturæ partium eximiæ. Nos noscentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, & semper novissimè complexa gremio jam ab reliqua natura abdicatos, tum maxime ut Mater operiens.*

Et

Et de Tellure Dea sic etiam Statius in Thebaide:

- - - O Hominum, Divumque æterna Creatrix,
Quæ fluvios, sylvasque animarum semina mundi
Cuncta, Prometheasq; manus, Pyrrheaque saxa
Gignis, & impertis, quæ prima elementa dedisti,
Mutastique viros, quæ Pontum ambisque vehisque:
Te penes, & pecudum gens mitis, & ira ferarum,
Et volucrum requies, firmum, atque immobile mundi
Robur, & Occidui te velox machina cœli
Aere pendentem vacuo, te currus uterque
Circuit, ô rerum media, indivisaque magnis
Fratribus: ergo simul tot gentibus alma, tot altis
Urbibus, ac Populis subterque, & desuper una
Sufficis, &c.

Sanctus Augustinus lib. 7. de Civit. Dei cap. 24. Tellurem eadem dictam esse Magnam Matrem, ait, quod Tympanum habeat significari Orbem terræ: quod Turres in capite Oppida; quod sedes figatur circa eam, cum omnia moveantur, ipsam non moveri, quod Gallos huic Deæ ut servirent, fecerunt, significat eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere: Habebat enim Gallos Sacerdotes à Gallo Phrygiæ fluvio sic denominatos homines eviratos, qui cum furore Divino correpti erant insanientium more circumquaque cursitabant, capita assidua rotatione quatientes. Leonem adjungunt solutum, & mansuetum; ut ostendant nullum esse genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subjici cuique possit: vel forsan alludit ad regnum; Leo namque est aliorum animalium Rex; & sicuti subjectus est currui Deæ Opis, ita Principes, & Reges terræ, quamvis soluti sint naturæ legibus, tamen secundum leges debent & ipsi vivere, nec non ab ipsa terra necesse habent, ut sibi subministrentur opes. Addit Isidorus lib. 8. quod simulacrum ejus cum clave fingebatur, quia tellus clauditur in hyeme, & vere aperitur, ut fruges nascantur. Sed de iis vide Gyraldum, Phornutum, & alios.

Sanctus Augustinus lib. 7. cap. 26. de Civitate Dei, tractans de turpitudine sacrorum Matris Magnæ contra omnem virorum, & mulierum verecundiam, inquit: *Vicit Matris Magnæ omnes Deos filios, non numinis magnitudo, sed criminis.* Et latè prosequitur.

CAP. IV.

Jupiter.

Jupiter à principio Jovis appellatus est à Juvando, postea adjuncto altero vocabulo, dictus est Jupiter, quasi Jovis, sive Juvans Pater, sicuti Liber Pater, & Dis pater, Neptunus pater, Janus pater, Mars pater, pro quo & Marspiter dixere Antiqui, ut est auctor Gellius cap. 12. lib. 5. & è contrario dixere Vejovem Deum, cui nulla esset juvandi facultas.

Jupi-

Jupiter dicitur Genitor, & Rector, & eo nihil majus: Plaut. Most. scen. 1. act. 2. ait: *Jupiter supremus summis opibus, atque industriis Me periisse cupit.* Idem in Captiv. scen. 1. act. 4. *Jupiter supreme serva me, measque auget opes.* Dicitur quoque Jurantis, adjurantisque, Plaut. Men. scen. 2. act. 5. *Per Jovem, Deosque omnes adjuro.* Imprecantis Plaut. Most. *At te Jupiter, Diique omnes perdant.* Item bene optantis, idem in Most.

Ita ille faxit Jupiter.

Dicebatur Optimus Maximus, Cicero pro Domo sua. *Quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia Populus Rom. optimum, propter vim maximum appellavit.*

Fingunt Poëtæ Aquilam fulmen Jovi porrigere, quod hæc avis omnium altissimè subvolet, nec ictu fulminis lædatur. Dixere tamen Veteres: *Ne Jupiter quidem omnibus placet:* id est neque Jupiter ipse sibi pluat, sive non, unicuique placet, Theognis in sentent. Fuit quoque adagium *Procul à Jove, procul à fulmine*; nempe non esse cum præpotentibus agendum, qui nutu possint perdere, si quando libeat: maxime cum Regibus, atque Tyrannis.

Sunt alia infinita, quæ dici possent de Jove, de cujus cognominibus inquit Arnobius lib. 7. *Tot monstra, quot Jovis nomina*; ut est videre Rosinum Antiquit. Roman. lib. 2. cap. 5. ubi Paralipomena. Referam solum, quod de illo inquit Lactantius lib. 1. cap. 10. *Jupiter Deorum Pater, qui Optimus Maximus nominatur: nonne à prima sua pueritia impius, & penè parricida deprehenditur? cum Patrem Regno expulit, ac fugavit, nec expectavit mortem decrepiti senis cupiditate regnandi, & cum paternum regnum per vim, & arma cœpisset, bello est à Titanis lacessitus, quibus victis reliquam suam vitam in stupris, & adulteriis consumpsit; & Regium puerum rapuit ad stuprum: hæc qui fecerit, viderimus, an Maximus? certe Optimus non est, quod nomen à Corruptoribus, Adulteris, & Incestuosis abest.*

CAP. V.
De Marte & Venere.

Conjunxerunt veteres hos Deos, non quidem, quod conjuges essent, sed Amasii. Mars dictus inquit Varro, quod maribus in bello præest; & à Sabinis Mavors dictus, quod magna vertat, ex Servio. Hunc Romani summo cultu venerati sunt, quod existimarent Parentem ipsum fuisse Romuli: accedentem enim Martem ad Rheam Silviam Romuli matrem concubiturum cum ea, in nummis expressum videmus; sicuti etiam finxerunt Romani ex Venere, & Anchise natum Æneam; unde in nummis etiam expresserunt Mercurium deducentem Venerem ad Anchisen in Ida monte decumbentem, ut cum eo congrederetur.

Dictus fuit Gradivus à gradiendo in bella ultro citroque, sive à vibratione hastæ, ut inquit Festus. Hujus templum elegans, & magnum extra Urbem prope Portam in via Appia, quod à L. Corn. Sulla restitutum, ampliatumque, ac supra centum columnas positum, ferunt. Fuit aliud simile in Circo Flaminio, cujus meminit

minit Corn. Nepos, ſicuti etiam in Capitolio ædes Martis fuit à Tito Tatio vota, & extructa, cujus ſimulacrum Jovi Capitolino cedere noluiſſe, ab aliquibus proditur. Mars Ultor ab ulciſcendo dictus, huic templum in ſuo foro ſumptuoſiſſimum Auguſtus extruxit Bello Philippico, quod Patris ſui ulciſcendi cauſa ſuſceperat, refert Sueton. & Ovid. lib. 5. faſt. Dionyſ. lib. 54. cujus Icones in nummis conſpiciuntur.

Refert Lactantius lib. 1. cap. 10. quod *Mars homicida, & cædis crimine ab Athenienſibus ex gratia liberatus, ne videretur nimis ferus, & immanis, adulterium cum Venere commiſit.*

Venus enim cum Marte concubuit, Sol Vulcano prodidit, ille catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret, illa in doli vindictam, ut videbatur, legitimam quinque Solis filias, amoribus ſuccendit. De hoc adulterio. Ovid. lib. 2. de arte amandi, & lib. 4. Metamorph. & lib. 1. Amorum, Eleg. 1.

Mars quoque deprenſus fabrilia vincula ſenſit,
Notior in cœlo fabula nulla fuit.

Martialis lib. 5. epigramm. 7. ad Vulcanum:

Parce Pater, ſic Lemniacis laſciva catenis
Ignoſcat conjux, & patienter ames.

Fabulæ prædictæ de Adulterio Martis, & Veneris, data fuit occaſio, ſive quod indomita quæque ab Amore ſuperentur; ſive quod Martis Planeta cum Venere conjunctus benigniſſimus ſit, ut Mathematici docent; unde communi templo utrique Deo data Altaria. Claudianus Carm. de Magnete:

Mavors ſanguinea, qui cuſpide verberat Urbes,
Et Venus humanas, quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

Venus generationis, voluptatiſque, & formæ Dea à Gentilibus credita eſt; ideoque dicta Venus, quod per eam omnia proveniant ex Cicerone. Varro autem inquit: *Poetæ ſemen cœlo igneum cecidiſſe dicunt in mare, ac natam è ſpumis Venerem conjunctione ignis, & humoris, quam haberet vim ſignificantes.* De hac eadem vi generandi à Venere inquit Euripides apud Stobæum titulo 12. de Venere.

Quam magna vis ſit Veneris, an non vides?
Quanta illa quoque numen extendat ſuum,
Alit illa teque, meque, & omne hominum genus;
Cerne, amet ut imbrem terra, cum ſterili ſolum
Squallore lugens poſcit humectas opes.
Rurſum amat etiam æther ipſe, Venerisque impetu
Fœtos madoris explet in terram ſinus:
Quæ fœderata mutuis amplexibus,
Quod ubique rerum eſt, proferunt, ac nutriunt,
Hinc vita, viſque ſeculis mortalibus.

Plurimis cognominibus, & templis Venus honoratur, & inter hæc Calva nominatur ab eventu; ſic enim Lactantius lib. 1. cap. 10. inquit: *Urbe à Gallis occu-*

pata obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt, & refert etiam Vegetius lib. 4.

Erat etiam Veneris Libitinæ ærarium, quod Servius Tullius instituit, in quod pro defunctis certi pretii nummi inferrentur, Dionys. lib. 4. in hujus templo vendebantur ea, quæ ad funera pertinebant, cujus rei causam refert Plutarch. aut esse hoc unum de Numæ Regis sapienter institutis, quo discerent homines ab iis rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere: Aut voluisse Veteres ex hac ipsa re monere caducum esse, quod esset natum: una eademque Dea, & ortibus, & interitibus præsidente, Horat.

Magnaque pars mei vitabit Libitinam,

id est mortem.

Veneris Genitricis templum Julius Cæsar potitus victoria Pharsalica instituit; quia ab Julio Æneæ filio, Veneris nepote genus ducere videri volebat, eique spolia de hostibus dicavit: in hoc collocavit Augustus statuam æneam Cæsari Divo cum stella crinita supra caput ipsius fulgente, quia ejusmodi post mortem ejus stella visa est, de quo meminit Dio. lib. 43. Appianus lib. 2. de Bello Civil.

Plato in Symposio, inquit duas esse Veneres: alteram antiquiorem, & Matre carentem Cœli filiam, quam etiam Cœlestem cognominamus: alteram juniorem Jovis, & Dionis filiam, quam vulgarem vocamus. Marsilius Fic. in Platon. Conviv. orat. 2. cap. 7. ait. Venus duplex est: una est intelligentia illa, quam in mente Angelica posuimus: altera est vis generandi animæ mundi tributa: utraque sui similem comitem habet amorem, illa amore ingenito ad intelligendam Dei pulchritudinem rapitur, hæc amore suo ad procreandam eandem pulchritudinem in corporibus: illa Divinitatis fulgorem in se primum complectitur, deinde hunc in Venerem secundam traducit, hæc fulgoris illius scintillas in materiam mundi transfundit.

Sicuti prior amplectenda, ita posterior fugienda, & de hac posteriore Ficinus de vita produc. lib. 2. cap. 8. Venus senibus fugienda est, nam & juvenibus detrahit vitæ plurimum, & non consulit natis; sed nascituris, & etiam herbas statim producto semine siccat; de qua Virgilii Epigramma:

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum
Ne te muneribus lædat uterque suis.
Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines transiliisse nocet.

Post hæc scripta mense Maji præterito, refossum fuit ex ruderibus clivi Scauri insigne æreum simulacrum Veneris, quod hic effigiatum propono. Num. 17.

Posita est illa inter duas Columbas, quas esse in tutela ipsius Veneris fictum putant; quia fœtui semper indulgent, luxuriam inter se excitando, inquit Apollodorus, vel ex Athenæo Columbæ in Cypro (unde Venus magno Jove prosata) primum repertæ; & inde in alias Regiones translatæ, refert Pierius lib. 22. cap. 3.

Reperiuntur apud eandem Venerem duo Amores, quorum unus speculum, alter pharetram tenet, quæ propriè sunt Veneris, eorundemque Amorum symbola.

Nec

N°. 17. p. 66.



Nec unquam reperitur Venus sine Amore: Duos effigiatos Amores, alterum cœlestem, alterum vulgarem esse, ut Plato in symposio ait: *Venus non est sine Amore; & si una esset, unus esset Amor, cum vero duæ sint Veneres, duo quoque Amores sunt.* Hinc Proclus in hymno Veneris apud Stobæum titulo 63.

Arce animam probris, & honesti subjice flammas
Terrigenæ pellens furiatum viras Amoris.

Sub duobus prædictis Amoribus est Delphinus Neptuni symbolum, cum ille præsit Mari, Malleus Vulcani, Herculis Clava, Serpens Æsculapii, Fistula Panis, Apollinis Pharetra, Crotalum Cybelis, seu Bacchi, quæ, & similia non aliud indicare voluerunt, nisi esse Veneris, & Amoris triumphos, ac quantum illi in alios quoscunque Deos prævaleant, eosdemque sub juga sua mittant demonstratur, inquit Proclus in Veneris hymno:

Omnibus hic labor est Veneri servire parenti.

Hinc Sophocles apud Stobæum titulo 63.

Pueri Venus, quæ dicta non tantum est Venus,
Sed omnium una nominum vim possidet,
Eademque Dis est, visque non superabilis,
Eadem furor limphatus, eadem & merum
Amoris, eadem luctus.

At Euripides ubi supra:

Qui non Amoris Numen admirabile,
Supraque cunctos cœlites positum putat;
Aut stupidus ille, aut orbus experientia,
Ignorat, homini maximus quis sit Deus.

Sic etiam Antiphanes:

Equidem Cupido primus, & Cœlestium,
Cunctis superior, atque majoris pretii,
Nam nemo reperitur usque adeo tenax,
Adeoque duris, aut severis moribus,
Qui non suorum tribuat huic partem Deo.

Sophocles similiter in Phœdra:

Non in virorum sola Amor se pectora
Et fœminarum insinuat: ipsas quin Deum
Sollicitat animas, & ferum ponti gregem.
Nec ipse contra tendere Omnipotens Deum
Rex audet: ultro flexus Imperium subiit.

At quoniam finxere Poetæ, etiam ipsos Deos hac pice perniciosa infectos; si credere est peritis, non aliud remedium, quam fugam, proponit Ovidius 1. de Remed.

Me duce damnosas homines compescite curas.

Nec quicquam perniciosius mora, ut idem auctor sic refert:

Sed quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus assiduè, cras quoque fiet idem,
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.

Et in principio fugandus amor, ut idem epist. 16.

Dum novus est, cœpto potius pugnemus Amori,
Flamma recens parva sparsa recedit aqua.

Et idem lib. 1. de Remed.

Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente,
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

CAP. VI.
De Mercurio & Minerva.

VEteres hos conjunxere, non quidem conjugio, sed communitate studiorum. Mercurius à Latinis dictus quasi medius currens, quod sermo medius inter homines sit, cujus ipse Deus ab antiquis credebatur. Festus ait: Mercurium à mercibus dictum esse; hunc enim negociorum omnium Deum existimarunt. Glossator in Persium Satyr. 5. ait: *Ipsum Deum lucri dicunt; unde, & cum sacello pingitur, & à negociatoribus plurimum colitur.* Addit Isidor. lib. 8. ult. Ethymol. *Capite canino effingi solitum, quod canis sagacissimus sit animalium.* Fulgent. lib. 1. Mytholog. *Mercurium dici voluerunt, quasi mercium curam: Pennata talaria, quod negotiantium pedes, ubique peragendo, quasi pennati sint: Virgam serpentibus nexam, quod mercatoribus det aliquando Regnum, & sceptrum, & vulnus ut serpentium. Galero cooperto capite pingitur, quod omne negotium sit semper absconditum.*

Quod autem cum sacculo eum depinxerant; interpretor Marsupium è Zona pendulum recondendæ pecuniæ, sicuti etiam Sueton. in Vitell. cap. 16. *simul dilabentibus cunctis, Zona se aureorum plena circundedit, confugitque in cellulam Janitoris.*

Multa munia Mercurio tribuerunt, nempe, ut Deo sermonis; unde Internuntius Deorum existimatus, Mercatorum etiam Deus, qui pondera, mensuras, & quæstum ex mercatura facere instituerit, teste Diodoro: Litteras, Musicam, Palæstram, & Geometriam invenisse dicitur, refert Galenus Pergamenus.

Cyllenius dictus Mercurius, inquit Festus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat. Camillus idem dictus ab Hetruscis, quod esset Minister Deorum, Camillos enim ministros Deorum veteres appellabant. Communis Deus vocatur Mercurius; & cum quis in itinere quippiam invenisset, solebat præfari; *Communi Mercurio, qui rei inventæ conscius est; ut qui in viis versetur,* etenim solus Mercurius naturam cœlestium, terrestrium, & aeriorum habere judicatus est Horat. lib. 2. Ode 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis Deorum Gratus & imis.

Ni-

Nihilominus Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 10. de falsa Relig. de hoc ipso melius sentiens sic ait: *Mercurius Fur, ac nebulo, quid ad famam sui reliquit? nisi memoriam fraudum suarum; cœlo dignus, quia palæstram docuit, & lyram primus invenit.*

Cultus præcipua veneratione à Germanis antiquis Tacitus lib. 13. Annal. *Victores Hermonduris diversam aciem Marti, ac Mercurio sacravere.* idem de moribus German. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent.*

Apud Græcos & Romanos in compitis Civitatum statuas ei erigebant. Herodot. lib. 2. *Ut Mercurii statuam facerent porrecto cum feretro.* Plutarch. de præcept. Reipublicæ gerendæ: *Eam ob causam Mercurium seniores sine manibus, & pedibus rigente fascino fingunt; eo quod omnem rem sermone sine manibus conficiant.* Idem apud Macrob. lib. 1. saturnal. cap. 19. Vocatæ sunt hæ statuæ Hermæ: eo quod Latini Mercurium sermonis, & nunciorum Deum fecerunt. Hinc Alciatus Emblem. 98.

Ut sphæra Fortuna, Cubo sic insidet Hermes,
Artibus hic variis, casibus illa præest.
Adversus vim fortunæ est ars facta, sed artis
Cum fortuna mala est, sæpe requirit opem.

Festus Pomp. lib. 5. de hujusmodi statua. *Cyllenius Mercurius dictus est, quod omnem rem sermone sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent, Cyllenos vocant.*

Materia harum statuarum, vel lignum, vel marmor, ut ex Juvenale, vel Lapis, ut ex Heliodoro. Scholiastes ejusdem Juvenalis ad Satyr. 8. Hermes effigies æneæ, aut marmoreæ sine manibus, quales videmus in Circo, Hermes Athenienses ante Januas pro Religione positos habuere.

Plures fuere Mercurii, inter quos Trismegistus ab Ægyptiis in veneratione habitus.

Minervæ, sicuti & Mercurio erigebatur Ara communis; immò, & utrumque numen in eadem statua, quæ ob id Hermathea dicta est; ac si dicas Mercurio Minervam: Hanc in Academia suæ Villæ Tusculanæ posuit Cicero; ut, cum illa omnibus omnino Gymnasiis præesset, illic eloquentiæ parens, ac moderator doctrinæ esset. Turnebus lib. 8. cap. 14.

Bellis præerat Ovid. 5. Fast. *Ensibus exertis bellica letha Dea est.* Statius lib. 4. *Regina bellorum virago.*

Erat & Lanificiis præposita; Quam telam orditam esse, & colorasse perhibent, Ovid. 6. Metamorph. fabul. prima. Idem lib. 1. de Arte amandi.

Quid facis Æacide? non sunt tua munera lanæ?
Tu titulos alia Palladis arte pete.

Valerius Flaccus Argonaut. lib. 3.

Dat pietas auro, atque ardentes murice vestes,
Quas rapuit telis formosa vocantibus Austris
Hypsiphile.

Olivæ quoque inventricem, & fabricæ multarum artium repertricem; ideoque illi vulgo Opifices ſupplicant. Præterea, quia ſapientia in capite dicitur eſſe hominis, & Minerva de capite Jovis nata fingitur, ideoque ſenſus ſapientis, qui invenit omnia, in capite ſt.

Minerva, ut inquit Cicero, dicta eſt à minuendo, vel minando, quia prudentiæ Dea ſit, & Belli; Minervam vult Arnobius eſſe dictam, quaſi Meminervam, quia eadem ſit, quod memoria; & ideo de Capite Jovis nata fingitur. Pallas etiam dicitur, vel à Pallante Gigante occiſô, ut ſcribit Servius, vel quod in Pallante palude ſit orta.

Fuit à Pompejo Magno delubrum Minervæ conſecratum confecto Bello annorum 30. de quo Plinius lib. 7. cap. 26. in quo fuit etiam breviarium rerum geſtarum à Pompejo. Fuit in Urbe Roma Minervæ ſive Palladis Aventinæ templnm, de Ovid. 6. Faſt. & alii.

Cap. VII.

De Æſculapio.

Num. 15. Æſculapius non ſine flagitio Apollinis natus, non aliud divinis honoribus dignum fecit, niſi quod ſanavit Hyppolitum; mortem ſane habuit celebriorem, quia à Deo meruit fulminari. Hinc ſanctus Cyprianus de Idololatriæ vanitate, ait: *Æſculapius, ut in Deum ſurgat, fulminatur: Hercules, ut hominem exuat, oeteis ignibus concrematur.* Hunc Tarquinius de Illuſtribus viris ait incertis parentibus natum, expoſitum, & à venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didiciſſe Medicinam; fuiſſe autem Meſſenium, ſed Epidauri moratum.

Romæ coli cœpit, cum Q. Fabio, & Junio Bruto Scæva Coſs. ingens peſtilentia urbem & agros vaſtavit: Libri Sibyllini aditi quæſitum quisnam finis? aut quod remedium ejus mali à Diis daretur, inventumque in libris Æſculapium ab Epidauro Romam accerſendum, quod paulò poſt factum: Miſſi enim Legati Epidaurum, & ab incolis benigniſſimè accepti, & in Templum Æſculapii perducti; Anguem quem Epidauri pro Æſculapio coluerant, ſponte ad Romanorum Navem pergentem, Romam vexerunt; ibique Templo condito coluerunt; ſcribunt hiſtoriam Val. Maximus, prolixè Livius lib. 10. & Florus in epitom. lib. 11. Ovidius lib. 13. Metamorph. & alii.

Templum ei Romæ conditum in Inſula Tiberina; cujus rationem reddit Plutarchus problem. 94. quod ægroti à Medicis maximè ſuſtententur.

Refert Baronius in anno 145. & ibi Spondanus num. 6. & 7. tempore Antonini Pii, de Serpente tanquam Æſculapio palam expoſito, & oracula ejus nomine conficta per Alexandrum ex Schola Tyanæi Magum, & incantatorem; nec non ab eodem Serpente nomine Æſculapii facta Romæ miracula: & hæc omnes conſentiunt ejusdem generis fuiſſe cum illis, quæ olim à Veſpaſiano, & poſtea ab Hadriano facta fuere.

Venan-

Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, Cedrenus, Methaphrastes in Sylvestro, & alii, præter acta in aliquibus supradictis depravata referunt de Dracone in specu morante, & lethali halitu homines enecante, quem sanctus Pontifex Sylvester obsignatis januis æreis signo Crucis, quibus specus claudebatur, perpetuo ergastulo manciparit.

Hunc Draconem, seu Serpentem apud Romanos sacrosanctum fuisse testatur Plinius lib. 29. cap. 4. quem allatum ex Expidauro tot intercurrentibus sæculis suo tempore fuisse superstitem tradit; vulgoque in domibus pastum esse; ac nisi incendiis semina exusta fuissent, non potuissent fœcunditati serpentis resistere.

Sanè quidem ejus Colubri, quem Romani colerent, cellam fuisse ad extinctionem superstitionis obsignatam à sancto Sylvestro perfacile est creditu; cum posthac nulla penitus ejus extet memoria; nisi quod Gentiles Deo suo carere nolentes, quem fame extinctum nossent, ex ligno aliave materia alium fabricarunt, gladium ore gestantem, oculis rutilantibus gemmis metuendum, ac terribilem; eidemque pariter in spem collocato devotas Virgines floribus exornatas eo modo in sacrificium offerebant, quatenus inscias munera deferentes gradum scalæ, quo tegebatur fraus, contingentes, impetus venientis gladii perimeret, quod sic mansit usque ad Honorium Imperatorem; cum iterum per sanctum Monachum impostura detecta, ipsoque confracto serpente, caruere penitus superstitionis alumni Avito Deo: rem gestam sanctus Prosper de prædic. par. 3. quæ accidit Romæ suo tempore, narrat, de qua etiam Baronius anno 324. n. 97. & seq. & Spondanus anno 315. n. 8. & seq.

Post hæc à me scripta, cum Dominus Octavius Tronsarellus exhibuisset mihi è suo Musæo figuram Æsculapii ex albo marmore cubitali, quam hic delineatam apposui: voluit & ipse quoque Dominus Octavius, ut est ipse eruditissimus, & locupletissimus omnium antiquitatum, hæc infra notata supradictam Æsculapii figuram mihi consignare, quæ ad verbum extant transumpta.

Domini Octavii Tronsarelli in ejusdem Æsculapii figuram Enarratio.

Bonum omen: Æsculapium Medicinæ artis parentem, salutisque datorem in medium affero. Deus hic apud Ethnicos filius Apollinis fuit, qui & Asclepius in Homerico versu dicitur; quem apud Theodoricum Cirenensem Acciaiolus sic vertit: *Huic homini Pater est Asclepius, arte medendi clarus:* Omnes prægrandem illi appingunt Serpentem & hujusce rei causam, ut fabulosè, ita variè exponunt. Fertur quidam ex antiquis Sacerdotibus, ut ex Natali Comite Mytol. lib. 4. habemus, serpentem perexiguum in ovum vacuum corniculæ inclusisse, ceraque studiosè oblitum in luto, quodam in loco occultasse, mox ara instructa populum in concionem ad eum locum advocasse, cum nunciaret omnibus palam, se Deum esse ostensurum. Post concionem incognitis quibusdam vocibus usus, Apollinem & Æsculapium invocavit, ut dexter ac felix illi Civitati accederet; deinde phiala aquam hauriens in profundum demersa, ovum illud una cœpit, quod præsentibus multis fregit, pullumque recentem

centem ſerpentis inveniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſtea verò ſerpentem inſignis magnitudinis paucis diebus elapſis in loco ſubobſcuro oſtendens artificioſè ſe moventem, illud ita creviſſe ajebat, ac Deum eſſe Æſculapium Apollinis filium. Hic Apius ab initio dictus eſt, verum quia Aſclen quendam Epidauri Tyrannum ſanavit, utroque nomine conjuncto Æſculapius; & ab Homero, ſupra memini, Aſclepius appellatus eſt. Inde verò ſerpentes in ejus tutela crediti ſunt: eò interim virtus Æſculapii proceſſit, ut mortuos in lucem reddere poſſe crederetur. Glaucus interim Minois Cretæ Regis filius, cum murem inſequeretur, in dolium mellis cecidit, atque ibi ſuffocatus eſt; hunc ubi Pater Minos quæreret, neque uſpiam inveniret, Æſculapium precatus, ut filium in lucem redderet, vitæque reſtueret, cumque hoc illi fortè impoſſibile videretur, & hoc tam ingens opus aggredi renueret, à Minoe tandem carcere detentus, ſpeluncisque abditus, & vi coactus fuit. Hic dum maximo agitabatur dolore, nec ulla eſſet fugæ ratio, forte accidit, ut ſerpentem ante pedes ſeſe conglobantem viderit; & forte ſuæ vitæ inſidiantem noverit; hic baculo, quo cogitabundus innixus erat, ſerpentem enecavit, tum alter ſerpens ad mortuum ſocium illico accedens, herbam quandam attulit, qua tacta ſerpens ille revixit. Hanc herbam ſtatim Æſculapius Glauco impoſuit; & ita Regis filium in vitam revocavit. Hinc mos fuit Æſculapio baculum geſtandi, cui ſerpens intortis ſpiris circumvolutus eſſet, ut in plurimis hujusce Dei ſimulacris videre eſt; Verum ut in Pierio lib. 16. Hieroglyph. cap. 1. habemus, ipſe dicit fuiſſe ſtatuas Æſculapii, per cujus non baculum, ſed crura, & genua ſerpens flexuoſis voluminibus præſertim Romæ implicaretur, ſalubritatisque Deus hoc inſigni decoratus eſſet: Serpens enim quid eſt aliud, niſi ingenti numiſmatum teſtimonio Salutis ſymbolum, & Hieroglyphica nota: nam multa in humanum genus remedia ex ſerpentibus procedunt. Iſigonus apud Indos memorat, Cirnos centenis quadragenis annis vivere, quia viperinis carnibus aluntur; & Tertullianus inquit, tantam ineſſe Cervo vivacitatem, quippe quod ipſe ætatis ſuæ arbiter ſerpente paſtus, veneno augeſcit in juventutem.

Dextera Poculum tenet Æſculapius; ſic & Salus pateram porrigit: medicamentorum enim potionibus diluuntur morbi, infectisque membris ægritudo abſtergitur, & corporis vigor renovatur, pharmacisque vita conbibitur.

Porrò ad pedes hujus numinis bene ſeſe habet Aquila, & ægrotantium Deum comitatur; nam ipſa erga filios, ſi quando illis ægrotare contingat, magnæ ſedulitatis officio utitur, & cum ob ſtomachi debilitatem cibum concoquere nequeant, illa ſanguinem è præda exſuctum, oreque hauſtum ſuo in os pullorum immittit, levique ac digeſto facilè recreat cibo, qui fracti morbo difficillimum concoquere non valerent. Aquila magno aciei acumine oculos fixè in Solem erigit, lucisque æternæ radios haurit. Non tangitur fulmine, & quod templis non parcit, Aquilas veretur. Pauciſſimis morbis obnoxia eſt. Quin imo *animalium eſt valentiſſima*, ut inquit Aldrovand. lib. 1. Ornithol. de Aquila pag. 17. omniumque præterea avium (rejecto exploſoque fabuloſo Fœnice, quem ſexcentos & ſexaginta annos vivere vulgus nugatur) vivaciſſimam eſſe perſpectum eſt, mortisque larvas ac territamenta adeo abhorrens, ut

nec

nec ipsa cadaverum exanima corpora tangat, ut pag. 34. & 40. idem Aldrov. lib. 1. Ornithol. asserit. Immò ipse Aquilæ conspectus salutem nobis auspicatur: Nam Dejotaro regi omnia ferè auguria captanti, cum Aquila visa fuit, continuit se ab eo tecto, quod sequenti nocte concidisse refert Valer. Max. lib. 1. cap. 4. de Ominibus, & ita salutis nunciam periclitanti se fecit. Sic apud Plutarch. in Parallel. Helenam jamjam sacrificandam Aquila singulari beneficio à morte subripuit; parique modo Valeria Luparia virgo sacrificio sorte destinata ab hac ave liberatur. Ab eaque agricola præservatur apud Ælianum lib. 17. cap. 37. & non minus memorabili exemplo apud eundem lib. 12. cap. 21. ab Aquila infans, cui nomen postea Tilgamus impositum fuit, servatus est. Quin & ipsa, quanquam mortua, in usum medicinæ se valdè parat, ut latè habet idem Aldrovand. lib. 1. Ornithol. pag. 75. si fortè mori eam dicimus, de qua Psalm. 102. habemus: *Renovabitur ut Aquila juventus tua.* Quæ verba D. Hieron. ita dilucidat: *Aquilam, ubi senuerit, pennis supra modum gravari, ideoque fontem ab ea quæri, cujus aspergine pennas egerat, quibus levata calorem intra se colligit, sanarique tum primum oculos, mox ab immersatione in juventutem redire.* & S. Augustin. eodem in loco: *Impulsam naturæ vi collidere rostrum ad petram, cujus attritu excussa ea parte, quæ redundabat, ad cibum redire, atque ita ex eo senio reparari, ut omnino juvenescere videatur.* Hujus autem Aquilæ imago à dextero Æsculapii latere jure, hoc est feliciter, posita est. Xenophon. ita de Cyro Persarum Rege lib. 2. de Pœdia Cyri: *Aquila dextera apparens, itineris dux facta, Deos, Heroasque precati terram colentes Persidem, ut se propitii juvarent, ac mites, ita fines superarunt.* Et de eodem paulo ulterius hæc habet: *Aquila autem volans dextra leporem despiciens in fugientem irruit, & percussit; Augurium igitur Cyrus cum cœpisset, lætatus est, tum Jovem regem adoravit, dixitque ad præsentes. Venatio quidem pulchra est futura.*

In sinistra autem Æsculapii parte, Arietis caput flexis cornibus insculptum est, & aptè quidem Aries Æsculapio apponitur Symbolum conservatricis naturæ: Unde in nummo Gallieni Imperatoris Aries impressus cernitur, addita inscriptione; *Jovi Conservatori*; & in altero Saloninæ nummo Aries habetur cum his notis, *Ammoni Conservatori*, Ammon autem in Lybia erat Juppiter arietinis cornibus, qui laboranti, & sitienti exercitui amœnissimo fonte robur, & salutem attulit & (ut habemus in Laberio) quemadmodum Latini Jovem, sic Ægyptii Ammonem salutis Deum agnoverunt, colueruntque; unde apud eosdem Ægyptios in more positum fuit; cum se quisque invicem compellebat, Ammonis nomine salutem auspicari. Sic & Æsculapio salutis Deo Aries intortis cornibus merito apponitur: *Arietinæ quippe carnis & juniores minus humidi, minusque viscosi sunt, & caro Arietum Agninæ, & Ovillæ præfertur; si bene concoquantur laudabilem, & copiosum sanguinem generant, maxime castratorum; est enim calida, & humida temperatè, & eandem ob causam boni saporis.* Bellonius lib. 3. Observ. 46. & sic ægrotantium saluti maximè consulit. Addam etiam Arietis signum in cœlo expellendis malorum affectibus ineunte Vere ab omnibus observandum. Albumansor in suo introductorio lib. 2. cap. 5. *Calidum*

inquit temperatum est principium generationis, & motus animatorum; frigidum autem contra principium corruptionis, & diminutionis rerum; idcirco justè ab Ariete sumpsit Zodiacus principium; cum enim Sol Arietem perambulat, accedit tempus temperatè calidum, & incipiunt res generari, augmentari, & renovari. Ovidius primo Fastorum:

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.

Sic in nostro Æsculapio salutis Deo perspicimus prægrandem serpentem, qui illi membra circumligat; sinistra baculum, dextera poculum tenet, à dextra Aquilam, à sinistra Arietis Caput exsculptum habet; & non tam ægris, quàm eruditis se doctum ostendit.

Cap. VIII.
De Hercule.

Num. 19. HErculem Jovis, & Alcmenæ ajunt fuisse filium, qui ob fortitudinem, & gloriam Ethnicis creditus est inter Deos relatus: quamvis Cicero libro tertio de Natura Deorum sex memoret fuisse Hercules, tamen prædicto ex Almena, & Jove aliorum res præclare gestas communiter ascribunt. Herodotus inquit, Herculem unum ex duodecim Diis Ægyptiorum fuisse, Græcosque ab Ægyptiis hoc nomen mutuatos, indidisse filio Amphytrionis. Quo factum est, ut licet plurimi fuerint Hercules, qui variis temporibus floruerunt omnes heroica virtute, rerumque gestarum magnitudine insignes; tamen huic uni reliquorum omnium labores, & res strenuè gestæ tribuuntur, ut est videre apud Diodorum Siculum, & alios.

Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 9. de falsa Religione inquit de prædicto Hercule, qui ob virtutem clarissimus inter Deos habetur: Nonne orbem terræ, quem peragrasse, & expurgasse narratur, stupris, libidinibus, adulteriis inquinavit? Nec mirum cum adulterio esset genitus Alcmenæ. Quid tandem in eo potuit esse divini, qui suis ipse vitiis mancipatus, & mares, & fœminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affecit? sed nec illa quæ gessit, mirabilia talia judicanda sunt, ut virtutibus divinis tribuenda videantur: si Leonem, aprumque superavit, si aves sagittis dejecit, si equos feroces cum Dominis interemit, & similia: opera sunt hæc fortis viri, hominis tamen, & hæc quæ vicit fragilia, & mortalia fuere. At animam vincere, iracundiam cohibere fortissimi est, quæ ille nec fecit unquam, nec potuit: ex quo fit, ut ille solus Vir fortis debeat judicari, qui temperans est, & moderatus, & justus. Nam illud quidem nemo negabit, Herculem non tantum Euristheo servisse Regi, sed etiam impudicæ mulieri Omphalæ, quæ illum vestibus suis indutum sedere ad pedes suos jubebat, pensa facientem: detestabilis turpitudo, sed tanti erat voluptas. Navigavit ergo cum Argonautis, expugnavitque Trojam, ira percitus in Laomedontem ob negatam sibi pro filiæ salute mercedem. Idem furore, & insania percitus uxorem suam cum liberis interemit: Hunc homines Deum putant, sed Philo-

ctetes



No. 16. p:. 62.



No. 18.
pa: 70.

No. 19. p. 74.



4

ctetes ejus hæres non putavit, qui faces suppoſuit arſuro, qui arctus ejus & nervos cremari, & diſſolvi vidit, qui oſſa ejus, cineres in Oeta monte ſepelivit, pro quo munere ſagittas ejus accepit.

Sed quamvis Lactantius Herculem laſcivientem ſupponat, ut diximus nihilominus, quoniam ex mea antiqua metalli figura eundem Herculem hic effigiatum propoſui, qui ſiniſtra clavam erectam tenet, dextera verò pudenda comprimit: quaſi hoc nobis velit indicare, quod ipſemet dum ſiniſtra manu clavam erectam tenens fortia heroice gerit; dextera tamen, ut quid difficilius venereos appetitus cohibeat, ac refrænet. Pierius Valerianus hieroglyphicorum lib. 34. cap. 30. inquit cum Ægyptii ſacerdotes genitale viri manu cohibitum pingebant, hominis continentiam eo geſtu deſcribebant; hinc illud Virgilii ex Lactantio:

Vina ſitim ſedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines tranſiliiſſe nocet.

Hinc aliqui in hoc fortes fuere, qui potius excaſtrari voluerint, quam illicito coitu contaminari, de cujus facti fide quære Cyprianum, & Origenem. Præcipuum autem illud in Chriſtianorum inſtitutis præceptum ponit Euſebius: *Ventrem, quæque ſub ventre ſunt, coërcenda eſſe.* Sane Anacharſis Scytha, ut refert Laertius in ejus vita, convivio acceptus apud Solonem, ita mox decubuit compoſitus, ut una manu pudenda, altera verò os obſignaret, palma ad id appreſſa, daturus quippe per hujusmodi geſtum continentiæ, atque ſilentii monumenta: eam verò toto vitæ tempore continentiam à deliciis omnibus alienam ſequutus eſt Anacharſis: quare ſtatuis ejus inſcriptum erat, *Linguam, ventrem, mentulam compeſce:* nam ille nimirum ante omnes probus eſt, qui tribus his ſibi egregiè temperarit. Neque parvam hujus continentiæ laudem meruiſſe videtur Alexander Macedo, qui adhuc juveni, cum puella, noctis bona parte peracta deducta eſſet, ut cum eo dormiret, quærenti Regi tarditatis cauſam, reſpondit illa, expectaſſe ſe, donec maritus cubitum iret: commotus Alexander miniſtros acriter objurgavit inquiens: *Reducite hanc; parum enim abfuit, quin veſtra culpa factus fuerim adulter.* Qui & captivas Darii puellas quanta integritate ſervaverit, ignorat nemo: exempla hæc adoleſcens ætate fervidus, deliciis affluens, adulatoribus undique circumſeptus, ſponte præſtitit, ut nos qui monitis dubio procul ſanctioribus eruditi ſumus, aliquando cogeret erubeſcere.

CAP. IX.
De Baccho, ſeu Libero.

Liberi cognomentum Baccho impoſitum, quod Vindex, & aſſertor Libertatis, & à Civitatibus erecta illi in foro ſtatua colebatur; is enim liberas fecit Bœotiæ Civitates; & primus triumphavit Scholiaſt. Juvenalis ad ſatyr. 14.

Inter Deos antiquorum nullus eſt, quem tam diverſis nominibus antiquitas inſignierit: unde magnam partem eorundem cognominum complexus eſt Ovid. lib. 4. Metamorph. his verbis:

Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque Lyæum
Ignigenamque ſatumque iterum, ſolumque Bimatrem
Additur his Nyſeus, inde tonſusque Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis conſitor uvæ,
Nyctelinsque parens, Eleleusque & Iacchus, & Evan,
Et quæ præterea per Grajas plurima gentes
Nomina Liber habes.

Auſon. Epigramm. 28. & 29. & Elias Vinetus eleganter ibidem.

Orgya me Bacchum vocant.
Oſyrim Ægyptus putat.
Myſtæ Phanacem nominant.
Dionyſion Indi exiſtimant.
Romana ſacra liberum.
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus Pentheum.

Receptius tamen illi erat in ſacris Evius Virg. 7. Æneid.

Evoe Bacche fremens.

& Sidon. Apoll. Carm. 12.

Forte ſagittiferas Evan populatus Amyclas.

Vitifer, ſeu vini inventor Abbas Urſpergenſis in Chronico, *Hoc tempore Dionyſius, qui & Liber Pater vitem dicitur oſtendiſſe hoſpiti ſuo in Attica terra:* Tibull. lib. 2. Eleg. 3.

At tu Bacche tener jucundæ conſitor uvæ,
Tu quoque devotos Bacche relinque lacus.

Lactantius Firmianus lib. 1. de falſ. Relig. cap. 10. refert Liberum Patrem in ſenatu Deorum ſummæ fuiſſe auctoritatis; quia præter Jovem ſolus omnium triumphavit, exercitum duxit, Indos debellavit; ſed invictus ille Imperator Maximus ob amorem, & libidinem turpiſſimè victus eſt: nactus enim Diam, nactus eſt impudicam mulierem in littore, atque illam Patris proditricem, fratris interemptricem, ab alio relictam, & repudiatam, in conjugium ſibi vendicavit, & Liberam fecit, & cum ea pariter aſcendit in Cœlum. Neminem credo audiviſſe unquam obſcœnitatem ſimilem, quam de hoc non dicam Deo; ſed infami & ſpurciſſimo monſtro refert Arnobius circa medium 5. libri adverſus Gentes, ad quem remitto Lectorem, ne caſtas illius aures offendam.

Depingebatur Bacchus, refert Jul. Hygin. fabul. 225. *Pectore nudo, muliebri, capite cornuto, vitibusque coronato, Tigridi inequitans, manu dextera racemum portendebat, ſiniſtra poculum*, ut etiam ſcribit Phornutus de Nat. Deorum.

Poculum illud è cornu Bovis. Nonius Dionyſiacon lib. 12. *Et poculum curvum habuit bovis cornu.* Arnob. lib. 5. ad finem: *Mercurius Pinnatus, Æſculapius baculo Ceres Mammis cum grandibus, at in Liberi dextera pendens potorius cantharus.*

Tigri-

Tigridem ei ſacravit, quod feraciſſima quæque pectora vino domentur. Martialis lib. 8. Epigr. 26. Ovid. 1. Amor. Eleg. 2. & Silius Italicus lib. 17. belli Punic.

Qualis odoratis deſcendens Liber ab Indis
Egit pampineos frænata Tigride currus.

& Claudian. de 4. Honorii conſulatu,

Irent blandæ ſub vincula Tigres.

Thyrſum autem in ejus ſacrificiis receptum; id eſt Haſtam hedera involutam, quam exercitus ejus in India ad decipiendos rudes Indorum animos, belloque indomitos geſtavit. Virg. 6. Æneid. Tacitus 11. annal. de Agrippina loquens: *Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens.*

Sacra ejus, ſeu myſteria nocturna erant, & facibus accenſis per urbem diſcurrebant, crateres vino plenos ſtatuentes, neque quicquid turpitudinis, ſcelerumque vino, & nocte ſuadentibus omittebatur D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. cap. 13. & Prudentius lib. 1. in Symmachum.

Quod & ebria jam tunc
Ante oculos Regis Satyrorum inſania fecit;
Et feciſſe reor ſtimulis furialibus actas
Mænadas inflammante mero, in ſcelus omne rotatas.

Veteres, ut oſtenderent quantum Bacchi, Priapique Numina inter ſe conſentiant, immò potius unum amborum eſſe numen; in Bacchanalibus ex collo membri virilis figuram ſuſpenſam geſtabant: hanc phallum appellabant ex ficulneo ligno dolatum; ſed apud Suidam legitur ex Corio rubro, hanc imaginem olim impreſſam fuiſſe, quam inter Coxas ſuſpendebant, per Urbem diſcurſantes, cum Bacchanalia celebrarent. Cartarius de Diis antiquorum, ubi de Baccho & Priapo fol. mihi. 295.

In Ciſtis ſacra hæc condita erant, & ſingulis tribus annis excitabantur magno totius Græciæ concurſu Seneca in Hercule Oetæo act. 2. in Choro.

Nos Cadmæis orgya ferre
Tecum ſolitæ condita Ciſtis,
Cum jam pulſo ſidere brumæ
Tertia Soles evocat æſtas.

in quem locum multa congeſſit Antonius de Rio.

Ineunte igitur Vere Orgya celebrata noctu, unde & Bacchus Nyctelius dictus; Servius ad verſic. 302. Æneid. *Liberi ſacra tertio quoque anno innovabantur: ſane ſciendum Orgya apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos Ceremoniæ dicuntur; ſed jam abuſivè Sacra Liberi Orgya vocantur, vel à furore, vel à motibus nocturnis, quod nocte celebrarentur: unde & ipſa ſacra Nyctelia dicebantur, quæ Populus excluſit cauſa turpitudinis.* Hinc Ovid. lib. 1. de Arte amandi.

Nyctelium que Patrem, nocturnaque ſacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.

Lubet referre in propoſito ad cognitionem Antiquitatis extare hic in Agro Romano extra Portam Cœlimontanam, ſeu Lateranenſem Rudera quamvis à terra

elevata; tamen ab eadem terra desuper obruta, instar parvi Collis, ac etiam intus vacua ex fictili lapide satis eleganter constructa, & adhuc bene servata sub dominio Illustriss. & Reverendiss. D. M. Antonii Cuccini Episc. Anglonen. antiquitatum, ac diversarum scientiarum, eruditissimi; Ad locum prædictum memini cum ego adduxissem fel. record. Cardinalem à Balneo una cum Claudio Monneterio Antiquario Emin. Cardinalis. F. Barbarini; & cum ibi esset sermo inter illos de prædicto loco, dixerunt indubitanter, quod propter obscuritatem, ac etiam subtus terram tantam ædificii molem ad aliud non fuisse exstructam, quam ut in ea præfata Orgya, seu sacrificia in honorem Bacchi, seu Deorum Infernalium celebrarentur.

Hinc summo jure Bacchus, quamvis inter Deos Consentes ab omnibus cultus, tamen Scythæ non admiserunt Dionysiaca sacra. Quod *nefas ducerent Deum colere, qui ad insaniam adigeret.* Herodot. lib. 4. Roma etiam ejectus testimonio Tertulliani in Apologetico cap. 6. *Etiam circa Deos vestros; quæ perfectè decreverunt Patres vestri, idem vos obsequentissimi rescidistis: Liberum Patrem cum Mysteriis Consules, Senatus auctoritate, non modo Urbe, sed universa Italia eliminarunt.* Quæ ille hausit à Cicerone 2. de legibus: *Quid ergo aget Jacchus, Eumolpidæque nostri, & augusta illa Mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Romano, sed omnibus bonis, firmisque Populis leges damus.*

Esset hic etiam habendus sermo, quales Baccho fuerint Comites, seu Ministri; nempe Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Thiye, Mimallones, Naides, Tytiri, Nymphæ; sed de iis omnibus, & aliis similibus vide Rosinum antiquitatum Romanarum lib. 2. cap. 11. & alios.

Cap. X.
De Termino.

NUma Pompilius Romanorum Rex, cum publicum agrum Populi Romani, & Privatum certis limitibus, terminisque definivisset, Sacellum erexisse Termino Deo traditur in Colle Tarpejo, cui animatum nihil sacrificaretur, sed Liba tantum, pultes, & frugum primitiæ Dionysius Alicarn. lib. 2. Quod si quis occuluisset, aut transtulisset sacrum, eum esse Dei Lege reum statuit, ita ut volenti eum occidere tanquam sacrilegium, & securitas adesset, & pollutionis expiatio: Saxum verò fuit hic Deus, unde & termini agrorum publicorum, & privatorum tales fuerunt, licet, & postea stipes, & arbor, & tegula etiam pro termino posita.

D. August. lib. 4. de Civitate Dei, cap. 23. recitat fabulam, cum Rex, inquit Tarquinius Priscus Capitolium fabricare vellet, cumque locum, qui ei dignior, aptiorque videbatur à Diis alienis cerneret præoccupatum, non audens aliquid facere contra eorum arbitrium, & credens eos tanto numini, suoque Principi voluntate cessuros, quia multi erant illic, ubi Capitolium est, per augurium quæsivit, utrum cedere vellent Jovi, ac locum illum concedere? omnes cesserunt præter Martem, Juventam, & Terminum, atque ideo Capitolium sic constructum est, ut isti quoque intus

intus essent. Mars autem cedere noluit, nam bellorum viribus domituri erant Romani totum terrarum orbem, & spolia hostium in Martis honorem relaturi: Terminus verò & Juventas cedere noluerunt, quod Romani in omen traxere, fore ut nunquam termini urbis moverentur, nec unquam juvenilis vigor deesset. De Roma Martialium bellorum triumphatrice, hæc Virgil. lib. 6.

Super & Garamantas, & Indos
Proferet Imperium.

Et de termino, & juventa:

Imperium sine fine dedit.

Facto Jovis templo, foramen fuit relictum in tecto supra ipsum Terminum. Ut libero Cœlo terminus frueretur. Sed de iis, & aliis, vide Gyraldum de Diis Gentium, syntagm. 1. fol. 43. & syntagm. 17. fol. 527. ac etiam Rosinum antiquit. Roman. lib. 2. cap. 20. ubi Paralipomena.

CAP. XI.
De Sylvano.

ATtulimus hic tabulam effigiatam ex lapide albo duorum circiter palmorum, tum latitudinis, tum altitudinis, quam ego in meo Musæo libens detineo, Silvanum repræsentat, cui à priscis illis hunc fuisse pro voto dicatum constat ex ejusdem litteris in calce. Num. xx.

De hoc ipsomet Marmore meo meminit Grutherus in suis inscriptionibus his verbis:

Stat hic Silvanus inter Quercum, &
Palmam, altera manu falcem putatoriam
habens, altera ramum, cujus extremo
nescio, an Nux Pinea emineat.
A dextris, ad altare tibicen canit adstantibus duobus aliis;
A sinistris, duo idem adstant, quorum hic
nescio, quid vasculi utraque manu
capiti impositum sustentat: ille
Porcam ducit ad tergum vittatam.
Subscribitur.

SACRUM. SANCTO. SILVANO. AUG. VOTO.
SUSC. EX. VISU.

Reve-

Reverendissimus Jacobus Philippus Tomasinus Episcopus Æmoniensis in eruditissimo suo opere de Donariis hunc ipsum meum Silvanum concinne delineatum repræsentavit, & elogium de eo doctè composuit.

Silvani à silvis, ubi versabantur, denominati sunt. Silvanus Cyparissum puerum amasse perhibetur: Puer hic Cyparissus mansuetissimam Cervám habebat, quam cum Silvanus ignarus occidisset, puer est dolore extinctus, quem Deus amator in Cupressum arborem ejus nominis vertit. Et eam pro solatio portasse dicitur: hinc Poeta in Georg.

Et teneram ab radice ferens Silvane Cupressum.

Unde Silvanus in meo marmore habet Cupressum in manibus, & à dextra illius extet Cerva.

Hanc ita fabulam Servius in Georgicis. In Æneide verò super hos versus:

Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Arvorum, pecorumque Deo, lucumque, diemque.

Sic scribit: Publica Ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum, & agrorum Deum esse Silvanum, &c. Est apud Ælianum de Histor. animalium, Cratin Sybaritan concubuisse cum Capra, & inde natum puerum, qui Caprina haberet crura, & humanam faciem, qui fuerit in Deorum numerum relatus, & Silvanus Deus appellatus; Scribit de eodem Sylvano D. August. lib. 6. & lib. 15. de Civit. Dei.

Hunc Agricolæ, ut arvorum, & finium Dominum colebant; Cives ut Matronalis pudicitiæ insidiatorem, omnes vero ut conjugii conservatorem. Et latè Gyraldus in historia Deorum, syntagm. 15. Plura mihi essent dicenda, quæ ob reverentiam prædicti Reverendissimi Tomasini, qui doctissimè scripsit in meam figuram, missa facio.

Mos fuit apud antiquos Silvano apponere titulum Sancti; ita ut illi peculiaris sit, & Aldus Manutius Pauli filius in sua Orthographia quatuor recenseat Sylvani inscriptiones hoc titulo Sancti insignitas, quorum postrema mentionem facit Agricolæ Dei.

SILVANO SANCTO
SACRUM
M. FL. VALENS
MIL. COH. X. PR.
7. AGRICOL. VOT.
S. L. M.

cioè, solvit lubens meritò.

CAP.

N: 20



SACRVM SANCTO SILVANO AVG VOTO SVSC EX VI

Cap. XII.
De Priapo.

PRiapus Deus est naturalis membri, & sobolis, ac prolis. Diodorus Priapum Græci, Hircum Ægyptii propter eam corporis partem, à qua sit omnium ortus, inter Deos retulisse traduntur: Vel quia dictum animal post septimum diem ab ortu ad Coitum sit idoneus, ad quem semper sit paratus; Cartarius de Diis antiquorum, ubi de Baccho, & Priapo in fine fol. mihi 207.

Refert Servius, quod Priapus fuit è Civitate Lampsaco Hellesponti, è qua pulsus propter Virilis membri magnitudinem, postea in Deorum numerum receptus, meruit numen esse Hortorum, Virg. 4. Georg.

Et Custos furum, atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

De hoc etiam Horatius:

Nam fures dextra coercet,
Obscœnoque ruber porrectus ab Inguine Palus.

Phallus, ac etiam Ithyphallus vocatur, & feretrum significat, quæ è collo propendebant. Dio in sacris Ægyptiorum pudendum Osiridis Phallum vocavit; Et in ejus memoriam cubitales statuæ factæ eodem nomine dicebantur, quæ præcinente tibia circumferebantur; Item ponebatur Ithyphallus in hortis propter generationem, ubertatemque eorum; iis enim præesse dicitur propter fœcunditatem, cujus ipse symbolum putabatur. De quibus Gyraldus in historia Deorum de Priapo, syntagm. 8. Cartarius ubi supra. Hinc Columella in Carmine de Hortis:

- - - Sed truncum falce dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli,

Horatius in sermone de Priapo:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceret, ne Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido: Nam fures dextra coercet,
Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus.
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.

Phornutus Priapum Deum describit; & quid membri pudendi magnitudo significet? & cur sinum habeat omni genere fructuum refertum? cur Horti, & Vineæ Custos? quid falx in dextera? quæ omnia naturæ totius convenire ostendit. Num. 21.

Ego penes me habeo simulacrum Priapi antiquissimum ex lapide albo: complectitur utraque manu in sinu magnam copiam fructuum, immanissimum habet feretrum, ut inquit Virgil. in Copa:

Est tuguri Custos armatus falce saligne,
Sed non & vasto est inguine terribilis.

Quod autem est animadversione dignum induitur vestimentis hodie monachorum nempe Scapulari, Cucullo seu caputio, & patientia, ut ajunt, ac etiam caput rasum instar coronæ, seu tonsuræ.

Voluerunt aliqui hoc meum simulacrum effictum ab hæreticis in derisum Anachoretarum Ecclesiæ primitivæ: sed magis probabile est, quod cum Priapus sit Hortorum Deus, & soleat effigiari habitu Agricolarum, & rusticorum, ut ait Tibullus:

Agricolam proximus ante Deum.

Gyraldus d. syntagma 8. ubi plura in proposito.

At cum primi Anachoretæ intenderint assumere habitum vilissimorum hominum, ut sunt Rustici, & Agricolæ: propterea hoc vestimenti genus inter alia maximè abjectum, despiciendumque sumpserunt: siquidem Columella de re rustica describens habitum Rusticorum, seu Agricolarum sic ait: *Cultam, vestitamque familiam magis utiliter, quam delicatè habeat, munitam diligenter vento, pluviaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, & Sagis, aut Cucullis*: similiter Juvenalis *Contentusque illic Veneto, duroque Cucullo.* Ita quoque sanctus Præcursor Joannes indutus vestimento ex pilis Camelorum Zona cinctus pellicea, & cibans se locustis, & melle silvestri: Matth. 3. Marc. 1. Ejusmodi porro vitæ genere jecisse eum monasticæ vitæ fundamenta, ut post Chrysostomum, & Hieronymum tradit Baronius ann. 31. & ibidem Spondanus num. 6. Et Cassianus de institutis Cœnobitarum lib. 1. cap. 3. describens singula monachorum vestimenta sic ait: *Operimenta, quæ corpus operiant tantum, non quod amictus gloria blandiantur: ita utilia, ut nulla coloris, vel habitus novitate inter cæteros hujus propositi viros habeantur insignia: ita studiosis accurationibus aliena; ut nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolora; Postremo sic ab hujus mundi separentur ornatu, ut cultui servorum Dei in omnibus communia perseverent.*

CAP. XIII.

De Mutini, seu Priapi Idolo.

NUnc referam de Idolo Mutini, seu Priapi reperto, ut est traditio, in Monte Viminali ex ruderibus cujusdam templi Gentilitatis, quod sicuti credo fore offendiculum ingenuis, & castis viris; ita spero auctoritate sanctissimorum, & eruditissimorum virorum posse per illud confundi vanam superstitionem Gentilium, & obscœnam Idololatriam Hebræorum.

Apud Clarissimos Viros Dominos de Gottifredis, quorum magna est eruditio antiquitatum, ac copia veterum Numismatum raro similis apud alios, extat hic Romæ singulare Idolum ex marmore albo altitudinis trium circiter palmorum; Repræsentat membrum Virile erectum junctis pedibus; ut mos fuit apud Ethnicos illud effigiare; à tergo hujus Idoli est aliud quoque membrum virile erectum, sed hoc parvum non amplius parvi digiti, & supra hoc virile membrum parvum insidet puella nuda, quæ propria pudenda super parvum apponit.

Sup-


No: 21. pa: 81.
No: 23. pa: 87.
No: 24. pa: 88.
No: 25. pa: 88.
No: 26. pa: 89.
TI.CLAVDIVS CAESAR.AVG.
S C
No: 27. pa: 89.
IN. MVSEO. AVCTORIS. EX. MARMORE.
No: 28.
pa: 89.
IN MVSEO AVCTORIS EX TERRA SAMIA.
No: 29. pa: 90.
No: 30.
pa: 90.
No: 31. pa: 90.
No: 32. pa: 90.
POLYNICES. ASCANI D.I.F.
GLAPHYR. ANDRAE. M.I.F.
DEMETRIVS FA' DE' MI
DK IVII LLENTMMESCOS
VITREI. LACRIMATORII. FICTILES. OLLA CINERVM.
IN MVSEO AVCTORIS.

Supponitur communiter apud eruditos viros, quod antequam sponsæ jungerentur viris, inviserent templum Mutini, seu Priapi; & apponerent propria pudenda supra hoc Idolum magnum, sicuti expressum est in altero parvo Idolo à tergo.

Hoc nobis expresè demonstratur authoritate Arnobii lib. 4. adversus Gentes ibi: *Etiamne Mutinus, cujus immanibus pudendis, horrentique fascino vestras inequitare Matronas, & auspicabile ducitis, & optatis.* Lactantius Firmianus de falsa Religione, lib. 1. cap. 20. *& Mutinus, in cujus sinu pudendo Nubentes resident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibasse videatur.*

D. Augustinus de Civitate Dei, lib. 6. cap. 9. *Sed quid hoc dicam, cum ibi sit & Priapus nimium masculus, super cujus immanissimum & turpissimum fascinum sedere nova nupta jubebatur more honestissimo, & religiosissimo matronarum.* Et idem S. Augustinus lib. 7. cap. 24. ad finem eodem tract. de Civitate Dei.

Et hoc idem referunt Cartarius de Diis antiquorum, ubi de Baccho, & Priapo fol. mipi 296. ac etiam Brissonius de Ritu nupt. pag. penult. & Rosinus antiquitat. lib. 5. cap. 37. col. finali.

Nec multum ab iis abhorrebit, quod scribitur in proposito de Hebræorum Idololatria; & videtur hoc idem innuere Textus in sacra Scriptura, 3. Reg. c. 15. ubi habemus Macham Matrem ab Assa filio amotam, ne esset Princeps in sacris Priapi, cujus etiam specum subverterit, & confregerit simulacrum turpissimum, coram quo obscœna quæque impudentissimè exercebantur.

Præterea Card. Bellarminus in Psalmo 105. num. 28. super illa verba: *Initiati sunt Beelphegor:* refert historiam lib. Numeri, cap. 25. quod filii Israel decepti à filiabus Mohab, cœperunt fornicari cum eis, & colere Idolum earum dictum Beelphegor, ex quo iratus Deus jussit suspendi in patibulis omnes Principes populi.

Jo. Lorina, P. Societat. Jesu, in d. lib. Numeri, cap. 25. num. 3. fol. mihi 948. super illa verba: *Initiatus est Israël Beelphegor,* secundum expositionem Rabinorum inquit, quod filiæ Israel coibant quotidiè cum simulacro obscœnissimo in virilis membri similitudinem efficto: Ad quod adverte verbum illud, Initiari, quod juxta versionem Latinam idem est, ac sacrificare ex Tertulliano in Apolog. cap. 16. ibi: *Atque ita inde præsumptum nos quoque eidem simulacro initiari.* Et Minutius Felix in Octavio; *Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit de cæde Infantis, & sanguine.*

Circa figuram puellæ nudæ; quæ insidet prædicto membro virili parvo, dignum notatu est, quod Cingulum pectori ejusdem appositum; nominabatur Cestus sine diphthongo, quod sumitur pro Cingulo, & Zona virginea, quam maritus prima nocte dissolvebat; unde Cingulum Veneris, quo ipsa Martem, & Juno Jovem conciliabat. Martialis Epigramm. 13. lib. 6.

Ut Martis revocetur Amor, summique Tonantis,
A te Juno petit Ceston & ipsa Venus.

Unde Cestum Veneris habere dicuntur, qui novis modis quemlibet in Amorem sui pelliciunt. Item Cestus dicitur communiter Cingulum Sponsæ, quæ legitimè Matrimonium contrahebat, aliter tale conjugium nominabatur Incestus,

 cui

cui Cingulum illud justarum Nuptiarum non adhibetur, Papinianus in l. si adulterium, ff. ad l. Juliam de adult.

Cap. XIV.
De Symbolo Obſcœno.

OCcaſione prædictorum exponam quoque, quid velit denotare Symbolum, ſeu ſignum obſcœnum, nempe duo membra virilia inter ſe decuſſata: etenim cum annis præteritis eſſem in Regno Galliæ in Comitatu fel. record. Eminentiſſimi Cardinalis à Balneo apud Regem Chriſtianiſſimum tunc Nuntii, & tranſitum fecerimus per civitatem Nemauſi in Narbonenſi provincia, ibique admiraremur præclara antiquorum Romanorum ædificia, in quorum marmoribus ſæpius obſcœnum ſymbolum forma litteræ X, effigiatum extabat ſcalptum. Reverſus ego in Italiam cum divertiſſem in provinciam Latii apud Reverendiſſimum Alexandrum Vitricium Antiſtitem Civitatis Alattinæ, & cum ſit in omnibus ſcientiis ille verſatus, & maximè in eruditionibus antiquitatum, oſtendit mihi fortalitium antiquiſſimum ex marmoribus non uſitatæ magnitudinis, & in prædictis per multas vices ſimiliter ſcalpta prædicta eadem ſymbola, ſeu ſigna, ut in Civitate Nemauſi, & cum varius inter nos fuiſſet ſermo de explicatione eorundem; accidit, quod iis diebus fuit mihi dono datus liber tunc elaboratus, & in lucem proditus ab eruditiſſimo Domino Gabriele Naudeo Pariſienſi modo à Secretis, & Bibliothecario Eminentiſſimi Cardinalis Mazzarini, ex quo intellectum prædictorum percepi: ſiquidem de ſtudio militari tractans lib. 2. cap. 12. pag. 743. refert ex Herodot. lib. 2. quod Rex Seſoſtres in Urbibus, quas nullo negotio cœpiſſet, muliebria genitalia inſcalpere ſolitus, ut virilia in iis, in quibus ſibi cum viris rem fuiſſe exiſtimabat. Harum rerum imaginem Pierius Valerianus lib. 34. cap. 21. in fruſto antiqui marmoris forma acuminata, hieroglyphicisque referta ponit, & exponit: ibi enim viſitur Mutinus humanus medio poſitus loco; in ſuperiori parte habet Aquilam, & Arcum; in inferiori Cultrum, & Fulmen, ſymbola omnia fortitudinis, & ſtrenuitatis; in ultima verò marmoris parte ſcalpta eſt fœminea vulva, quæ cum ſit ſubjecta narratis hieroglyphicis membri virilis, nil aliud innuunt, niſi fortitudinem præeſſe inertiæ: unde in ejus extremitate, ſed fortè ab ipſo Valeriano appoſitum eſt dictum:

Vicit armis ſtrennos, vicit fama inertes.

Et ſic ipſe dicit, ubi in Columnis, & Obeliſcis virilia pudenda conſpexeris, bellicoſos, ſtrenuos, & magnanimos viros ſuperatos intelligas. Et Artemidorus de ſomniorum interpretatione, cap. 47. ſcribit pudendum ſimile eſſe robori, & corporis virilitati, quia & ipſum horum cauſa exiſtit: quapropter etiam Virilitas à quibusdam appellatur. Et ſic communiter, Virile accipitur pro forti, & magnanimo, & minimè effœminato. Terentius in Phorm. *Animo virili, præſentique ut ſis, para.* Cicer. 1. Offic. *Quod enim viriliter, animoque magno fit,* id

id dignum viro, & decorum videtur; ex quibus facile inferri potuit fortalitia prædicta tum Alatri, tum Nemausi expugnatu difficillima fuisse.

Cap. XV.

De Romanorum Ethnicorum Sacrificiis.

Ut aliquid de sacrificiis, quæ à superstitiosa Romanorum Gentilitate peragebantur dicamus, non erit absonum aliquid prius recensere de nomine, & origine eorundem. Deinde de Ritibus. Tertio de Vasis, quæ inserviebant. Et demum de Personis, quæ ministrabant. Num. 22.

Sacrificium, inquit Isidorus, est victima, & quæcunque in ara cremantur, seu ponuntur: Victima verò, ut idem ait, sunt sacrificia, quæ post victoriam devictis hostibus immolabantur; sic dictæ, quod vi ictus percussæ caderent, seu quod vinctæ ad aras ducerentur. Hostias vero dictas ab antiquo verbo Hostio, quod ferio significat. Ovid.

Hostibus à victis Hostia nomen habet.

Cæterum sacrificia hac ratione peragebantur, cum sacerdos victimam ad aram adduxisset, stans aram manu præhendebat, & preces fundebat primum Iano, & Vestæ, quæ in sacris præcipua Numina erant, ut per illos aditus ad cæteros pateret. Advocabatur Juppiter Pater Optimus Maximus; & omnes cæteri Patres nominabantur; Deinde ne quid prætereiretur, aut præposterè recitaretur, erant custodes dati, qui attenderent sedulò, alium favere linguis, & tibicinem canere, ne quid infaustum exaudiretur: sacrum ab Immolatione sacerdos inchoabat, fruges, aut molam salsam in caput Victimæ deponebat addito thure masculo: vocabatur Immolatio, quasi Molæ in caput victimæ collocatio; deinde vinum simpulo leviter delibabat; & idem postea aspergebat, ac in ignem projiciebat; tandem Victimam Diis oblatam jubebat jugulare Ministros, qui Victimarii, Popæ & Agones nuncupabantur; reliqui admotis vasculis cruorem excipiebant, victimam excoriabant, abluebant, & ignem accendebant: mox Aruspex, Flamen, & sacerdos viscera rimabatur, attentèque explorabant an perlitandum foret, & ex omni membro, seu viscere, Ministri partes decisas farina farris involvebant, quas sacerdos aris impositas foculo accenso comburebat: ubi quod Diis tributum erat conflagrasset, ad epulas ipsi, & convivia convertebantur. Inter vescendum Diis laudes canebant, & pedibus psallebant, & pulsatis cymbalis Choreas agebant. Atque hæc de sacrificiis in genere refert Rosinus antiquitat. Roman. lib. 3. cap. 33.

Usus autem Libationum in quocunque sacrorum genere fuit frequentissimus. Libare etenim est aliquid leviter degustare, quamvis aliqui putent hoc verbum dici à Libero Patre, qui primus tam vini, quam Libationum existimetur inventor, ut voluit Ovidius 3. Fastorum:

Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
Libaque quod sanctis pars detur inde focis.

Nullum itaque ſacrum fuit, cui vinum non adeſſet, & vino Genio ſupplicabatur, ait Perſius. *Funde merum Genio.* Et Horat. 3. Carmin.

Cras Genium mero curabis, & Porco bimeſtri.

Et idem in epiſt.

Floribus, & vino Genium memorem brevis horæ.

Vocabatur hic ritus vinum deguſtandi Libatio, ut expreſſum habemus in Deuteron. cap. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum Libaminum.* Et Chriſtus R. N. in nocte ante ſuam Paſſionem vinum in ſanguinem cum transſubſtantiaſſet, ex eo ipſe guſtavit, & ſtatim diſcipulis præbuit dicens: *Dividite inter vos, & bibite ex eo omnes:* ut ſacrificii rationem habuiſſe in ſacra illa inſtitutione probaretur.

Facta Libatione vinum aſpergebatur, hinc 4. Æneid. in ſacris Didonis.

Ipſa tenens dextra Pateram pulcherrima Dido
Candentis Vaccæ media inter cornua fudit.

Et Ovid. 1. Faſt. Vitem commiſeratur à capro corroſam, atque in illum aſſurgens Poeta ait:

Rode Caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Fundebatur pariter vinum foculo jam accenſo, Virgil. Georgic. 4.

Ter liquido ardentem perfudit nectare flammam,
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta relucet.

Et Ovidius lib. 5. Triſt. eleg. 6.

Da mihi thura puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.

Mactata hoſtia, membraque flammis impoſita in Deorum honorem cremanda vino ſimiliter tam exta, quam etiam femora aris impoſita perfundebantur, Homer. in Odyſſ. *Super autem femora vinum libavit.* & Macrob. lib. 7. ait: *Pari modo poſt ſolitos victus liborum, & pultium, hoſtiarumque cæſarum, quo putrefiat facilius, & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant ſe vino.*

Thuris, & vini meminit, Ovidius ſcribens ad Acontium:

Flava ſalutatis thura, merumque damus.

Ac etiam una cum frugibus in igne vina immiſſa, refert idem Ovid. 2. Faſt.

Inde ubi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva focos,
Vina tenent alii, libantur ſingula flammis,
Spectant, & linguis candida turba favet.

Quod verò ad numerum determinatum libabatur, & in ſacrificiis natalitiis toties vinum in altari ſuper ignem effundebatur, quot fuiſſent anni illius, pro quo ſacrum fiebat: Ovid. 3. Triſt. Eleg. 13.

Fumida cingatur florentibus ara coronis
Micaque ſolenni thuris in igne ſonet?

Libaque



Libaque dem pro te, genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas ore favente preces?

Habebant pro his Libationibus hæc signata verba:

MACTUS. HOC. VINO. INFERIO. ESTO.

Inferium vinum dictum, ne omne vinum in cellis religione obligatum videretur.

Vinum etiam sanguine commiscebant, ac eisdem aram deturpabant, ait Herodianus lib. 5. referens de Heliogabalo, quamobrem Statius lib. 6. Thebaid. ait:

Spumantesque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratissima Cymbia lactis.

Et nunquam Libationibus in Ethnicorum sacris finem fuisse irridens Arnobius lib. 6. ait: *Non cæsorum sanguinem animalium domus, non thura, non fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum infusionibus inferimus.* Nam sanguis vino admixtus facilius diluitur, magisque aptus ad effusiones, & aspersiones redditur.

Ethnici, qui sacros ritus ab institutis Mosaicis suffurari non sunt veriti; siquidem hæc eadem libamina habuisse Hebræos, pluribus in locis aperiunt nobis sacræ paginæ: & præter libationem, seu prægustationem, quæ præcedebat sacrificium, de qua diximus supra ex cap. 32. Deuter. *Et bibebant vinum Libaminum*, erat quoque altera Libatio per effusionem super Victimas, de qua habetur in Numeris, cap. 15. cum sit ibi lex generalis pro omni sacrificio his verbis: *Et vinum ad libamenta fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam*; quod etiam cap. 28. repetitur: *Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt.* Dicebantur autem libamenta tam prægustationes, quàm effusiones, quoniam uno eodemque vino utraque libamenta fiebant.

Quod verò attinet ad Vasa, quæ sacrificiis inserviebant, cujus fuerint formæ, satis difficile est illa investigare, nisi de iis ex nummis, lapidibus, & veterum monumentis lumen recipiamus.

Verum quia in plurimis marmoribus antiquitatis expressum habemus Vas, seu Urceolum hic præsignatum, & hunc fuisse Præfericulum ab Ethnicis sic nominatum, aliqui censuerunt. Sed ab hoc intellectu removet nos Festus Pauli, dum ait: *Præfericulum vas aneum sine ansa patens, summum velut pelvis, quo in Sacrificio Opis Consivæ utebantur.* Quod penitus contrarium est Iconi præsignatæ; si quidem vas illud ansa effectum visitur, ac etiam summitas Vasis non patens, sed satis arcta.

Num. 23.

Et cum de prædicta Scriptorum discordantia esset mihi sermo cum Clarissimo Viro Domino Francisco Angelono Numismatum, & totius antiquitatum suppellectilis eruditissimo; exhibuit ille mihi ex suo Musæo Vas æneum in summitate patens, cui supernè inest infixus discus concavus, ex metallo magni ponderis, ut ignem super illud appositum fuisse satis probabile sit in Sacrorum usum, sicuti in Ædibus Dominorum de Matthæis hic Romæ videmus antiquum marmor, in quo scalptus est sacerdos simile Vas habens in manibus, supra quod ignis ardet, & hunc fuisse antiquum Præfericulum, ad sacrificia supponit Dominus Angelonus, cui ego facile subscriberem.

Nisi

Nisi forte velimus dicere, Præfericulum fuisse Lucernam instar cymbæ potoriæ, seu Nucis Amygdalinæ; in qua ellychnium in medio statui possit: cum utraque extremitate sit angusta, in acutum tantisper desinens; cujus medium latius sese aperit: illiusque formam ex antiquis marmoribus hic effigiandam curavi; Quod ipse quoque Apulejus loquens de Antistite Sacrificiorum Isidis, explicuit. 11. Metamorph. his verbis: *Quorum primus Lucernam præmicantem, claro porrigebat lumine, non nostris consimile, quæ vespertinas illuminant epulas; sed aureum Cymbium in medio sui patore flammulam suscitans largiorem.* Etenim prædictæ Cymbæ, seu lucernæ optimè quadrare videtur diffinitio Præfericuli, de qua Festus, nempè quod sit vas æneum sine ansa patens velut pelvis, quo in sacrificio utebantur.

Num, 24. Verum præter istud Præfericulum excogitare oportet, qua forma essent alia sacrificiorum vasa; Nimirum quibus vinum prægustabatur ante sacrificium, & aliud quo illud inter victimæ cornua effundebatur, sicut & in aram, in ignem & per totum sacrificium.

Usos siquidem fuisse veteres in Libationibus sacrificiorum Simpulo, sive Simpuvio, quod in prægustationibus minutatim, & parum ex eo vini sumerent sacrificantes; & propterea Simpulum hoc vas appellatum, de quo M. Varro: *Quod vinum dabant, ut minutatim funderent, à Guttis Guttum appellarunt; & quo sumebant minutatim à sumendo simpulum nominavêre: hinc in sacrificiis remansit Guttum, & Simpulum.* Festus quoque Pauli de Simpulo dixit: *Vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ simpulatrices dicuntur,* ac etiam de iisdem Simpulis loquitur Plinius lib. 35. cap. 12. his verbis: *In sacris non murrhinis, crystallinisve sed fictilibus prælibabatur innocentius.* Loquitur enim ille de veteri Romanorum simplicitate, & paupertate, ex Apulejo Apol. 1. his verbis: *Paupertas Populo Romano Imperium à primordio fundavit, proque eo in hodiernum Diis immortalibus simpulo, & catino fictili sacrificat.* Hujus vasis inventum tradidit Numæ primus, post Romulum, Deorum cultu summè laudatus, cujus religionem irridens Juvenalis Sat. 6. dicebat:

Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum.

Num, 25. Simpuli forma ex communi consensu interpretum, tam Latinorum, quàm Rabinorum per medias quasdam fistulas significari dicitur, quod nimirum usus gratia medias fistulas dictione illa vasa haberent non solum à tergo, ubi manubrio satis longo fulciuntur uno altero majus, quod veluti quoddam canale excavatum habent; sed etiam in anteriori parte, unde liquor degustabatur, medio canale vas excavatur ad vinum fundendum, degustandum, atque libandum, sicque extra protenditur, ut ori cum adjungitur vini tantillum, exsorbere liceat, quod constat ex ejus forma hic apposita desumpta ex antiquis lapidibus, ac etiam ex nummis, quorum hic unum delineandum curavimus figura Claudii Imperatoris cum toga, & capite cooperto, ut mos erat sacrificantium, habentis dextera manu simpulum, ac si vellet incipere sacrificium, & de hoc numismate Dominus Franciscus Angelonus antiquitatum restaurator in sua Historia Augusta in Claudio num. 13.

Simpuli

Simpuli autem materiam diximus supra fuisse fictilem, nempe Luto Samio, quod est ex Insula Samo, & de hac eadem materia in rubeum colorem vertente, plurima ego servo vasa etiam ad veterum sacrificia, quod autem in talem usum inservisset Samium Lutum, Plautus in Captivis scen. 2. *Ad rem Divinam, quibus opus est, Samiis vasis*, & Cicero 6. pro Repub. ut citat Nonius: *Munera Pontificum Diis immortalibus grata sine Samio.* Num. 26.

Quamvis verbum Libare labiis leviter degustare significet, denotabat etiam effundere, siquidem vino utrumque fiebat; etenim ubi accubuissent ad mensam convivantes, aliquid Poculi Deorum in honorem, vel in terram, vel in ignem effusum fuisse legimus, ut apud Virgil. lib. 5. Æneid.

Dixit, & in mensa laticum libavit honores.

Et alibi:

In mensam læti libant, Divosque precantur.

Vel etiam in mari si navigarent:

Stans procul in puppi pateram tenet, extaque salsos
Porrigit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Hæc autem vascula sacrificiorum, quibus vinum etiam sanguine mixtum fundebatur in aris, sive solo, Pateræ dicebantur à portando, ut dicit Varro lib. 4. de lingua Latina his verbis: *Præterea in poculis erant Pateræ; eo quod pateant Latinè ita dictæ; fuisse etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando Deis, hoc poculo Magistratus dat Deo vinum, & sanguinem.* Inde Ovid. 4. Fast. inquit:

Cumque meri patera thuris acerra fuit,

& idem Metamorph. lib. 15.

Vinaque dat pateris, mactatarumque bidentum.

Quæ vasa labra minus extensa habebant, quorumque usum etiam in sacris ad vina fundenda Patellæ dicebantur ex Varrone loco citato sic ait: *Patina à patulo dixerunt, quod libarent in cænis patellas.* Cujusmodi patinæ, seu pateræ cum manubrio, quam ego inter mea cimelia servo, hic delineatam apposui, quamvis aliæ quoque essent pateræ absque manubrio, ut in hac effigiata ex ære figura, quam habeo cum aliis plurimis hujusmodi. Fuêre quoque alia vasa in sacrificiis ad effundendum vinum, vel sanguinem, ex quibus Guttus, ut inquit Varro lib. 4. de ling. Latina. *Quo vinum dabant, & cum minutatim funderent à Guttis Guttum appellarent.* Et paulò post: *In sacrificiis remansit Guttum, & Simpulum.* Illud verò inter Guttum, & simpulum discrimen in ipsis altaribus erat, quod ad libandum vinum Simpulum deserviebat; Guttus verò ad idem fundendum in sacris habebatur; Et de iis Guttis ex luto Samio ex meo musæo hic formam delineatam apposui. Num. 27. Num. 28.

Ex quibus Guttis, quoniam aliqui, ut in supra effigiato schemate, unde effundebant vinum, & liquorem, Leonis caput effigiatum habebant, Leunculos propterea appellatos; & sic forsan intelligitur sacer textus primo Paralipom. cap. 28. num. 17. his verbis: *Ad fuscinulas quoque & phialas & thuribula ex auro purissimo, & Leunculos*

culos aureos pro qualitate mensuræ pondus distribuit in Leunculum; *similiter & in Leones argenteos diversum argenti pondus separavit.* Ut sensus sit, quo I David unicuique Crateri tam argenteo quam aureo pondus tam auri quam argenti præscripserit; & ita intellexit Fr. Fortunatus Sacchus de sacris Eleocrismatibus mytothe. 2. Cap. 44.

Num. 29. Erant propterea alia multa instrumentorum genera, quæ sacrificiis inserviebant, nempe securis seu Secespita, qua Victima erat ferienda.

Vas aureum, argenteum, seu æreum Lustrali continendæ, quæ in sacrificia, & in circumstantes expiandis criminibus spargebatur (ut in hac apposita figura ex æneo vase antiquissimo in meo musæo quemadmodum nos Christiani Aqua benedicta ad eluendas leves animi sordes, locumque contagio malignorum Spirituum purgandum; & in sacris tum frequenter, tum efficaciter utimur; Ethnicis autem superstitio inanis & inefficax fuit, sicut & cæteræ religionis observantiæ.

Habebant quoque Ethnici in Sacrificiis Aspersorium seu Aspergillum, quo aquam Lustralem aspergebant.

Num. 30. Erat acerra, ubi servabantur Aromata, quibus abstergebatur fœtor carnium, quæ immolabantur.

Pileus quoque flaminis & Mitra summi Sacerdotis.

Aderant etiam Tripodes diversimodè elaborati, super quos accenso igne Sacrificia celebrabantur; ut in hac apposita figura, quorum prior flexilis extat in musæo celeberrimo Domini Francisci Gualdi Nobilis Ariminensis Equitis S. Stephani: alii vero duo extant in altero insigni musæo Domini Francisci Angeloni Antiquitatum restauratoris, de prædictis loquitur Virg.

Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.

Loquitur etiam Dionys. de arte Rhetor. cap. 1. de Panægyr. & Pausan. lib. 8. & 9.

Num. 31. Fuerunt quoque instrumenta quædam, quibus viscera animalium Aruspices, & Sacerdotes rimabantur, & explorabant; de quibus antiquissimis in meo musæo ex ære & ferro, hic delineatis est videre.

Fuerunt præterea varia vasa, quibus Popæ, & Victimarii utebantur ad excipiendum sanguinem ex mactatis victimis, ut in figuris appositis.

Inter cætera Sacrificiorum genera apud Ethnicos Romanos fuit satis frequens, quod *Sueovetaurila* nominarunt, toties fieri solitum, quoties Milites recensebantur & exercitus lustratio fiebat, docet Livius lib. 7. quod in Columna Trajani bis etiam expressum apparet, cum expeditio Belli Dacii ibidem repræsentetur.

Demum dicturus de Personis, quæ Sacrificio assistebant; erant Primo Sacerdotes laureati, ritu Gabino succincti, hymnos, lætumque Choro Pæana canentes, precesque aliquot sacrificio dicatas: Cinctus autem Gabinus vestimenti genus erat, quo sacerdotes cujusque Dei, ritus, & templi utebantur, quale Camisium lineum, candidum, quo nunc nos Christiani utimur ab Italis Cotta, & ab Hispanis Alva nominatum; & cum esset latum, adeoque oblongum, ut discinctum per solum traheretur;

jur; postea cinctum pendentem supra cingulum faciebat undique sinum, ut in Trajani Columna adhuc etiam videmus expressum; Qui ritus perhibetur fuisse Gabinus à Romanis usurpatus, ut Livius in 5. hist. Rom. & Virg. in 7. Æneid.

Insignis reserat stridentia lumina Consul
Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino.

& de iis Blondus lib. 1. Romæ triumphantis.

Adstabat Popa seminudus & succinctus minister Sacrorum, lauro redimitus qui victimas habebat, aris alligabat, feriebatque, ut refert Propert. lib. 4. *Succinctique, calent ad nova sacra Popæ*; quorum etiam meminit Suetonius in Caligula, & Spartianus in Geta. Limus, vestis qua Popæ utebantur victimas confecturi, ab umbilico ad medias usque tibias descendens, ut illorum pudenda tegerentur, habens in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam, unde & nomen accepit: nam limum obliquum dicimus; hujus generis vestis meminit Virg. lib. 12. Æneid.

Velati limo, & verbena tempora victi,

ubi Servius.

Victimarius Sacerdotum minister, qui victimas ligabat, deducebat, aquam, & molam parabat, & reliqua, quæ ad sacrificia erant necessaria, ut Valer. Max. lib. 1. cap. 1. & Livius lib. 40. meminerunt.

Erat præterea Puer ingenuus Vitta tempora redimitus Camillus dictus, Pontificis Maximi Sacrificio ministrans, urceolum dextera ferens; ex quo vinum, vel liquorem in Pateram Sacrificantis infundat: antiqui namque Camillos, & Camillas vocabant ministros, & ministras impuberes Sacrificiis inservientes; Romulus enim instituit, ut qui sine liberis essent, gratissimos sibi ex omnibus singulos pueros, & puellas ex singulis curiis eligerent, qui ad pubertatem usque ministrarent, puellæ verò quoad essent nubiles: More ex Græcia translato; coronis autem interim dum sacrificarent, vel vittis essent redimiti, Camillique ejusmodi pueri ingenui vocarentur, cujus rei auctore sunt Dionysius Halicarn. lib. 2. & Sext. Pompejus. Panuinus de Fastis & in 2. de Rep.

Summus Sacerdos, & hic potissimum erat Imperator, veste linea candida indutus usque ad talos demissa velato capite (ne quicquam videret, aut audiret inter sacrificandum triste, vel indecens,) super ara lapidea in usum sacrificandi constructa, igne superaccenso, flores Odores, & præcoces fructus, myrrham, casiam, thus, & crocum Diis adolet; è patera vinum, vel liquorem alium superinfundens, aut certè sanguinem mactatæ victimæ, quod Cicero in Paradoxis, & Macrob. in Saturn. prodidêre.

Tibicines interim, dum Sacrificium perficitur, tubis clangebant: tuba autem instrumentum est ex ære, vel argento cavum, & rectum, cujus sonitus in castris, & prœliis, & sacris etiam maxime in usu erat. Tuba autem quæ directa est, ita appellatur, sicut Buccina, quæ in semetipsam æreo circulo flectitur.

Enarratio figuræ Sacrificii.

DUm hæc scriberem, Clarissimus Eques D. Cassianus à Puteo vir inter cætera animi, insignisque nobilitatis ornamenta, cum ditissimæ, & lectissimæ Bibliothecæ, tum selectissimi antiquitatum musæi, & singulari quadam, ad eruditos demerendos, benefica suavitate conditus; ipse inquam mihi dono dedit figuram antiquissimi marmoris, quam hic delineandam curavi: Solenne sacrificium repræsentat, in quo primum tres deferunt canistrum ad panes, & carnes, seu alia sacrificii necessaria: sequuntur quatuor Tibicines coronati; sicuti & alii quinque juvenes cum galeis & scutis: præterea sex alii juvenes seu Camilli sacrificio ministrantes satis concinne induti ferentes duo magna candelabra ad suffumigandum odoramenta sacrificii: subsequuntur alii duo, quorum alter juvenis distentis buccis geminam tibiam inflat; alter autem grandioris ætatis plectrum sonat, ne quid infaustum in sacrificio exaudiretur: sunt præterea alii tres, qui arborem, seu longum lignum portant: subsequuntur alii duo senes cum fascibus, & securibus: Tres autem adsistunt Popæ, quorum unus cum acerra defert ollam magnam ad coquendas carnes sacrificii, & alii duo tenent Bovem mactandum; ex his unus fert supra caput cistam repletam cultris ad sacrificium necessariis: demum extat sacerdos capite cooperto supra flexilem tripodem sacrificans.

Crederem hoc sacrificium pro solutione voti peractum à Consule reverso è bello hostibus devictis; nam præter habitum consularem ipsius sacrificantis, ut in numismatibus etiam sacrificantium Imperatorum videmus, adsunt Lictores cum fascibus, & securibus: Quod autem sacrificium sit pro voto solvendo è consequuta victoria, patet; quod ferè omnes adstantes sunt coronati; sicuti, quod plures milites cum galeis, & scutis interveniunt; ac etiam plerique omnes cum calceamentis militaribus & similibus.

Cui autem Deo fiat sacrificium, si divinari fas est, crederem forsan Apollini, cum plectrum præcedat sacrificium; ac etiam quod supra tripodem illud peragatur, quæ duo propriè Apollini dicata sunt.

Remanet sola difficultas de longo illo ligno, quod etiam antecedit sacrificium, & in hoc ego hæreo, nisi velimus forsan asserere hoc symbolum, seu indicium esse vi expugnatæ Urbis ligno oblongo instar Arietis, ut videtur annuere Salmasius in suis Notis Ælii Spartiani ad vitam Antonini Caracallæ num. 15. pag. 166. Lignum à prædictis delatum significare materiam ad bellicas machinas allatum, quamvis idem Salmasius videatur postea firmare, quod illi dictum lignum ferentes Dendrophori nominentur, & in honorem Bacchi, & Silvani id faciant; quod non omnino tutum, nec ego illi adscriberem, quoniam auctoritates, quas ille adducit Artemidori, Virgilii & similium, loquuntur, quod Dendrophori in sacrificiis Bacchi, & Silvani ferrent ramusculos Hederæ, seu vitium: At lignum nostri sacrificii est satis grande à tribus viris delatum, quod nil commune habet cum prædictis ramusculis; ac etiam nostrum sacrificium apparet solenne esse secundum morem

Roma-

Romanorum, nec in eo minimum indicium constare de ritibus Bacchi, aut de hostiis Silvani.

Cap. XVI.
De Virginibus Vestalibus.

VEstales dicebantur, quæ sacra curarent, & ignem sacrum: est enim Vestæ nomen, ab Hebraico vocabulo *Haes* deductum; quod ignem significat, ut sentit Berosus lib. de Cognominibus: *Estam, id est, ignem post mortem cognominarunt: quia ipsa Regina sacrorum fuerat, & puellas docuerat sempiternum ignem sacrorum inextinctum servare.*

Virginem dicebant Vestam, quia incorruptus ignis est, & nullius rei generationem in se admittit; quam ob rem à Virginibus ignis iste summa religione, atque cultu custodiebatur, ut etiam refert Ovid. 6. Fastor.

Nec tu aliud Vestam, quam puram intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis habet.

Instituta Vestales.

De prima apud Romanos institutione non admodum inter Scriptores convenit: Troja siquidem sacrum hunc ignem advectum cum Palladio, Diisque penatibus arbitrabantur Romani Æneæ pietate, quod etiam Virgil. lib. 2. Æneid. insinuat Hectore Æneam in somniis admonente, ut una cum Penatibus sacrum hunc ignem asportaret, quò novæ sibi sedes quærendæ, ac figendæ forent, ubi sic ait:

Sacra, suosque tibi commendat Troja Penates,
Hos cape farorum comites, his mœnia quære;
Magna pererrato statues quæ denique ponto,
Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Æneas siquidem, postquam Vestæ sacra cum Penatibus, & Palladio ex urbe Troja in Latium tulit, condito Lavinio, Vestæ ibi ædem sacravit, cui deinde etiam Ascanius condita Alba longa templum in Monte Albano extruxit: tum vero Rhea Silva Romuli Mater à Numitore Patruo Vestalis Virgo creata fuit, quam ob rem in penetralibus Vestæ ea omnia cum sacro igne asservabantur. Plutarch. in Camillo, Strabo lib. 6. Alex. ab Alexand. lib. 5. cap. 12.

In penetralibus, sacroque recessu templi Vestalis, veluti in sanctiori aditu, solis Vestalibus, Pontificique introire fas erat: Pontifici, inquam, non Maximo, sed Pontifici Vestali, de quo Symmach. lib. 2. Ep. 36. & Guth. lib. 1. de Vet. Jur. Pontific. cap. 5.

Non solum Lanuvium, Albam, & Romam Vestales habuere, verum & Tibur, ac alias Regiones, meminit etiam Guth. dicto cap. 5.

A Numa autem Romæ institutas fuisse Vestales, testis est Dionys. Alicarn. his verbis: *Romulus nullas Virgines Vestæ sacerdotes instituit, memor fortasse maternæ dedecoris, quæ inter illius ministeria virginitatem amiserat: haudquaquam idoneus futurus juxta leges patrias, si quam fraudasse pudorem deprehendisset, ne sibimet refricaret probrum domesticum.* Hæc ille, quem sequuti, dicemus, à Numa Pompilio primum Romæ institutas. Quod earum officium, quævc dignitas foret, eundem Dionysium audiamus sic loquentem: *Quinto loco erant Virgines ignis sacri custodes, quas illi à sua Dea Vestales nominant, cui Rex hic primum templum sacravit, & cultrices Virgines.* Et paulo post: *Virgines quæ Deæ sacris operabantur quatuor erant ab initio, & jus optandi eas penes Reges esse Numa voluit; postea propter sacrificiorum multitudinem ad senarium numerum auctæ à Tarquinio Prisco; hodieque permanent degentes in Deæ fano, à cujus aditu nemo arcetur interdiu, sed pernoctare intus fas est viro nemini: Has per XXX. annos manere puras à nuptiis necesse est, sacrario servientes; & primo decennio rationem sacrorum eas oportebat discere, secundo exercere, tertio docere alias: Post exactum annum trigesimum nihil vetabat eas positis coronis, reliquisque insignibus sacerdotii, cui vellent nubere: fecerunt id paucæ aliquot, sed parum læto vitæ exitu, & ominoso apud cæteros.* Hactenus Dionysius.

Nuptæ. Quod autem post trigesimum annum nil vetabat, Vestales nubere, D. Ambros. lib. I. de Virginibus ait: *Quis mihi prætendit Vestæ Virgines, & Palladis sacerdotes? qualis est ista non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? petulantior est talis integritas, cujus corruptela senior servatur ætati. Ipsi docent Virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui Virginitati finem dederunt. Qualis autem est Religio, ubi pudicæ adolescentes jubentur esse impudicæ anus? sed nec illa pudica est, quæ lege tenetur, & illa impudica quæ lege dimittitur. O Mysteria, ò mores, ubi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur.*

Ignis. Perpetuus æternusque ignis in templo Vestæ, tanquam Imperii certissimum pignus asservabatur. Val. Max. lib. 5. cap. 4. tit. 6. Livius prima Decad. lib. 5. ait: *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod Imperii pignus, custodia ejus templi tenetur.* Id in Decad. 3. lib. 6. *Vestæ ædem petitam, & æternos ignes.* Hunc ignem Vestales custodiebant, de quibus Ovid. Eleg. 2. lib. 4. Trist.

- - Castos - - - Perpetua servant virginitate focos.

Nec illum in altaribus, sed suspensum in vasculis quibusdam fictilibus refert Val. Max. lib. 4. cap. 4. in fin. *Namque per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiam nunc vasis contentos juro.* Tantum fiduciæ in hoc igne erat, ut oportuerit eum nunquam extingui. Ovid. 6. Fast. *Ignis inextinctus templo celatur in illo.* Et nunquam sine prodigio credebatur extingui, quod contigit ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæsarem, & Pompejum arma præter historicos, Lucanus Lib. I.

- - - Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectos flamma Latinos
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit.

Quod

Quod ubi contigerat, Virgo, cujus incuria id evenisset, à Pontifice severè plectebatur. Val. Max. lib. 1. cap. 1. tit. 7. *Licinio Pontifici Maximo Virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoneretur:* Atque etiam si non fuisset extinctus, accedebatur tamen quotannis Calendis Martiis, & renovabatur Ignis, quem asservabant in aperto non autem sub tecto, ostendit Janus Parrhasius, Epist. 57. & Ovid. 3. Fast:

> *Adde quod arcana fieri novus ignis in æde*
> *Dicitur, & vires flamma refecta capit.*

Et Manilius lib. 4. astromicorum:

> *Vesta tuos, Capricorne, foves penetralibus ignes.*

Vestales, cum atrio excedebant, matronarum custodiæ mandabantur Plinius Jun. Ep. 19. lib. 7. *Angit me Fanniæ valetudo, contraxit hanc, dum assidet Juniæ Virgini Vestali, sponte primum; deinde etiam ex auctoritate Pontificum; nam Virgines cum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ, custodiæque mandantur, quo munere Fannia, dum sedulo fungitur, hoc discrimine implicata est.* Quod etiam animadvertit Cœlius Rhodig. antiquar. lection. lib. 15. cap. 14. *Atrio excedentes.*

Magna erat penes Virgines Vestales auctoritas. Suetonius in Vitell. cap. 16. ait: *Suasit Senatui, ut legatos cum Virginibus Vestalibus mitterent, Pacem aut certe tempus ad consultandum petituros.* Adde & Vibidiæ Vestalis precibus Messalinam tentasse veniam à Claudio Principe marito consequi; ut refert Tacitus. 11. annal. similiter Cicero orat. 2. Agrar. ait: *Si quicquam deliquero, nullæ sunt Virgines, quæ me à vobis deprecentur.* *Auctoritas.*

Testamenta penes eas erant asservata. Sueton. in Cæsare cap. 83. ait: *Testamentum, cujus aperitur, recitaturque in Antonii domo, quod idibus Septembribus proximis in Lavicano suo fecerat, demandaveratque Virgini Vestali Maximæ:* ubi notandum unam inter eas auctoritate præcipuam, quæ Maxima dicebatur, ut etiam Sueton. in Domitiano Cap. 3. *Corneliam Virginem maximam vocat.* Sed nemo melius prærogativas expressit quam Seneca lib. 6. Controvers. 8. *Tibi Vestali virginis magistratus fasces suos submittunt, tibi Consules, Prætoresque via cedunt, nunquid exigua mercede virgo es? Sacerdos raro juret, nec unquam nisi per Vestam suam moriar, nunquid de nuptiis appellata es?* Item Carpentis, seu pilentis, ut alias matronarum vectas, ex Sueton. in Tiberio cap. 2. *Testamenta.*

Honores redditi illis fuerunt, ut etiam vivo Patre testamentum condere, ac cætera gerere sine Curatore possent, quemadmodum & trium filiorum Matres; Ut cum fascibus, si prodirent, deducerentur; & si casu in quemquam incidissent, qui ad mortem duceretur, necari eum non licebat; verum dejerare Virginem oportebat, se forte non autem dedita opera, & de industria obviam factam, referunt Plutarch. & Plinius. *Honores.*

Ornatus seu vestitus earum Suffibulum appellabatur. Fest. Pomp. lib. 17. ait: *Suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant; idque fibula comprehendebatur.* Vittas capitis *Ornatus.*

pitis

pitis ornamenta, ut aliæ matronæ gestabant. D. Ambros. ad Valentinianum. *Vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus, quem infula vittati capitis &c.* Ovid. 3. Fastor. *Decidit ante acros lanea vitta focos,* & 3. Fastorum: *Nulloque dicetur vittas temerasse Sacerdos.* Nec Vestales modo Vittas, sed etiam aliæ sacerdotes. Tacitus 1. Annal. *Sacerdos apud aram Ubiorum ruperat vittas.*

Pœna incestus. Sed, ut magnus eis honor est habitus; ita & delinquentes gravissimis afficiebantur suppliciis, Vetus Scholiast. Juvenal. ad Satyr. 4. *Hæc virginibus Vestæ pœna fuit decreta, si vitiatæ fuissent, vivæ in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.* Plinius lib. 4. Ep. 11. *Fremebat Domitianus, æstuabatque ingenti invidia destitutus, nam cum Corneliam Maximillam Vestalem defodere vivam concupisset, ut qui illustrari sæculum suum hujusmodi exemplo arbitraretur, Pontificis maximi jure, seu potius immanitate Tyranni, licentia Domini, reliquos Pontifices non in Regiam, sed in Albanam suam convocavit.* Et Symmachus Ep. 120. lib. 9. rescribit, quod incestum Primogeniæ Vestalis apud Albam legibus usque ad eum diem consideratis severissimè ulciscatur: Quod usque adeo observatum, ut in Annalibus pro prodigio Vestalis damnatio notetur, Eusebii Chronicon Olympiade 73. de Minutia Vestali: Ratio prædictæ pœnæ, quod terra hujusmodi libidinosa corpora purgari crederentur, ex Clement. Alexand. pædog. 3. & ut ignis nil patitur impuri; ita Virgines istæ omni corporei contagii labe carere debent. Propert. Eleg. 4. lib. 4.

Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Vesta tuas.

tradit Festus, injustum fuisse eas cremare, vel quod mortuos tantum crement, vel quod corpus summis consecratum ceremoniis interficere, at manus adferre sacræ mulieri, nefas censeretur; ipsamque ultro mori volentes infra terram demittant in extructum ad hoc domicilium.

Refert Plutarchus, quod juxta portam Collinam sit tumulus, seu agger in eo domus subterranea non magna, in qua ex superiori parte descensus, in eaque lectus constratus, lucerna ardens, paucæque eorum, quæ ad vitam fovendam sunt necessaria, primitiæ reponuntur, ut panis, aqua, lac in vasculo, & oleum, tanquam nefas putent fore, si corpus summis consecratum ceremoniis fame pereat: tum illam, quæ supplicio est afficienda, lecticæ impositam extra opertam, lorisque revinctam; ita ut nec vox exaudiri possit, per forum vehunt; ei omnes via decedunt taciti, neque horribilibus ullum spectaculum, aut dies, quam Urbs agat tristiorem: ubi ad locum lectica pervenit, vincula Lictores solvunt, ac Princeps sacrorum quædam secreto comprecatus, obvelatam educit, & in scalis deorsum in domum deferentibus constituit; ita ipse cum reliquis sacerdotibus revertitur; postquam damnata descendit, sursum gradus attrahunt, multaque supernè terra, ingesta domus occulitur, & complanatur.

Capiebatur Vestalis. Virgo Vestalis capi solita fuit, inquit Agellius; de quo ritu aliud non extat, nisi quod fertur, quæ capta prima est, à Numa Rege esse captam; at lege Papia cavetur, ut Pontificis Maximi arbitratu Virgines à Populo viginti legantur, sortitioque

ex

ex eo numero fiat, ut eam post Pontifex Max. capiat, eaque Vestæ fiat; sed ea sortitio, ex lege Papia, non omnino necessaria postea fuit; nam si quis honesto loco natus adiisset Pontificem, atque attulisset ad Sacerdotium filiam suam, cujus ratio secundum ritus Religionis haberi potuisset, gratia Papiæ legis per Senatum fiebat: capi autem Virgo propterea dici videtur, quia Pontifex Maximus manu prehensa ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducebatur; ut in libro Fabii Pictoris, & Amata inter capiendum à Pontifice Maximo appellabatur: quoniam quæ prima capta fuit, hoc fuisse nomine traditum est: hactenus Agellius.

De alimentis è muneribus.

Alebantur Vestales sumptibus publicis: Duravit autem earum Sacerdotium usque ad Theodosii Senioris Imp. tempora, quo regnante una cum aliis sacerdotiis, nequicquam reclamante Senatu, omnimodo est sublatum, ut ex Epistolis Symmachi, & D. Ambrosii responsionibus manifestum est, & refert Rosinus antiq. Rom. lib. 2. ubi ad cap. 12. Paralip. ac idem Rosinus lib. 3. cap. 19.

Symmachus etenim scribens Valentiniano, Theodosio, & Arcadio Auggg. conqueritur acriter de sublatis muneribus in Vestalium favorem à Christianis ministris ut in Epist. 54. lib. 16. his verbis: *Vestalium Virginum prærogativa detracta deest? sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi perstiterunt. Honor solus est in illo velut stipendio Castitatis; ut vittæ earum capiti decus faciant, ita insigne ducitur sacrificii vacare muneribus &c. si quidem saluti publicæ dicata virginitas crescit merito, cum caret præmio. Absint ab ærarii vestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum Principum non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augeatur, Capiunt legata Liberti, Servis testamentorum justa commoda non negantur: tantum Nobiles Virgines, & fatalium sacrorum Ministri excluduntur prædiis hæreditate quæsitis? Quid juvat saluti publicæ castum corpus dicare, & Imperii æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis? armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes? pro omnibus efficacia vota suscipere? ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honoraverat lex parentum Vestales virgines, & ministros Deorum victu modico, justisque privilegiis: stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapenzitas, qui mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt, sequuta est hoc factum fames publica, & spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum; nihil imputamus astris; nec rubigo segetibus abfuit, nec avena fruges necavit. Sacrilegio annus exaruit: necesse fuit perire omnibus, quod Religioni negabatur. Commendabat enim terrarum proventus victus Antistitum, & remedium magis, quam largitas erat. Dicet aliquis sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Absit a bonis Principibus ista sententia, ut quod de communi quibusdam tributum est, in jure fisci esse videatur. Omnia regitis, si suum cuique servatis, plusque apud vos justitia, quam licentia valet. Faveant clementiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia, & hæc maximè, quæ majores vestros aliquando juverunt, vos defendant, à nobis colantur.*

Relationi præfatæ Symmachi Urbis Præfecti D. Ambrosius libertate magna respondet, validissimisque rationibus evertit, ut in epist. 12. lib. 2. maximè his verbis:

bis: *Habeant Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc, qui nesciunt credere, quod possit esse gratuita virginitas: provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus, quem infula vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis, & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium Virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen usu nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejunorum: non privilegia, non lucra: omnia postremo talia, ut revocari studia putes, dum exercentur officia: suis castitas cumulatur dispendiis: non est Virginitas, quæ pretio emitur: non est integritas, quæcunque tanquam in auctione nummario ad tempus sollicitatur compendio. Prima Castitatis victoria est facultatum cupiditates vincere: quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda Virginibus. Quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium. Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet, ut qui totum sibi sub Imperatoribus Gentilibus vendicarunt, iidem sub Principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem.* Hæc, & alia sanctus Ambrosius.

Et hinc agnoscamus, quam dispar sit vitæ conditio illarum Vestalium, quæ honoribus, divitiis, & omni deliciarum genere affluebant, à nostris sacratis Virginibus Christianis, quæ spretis divitiis, & omni fœminarum cultu; paupertate, vigiliis, jejuniis, & abstinentiis summo Deo servant veram mentis, & corporis Virginitatem.

Cap. XVII.
De Monetæ Usu.

ANtiquitus emptiones, ac venditiones rerum non nummo, aut moneta, sed rerum commutatione tantum agebantur, ut in Genesi cap. 21. quod cum dissensio esset inter Pastores Abrahami, & Abimelech de puteo effosso à servis Abraham, inquit textus: *Tulit itaque Abraham oves, & boves, & dedit Abimelech*: & hoc non alia causa, nisi pro emptione loci, in quo servi illi puteum effoderunt; neque longo post tempore apud Romanos, neque apud alias Nationes æris, aut argenti signati usum fuisse affirmant communiter scriptores; quamobrem rerum commutatione mercimonium exercere, necessariaque invicem recipere consuevisse homines, testatur Alexander ab Alexandro lib. 4. Genial. dierum cap. 15. nec non in priori illo sæculo bobus, pecudibus, ferro, ære, auro, & argento rudi atque inculto, & aliis hujusmodi res coëmere consuevisse comperimus ex usu Romanorum, & Massiliensium in Africa testatur prædictus Alexander ab Alexandro, & tradit Homerus 7. Iliad. in Trojana obsidione Græcos non aliis profecto nummis vinum

vinum emisse, commeatumque reliquum, quam ære, ferro, pellibus, bobus, & similibus ex hostium præda:

Dedit Jasonides ducere vini mille lagenas,
Hinc vinum emebant comati Achivi,
Alii quidem ære, alii autem ardenti ferro,
Alii autem pellibus, alii autem ipsis bobus,
Alii autem captivis rebus, posuerunt convivium abundans.

Quamvis pellium, boumque numismata intellexisse forsan Homerum suaderi posset; siquidem ex moneta, quæ Bovem sculptum habebat, atque Bovis vocabulo appellabatur apud Athenienses fuisset commercium, ut inde etiam emanarit vetus proverbium: *Bovem habet in ore*, pro homine pecunia corrupto, testatur Pollux lib. 9. cap. 6. dicens: *Vetus autem erat Atheniensibus Numisma, Bos appellatum, eo quod Bovem insculptum haberet.* Non immerito igitur aliquis suspicari potest, Homerum omnia Numismatum genera, quibus in castris negotia agebantur, voluisse recenseri auro, argento, ære, ferro, atque nomine Boum, & pellium; ac propterea, nequaquam animalia ipsa, sed monetas in supra allatis carminibus indicasse.

Fuisse propterea notissimum usum pecuniarum sacræ testantur litteræ in Genesi cap. 23. ubi Abraham empturus argento agrum, ad usum sepulchri in funere Saræ uxoris his verbis: *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat audientibus filiis Heth quadringentos siclos probatæ monetæ publicæ.* Qui locus, quamvis absque dubio de moneta appensa sit intelligendus ex illo verbo appendit, non propterea negatur numerata quoque pecunia consuevisse veteres negotia agere: Sacra enim oracula nostra non solum appensam, sed etiam numeratam in solutionibus pecuniam tradunt: *Quadringentorum siclorum numero Abraham, ab Ephrone agrum ad sepulchri jus emisse scribunt.* Quæ tamen solutio pretii pondere, numeroque retinuisse rationem lance probatur.

Ac etiam in cap. 3. Esteris, Aman volens Populum Judæorum perdere, sic Assuerum alloquitur: *Si tibi placet, decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam Arcariis gazæ tuæ.* Sic pariter lib. 1. Esdræ cap. 8. dicitur de sacerdotali ærario, quod ab Esdra Sacerdotibus custodiæ causa traditum fuerat. *Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta, quinquaginta, & vasa argentea centum, auri centum talenta.* Si igitur pecuniæ, dum appendebantur, nequaquam numerarentur, sed rudi massa consignaetur valor illius, dicendum est sacris oraculis appensum argentum ad pondus sexcentorum quinquaginta talentorum: sic etiam apud Ester dixisset Aman, se publico ærario præstiturum argenti massam ad pondus talentorum decem millia, non verò decem millia talenta se appensurum Arcario regio: Quibus liquido constat Veterum consuetudinem fuisse non solum pecuniam appendere, sed etiam numerare.

Appensio, & numerata pecunia.

Quod quidem apertè confirmat, id quod de ære gravi Romanorum tradiderunt Scriptores, de quo ita Festus Pauli Diaconi: *Grave æs dictum, à pondere: quia deni asses, singuli pondo libra, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum; sed Bello*

Punico Populus Romanus pressus ære alieno, ex singulis assibus librariis, senos fecit: qui tantundem valerent. Dicebatur igitur æs grave à pondere monetæ, quod singuli asses, quorum decem efficiebant donarium, maximi essent ponderis, unius nimirum libræ, non tamen decem æris rudis libræ denarium constituebant, nisi decem asses numerarentur, quorum singuli libram æris haberent.

Eandem pecuniam, quæ numerabatur apud Veteres, eandem etiam appendi, ut nihil in ea fraudis committeretur, jam vidimus: Verum, quia hæc numeratio, atque appensio fieri potuisset metallorum frustulis, quæ nullo essent percussa signo, propterea hujusmodi signatæ monetæ initia breviter hic cognoscamus.

Ab exordio Romanæ Reipublicæ usum fuisse in negotiationibus solum coriis Boum nummorum loco voluit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 15. & cum eo alii eo argumento usi, quod Numa Pompilius Scorteos asses in congiarium Populo dedisse, velit Plutarch. in Numa: sicuti quoque Lacedæmonios aliquando Scorteo Numismate usos tradit Stobæus Serm. 42. dicens: *Pecuniæ studio Spartanum vacare turpe dicitur; Numismate utuntur Scorteo: Aurum, Argentum, ut apud quempiam deprehendi capitale est.* Similiter Seneca lib. 5. de Benef. cap. 13. inquit: *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui Corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstat.* Quibus testimoniis prius ex Coriis Boum nummos publico signo cusos fuisse probabile est; quamvis alii velint usum fuisse pecuniæ ex dictis Coriis solum in defectum æris, argenti, non apud Veteres tantum, sed nostris quoque temporibus scorteis quoque nummis stipendia milites meruisse, quod tamen non tollit usum præcedentis signatæ monetæ aureæ, argenteæ, vel æreæ: ea etenim conditione ex coriis animalium cusi aliquando asses fuêre, ut ii postmodum publico signo ad valorem æris, vel argenti redderentur: & cum primum cessasset defectus æris, vel argenti, cessarit quoque omnino dictus usus monetæ cusæ ex Corio Boum.

Signati nummi inventor.

Aeris igitur primo signati inventum Iano plurimi ascribunt. Lactantius Firmianus lib. 1. de falsa Relig. cap. 13. inquit, quod senex Saturnus à juvene Jove filio victus, & spoliatus Imperio, fugit expulsus, & in Italiam navigio venit, cum errasset diu, sicut refert Ovidius in lib. Fastorum.

Causa ratis superest, Thuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Hunc errantem, atque inopem Ianus excepit, cujus rei argumenta sunt Nummi veteres satis frequentes, in quibus cum duplici fronte Ianus, in altera parte Navis, de quibus aliqui penes me, quorum unum hic delineatum apposui.

Hoc idem refert Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7. asserens in honorem Saturni Nummum primum in usum: *Hic igitur Janus cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio; & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset; regni eum societate muneravit, cum primus quoque æra signaret, servavit in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero Navis exprimeretur;*

Num. 33.

meretur, quo Saturni memoria in posteros propagaretur; ſicuti & idem Ovid. Poeta ſubjecit:

> *At bona poſteritas puppim formavit in ære,*
> *Hoſpitis adventum teſtificata Dei.*

Omnes ergo non tantum Poetæ, ſed hiſtoriarum quoque Scriptores hominem fuiſſe Saturnum conſentiunt, qui res ejus in Italia geſtas memoriæ prodiderunt, Græci, Diodorus, & Trallus: Latini, Nepos, Caſſius, & Varro; nam cum agreſti quodam modo in Italia vita duceretur.

> *Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis*
> *Compoſuit, legesque dedit: Latiumque vocari*
> *Maluit, his quoniam tutus latuiſſet in oris.*

Quamvis alii velint, prædictum Janum fuiſſe eundem, ac Noë, & Saturnum ipſum, quem etiam tradunt ad Latium appuliſſe, & à filio Iaphet hac in Regione regnante, hoſpitio exceptum; illius igitur memoria, ut ſervaretur, qui anteriora Diluvii, poſterioraque viderat, arcaque fabricata humanum genus à Diluvio redemerat, nummos cuſos credunt; licet Ovid. lib. 1. Faſt. biceps caput Jani ad anni exordia referat, eoque nomine Januarium menſem appellari credat, dicens:

> *Jane biceps, anni tacitè labentis origo,*
> *Solus de ſuperis, qui tua terga vides.*

Argenteum nummum primo ſignatum apud Romanos dicunt aliqui Servio Cæpione, & Gn. Sempronio Coss. poſt Attilium Regulum: At vero Plinius lib. 33. cap. 3. ſignatum eſſe argentum anno Urbis 585. Q. Fabio Conſule, quinque annis ante primum bellum Punicum; equidem ante victum Pyrrhum regem argento ſignato nequaquam uſos Romanos, ſcribit Plinius loco citato; Qui tamen ex auro primus monetam ſignaverit Plinius ibidem ignotum putat, apud Romanos tamen non ante ſignatum aurum, quam anno ſexageſimo ſecundo poſt nummum argenteum, qui annus reſpondet vigeſimo tertio Principatus Hircani in Judæa, quando nimirum Romani Numidas ſubjecerunt.

Apud Iſraelitas multo ante ſane monetam ſignatam ſacra Oracula tradunt, quam Romanum Imperium initium habuiſſet; quin imo Cain primus Adæ filius, cum peſſimum vitæ genus geſſiſſet, ex auro primum denarium ſignavit, ex Joſepho tradit Polydorus Virg. de Rerum Inventor. lib. 2. c. 22. ac etiam monetæ uſum extitiſſe conſtat apud eundem Joſephum lib. 3. antiquitatum cap. 2. in quo, dum Iſraelitarum Duce Joſue, & Amalecitarum pugnam deſcribit, de qua in Exod. c. 17. legitur relatio prædæ. *Multum enim argenti, & auri in caſtris fuit repertum, & vaſa ærea coquinaria, & eſcaria, magnus etiam pecuniæ ſignatæ numerus.* Sicli argentei etiam meminit ſacer textus in morte Sarai uxoris Abrahæ, vidimus ſupra in cap. Geneſ. 23. quibus in locis præclarè oſtenditur nomine Sicli non rudes metalli fruſtulos, ſed monetam ſignatam ſigno publico intelligendam fore: ſed & adhuc aurei ſicli ſignati habemus uſum in ſacris litteris de ſervo illo, qui ab Abraham in Meſopotamiam abiit, ut filio Iſaaco quæreret uxorem, dedit Rebeccæ. *Inaures aureas appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum*

decem. Quod intelligendum, ut sicli nomine signatam monetam accipiamus, aliàs enim insolens esset, quod delicata puella decem auri libras circa manus, & brachia ornatus gratia deferre voluisset. Et in 1. Paralipomen. cap. 21. *Dedit ergo David Ornan pro loco, siclos auri justissimi ponderis sexcentos*; Siquidem solutiones debitorum non solum pondere, sed etiam monetæ signatæ numero determinabantur.

Ferreæ monetæ apud Romanos, Græcos, & cæteras nationes usus erat, & hic erat nummus parvus, teste Polluce lib. 9. cap. 6. dum ait: *Byzantinorum autem nummus ferreus erat sic appellatus: Ferreum autem numisma parvum erat, ita, ut loco dicendi, Eme mihi tria ærea, diceretur, Eme mihi tria ferrea.* Quemadmodum de Lacedæmoniis idem Pollux. *Ferrea quoque moneta idem Lacedæmonii utuntur ingentis magnitudinis, sed minimi valoris*; ac etiam apud Hebræos dicitur cap. 17. lib. 1. Regum: *Ferrum lanceæ Gigantis Goliath fuisse ponderis sexcentorum siclorum ferri*; quod, utique de valore ferreæ monetæ intelligitur, non autem de pondere, cum impossibile fuisset, ut tantum ponderis haberet ferrum illud, quantum habebant sexcentæ libræ rudis ferri.

Cap. XVIII.
De Annulis.

Annulorum usum in magna vetustate fuisse arguunt sacræ Litteræ, Genes. c. 21. in quibus Joseph annulo Regio donatur. Prometheum tradunt fabulæ primum digito adaptasse circulum ferreum incluso lapide, qua consuetudine homines usi Annulos habere cœperunt. Argumento sunt Gemmæ annulares, quæ copia sui ipsam propemodum infinitam nummorum veterum vim exæquant.

Materies Annulorum.

Materies Annulorum fuit aurum; argentum, æs, ferrum cum gemmis inclusis: Contra vero multi nullas admittunt gemmas, auroque ipso signant: Gemmas vitreas in vulgi annulis notavit Plinius lib. 35. n. 6. cujusmodi habeo ego aliquas penes me satis antiquas.

Pythagoræ præceptum.

Inter Pythagoræ præcepta, quæ Symbola appellantur, memoriæ proditum est, ne quis annulum Dei imagine insignitum gestaret, quod Pythagoræ effatum à Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum, quasi præceptum, aut consilium fuisse expositum, quod à Mose jussum fuerat, ne qua scilicet Imago adoranda effingeretur, quoniam Dei Majestas, quæ intelligentia tantum percipitur, vilipendi censetur, cum in materia colitur, eaque magis, quæ in annulo gestatur, siquidem contemptum parit, quæ in promptu est videndi consuetudo: Nec multum Jamblicus discrepat, ubi sigillatim Symbola exponit lib. 2. ad Symbol. 24. At verò lib. 1. de Vita Pythagoræ ait, vetitum hujusmodi gestamen, ne cui fortè in locum immundum sacram Imaginem deferre contingeret. Quod didicisse Jamblicus ex quodam more temporibus Tiberii Cæsaris, ut refert Sueton. in ejus Vita cap. 58. Cum Reus majestatis postulabatur, quicunque effigiem Imperatoris annulo impressam, Latrinæ aut Lupanari intulisset.

Illud

No:33. pa:100.




No:34. p:105.



No:36. pa:109.



No:39. pa:132.



Illud certè Pythagoræ documentum, neque Græcis probatum fuit, neque Romanis; Innumeras enim annulorum Gemmas hodie videre est, in quibus Deorum imagines, aliave Ethnicæ superstitionis Symbola veteres exsculpserunt.

Imagines in annulis.

Frequenter etiam annuli, proferunt vultus Principum, & clarorum virorum. Plinius Jun. lib. 10. Epist. 16. Gemmam commemorat habentem Imaginem Pacori Regis, & Sueton. in August. cap. 1. & in Tiberio cap. 58. & Valer. Maxim. lib. 3. cap. 5. rem satis confirmant. Sapientiæ quoque sectatores Hæresum suarum magistros in annulis palam habebant. Cicero lib. 5. de finibus in princ. ait: *Nec tamen Epicuri licet oblivisci; cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & in Annulis habent.*

Sanè Idolorum facies in his frequentissimæ sunt, item per Zodiacum decurrentia, sicuti Catamitos, & Meretriculas sub argumento Venerum, & Cupidinum cœlatos arbitror; ut etiam penes me Imagines Jovis, Martis, Mercurii, Solis, Fortunæ, Serapidis, Cereris, Romæ Schemate Militari gemellorum altricis, & alia multa, præsertim Ægyptiorum deliria.

Christiani etiam effigiabant annulos.

Neque vero usum Annulorum repudiarunt Christiani, sive quia hortatus nos est Apostolus ad Coloss. 3. *Ut quicquid agimus, in nomine Dei agamus*; ac propterea sacris Symbolis manus suas operum effectrices exornatas gestabant; sive, ut per illas, quas gestamus gemmas in digitis, excitetur memoria ad rerum Divinarum meditationem: adeo ut ex iis opere pretium arbitratus sit Clemens Alexand. Pœdag. lib. 3. cap. 11. præscribere aliquem terminum, intra quem contineretur hæc licentia promiscua quidlibet in annulis insculpendi: censet enim à nostris recte geri, non quidem Idolorum facies, vel ensem, vel arcum, vel pocula; multo minus amasios, & amicas investes; sed Columbam, Piscem, Navim, vel Lyram, vel Ancoram, vel Piscantes: Per Columbam intellexit Clemens Spiritum Sanctum, per Piscem prandium, cum apparavit Christus discipulis Joh. 21. vel Convivium, quo quinque millia Virorum pavit, Lucæ 9. per Navim, vel Ecclesiam, vel vitam humanam, per Lyram Concordiam, per Piscantes Apostolos, vel Baptisma; videmus etiam in gemmis Arcam Noëticam, Symbola nominis Christi, & Crucis ☧ & quod hoc idem signum Christi solitum fuisset apponi in annulis Sponsalibus tradit Card. Baronius in annum 57. & ibidem Spondanus in Epitome n. 17.

Cavit Solon ex Diogene Laertio, ne annularius sigillum Annuli quem vendidisset, servaret ad vitandas nimirum fraudes, quæ ex supposititiis annulis enasci poterant; in quo hoc nostro tempore Annularii maxime aberrant, dum, & typos sigillorum servant, & in propatulo habent, magno periculo eorum, qui hæc negligunt, & habet Tacitus annalium lib. 16. Cajum Petronium coactæ morti proximum fregisse annulum, ne mox usui esset ad subeunda pericula.

De usu annulorum.

Et hæc dicta sint de materia & forma Annulorum. Nunc ad usum veniamus, dicamusque gestatos fuisse etiam in articulis, & in digitis. Martialis lib. 5. Epig. 10.

Sardonicos, Smaragdos, Adamantas, Jaspidas uno
Portat in articulo Stella Severe meus,

Multas

Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc puto culta manus.

Ideoque monuit Clemens Alexandrinus loco citato non esse à viris annulum in articulo ferendum; hoc enim mulieris esse, sed in parvo digito, atque adeo in ima ejus parte collocandum. Aulus Gellius lib. 10. cap. 10. inquit, morem Romanum fuisse gestandi annulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus, cui & annularis nomen est inditum: extant autem ejusce gestaminis rationes apud Macrob. lib. 7. cap. 14. quoniam in libris anatomicis volunt aliqui, nervum quendam de corde natum pergere usque ad digitum manus sinistræ minimo proximum, quod derisui habetur apud viros peritos, qui inquiunt, nihil hujusmodi comparere in humano corpore. Vel potius, ut inquit Macrobius citatus, dicamus, quod in eo digito Gemma annuli ab omni læsione esset tutissima.

Distinguebat etiam annulus ingenuos ab hominibus servilis conditionis; ideoque Pater apud Lucam cap. 15. ait: *Date Annulum in manu ejus*, & fuisse aureum probabile est, ex Epist. D. Jacobi in princ. cap. 2. qui nec servis, neque libertis conveniebat: Libertini enim argenteo, servi ferreo utebantur: cum & iis conveniret beneficio Principis, ut notat præter cæteros Lipsius lib. 11. electorum Annulorum jus Liberto tributum, ut scripsit Ulpianus in l. 10. §. sed & si jus. ff. de in jus vocand. non eximit illum à reverentia, quam Patrono exhibere debet: & hoc ea ratione, quia usus Annulorum aureorum beneficio Principis tributus Libertinis, quoad vivunt, imaginem non statum ingenuitatis præstat, ut in l. 11. C. de Jur. annul. aureorum.

De Annulorum munere Martialis Epigr. 122. lib. 14. Cicero Orat. 5. in Verrem. sæpe enim nostri Imperatores superatis hostibus, optimè Republica gesta scribas suos annulis aureis in concione donarunt; & hunc Annuli honorem in ostentationem luxus vertit Satyricus Juvenalis Satyr. 7.

Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.

Æstivorum, & hiemalium annulorum usum, refert Juvenalis Satyr. 1.

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.

Natalitiorum meminit Persius Satyr. 1.

Et Natalitia tandem cum Sardoniche albus.

quia, Annulos quidem habebant, quos die tantum natali gestabant, seu aliis donabant.

Adhibebant autem annulum ad signandum, quicquid lubebat, ut abditum esset, secretumque, nempè Cellas, Dolia, & utensilia, sicuti & Epistolas, ac Testamenta; ideoque Pater pluribus filiis hæredibus institutis moriens claves, & annulum custodiæ causa majori natu filio tradidit. l. 79. §. Pater pluribus de legat. 2. & quemadmodum dixit Seneca l. 16. de Benef. cap. 15. *Annulis nostris, plusquam animis credimus*, quibus videlicet annulis ad contractus roborandos signa solemus apponere, ut cum aut testamentariis, aut matrimonialibus tabulis, aut stipulationum, pactionumque Chirographis sacra illa signa imprimerent, id se, quodammodo Deo teste, facere crederent.

Non

Non solum ad signandum Annulis utebantur, verum etiam ad claudendum, sicuti claves inserviunt, ut inquit Tacitus lib. 2. annalium in princ. *Irridebantur & Graci comites, ac vilissima utensilium Annulo clausa.* Et de prædictis Annulis in usum clavium, quas penes me servo, habes hic delineationem. Num. 34.

Arrha verò, & Sponsio annulo interveniente celebrabantur l. 5. de Institor. act.

Item Sponsas annulo donatas Juven. Satyr. 6. *Deinde Adamas notissimus, & Berenices in digito factus pretiosior.* Hinc B. Virgo Agnes apud D. Ambros. *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus.* Et Tertull. in Apolog. cap. 6. reprehendens luxum fœminarum inquit: *Circa fœminas etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ sobrietati patrocinabantur, cum aurum nulla norat præter uno digito, quem sponsus obpignorasset Pronubo annulo,* quin imo refert Plinius natural. hist. lib. 33. cap. 1. Ferreum annulum, eumque sine gemma à Sponso Sponsæ mitti sua ætate apud Romanos consuevisse, apud quos bellicæ virtutis quoque talis ferreus annulus insigne erat.

Cap. XIX.
De Fibulis.

QVoniam ferè apud omnes antiquitatum studiosos reperiuntur Fibulæ antiquæ, diversis formis elaboratæ, (quarum aliquas, quia ego, & alii) Romæ habemus, curavi, nec puto absurdum, aliquid de eis dicere.

Fibula igitur Vox origine Latina teste Joanne Meursio ab antiquo Fibo, quemadmodum à Synonymo ejus Fibo: vel à Findendo, ut refert Julius Scaliger: *Quasi findat illud, quod perforat.* Unde apud Columellam de Re Rustica lib. 1. cap. 6. Fibulari dicitur idem quod jungi.

Fibulas dividemus in Architectonicam, & Vestiariam, & Gymnasticam; Vitruvius lib. 1. cap. 5. & lib. 10. cap. 2. expressè meminit Architectonicæ: eaque vulgo Ferramento est, quo tigna conjunguntur, quod comprobasse videntur nonnulli, qui Confibulam quoque ferrum dicunt, quo lapides, & ligna conjunguntur inter se: inde Confibulare, & Affibulare, nempe Fibulas colligare, ut apud Isidorum, & alios. *Fibula Architectonica.*

Fibula verò Vestiaria propriè est ornamentum Cinguli, qua per annulum pars Cinguli retinetur ad vestem subligandam. Isidorus de Origin. lib. 19. cap. 31. *Quod pectus fœminarum ornat, vel Pallium virorum in humeris, Cingulum in lumbis firmat.* Et apud Jul. Pollucem lib. 7. cap. 13. *Tunica aperta Fibulis circa humeros, connectebatur.* Ælianus Var. histor. lib. 1. cap. 11. *Tunicarum verò eam partem, quæ est ab humeris, usque ad manus, non consuebant, sed continuis Fibulis aureis, & argenteis constrinxère.* Fibulam quoque esse vinculum, quo Mulieres fluentem retrò vestem subnectebant, in Vitruvium annotat Philander; Nec Lunulas in Senatorum Calceis aliud, quam Fibulas fuisse eburneas Lunæ instar corniculantes, opinatur Alexan- *Fibula Vestiaria.*

Alexander ab Alexandro Dierum Genialium lib.5. cap.18. & Gangræus ad Juvenalem Satyr. 1. *Lunula, nempe illa, fuit Fibula in Malleolo pedis eborea, ſpecie Lunæ*: Imò Arcadum more Lunatos, Plutarcho teſte, Patriciorum Calceos declarat Juvenalis Satyr. 7.

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Talem verò Fibulam Nobilitatis olim extitiſſe indicem hoc Statii verſu habemus:

Primaque Patricia clauſit veſtigia Luna.

Eo videtur ſpectare modus, quem è Zonara Magius repetit Miſcell. lib. 3. cap. 3. *Patricios in Urbe Calceos geſtaſſe adornatos corrigiarum inflexione, & forma litteræ*, C. Nec aliter Gallienus apud Trebell. Pollionem: *Caligas gemmatas annexuit*. Fibula quoque Capillitium continebat Lucianus Dialogo de Domo. *Aliqua Fibula, vel tænia comam diffluentem colligans*. De hac Virgilius fortè 10. Æneid.

Fuſos cervix, cui lactea crines
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.

Uſum hujus Fibulæ expreſſit Corippus lib. 2.

Subſtrictoque ſinu veſtis Divina pependit
Poplite fuſa tenus.

Flamines præterea pro ſua Divinandi facilitate Infibulatos fuiſſe voluit Joannes Rhodius de Acia cap. 5. Ex Varrone de Ling. Latin. lib. 4. *Quod in Latio capite velato erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo*. Et clarius idem Varro lib. 5. de Ling. Lat. *Eo præter Virgines Veſtales, & Sacerdotem publicum introeat nemo; Is cum eat, ſuffibulum haud habeat*. Quamvis Suffibulum hoc in loco videatur ſubligaculum, Feſto tamen, *eſt Veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in Capite Veſtales Virgines ſacrificantes habebant, idque Fibula comprehendebatur*. Ut puta ſub mento.

Uſus fibulæ.


Fibulæ porro uſum ſic docuit Panciroſ. de reb. deperditis pag. 312. *Conſideratione digna eſt Fibula, qua Veteres togam ſubnectebant, & quandoque etiam cingulum: Fibula enim ſuperius annexa in ſinum fundebat Togam, inſtar veli vento inflati*. Et mox, *Facta eſt potiſſimum in eum finem, ut Togam ſupra dexterum humerum connecteret; in quo duæ illius partes ſubjectam acum in Canalicula ſtringebant: Nec enim adſuta panno erat Fibula; ſed duas Togæ partes adſtringendo, non verò transfigendo ſubnectebat. Quapropter ſupra Fibulam nodus quidam conſpiciebatur ex Toga, quæ cum venuſtate, & elegantia dilatabatur.*

Fœminarum ornamentis annumeratam fuiſſe credit Thomas Dempſterus, Prudentium ſequutus, apud quem lib. 2. in Sym. in Mundo Fœminæ.

Crinalis acus, Redimicula, Vittæ;
Fibula, Flammeolum, Strophium, Diadema, Monile.

Et Plinius lib. 12. cap. 19. *Revehunt Vitrea, ænea: Veſtes Fibulas, cum armillis, ac monilibus. Ergo negotiatio illa fœminarum maximè fide conſtat.*

Viris quoque ornamento Fibulæ fuêre in Mantellis, ſeu Penulis. Bayſius de Re Veſtiaria: ſicuti & in Chlamydibus, ſeu Paludamentis, quæ operta Fibulam deſidera-


FIBULÆ IN MUSEO AUCTORIS.
No. 35. pa: 107
L. Pignorii.
Fr. Angeloni.
M. Milesii.
H. Ernstii.
H. Gualdi.
Cl. Menetrii.

ſiderabant. Hinc in lib. 11. Cod. l. 1. *Fibulis quoque in Chlamydibus utantur iis, quæ ſolo auro, & argento pretioſæ ſunt.*

Fibula ex ferro, orichalco argento, auro, aut quovis metallo. Infimæ ſortis hominibus propria erat ferrea, ænea, etiam ſic referente Feſto de verb. ſignif. *Infibulati ſacrificabant Flamines propter uſum æris antiquiſſimum æreis fibulis.* Mediocris fortunæ milites manipulares in Baltheis, aut Phaleris argentea utebantur, donec Aurelianus Imperator iis aureas indulgeret. Vopiſcus in Aurel. Ditioribus poſtea Leonis Auguſti Decreto concedebatur Aurea: Principibus frequentior. Ita Didoni Æneid. 4.

De Materia.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Quin & gemmis diſtinctas fuiſſe Æneid. lib. 5.

Lato quem circumplectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

Et Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 2.

Collectæ tereti nodantur Jaſpide veſtes.

Fibulam Imperatoribus fuiſſe propriam, ac in veſtitu Imperatorio pretioſiſſimam. Ita Gallienus, ut in ejus Vita Treb. Poll. *Gemmatis fibulis, & aureis viſus eſt.* E diverſo Adrianus ex Spartiano ſine auro ipſe Baltheum ſumpſit, ſine Gemmis fibulas ſtrinxit. Et in Gallieno Trebell. Pollio, *Cum Chlamyde purpurea, gemmatisque Fibulis, & aureis Romæ viſus eſt.*

Fibulæ aureæ, & gemmeæ originem ex Veterum ſacris proceſſiſſe, ſatis probabile eſt, nempè ſuperno Sacerdoti dilecti Populi tali magnificentia ſub Myſterii velo adornatam imperabat Dominus, quod Reges deinde fuiſſet imitatos, penes quos diu Sacrorum Jus manſit, ac poſteà Imperatores, ac Primates, donec tandem creſcente indies luxu ſingularis Fibularum uſus in communem tranſiret.

Num. 35.

Etiam Mortalium primi Fibula, ſive ſpina ſibi veſtes adſtrinxerunt. Ut de Veterum Germanorum moribus diſſerens Tacitus: *Tegumen omnibus Sagum Fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum.*

Hiſce de materia præmiſſis Fibulæ formam noviſſe magis ad rem erit: ex iis aliquæ circulares, ſive annulares erant omnes variis quidem icunculis diſtinctæ, unica tamen ferme figura ad arcum accedentes: Conſpiciuntur etiam forma quadrangulæ, Equi, Hinnuli, Avis, Delphini, Cochleæ, & Anguium ſpecie; ut in delineatione à me hic appoſita.

De Forma.

Unus tamen omnium uſus, idemque utendi modus fuit: veram hujuſmodi Fibulæ fabricam, ſic expreſſit Pancirolus: *Inferius, & externa parte grandiorem habebat Acum cum æreo, aut aureo filo, quo efficiebatur, ut illa absque ulla difficultate quaſi fluctuans vagaretur, ipſius præſertim cuſpide in Canalicula, quæ in altera Fibulæ parte erat, impreſſa.* Et Julius Scaliger exerc. 329. De Fibula tractans, eam ſolius Acus nomine exprimere videtur, dum ait: *Tales acus ærea, vel aurea, quæ in annulo transverſa transadigit corrigam ad cincturas.* Videre eſt etiam inter cæteras meas Fibulas hic delineatas, Acus, cui annexa eſt Columba ad ornatum, ut inſerviat ad ve-

ites, seu similia subnectenda: Neque sanè absonum erat, à Veteribus variam Fibulæ speciem formari, modo rectus ei usus constaret; non minus formæ magnitudinem immutantes, quam fortunæ conditio, materiæ pretium, aut ingenii solertia figuras. Ut ex Iconibus hic in aperto est.

Fibula Gymnastica.

Est quoque aliud genus Fibulæ, quam Gymnasticam appellant Cantoribus, & Comœdis præcipuè inserviens: Hæc siquidem ponitur pro Circulo æneo, quod adolescentulorum virilia solent coërceri conservandæ vocis gratia, quæ ex Veneris usu debilior reddi solet, & asperior. Corn. Celsus de Re Medica. lib. 7. cap. 25. ait. *Infibulare, quoque adulescentulos, interdum vocis, interdum valetudinis causa, quidam censuerunt; Ejusque hac ratio est: Cutis, quæ super glandem est, extenditur, notaturque utrinque à lateribus atramento, qua perforetur, deinde remittitur.* Et paulo post: *Tum, qua Notæ sunt, cuti, Acu filum ducente transsuitur, ejusque fili capita inter se deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant; Ubi hæ confirmatæ exempto filo Fibula inditur, quæ quò levior, eò melior est. Sed hoc quidem sæpius inter supervacua, quam necessaria est.* Hinc Martialis lib. Epigram. 8. sic ait:

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit Comœdis omnibus una satis.

Et Juvenalis Satyr. 6.

Solvitur his magno Comœdi fibula, sunt, quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Porro Athletas etiam in Palæstra pugnantes fibulam usurpasse ostendit Martialis lib. 7. Epigr. 81.

Cæterum quæ fuerit materia, & forma fibulæ huic operi destinatæ. Celsus supra dictus Metallicam fuisse ait: *Quo levior, eo melior.* Et Martialis lib. 9. Epigr. 28.

Jam Pædagogo liberatus, & cujus
Refibulavit turgidum faber Penem.

Circulum quidem hanc fuisse æneum arbitrati sunt plerique, ut suggessisse videtur vetus Interpres ad illud Juvenalis Satyr. 6.

Nullius Fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus.

Fibulam dicit Circellos, quos Tragœdi, sive Comœdi in pene habent, & hæc forma Circularis huic usui concinnior videtur fuisse: Siquidem Annulum tenuissimum, argenteum, aureum, sive æneum intelligit, item versatilem, non ponderosum: Accessisse prætorea velandis inguinibus thecam quandam, vel ejus vice Alutam, id est, Pellem tenuem, ac mollem ex Martiale lib. 7. Epigr. 34.

Inguina succinctus nigra stat servus aluta.

Et Amiculum hoc solis virilibus destinatum satis explicat Isidorus, qui Gymnasium ex eo dictum refert, quod Juvenes nudi exercerentur in Campo, ubi sola pudenda operiebantur cinctu, sive lata Zona, quæ inde Campestris dicebatur, ut ex Thucididis testimonio lib. 1. *Olim in Olympiaco certamine athletæ subligacula circumverenda habentes, pugnabant.* Et Mox. *Apud Barbaros, & Asianos præmia pugilibus,*

ac

ac luctatoribus proponuntur, & hi subligaculis in certamine utuntur. Et Tullius lib. 1. offic. *Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, ut in Scenam sine subligaculo prodeat nemo.* Et ex hoc indumento, seu subligaculo intelligitur Martialis lib. 7. Epigram.

Dum ludit media, Populo spectante Palæstra
Delapsa est misero Fibula, Verpus erat.

Locus certè obscurus, si ad Celsi Infibulationem examinetur; etenim cum à Fabro refibulari consueverat, ab alio demi fibula non poterat, nisi ponderis vi pelle attrita. ut consideravit Josephus Scaliger.

Joannes Britannicus in suis ad Juvenalem Commentariis Satyr. 6. refert, quod prædicto indumento utebantur non solum ad inguina tegenda, sed etiam ut libidinem comprimerent. Admittens præterea ad hoc alteram Fibulæ speciem, nempè tenuissimum filum, sive æneum, sive argenteum, quod præputio ab utroque latere super glandem perforato addebatur.

Cæterum diversitate notabilis est apud Strabonem Geogr. lib. 17. Infibulationis modus, quem ille de quorundam Æthiopum mulieribus ita protulit: *Armant etiam mulieres, quarum pleraque oris labium æneo circulo trajectum habent.* Eam consuetudinem hodie ad nares traductam habemus ex plurimis Itinerariis. Et Odoardus Barbosa tom. 1. Itinerar. Turc. lib. 1. cap. 2. refert in Regno Narsica Mulierum naso inauris more Unionem, vel Pyropum perforatum pendere: Viris inter Basilicæ incolas hoc etiam in labro inferiori usitatum ex Purchasii Itinerario lib. 12. cap. 16 & 20. Vetustissimam hanc fuisse rationem, quoque constat ex sacris litteris Proverb. cap. 11. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.* Et hæc de Fibulis dicta sufficiant de quibus etiam plurima scripsit Eruditissimus Joannes Rhodius in Dissertatione de Acia, cui hæc jam dicta maximè ascribo.

CAP. XX.
De Pileo apud Romanos.

Num. 36.

CUm Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Franciscus Vitellius Urbinas Archiepiscopus ex sua Veneta Legatione attulisset Romam Congeriem antiquorum Numismatum, quorum est ipse peritissimus & inter cætera præbuisset mihi supra hic delineatum numisma de Fœmina exhibente manu dextera Pileum sub Galba Imperatore.

Cumque incidisset sermo inter nos de eo, decretum est fuisse illud Symbolum manumissionis, seu Libertatis constitutæ: Pileus etenim, quandoque pro Libertate usurpatur, & apud Romanarum rerum Scriptores Servos ad Pileum vocatos legimus, hoc est, ad Libertatem. Cujus testis est Livius lib. 24. *Postero die Servi ad Pileum vocati, & Carcere vincti emissi.* Sueton. in Tiber. *Servisque ad Pileum frustra vocatis in Siciliam profugit.* Et ad rem nostram maximè facit Emblema 150. Andreæ Alciati de Liberata Republica à Bruto, Cassio, & cæteris conjuratis occiso in Senatu

Julio Cæſare; ii ceu libertate Populo reſtituta fabricari Numiſma voluerunt, in quo ſculpti erant duo Pugiones adjecto Pileo: Pugio cædem patratam omnino ſignificabat, Pileus vero Libertatem Dio. lib. 47.

Accipiebant Servi Pileum raſo capite, cum manumittebantur. Plaut. in Amphitr. *Ut ego hodie raſo capite calvus accipiam Pileum.* Cœlius Sabinus I. C. Pileati, & raſo capite erant, qui manumittebantur. Scribit Aurelius Victor. *Mortuo Nerone ſic cunctas Provincias, omnemque Romam exultaſſe, ut Plebs induta Pileis manumiſſionum, tanquam ſævo exempta Dominio triumpharet.* Et Plutarch. in Flam. *Et alii Pileati ſequebantur triumphum.*

Habeo apud me aliud Numiſma ſupra effigiatum à præcedenti non multum abſimile, ſed tempore ſatis recens, quod retuli ex Batavia; ab eisdemque Incolis de eorum prætenſa Libertate vanè exultantibus, in quo Pileum eſt excuſſum adjecto Verbo LIBERTAS.

Eſt quoque non incurioſa altera quæſtio, quam excitat Lypſius de Amphiteatr. cap. 19. Fuerint ne Pileo uſi Romani? & quo tempore?

De Pileo apud Romanos.

Caput opertum, & ſine tegmine haberi ſolitum non à Romanis ſolum olim, ſed & veteribus Græcis, Germanis, & Gallis reperio. De Græcis apud Homerum. Non Cauſiæ, non Pilei usquam mentio, ab eodemque ritu eos abſtinuiſſe refert ejusdem Interpres. Quin Horatius in Vita Hipocratis anxius, cur Imago ejus pileata cernatur, idque alii ad Peregrinationes, alii ad alias cauſas, quas vide, retulêre. At de Germanis cirros, eorum, nodosque commemorat Tacitus de moribus Germanorum tegmina, nuſquam. Imò de Suevis clarè ſatis oſtendit, pugnaſſe eos capite aperto, crinibus religatis in altitudinem quandam, & terrorem. Gallos comatos dicimus ea parte intectos, & plerasque imò Europæ Gentes, demum apud Parthos, ut novum, Pileum Martialis invenit:

Fruſtra blanditiæ venitis ad me:
Ad Parthos procul ite pileatos.

Videmus quoque nos hic Romæ in Trajani Columna ſcalptos eſſe Dacos pileatos.

Sed de Romanis certius hoc nobis eſt: Primum Nummi omnes, veteresque Statuæ (in quibus cultus, & habitus priſcus) ſine tegmine ſemper. Quibus concordant Scriptores, Suetonius etenim de Julio Cæſare refert: *Ex omnibus honoribus illi decretis, non alium libentius, aut crebrius uſurpaſſe ait, quam jus Laureæ Coronæ perpetuò geſtandæ, idque ad Calvitium celandum.* Qua certè aptior, & fidelior ad diſſimulandum Pileus fuiſſet.

Fuêre tamen Tempora quædam, & homines, quibus Jus & uſus caput tegendi fuit. Tempora quinque, *Sacra, Ludi, Saturnalia, Peregrinatio, Militia.*

Nam Romanos dum ſacrificabant, capite fuiſſe velato, idque priſco quodam ritu. Ut eſt videre in Numiſmatibus, & Marmoribus antiquis, & ex auctoribus.

In

In Ludis item Piscatos fuisse Romanos ex Martiali:

In Pompejano tectus spectabo theatro;
Nam Populo ventus vela negare solet.

Vopiscus in Carino, ubi Junium Messallam, ejusque effusionem in Ludis acerbè taxat: *Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri canusini.*

Saturnalibus etiam, per quos liberrimæ Vitæ dies, Pileus admissus, signum nempè Libertatis. Martialis:

Permittis puto Pileata Roma. Idem:
Dumque decent, nostrum pilea sumpta Jovem.

Sed & Peregrinatio quoque Petasum sumpsit contra pluviam, æstus, & ventos. Cicero in Epistolis describens Tabellarios iturientes: *Petasatos eos venire, & Comites expectare ad Portam.* Sueton. de Aug. *Solis hiberni, quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub Dio spatiabantur.* Demum nec Militia Pileo exempta, *Usque ad præsentem ætatem consuetudo permansit, ut omnes milites Pileis, quos Pannonicos vocant, ne Pellibus uterentur.* Veget.

Fuêre quoque Homines, qui Pileo utebantur: Liberti nova Libertate donati erant Pileati, ut diximus supra. De Ægris hoc idem licuit. Ovidius:

Arguat & macies animum, nec turpe putaris
Pileolum nitidis imposuisse Comis.

Sed & Senibus etiam Pileum tribuerunt. Ut refert Nicephorus Gregoras eum morem cum Romano Imperio etiam Byzantium translatum lib. 10. in fin. *De capitis tegmine, moris apud superiores Principes, ut ætate provectiores Aulici Pileis uterentur, serico tectis, Juniores autem prorsus nudis essent capitibus.*

Demum & Convivæ fuisse videntur Pileati. Horatius:

Ut cum Pileolo soleas Conviva tribulis.

Sed hunc habitum convivalem de Pileo, & soleis non habemus penes alios authores: Unde magis credendum Pileorum usum in Balneis fuisse; à quibus cum exirent, eosdem aliquando retinuisse etiam in Mensa.

Qui Mos Romanorum in deferendo Honore?

Superest demum tertia quæstio de Pileo: Qui mos Romanus de honore versus Digniorem in capite aperiendo, an id semper apertum? Quam solvit clarè Plutarchus in quæst. *Romani, si cui obviam facti sunt, cui honor habendus, & si forte caput veste injecta tectum habeant, id revelant.* Hinc capitis tectio, & aperitio Romæ; Laciniam quippe togæ in caput sæpe rejiciebant contra ventum, aut æstum, eamque detrahebant in honorati alicujus occursu. Plutarch. idem in Gracchis. *Laciniam togæ rejiciens in caput.* Interdum capite incedebant palliolato, sed ægroti, & delicati non absque suspicione luxus. Seneca de Mœcenate: *Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparverit, ut Pallio velaretur caput.* Et Petronius de mollissimo Trimalcione: *Pallio coccino abrasum incluserat Caput.* Sueton. in Claud. cap. 11. *Ob valetudinem, gladiatorio munere novo more Palliolatus præsedit.* Et Quintilian. *Palliolum sicut fascias, & focalia, sola excusare potest valetudo.*

Caput aperuisse Romanos in honore habendo ex Salustio: *Sullam in victoria Dictatorem, equo descendere; Pompejo uni assurgere de sella, caput aperire solitum.* Item Seneca: *Si Consulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor solet haberi, faciam, equo desiliam, caput aperiam.* Loquuntur quippe prædicti de Militia, aut Peregrinatione, seu quia de capite rejiciebant Laciniam togæ ad honorem Dignioris. Et hæc satis.

Cap. XXI.
De Tesseris.

Num. 37.

CUm ego duas Tesseras habeam inter se cohærentes, quas amicitiæ seu Hospitalitatis nominant; in parte Inferiori earundem verba notantur, prout est videre hic in delineatione.

Fuit antiqui moris, Tesseram Hospitalem dari Hospitibus dimidiatam, in qua communi consensu Symbolum quoddam sculpebant, quæ quidem testimonium erat contractæ amicitiæ; Et hanc quicunque attulisset ad Hospitem, continuo agnosci posset, & Hospitio accipi, tanquam Amicus, & verus Hospes: Hoc autem Jus necessitudinis ad posteros transibat quasi Jure quodam Hæreditario, ut significavit Homer. lib. 6. Iliad. loquens de Diomede, & Glauco; propterea Tesseram Hospitalem diligenter asservabant. Plaut. in Pœn. Act. 5. Scœn. 2.

> A. *Ego sum ipsus, quem tu quæris.* P. *Hem quod ego audio?*
> A. *Antidamæ gnatum me esse.* P. *Si ita est, tesseram*
> *Conferre si vis Hospitalem, eccam attuli.*

Tesseram Hospitalem confregisse dicebant, qui Jus Hospitii violarat. Hoc est, ut ait Erasm. qui sibi reditum in domum aliquam præcluserat. Plaut. in Cistell. *Hic apud nos Alcesimarche confregisti Tesseram.* Infames verò habebantur teste Tullio orat. ult. in Verrem, qui hujusmodi amicitiam violabant, nisi prius illi renunciassent, sicut T. Livius lib. 5. Belli Punic. secund. sic ait: *Badium Civem Campaniæ renunciasse hujusmodi Amicitiæ contractæ cum Q. Crispino Romano, priusquam pugnaret contra eum.* Hæc autem fuit Consuetudo Græcorum, & Romanorum, de qua Scriptores Græci, & Latini meminerunt.

De hujusmodi Tesseris cum esset mihi sermo cum eruditissimo D. P. Josepho Meronio ille locum singularem, quem hic apposui.

Joannes Alba Cartusianus in suis selectis sacræ Scripturæ Centuria 73. inquit, quod ad eam Tesserarum consuetudinem respexisse videtur Christus R. N. & forsan ea transierat ad Judæos, præcipiens discipulis Lucæ 9. & Matthæi 10. Ne in prædicatione Evangelii deferant virgam, sive Tesseram ejusmodi. Ac si dicat. Non ob amicitiam Jure humano contractam. Volo vos percipere victui necessaria, nolo, ut exigatis hospitium, vel victum propter Tesseram, cui hæc ex consuetudine, & Jure quodam debentur. Non ergo feratis virgam, sive Tesseram in via prædicationis; sed hospitium, & victus dentur vobis propter Me, & Evangelium, propter laborem, & ope-

& operam; . Dignus est enim operarius mercede sua: si enim seminetis hominibus spiritualia, quid mirum, si eorum carnalia, id est temporalia metatis? Nec repugnat, quod idem Salvator N. apud Marcum cap. 6. præcipiat discipulis. Ne quid tollant in Via nisi Virgam, non Peram, non Panem, &c. Quoniam in hoc alio loco pro Virga non tessera, sed intelligitur baculus, quo pedites niti solent, ex prædicto Alba Cartusiano in dicta Centuria sua 73.

Cap. XXII.
De Ritu Nuptiarum.

FUit mos priscis temporibus, ut qui uxorem ducturus esset, eam in matrimonium datum iri stipularetur, qui contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia, ut ex Servio Sulpitio, Neratio, & aliis refert Gellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 4. quod & Ulpianus in l. 2. & 3. D. de Sponsal. l. Sponsio D. de Verborum signif. & ex Plauto in Aulularia. Megadorum ab Euclione filiam stipulantem facit: *M. Quid nunc etiam mihi despondes filiam E. illis legibus, cum illa dote, quam tibi dixi. M. Sponden. ergo. E. Spondeo.* In Trinummo quoque Lysiteles, à Charmide, ita stipulatur, *Sponden ergo tuam gnatam uxorem mihi? Ch. Spondeo, & mille auri Philippum dotis.*

Stipulatio.

Ad constituenda sponsalia nudus consensus sufficiebat; cumque & absenti per Nuntium, seu per Epistolam desponderetur l. sufficit l. in Sponsalibus D. de Sponsal. In tabulas tamen Sponsalitiæ conventiones referebantur. Tertull. lib. de Virg. veland. *Hæ sunt tabellæ priores naturalium Sponsaliorum, & nuptiarum.* Quæ tabulæ signatoriis eorum, qui interfuerant, annulis obsignabantur; Unde Juvenalis de nuptiis contrahendis ait: *Veniet cum signatoribus auspex.* Apulejus Apolog. II. *Habes cur tabulæ nuptiales inter me, & Pudentillam non in oppido sint, sed in Villa Urbana consignatæ.*

Consensus.

Arrhæ à Sponso Sponsæ dabantur, ut in l. si quis officium. D. de Ritu nupt. cum similibus. Quia & Annulus Sponsæ pignoris loco mittebatur, quem Pronubum Tertull. lib. de Cultu fœmin. vocat. *Aurum nulla præter uno digito, quem Sponsus oppignorasset pronubo Annulo.* Dabatur Annulus ex Isidor. lib. 2. de Divin. offic. cap. 15. vel propter mutuæ dilectionis signum, vel ut eodem pignore eorum corda nuda jungantur: ferreum verò Annulum, eumque sine gemma sponsæ mitti sua ætate refert Plinius lib. 33. cap. I. & de his vide, quæ latè diximus in Capitulo de Annulo.

Arrha, seu Annulus.

Cæterum qua ætate sponsalia contrahi olim poterant ex Modestino l. in Sponsalibus D. de Ritu nupt. quamvis ætas contrahentium definita non sit; tamen Sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligitur, id est si non sint minores, quam septem annorum.

Ætas.

Post contrahentium pubertatem sæpè justæ, ac necessariæ causæ non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, & quatriennium, & ulterius trahunt

Sponsalia; nempè eorundem valetudo, vel mortes Parentum, aut capitalia crimina aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt.

Diei indictio. Sponsalibus factis consequens erat nuptiis diem dici, nec temerè, aut quolibet die nubebant, sed in ea re non levem mensium, ac dierum delectum habebant, novarum certè calendarum posteros omnes dies à nuptiis habitos alienos. Sex. Pomp. lib. 12. scribit. Mensis item Majus ex Plutarcho nuptiis infaustus habebatur, ut ex Ovid. 5. Fast.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit, nec diuturna fuit,
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt
Mense malas Majo nubere vulgus ait.

Dies etiam alios, qui contrahendis nuptiis vitabantur, refert Macrobius lib. 1. cap. 15. & Ovidius 2. Fastorum. Indicat Cicero lib. 11. Epist. ad Q. fratrem Epist. 11. Pomp. nuptias pridie Idus Febr. celebratas infausto & ominoso die. Sed & Saliorum diebus festis abstinendum à nuptiis idem Ovidius suadet 3. Fast.

Nubere si qua valet, quamvis properabitis ambo
Differ, habent parva commoda magna moræ.

Contra conjugio aptissimum esse id tempus, quod Idus Junias sequitur. Ovidius lib. 6. Fast.

Hanc ego cum vellem genero dare tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent:
Tunc mihi post longas monstratur Junius Idus
Utilis, & nuptis utilis esse viris.

Tribus generibus uxores quæsitæ. In contrahendis matrimoniis tribus generibus Uxores quæsitas Usu, Farre, Coëmptione: Arnob. lib. 4. adversus Gentes: *Uxores Dii habent, atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæsitis, usu, farre, & coëmptione genialis lectuli sacramenta conducunt.* Atque in proposito de farris usu inquit Plinius lib. 18. cap. 3. *Quin & in sacris nihil religiosius confarrationis vinculo erat, non æque nuptæ farrum præferebant,* & Apulejus lib. 10. de Asino, *matrimonium confarreare* dixit.

De Ritu Coëmptionis, Boëtius lib. 11. Comment. ad Topica Ciceronis sic ait: *Coëmptio certis solennitatibus peragebatur: & sese in coëmendo invicem interrogabant: Vir ita, an sibi mulier materfamilias esse vellet? illa respondebat velle; item mulier interrogabat. An vir sibi Paterfamilias esse vellet? ille respondebat velle: Itaque mulier in viri conveniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem, & erat mulier materfamilias Viro loco filiæ.* Cui interpretationi accedit Isidorus lib. 5. Etymolog. Gellius lib. 18. cap. 6. unde non mirum. *Nuptias* à Modestino *Divini, & humani Juris conjunctionem.* definiri, l. 1. D. de Ritu nupt. & à Gordiano in l. adversus, C. de crim. expil. hæred. *Uxorem rei divinæ, & humanæ sociam appellari.*

Cæterum de Uxorum usu quærendarum, videtur formam indicasse Cicero, dum Flacci partes tuetur.

Usu partas, ac quæsitas Uxores eas fuisse, quæ matrimonii causa in domum absque coëmptionis solennibus deductæ, toto vertente anno cum viro adfuissent; quæ post id temporis ex 12. tab. in manu, mancipioque viri fuerint, quasi usu, id est possessione viro mancipatæ: usum enim pro possessione Veteres dicebant, atque legitimum fuisse modum adipiscendorum dominorum, & præter Juris civilis auctores, testis est Horatius:

Si proprium est; quod quis libra mercatur, & ære,
Quædam si credis consultis mancipat usus.

Et sicuti res mobiles anno possessæ possessoris fiebant; ita mulierem, quæ cum Viro una matrimonii causa anno integro morata esset, ei uxorem cum re, & effectu partam, conciliatamque fuisse suspicari possumus, dummodo talis annui usus trinoctio perfecto à viro Uxor non abnoctaverit, quia tunc ex lege 12. tab. interrumpebatur usus, referunt Macrobius, & Aul. Gellius: Ex earum verò mulierum, quæ vel in matrimonio, vel in concubinatu promiscuè haberi poterant, ex destinatione animi eorum, qui eas habebant, pendebat.

De Auguriis. Nuptiæ antiquitus nonnisi captatis prius Auguriis fiebant; Sic Tacitus de nuptiis Messalinæ lib. 11. & de Neronis cum Pythagora conjugio lib. 15. agens utrobique auspicum adhibitorum, meminit Cicero pro Cluentio: *Nubit Genero Socrus nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis omnibus.* Lucanus lib. 11. Bello Pharsali.

Pignora nulla domus, nulli coiëre propinqui,
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.

Symmachus, lib. 11. Epist. *Sororem Pompejam olim viro maturam te auspice in manus optat accipere.* Seneca in Troade act. 4. Scen. 1.

Quicunque hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet;
Est auspice Helena dignus.

& latè ad Rosinum Paralipomena lib. 5. cap. 37.

De ornatu sponsæ. His expositis ad novæ nuptæ vestitum, ornatumque transeamus: Ac ut à vertice incipiam, senis crinibus ornari solitum scribunt, sicuti Vestales Virgines ornabantur ex Sexto Pompejo. Cælibari præterea hasta, quæ in corpore Gladiatorio stetisset, nubentis caput eodem auctore comebatur; vel quia Matronæ in Junonis Caritis tutela essent; vel ut fortes viros ominarentur, & alia hujusmodi, refert Plutarchus in Romulo, & de tali more Ovid. 2. Fastorum:

Hæc tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

Arnobius lib. 11. advers. Gentes inquit: *Cum in matrimonio convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis, nubentium crinem cælibari hasta mulcetis.* Corona deinde redimiri novæ nuptæ consueverant, Tertull. de Corona militum. *Coronant & nuptiæ Sponsos.* Catull. de nuptiis Julii & Manlii.

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

& Lucanus de nubente: *Turritaque premens frontem matrona Corona.* Texta Tunica novæ nuptæ induebantur. Plin. lib. 18. cap. 48. ait: *Quod quidem ex felici textricis conjugio in usum venisse non dubito, cujus memoriam boni ominis causam nuptialibus ritibus nuvas nuptas usurpaste constat.* Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum id ex lana ovis. Sext. Pomp. scribit, quasi ut vir suus secum vinctus, cinctusque esset: Circulum id Herculano nodo junctum, vir ominis gratia solvebat, ut sic ipse felix in suscipiendis liberis esset, sicut Hercules fuit, qui 70. liberos reliquit. Inde Catull. in nuptiis Julii, & Manlii:

> *Te suis tremulus parens*
> *Invocat; tibi Virgines*
> *Zonula solvunt sinus.*

& idem ad Januam ait: *Quod Zonam posset solvere Virginem,* & Ovid. in Epist. Phyllidis ad Demophoontem:

> *Cui mea Virginitas avibus libata sinistris,*
> *Castaque fallaci Zona revincta manu.*

Ab hac verò Cingulorum replicatione Junoni, quæ conjugalibus fœderibus præesse credebatur, Cinxiæ cognomen inditum fuit, ut ex Sext. Pomp. & Arnobius 2. adversus Gentes ait: *Cingulorum Cinxia replicationi,* unde etiam Virg. 4. Æneid. *Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,* & Statius in Silvis: *Dat Juno verenda Vincula, & insigni geminat concordia tæda.* Junoni quoque nubentes sacra facientes fel. cum reliquis victimarum extis non porrigebant, sed demptum, & divulsum abjiciebant; mysticè significantes omnem bilem, & amaritudinem à nuptiis abesse oportere, ex Plutarcho refert Brixonius de Ritu nupt. Plutarchus quoque, & Macrob. 11. Satur. cap. 12. volunt Junium mensem propitium contrahendis nuptiis, ut diximus hunc à Junone denominari, quod etiam refert Beda lib. de ratione temporum, Censorinus in lib. de die natali cap. 18.

Jugum contrahentibus matrimonium imponi consueverat, Servius & Isidorus commemorant, ut etiam Plautus ex Curcullione: *Jam ne ea fert Jugum?* quemadmodum etiam Horatius: *Nondum subacta ferre jugum valet cervice.*

Velo obnubi solita nova nupta, cum ad virum deduceretur Tertull. de Virgin. veland. ait: *At qui etiam velatæ ad virum deducuntur:* unde nuptiarum nomen ductum esse, omnium Grammaticorum fert opinio: nubere enim & obnubere Priscis velare, & operire significabat, ut Sext. Pomp. Nonius Marcellus, & alii notant. Quo in significatu Arnob. lib. 3. adversus Gentes, hoc verbo usus est, inquiens; Quod aqua nubat terram, appellatus cognominatusque est. Neptunus: Velum autem id, quo Nuptæ caput operiebatur, flammeum vocabatur. Martial. 11. Epigram.

> *Flammea texantur Sponsæ: jam Virgo parata est,*
> *Tondebit pueros jam nova nupta tuos.*

Et idem lib. 12. *Præluxère faces, velarunt flammea vultus.* S. Ambros. in lib. de Viduis: *Suasimus, ut vestem mutares, non ut flammeum sumeres; ut à Sepulchro recederes; non ut thalamum præparares.*

Expo-

Exposuimus, quo cultu, & ornatu nova nupta ad virum procederet; videbimus nunc de Pompæ apparatu, ac Ritu traductionis. In Viri igitur domum, tanquam in conjugis mansionem, ad domicilium nuptæ traducebantur. Plautus in Aulularia: *E. Quod sempiternum tibi salutare sit procreandis liberis. M. ita Dii faxint. Volo te domum uxorem ducere*, & in Trinummo: *Nunquid causa est, quin uxorem cras domum ducas?* Item unam post matrimonium Viri, & Uxoris domum dici: Plutarchus lib. 4. Symposiacon. cap. 3. & est text. in l. 1. §. si vir. D. ad senat. syllejan. Enimverò deductio hæc antiquitus nonnisi noctu fiebat Sext. Pomp. lib. 14. & Val. Max. lib. 1. cap. 5. ibi, *more prisco noctu connubia nuptialia petit.* & Tacitus lib. 11. à Nerone cum Pythagora confectas nuptias referens ait: *& interdiù in viro nubente spectata, quæ etiam in fœmina nox operit*, & Catullus in Epitalamio:

De ritu traductionis sponsæ.

> *Vesper adest, juvenes consurgite, vesper olympo:*
> *Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas,*
> *Jam veniet virgo, jam dicetur hymenæus.*

Pueri verò tres Patrimi nubentem deducebant ex Sext. Pomp. in verb. Patrimi, quorum unus facem præferebat, reliqui duo nubentem tenebant.

Fax porrò, quæ præferebatur ex spina alba fiebat, ut idem Pomp. scribit, ideoque Catullus de Nuptiis Juliæ, & Manlii:

> *Pelle humum pedibus, manu*
> *Spineam quate tædam.*

Hinc Plinius, *Spineam nuptiarum facibus auspicacissimam*, ait: Non desunt, qui velint nuptiales faces ex Pinu confici solitas, ut apud Catullum, *Pineam quate tedam*, & Ovidius lib. 2. Fastor. suadet à conjugio per aliquot dies abstinendum:

> *Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ;*
> *Expectet puros pinea tæda dies.*

& D. Ambrosius de hujusmodi facibus in lib. de Viduis ait: *Vel cum accensis funalibus mox deducitur, non ne Pompæ funebris exequias magis putat, quam thalamum præparari.* Præterea in altum tolli nubentes priscis temporibus consuevisse, ut ex Optato Melevitano lib. 6. contra Donatistas; tradit etiam Brissonius de Ritu nupt. ex Apulejo Polluce, Synesio, & Suida; Ac etiam apud Pœnos, Græcos, & Ægyptios usu receptum fuisse, ut nubentes sellæ insidentes, curruque sublimes vectæ à Patris domo in mariti domicilium transferretur, quamvis apud Romanos solum à Pueris manu ductam nubentem, ex Sext. Pomp. videmus.

Comitabatur præterea nubentes Colus compta cum fuso, & stamine ex Plutarcho, & ex Plinio lib. 8. cap. 48.

Utensilia item mulieris, & quæ in usu, & ministerio ejus erant per puerum impuberem in vase operto gestari consueverant: Puer Camillus; Vas ipsum cumerum proprio nomine vocabatur: Varro lib. 6. de Ling. Lat. Cumerum vocabant antiqui Vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia: Quo verò ad Camilli vocem, sicuti & Flaminium, puerum dictum ingenuum patrimum, &

matrimum, qui flamini Diali ad Sacrificia ministrabat. Ita ex Sexto Pompejo, ac etiam Macrob. lib. 3. cap. 9.

Quin etiam Asses tres ad maritum nubentes deferebant, ut apud Nonium Marcellum, Varro scribit, ubi de illorum significatu.

Fores ædium mariti floribus, & frondibus ornari consueverunt, unde Catullus de nuptiis Pelei.

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Claudianus de raptu Proserpinæ, lib. 2. ea excepta in thalamos Plutonis ait: *Pars aulæa tenent alii, prætexere ramis limina:* Lauro quippe Postes ornare, tàm in publicis, quam privatis gaudiis moris erat. Tertullian. in Apolog. cap. 35. *Cur die læto non laureis postes obumbramus?* Plinius lib. 15. cap. ultimo: *Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum, Pontificumque sola, & domos ornat, & ante limina excubat.* Ex hoc more Juvenalis de muliere statim post nuptias divertente.

Ornatas paulò ante fores, pendentia liquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Præ foribus ædium mariti interrogatæ nubentes, quænam essent? Cajas se esse respondebant ex Plutarcho: Fertur enim Cajam Cæciliam Tarquinii Prisci Regis uxorem optimam Lanificam fuisse; ideoque novæ nuptæ ante januam mariti sic interrogatæ respondebant. Quintil. lib. 1. cap. 7. Nam, & Cajus, C littera notatur, quæ inversa mulierem declarat; quia tam Cajas vocitatas esse, quam Cajos ex nuptialibus sacris apparet. Postes januæ lana tangi à nubentibus, adipeque ungi consueverant; Servius in 4. Æneid. ait: *Moris fuit, ut nubentes puellæ, simul ac venissent ad limen mariti, postes antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent, & ideo uxores dictæ Unxores,* & refert etiam Isidor. lib. 9. cap. ultimo.

Sponsa ingrediendo limen domus mariti pedem attollebat; illud enim tangere ominosum erat, & ideo saltu illud transgrediebatur: hinc Catullus in Epithalamio.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.

Et hoc in novis Nuptis Religioni habebatur, Plautus: *Sensim super attolle limen pedes nova nupta.* Causas ex Servi, & Plutarchi problematis require. Muretus in commentario ad Catullum de nuptiis Juliæ, & Manlii.

Ingredienti Nuptæ Claves dabantur, ex Sexto Pompejo in verbo Clavis, ut significaretur ei rerum omnium domesticarum, quæ clavibus concludi solent, cura, & administratio demandata.

Ac etiam in pelle lanea nova Nupta statuebatur, ex Sexto Pompejo, quo testaretur, se lanificii officium viro præstituram.

Sed etiam aqua, & ignis nuptiarum solennibus adhiberi consueverat; unde Scævola in l. penult. D. de donat. inter virum, & uxorem: *Die nuptiarum priusquam ad virum transiret, & priusquam aqua, & igni acciperetur:* quem morem refert

refert quoque Serv. in 4. Æneid. unde postea faces prælucebant, & aqua per puerum de fonte petita, qua nubentibus pedes lavari solebant. & ex Varrone lib. 4. de Ling. Latin. ignis, & aqua adhibebantur; ut hæc nupta cum viro communicaret, cum ea sint causa nascendi, & Halicarnassæus lib. 11. hujus instituti originem à Romulo deducit, de quo etiam Val. Flaccus lib. 8. Argonaut. ait:

-- -- -- *Pariterque precati,*
Incipiunt; ignem Pollux, undamque jugalem ---- *Prætulit*

In cæna nuptiali, opiparè, & lautè acceptos convivas fuisse, Plautus in Curculio, ait: *Tu miles apud me cœnabis: hodie fient nuptiæ.* Legibus sumptuariis, quibus effervescens Romanorum luxuriæ æstus coërcebatur nuptiis aliquid indulsisse, lex siquidem Julia, C. Augusto imperante pro festis diebus ducentos æris impendi permisit, Calendis, Idibus, Nonis trecentos: nuptiis autem, Repotiis. H. S. millies esse concessit, quemadmodum Gellius lib. 2. cap. 24. refert.

Maxima populi frequentia, & celeberrimo officio nuptæ deducebantur, ex Suetonio in Caligul. cap. 25. de Livia Horestilla Pisoni nubente; & Quintilianus, declam. 306. *Aspice illam virginem, quam pater tradidit euntem die celebri comitante populo.*

Tibiam quoque nuptialibus festivitatibus intervenisse: Terentius Adelph. *Verum hoc mihi mora est Tibicina, & Hymenæum, Turbam, Lampadas, Tibicinas,* & Claudianus in Epitalamio:

Ducant pervigiles carmina tibiæ.

Præterea Talassionem in nuptiis Romanorum; non secus, atque Hymenæum inclamare consuevisse sciendum est. Martial. Epigramm. 36. lib. 1.

Quid si me jubeas Talassionem
Verbis dicere, non Talassionis.

Eusebius in Chronico, ait Sabinæ raptæ, & una Virginum pulcherrima cunctorum acclamatione rapientium Talassio Duci Romuli decernitur: unde in nuptiarum solennitatibus Talassio vulgo acclamitant; quia scilicet talis nupta sit, quæ Talassium habere mereatur, quod etiam Servio placet in lib. 1. Æneid.

Nuces à novis maritis jaci, & pueris spargi consuevisse. Virgil. Eclog. 8.

Sparge marite nuces: jam deserit Hesperus Oetan:

Quod ideo fecisse Varro tradit, quoniam à rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis posset audiri; Aliis placuit id factum, ut se puerilibus omnibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta relinquere eo indicio testarentur: Persius; *Et nucibus facimus quæcunque relictis. Cum sapimus patruos.*

Nubentes præterea prætextis depositis à multitudine puerorum, qui ad eam celebritatem conveniebant, obscœna omni licentia occinebantur, qui versus Fescennini dicti sunt, sive quod ab Urbe Fescennia essent allati, sive quod Fascinum arcere putabantur, Servius in 7. Æneid. & Catull. in Epithal. Jul. & Manl.

Heu, heu diu taceat procax Fescennina loquutio.

Et D. Hieron. in Epist. ad Gerontiam: *Responde mihi charissima in Christo filia inter*

ista

ista nuptura es? & Fescennio carmine terribilis tibi rauco sonitu buccina concrepabit, ut quas habeas pronubas, habeas forte lugentes. Erant autem Fescennini versus joculares, incompositi, rudes, qui alternis jaciebantur: Horat. lib. II. Epist.

Fescennina per hunc invecta licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

& Livius lib. 7. *Non sicut ante Fescennino versui similem incompositum, temerè, ac rudem alternis jaciebant.*

Interea verò Lectulus nuptialis componebatur, qui propriè Genialis dicebatur, à generandis liberis ex Servio 6. Æneid. & Cicero pro Cluentio, *lectum illum genialem, quem biennio arte filiæ suæ nubenti straverat.*

Toga verò sterni lectos, & maritorum Genios advocari consuevisse, refert Arnobius lib. 3. adversus Gentes.

Super Priapi fascinum sedere nova Nupta jubebatur, ex D. Aug. de Civit. Dei, & aliis, quos latè retulimus sup. cap. 13. de Priapi, seu Mutini Idolo. Deinde in lecto Pronubas collocasse Nuptam sciendum est. Donatus in Eunuchum Terentii ad ea verba: *Deinde eam in lecto collocarunt.* Lampridius de Heliogabalo: *Nupsit, & coiit, ut & Pronubam haberet*, & Claudian. de Raptu:

Ducitur in thalamum Virgo: stat Pronuba juxta.

Ad hujusmodi autem officium spectatæ pudicitiæ mulieres, quæ uni tantum viro nupsissent, adhibebantur, ut matrimonii perpetuitatem auspicarentur ex Sext. Pompejo, & Tertull. in lib. exhortation. ad Castitatem: *Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, ut & virginibus legitimè nubentibus Univira Pronuba adhibeatur:* & hæc satis de Nuptiis, quibus consequens est dicere de Jure Connubiorum.

CAP. XXIII.
De Jure connubiali inter Romanos Cives.

Cognito in præcedenti Capitulo solenni Nuptiarum ritu; consequens huic est de justis, injustisque Matrimoniis inter Cives Romanos addere, ut juris Civilis, & antiquitatis Romanæ Studiosis satisfaciam. Igitur, ut ab Ætate ordiamur, eam in matrimoniis contrahendis definivit Justinianus, Institut. de Nuptiis in princ. Masculos quidem puberes, fœminas autem viripotentes, ac etiam refert Dio lib. 4. A duodecimo quidem anno pubertatem fœminas auspicari prudentibus placuit; idque ea ratione factum Plutarchus in Numa interpretatur, ut celerius conjugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obsequium virorum facilius flecti, fingique possent. Macrob. verò lib. 7. Saturn. voluit pubertatem fœminis legibus definitam, quod generationi essent ab eo tempore aptæ, nempe duodecimus, & quartodecimus in masculis: quoniam, ut inquit Euripides apud Stobæum: *Muliebre corpus citius in senium cadit:* Undeque testamenta fœminis citius, quam masculis facere licet. l. à qua ætate. D. de testamentis. Cæterum si fœmina minor duodecim annis domum pro uxore deducta esset, non ante justa, & legitima uxor fiebat, quam apud virum

Ætas.

rum

rum duodecimum annum implevisset. l. minorem, D. de Ritu nupt. Interim vero, dum pubertas conjugis expectabatur; si quidem sponsalia intercesissent, sponsæ tamen loco ea habebatur l. cum hoc status §. si quis sponsam D. de Donat. inter virum & uxorem: Nuptiis autem cessantibus; nec in concubinatu minor annis duodecim puella haberi jure licito poterat l. 1. in princ. D. de Concubinis.

Nuptias verò, quas Vir sexagenarius cum uxore quinquagenaria contrahebat, fuisse improbatas, est textus in l. penult. C. de Nuptiis. unde scitè Lactantius lib. 1. de falsa Religio. cap. 16. ait: *Utrum sexagenarius factus est, & illi ex Papia fibulam imposuit.* inquit enim Euripides apud Stobæum tit. 71.

Res senibus importuna matrimonium,
Et triste natos tollere ætate in mala,
Seni marito quippe matrona imperat.

Hoc in legibus condendis agebat Augustus, ut exhausta bellis Civilibus Civitatem sobole repleret. l. si sterilis. D. de action. empt. l. si major Cod. de legit. hæred. Aristoteles certè in Politicis finem gignendi, ut plurimum viris septuagesimum annum adferre, mulieribus verò quiquagesimum scribit, & Plinius lib. 7. cap. 14. absolutè definit mulierem post quinquagesimum annum non parere, majoremque partem quadragesimo profluvium genitale sistere; At planè, quibus cruor menstruis intervallis fluere destitit, eas jam concipere non posse, confirmat D. Augustinus lib. 3. contra Julian. Pelag. Et ideo alienam à Nuptiis contrahendis superius memoratam ætatem, veluti liberorum suscipiendorum spe destitutam præmiis afficiendam non existimarunt. Nihilominus Claudius Cæsar cum comperiisset etiam sexaginta annos natis, aut eo amplius generandi vires inesse, derogavit in eo capite prædictæ legi; sic enim Suetonius in ejus vita cap. 23. ait: *Capiti Papiæ Popeæ legis à Tiberio Cæsare quasi sexagenarii generare non possent, edicto abrogavit.* Quam verò importunum sit senibus matrimonium sic docet Euripides ubi supra:

Audite juvenes: omnibus dictum volo,
Differre thalamos ad senectæ terminum
Nolite: prolem serite dum tempus sinit.
Res est molesta fœmina conjunx senex.
Properate: juvat hoc educendis liberis,
Pulchrumque juveni natus alludens Patri.

& Theognis apud eundem Stobæum:

Tempestiva Seni primævo flore puella
Non est; nec clavo, ceu ratis, apta regi:
Anchora non illam teneat: sed fune soluto
Nocte illam statio non tua suscipiet.

De Conditone & Statu.

In uxore petenda, quam sit perpendenda conditio bona, & aliæ qualitates, audiamus prudentes: Euripides enim apud Stobæum tit. 70.

Moneo nunc omnes semel,
Ut ex honesto genere progeniem ferant:

Non illa quippe semper infelix erit.

Ubi etiam Theognis:

Nobilitas asinis, & equis simul, arietibusque
Dat pretium: nec de semine degeneri.
Admissura placet. Sed prava è sanguine pravo
Si dos sit, præsto est optima conditio.

Et Hesiodus ibidem:

Quare toro intactam, pulchris quam moribus ornes,
Neu sit læta tua vicinia labe, caveto.

Et Euripides prædictus:

Sublimiori genere, qui natas petunt,
Opibusve opimas conjuges, optant malè.
Ubi namque potior res domi est uxoria,
Vir mancipatus jura non retinet sui
Dotalis iste Census infœlix viro est,
Qui difficilius efficit divortium.

Hinc apud Romanos inter liberas, & serviles personas, nuptias olim non constitisse certum est l. Proculus. D. de Jur. dot. l. 3. C. de Incest. nupt. quam ob rem si ancilla libero nupsisset, dotisque nomine pecuniam numerasset, nec matrimonium erat, nec viri ea pecunia fiebat, quam tempore jure statuto penes se usu cœpisset: planè si apud virum ad libertatem pervenisset, convalescebat matrimonium, eodemque soluto, dotalis pecuniæ repetitio competebat d. l. proculus.

Præterea justa matrimonia non inter Liberas quascunque personas, sed inter solos cives Romanos, contrahebantur. Instit. de Nuptiis in princ. Nam cum Latinis, Peregrinisque connubium, nisi eis concessum esset, non erat. Senec. lib. 4. de Benefic. ait: *Promisi tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti; non est mihi cum extraneo connubium:* Macrob. 1. Saturn. cap. 6. *Libertinis verò nullo jure uti prætextis licebat: ac multominus Peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.* Hinc maximam apud Populum invidia sibi conflavit Antonius, quod contra leges patrias nupsisset Cleopatræ, refert Plutarch. Nec non quod Titus Berenicen Ægyptiacam uxoris loco haberet, ut proinde repudiare eam sit coactus, narrat Xiphylinus; quod eo processit, ut ex Peregrino, & Cive Romana natus Peregrinus nasceretur. Ulpian. in fragment. tituli. V. At ejusmodi Peregrinitatis observationem tandem exolevisse Prudentius lib. 2. contra Symmachum ait:

Nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam sanguine misto
Texitur alternis ex gentibus una propago.

At à Provincialibus, cujuscunque ordinis, aut loci essent, cum Barbaris conjugia contrahi Valentinianus, & Valens prohibuerunt l. unica de Nuptiis Gentilium in Cod. Theod. etenim Patribus cum plebe connubium ne esset 12. tab. sancitum est, quemadmodum refert Halicarnass. 11. antiquit. cum Livio lib. 4. ab V. C.

Sena-

Senatores quoque Senatorumque filii uxores ducere prohibebantur Libertinas, quarumve parentes artem ludicram fecissent. Paulus in l. qui Senator. D. de Ritu Nupt. eundemque Senatoris filium accipere debemus non tantum naturalem, verum etiam adoptivum: dummodo talis adoptio emancipatione subsequuta non fuisset soluta, l. senatoris filium D. de senator. Senatoris autem filia, quæ corpore quæstum, vel artem ludicram fecerit, aut judicio publico damnata fuerit, impune Libertino nubit: nec enim honor ei servatur, quæ se in tantum scelus deduxerit l. Senatoris filiam. D. de Ritu nupt.

Senatoriis personis exceptis, cæteris omnibus ingenuis Libertinas Uxores ducere lege Papia concessum fuisse Celsus in l. lege Julia D. de Rit. Nupt. & Dio lib. 54. affirmant, & hoc idem indicare voluit Mauritianus in l. observandum D. de Rit. Nupt. his verbis: *Ut inferioris gradus homines equestris, ut puta, vel plebeji ordinis, uxores ducant eas, quas qui altioris dignitatis sunt, veluti Senatores, ducere legibus propter dignitatem prohibentur.* Excipiebat tamen lex quasdam personas quas ne inferioris quidem ordinis hominibus, dummodo ingenuis, ducere permittebat: veluti Lenam à Lenone, Lenavé manumissam, vel eam, quæ palam quæstum corpore faceret; item in adulterio deprehensam, vel judicio publico damnatam, &c. ut ex fragmentis titulorum Ulpiani, Titulo de Cælibe, orbo, solitario, & latè Brissonius de Jure Connubiorum pagin. mihi 23. & seq.

Solutio. Captivitate Mariti matrimonium solvebatur, quod is in servilem causam deductus, servus hostium factus jam pro nullo habeatur. Novell. Constit. 37. itaque Triphonius in l. in bello. §. medio tempore D. de Captiv. ait: *Captivi uxor, tametsi maximè velit, & in domo ejus sit, non tamen in matrimonio est.* At verò Julianus I. C. satis diversæ sententiæ in l. Uxores D. de Divort. inquit: *Et generaliter definiendum est, donec certum est maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium, nisi mallent ipsæ mulieres causam repudii præstare: sin autem in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte præventus: tunc si quinquennium à tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias, ita tamen ut gratia dissolutum videatur primum matrimonium: & unusquisque jus suum habeat imminutum, eodem jure, & in marito in Civitate degente, & uxore captiva observando.*

Prohibentur contrahere. Tutores prohibentur pupillas suas uxores ducere, & filiis suis nuptum dare ex S. C. Marci Antonini, & Commodi l. Senatusconsulto D. de Ritu Nupt. cujus præcipua hæc ratio, ne Pupillæ in re familiari circumscriberetur ab iis, qui rationes gestæ tutelæ eis reddere necesse habebant, neve fraudes hujusmodi domestici matrimonii velamento, quo tutelæ reddendæ ratio compellebantur, tegerentur l. libertum §. 1. D. de Ritu Nupt. Præterea, & adolescentum Curatores, nec non & ventri Curatores, bonisque dati: ii quoque, qui Tutores quidem non sunt, periculo tamen tutelæ suo nomine obstringuntur, à pupillarum nuptiis arcentur, l. si quis tutor D. de Ritu Nupt. Hæredes quoque Tutorum licet extranei, quoniam rationes reddere debent, Senatusconsulti prohibitione concluduntur d. l. libertum §. 1. ubi etiam

ſubditur, quod Tutor pupilli non prohibeatur ex hoc filiam ſuam pupillo ſuo collocare in matrimonium.

Injuſtæ Nuptiæ.

Ex gradu aſcendentium & deſcendentium duci uxores non poſſe l. Nuptiæ 53. D. de Ritu Nupt. §. ergo Inſtit. de Nuptiis, nec intereſt, an ex juſtis Nuptiis ejusmodi perſonarum conjunctio deſcendat, an non l. & nihil D. de Ritu Nupt.

Ac neque cum his quidem perſonis, quæ vel affinitatis ratione parentum, liberorumve vicem repræſentant, juſtæ ſunt Nuptiæ; quare nec novercam Proavi noſtri Uxorem, nec ſocrum, id eſt uxoris noſtræ matrem, nec ejusdem Aviam Proaviam ducere licet l. ſi quis mihi §. 1. & l. adoptitius §. nunc videamus. D. de Ritu Nupt. §. ergo Inſtit. de Nupt. Fuit ſiquidem tam infauſti matrimonii cupiditate incenſus Imp. Antoninus Caracalla, de quo ſic Spartianus ait: *Intereſt ſcire, quemadmodum Novercam ſuam Julianus duxiſſe dicatur, quæ cum eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetque; Antoninus, vellem ſi liceret, reſpondiſſe fertur; ſi lubet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt: nuptiasque eas celebravit, quaſi ſciret ſe leges dare cum verè ſolus prohibere debuiſſet.*

Ab earum quoque, quæ in parentum fuerint concubinatu, nuptiis abſtinendum Imperator Alexander conſtituit. l. C. de Nuptiis liberi contra religionem quippe, ac pudorem eſt cum ea matrimonium coire, quæ pudicitiam Patri proſtraverit.

Ex tranſverſo etiam cognationis gradu prohibitas eſſe nuptias, nemini dubium eſt, ſive ab eodem Patre, eademque Matre progeniti fuerint, ſive ab altero eorum §. inter Inſtit. de Nuptiis Æmil. Prob. in procem. de Vit. Imp. ait: *Neque enim Cimoni fuit turpe Athenienſium ſummo Viro ſororem germanam in matrimonio habere: at id quidem noſtris moribus nefas habetur.* Romanis utique ſemper deteſtabilis, & execranda talis conjunctio viſa eſt; ideoque de Caligula non ut de Principe, ſed ut de monſtro Sueton. refert cap. 24. quod cum ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecerit, quem etiam Druſillam germanam Longino Conſulari collocatam abduxiſſe, & in modum juſtæ uxoris propalam habuiſſe, ut etiam refert Dio lib. 59. eademque ſe, ac famam ſuam turpitudine fœdaſſe Othonem, Xiphilinus memorat. Plutarch. in Parallelis refert, Papyrium quendam Romanum impatientia, & ardore amoris victum, Camillam ſororem gravidam fuiſſe, quod ubi Papyrius Tolucer eorum communis Pater reſcivit, enſem filiæ miſit, quo Puella pectus transfodit, eodemque lethi genere ſceleſtum, ac nefarium facinus ſuum Papyrius deinde expiavit. Planè per adoptionem factam ſororem, adoptione ſoluta, uxorem ducere nihil vetabat l. quin etiam D. de Ritu Nupt.

Adoptivæ utique ſororis filia uxor duci, vel conſtante adhuc adoptione licito jure poterat, quod ea cognata non eſſet; ſiquidem per adoptionem contrahitur ſolum cognatio, cum agnatorum jus adjunctum habet. l. 2. §. patrui D. de ſuis, & legit. & Claudius Imp. Neronem à ſe in locum filii adoptatum cum filia ſua Octavia matrimonio junxiſſe, refert Dio lib. 59. verum ne Frater ſororem ducere videretur, adoptio-

adoptionis commento necessitudinis species dissoluta est. Inde Junoni Octavia à Seneca comparatur: Sic in Tragœdia ejus nominis habetur;

Tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti
Conjuxque graves vince dolores.

& alio loco:

Mœret infelix soror,
Eademque conjux,

Fratrum, sororumve filias uxores ducere non licebat nemini C. de Nuptiis §. fratris Instit. de Nuptiis; Tametsi talium conjugiorum usum invexit Claudius Imp. Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ amore incensus, ut publici juris velamento ejus matrimonii à se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur, refert Tacitus lib.12. *Claudius Senatum ingressus decretum postulat, quo justæ inter patruos, fratrumve filias Nuptiæ etiam inposterum statuerentur.* Tranquillus in Claudio ait: *Verum illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ per jus osculi, & blanditiarum occasiones allectus in amorem, subornavit proximo Senatu, qui cogerent se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublicæ interesset, dandique cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus injusta habebantur: ac vix uno interposito die de Nuptiis confecit.* Verum Imp. Nerva vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur, ne tam mali exempli Nuptiæ inposterum frequentarentur, refert Xiphilinus in Nerva. Eadem flagitiosa libidine incitatus Heraclius Imp. cui non aliunde id morbi, quo laboravit, quam ob illicitam cum fratris filia conjunctionem accidisse vulgo creditum, tradit Zonaras. Acerbissimè hujus generis nuptias, ut incestas, ac nefarias Impp. Anastasius & Zeno constitutionibus suis damnarunt, in quas etiam invehitur B. Ambros. lib. 8. Epist. Sed nec in concubinatu haberi sororis filia, licet Libertina absque incesti crimine potuit l. etiam D. de Rit. Nupt. non modo autem fratris, aut sororis filiam, verum etiam neptem, pronepteminve ducere non licet l. fratris Instit. de Nuptiis.

Mortuorum fratrum Conjuges fratribus superstitibus dissolutis seu morte, seu repudio Nuptiis, duci citra incesti crimen non posse Imperatorum Constitutionibus cavetur l. nemini C. de Nuptiis: quanquam non defuerint in Romana historia ejusmodi matrimoniorum exempla: Lucius enim Tarquinius, cui Superbi cognomen Tulliam minorem natu, quæ Arunti nupserat, Arunte veneno ab ea sublato, cum ipse conjugem quoque suam eodem genere interemisset, duxit, refert Halicarnass. lib. 4. Utcunque sit, hujusmodi matrimonia aliquot Impp. Constitutionibus sunt interdicta l. fratris, & l. ult. C. de Incest. Nupt. l. nemini C. de Nuptiis, ut quoque in Concilio Neocæsariensi can. 2. prohibita: Quia etiam cum quidam Ægyptiorum mortuorum fratrum conjuges matrimonio sibi copularent hoc colore, quod Virgines mansisse dicerentur, Zeno eas nuptias, & qui eas contraxisset, & inde susceptos liberos incestarum Nuptiarum pœnis subjacere voluit l. licet C. de Incest. nupt.

Uxoris etiam sororem ducere, & sic duabus sororibus conjungi, licentiam dissoluto quoque modo conjugio Impp. Valens, Theod. & Arcad. vetuerunt: Honorius

tamen Imp. duas Stiliconis filias unam post alteram in matrimonio habuisse fertur exitu infelici, ex neutra enim liberos suscepit, mortoque immatura utraque obiit. Zonaras lib. 3. annal. Paulus Diaconus lib. 34. Appendicis ad Eutropium.

Verum duorum fratrum Liberi invicem rectè matrimonio jungebantur §. duorum Instit. de Nuptiis l. 3. & l. non solum. §. 1. D. de Ritu nupt. namque Augustum filiam Juliam Marcello Octaviæ Sororis suæ filio junxisse apparet ex Dione lib. 35. & Sueton. in August. cap. 63. At Theodosius Major religiosus Imp. etiam has nuptias prohibuit, ut refert S. Ambros. Ep. 66. & S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei, cap. 16.

Amitam, & Materteram Uxorem ducere non conceditur, quoniam parentum loco habentur. §. Item amitam. Instit. de Nuptiis.

De consensu.

Requiritur maxime Consensus contrahentium, ut Nuptiæ justæ sint; Quare cum furioso, furiosavé matrimonium contrahi nequit. l. furor D. de Sponsal. l. oratione in fine D. de Ritu Nupt. quoniam nec voluntatem, intellectumve habent: mutorum, surdorumve dissimilis causa est, quibus non obest talis defectus, ut contrahere possint matrimonium in quibuscunque, D. de oblig. & act. quanquam matrimonium furor contrahi non sinit; contractum tamen non dirimit l. furor D. de ritu nupt.

Præterea non solum consensus eorum, qui contrahunt; sed & eorum, in quorum potestate sunt, exigitur l. 2. D. de Ritu Nupt. adeo ut legitimi non habeantur liberi, inde suscepti, ut inquit Apulejus lib. 5. de Asino. Nepoti siquidem Uxorem ducere tam Avum, quam Patrem consentire debere, inquit Paulus l. Oratione §. 1. D. de Ritu Nupt.

Filiæ, quæ vigesimum quintum annum sunt egressæ, inconsultis parentibus impunè pro arbitrio nubunt, nec pœnam exhæredationis ob eam rem timent. §. Causas Novell. Ut cum de appellat. cognosc.

Definit quoque Paulus I. C. lib. 2. sententiarum titulo 19. Eorum, qui in Patris potestate sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahi, sed contracta non solvi.

De pluralitate uxorum.

Duas eodem tempore Uxores habere Romæ non licuit §. affinitatis. Instit. de Nuptiis. Et hoc crimen infamiæ pœna vindicatum edicto Prætoris l. 1. in fin. & l. quod ergo §. 1. D. De his qui notant. infam. unde Impp. Valerian. & Galien. in l. eum qui, C. ad l. Jul. de adult. ait: *Eum, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia: in ea namque non juris effectus, quo Cives nostri plura contrahere matrimonia prohibentur, sed animi destinationi cogitatur.* Nec non capitali pœnæ hujusmodi matrimonia obnoxia esse, ut ex Constitutione Constantini in l. uxor C. de Repudiis, ubi de mulieribus, quæ vivis maritis militibus nullo accepto de eorum sospitate nuncio, post quatuor annorum spatium alteri nupserint: Et quamvis Ælius Cœcina Tribunus plebis jussisset, ut uxores liberorum quærendorum causa, quas, & quot vellent ducere, Quiritibus liceret. Sueton. in Julio cap. 52. ea tamen lex promulgata non fuit. Valentinianus quoque Imp. alteram Severæ

Justi-

Justinam uxorem superinduxit, ex qua Valentinianum Juniorem sustulit, ac ut facti turpitudinem amoliretur, lege sanxit, ut cuilibet duas simul uxores habere liceret, quemadmodum Socrates lib. 4. histor. Eccles. cap. 30. Paulus Diaconus lib. 11. append. ad Eutrop. sed nec ea lex accepta fuit: Nam Judæos, qui colore quod primis generis humani satoribus Polygamia multiplicandæ sobolis necessitate permissa fuisset, quasi majorum vestigiis inhærentes, plures sibi uxores habere licere existimabant. Impp. Theodos. Arcad. & Honor. prohibuere in diversa sub uno tempore conjugia convenire l. nemo C. de Judæis.

Sicuti nec Concubina Uxori jure Quiritum adjungi potuit, est Constantini Magni Constitutio, l. 1. C. de Concubinis dum ait: *Nemini licentia conceditur constante matrimonio concubinam penes se habere.*

Dicam hic obiter veteres sanctos Patriarchas legis Mosaicæ tempore, pluribus uxoribus conjunctos culpæ immunes fuisse, quo dasserit Innocent. III. cap. Gaudemus, de Divortiis, atque multis relatis, & explosa eorum sententia, qui dicunt, nunquam licuisse uxorum pluralitatem; sed permissam fuisse tanquam minus malum, probat latè Cardinal. Bellarm. lib. 1. de Matrimon. cap. 21. Hæc autem dispensatio non concessa est externa aliqua scriptura, aut loquutione; sed inspiratione interna facta Patriarchis, quæ derivata est vi exempli, & consuetudinis ad reliquos è populo Israëlitico, ac proinde omnibus illis pluralitas uxorum licebat: quod tanquam notum supponitur. Deuteronom. cap. 20. *Si habuerit homo duas uxores:* & ita docent sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Sotus, & alii, quos refert, & sequitur Sanches de sacramento Matrimonii lib. 7. disput. 80. num. 12.

Nuptiæ intra tempus luctus

Nuptiæ, quæ à mulieribus intra annum luctus contrahuntur, turpitudine non carent. Luctus autem tempus regia lege definitum decem mensium erat, per quos mulier abstinere à nuptiis jubebatur, ut est testis Plutarch. in Numa. Ovid. 1. Fastor.

Quod satis est utero matris, dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Et idem lib. 3. Fastor.

Assuetos igitur numeros servavit in anno,
Hoc luget spatio fœmina mœsta virum.

Itaque, quod apud Senecam epist. 65. ad Lucill. legitur: *Annum fœminis ad lugendum constituisse majores:* de anno utique Romuli, qui decem duntaxat mensibus constabat, fusè à Macrobio lib. 2. cap. 12. Primi namque Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Impp. luctus tempus duobus mensibus auctum anno definière, ut ex eorum Constitut. in Codice Theodosiano, lib. 1. de secundis nupt. At Caligula die suo Natali, quo & Augusti templum consecravit, luctus inhibuisse, & præterea Viduis intra constitutum legitimum tempus nubere, nisi prægnantes essent,

essent, concessisse fertur. Dio lib. 59. & Heliogabalo refert Xiphilinus cum Pomponio Basso, è vivis sublato, ut ab uxore, cujus amore flagrabat, viri memoriam divelleret, eam protinus duxit, nullo ad lugendum virum spatio dato: Simili etiam ratione mulier post missum ex justa causa repudium, alii nubendi potestatem non habebat ex Impp. Theodos. & Valentin. Constitut. ut in l. si constante. C. de Repud. ne, ut ipsi ajunt, de prole dubitandi occasio daretur: Fuêre tamen Imperatores, qui etiam prægnantes sumpsere uxores, ut de Augusto refert Suetonius cap. 62. *Cum Scribonia divortium fecit, pertæsus morum perversitatem ejus, & statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem adduxit, dilexitque, ac probavit unice, & perseveranter.* Cæterum Livia apud Augustum Claudium Drusum Neronem intra trium mensium spatium peperit, quem natum Augustus patri Tiberio reddidit, refert Dio lib. 48. Octaviam quoque Augusti sororem post Marcelli viri sui mortem adhuc gravidam, ventreque pleno Antonio desponsam, Dio dicto lib. 48. Ut etiam Caligula Milioniam Cæsoniam adulterio sibi ante cognitam; & jam tum partui propinquam duxisse, ac trigesimo die pater fieri ex uxore, gloriosum duxit. Dio lib. 50. Sueton. in Calig. cap. 25.

Cum Virginibus Vestalibus jam nonnisi nefarias, & incestas nuptias contrahi potuisse: Heliogabalum tamen humani generis portentum Aquiliam Severam Vestalem duxisse, narrat Xiphilinus, quod etiam perstrinxit Lampridius in ejus vita: *In Virginem Vestalem incestum admisit.* Atque hæc sunt, quæ habui de legitimis, incestisque Quiritum conjugiis.

Qui plura desiderat, legat Andream Tiraquellum de Legibus connubialibus, & alios scribentes.

Cap. XXIV.

De Balneis.

Num. 38.

Balnea publica.

Adeo studiosi fuêre Veteres Thermarum, ut inter præcipua Urbium ornamenta censerentur, quam ob rem Diocletianas, Antonianas, & alias recensebant inter publica ædificia, quæ ex publico ærario ad ornatum civitatum construebantur. Plinius Jun. ad Trajanum de Prusiensium Balneo sic scribit epist. 25. cap. 10. *Prusienses, Domine, balneum habent, & sordidum & vetus: id itaque indulgentia tua restituere desiderant,* & infra: *Deinde quam ipsi pecuniam erogare in oleum soliti, parati sunt in opus balnei conferre, quod alioquin & dignitas Civitatis, & sæculi tui nitor expostulat,* & idem Epist. 41. meminit Balnei Claudiopolitanorum, quod minus apto loco construeretur, sibique tanquam Provinciæ Proconsuli Architectum mitti à Trajano postulat, ut de loco aptiori consulat.

Usos autem illos fuisse hujusmodi publicis Balneis: notum est, quod Hadriano Imperatore refert Spartianus in ejus vita: *Publice, & frequenter cum omnibus lavit;*

No 38 . pa . 128



No.38 . pa.128





No . 40 . p . 133

lavit; nam cum quodam tempore veteranorum quendam notum sibi in militia, dorsum, & cæteram partem corporis vidisset atterere; percontans, cur se marmoribus distringendum daret? ubi audivit hoc idcircò fieri, quod servum non haberet; & servis eum donavit, & sumptibus; verum alia die cum plures senes ad provocandam liberalitatem Principis pariter & se attererent, evocari jussit, & alium ab alio defricari.

Balnea habebant tres domos, sive cellas, ex Plinio Jun. lib. 2. Ep. ad Gallum. Quarum superior aëris erat calidi, & calidarium, sive sudatorium, quod in eo sudorem sicco calore provocabant, & Lanonicum dicebant: Mediam ex aqua tepida Tepidarium appellabant; in qua Labrum ubi considentes lavabantur, cujus Labri, & Balnei hic apposui Iconem: infima ex aqua frigida, Frigidaria dicta. Galenus lib. 3. de Sanit. tuenda addit Quartam cellam, in qua loti ungerentur, & ob id Unctorium dicta; Et de iis Cornelius Celsus lib. 1. cap. 4. Fulvius Ursinus in Appendice ad Ciacconium de Triclinio fol. mihi 71. *Divisio.*

Inserviebant Balnea primo ad sanitatem, & lassitudinem tollendam. Tullius ad Terentiam suam sic scribens ait: *Labrum, si in Balneo non est, fac ut sit.* Plato Dialog. 6. de Legibus: *Ubique autem in iis Gymnasia Juvenes, tam sibi commoda, quam senibus præparent; calidis Balneis constitutis, & copiosè siccis appositis lignis, ut & remedium ægrotantibus, & lenimen labore defessis agricolis afferantur: quæ sanè curatio longe melior est, quam medici parum periti medela.* Et Plaut. in Mercat. *Nunquam ædepol omnia Balnea mihi hanc lassitudinem adimerent.* Quamvis sobriè etiam sumenda; & non immeritò in antiquo lapide incisum à vetere Poëta: *Usus eorum.*

Balnea, Vina, Venus conservant corpora nostra:
Corrumpunt vitam Balnea, Vina, Venus.

Secundo inserviebant Balnea ad abstergendum sudorem: Hinc Magnum Alexandrum ex pugna lassum illico ad Balneum Darii jam fugati perrexisse, sic scribit Plutarchus: *Confestim armis exutis ad Balneum processit, dicens, eamus ad abluendum Darii Balneo ex pugna sudorem.*

Tertio Voluptatis quoque causa multi utebantur Balneis, quos voluptuarios irridet Plutarch. de Curand. Valet. *Alii Gulæ, & delitiarum causa projiciunt se ipsos in Balnea, festinantque ad escas.* Ac in iisdem Balneis partem diei insumebant, carmina, & historias recitando, & audiendo. Juvenal. Satyr. 7.

Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitosque suos ut forte rogatus;
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea dicat,
Nutricem Anchisæ, &c.

Veteres lotione Cœnam præveniebant Apulejus 4. Metamorph. ubi Anula quosdam sicarios, mensa jam instructa, sic alloquitur: *At vobis fortissimi, fidelissimique mei hospitatores Juvenes, affatim cuncta suavi sapore percocta pulmenta præsto sunt: panis numerosus, vinum probè calicibus effricatis affluenter immissum, & ex more calida tumultuario lavacro vestro præparata.* & statim ingressum eorum, qui cœnaturi erant in Balneum sic prosequitur: *In fine sermonis hujus, statim sese devestiunt, nudatique, & flamma* *Ante Cœnam.*

flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti mensas dapibus largiter instructas accumbunt.

Fuêre aliqui, qui Balneis utebantur non solum ante cibum, verum etiam postquam comedissent, ut digererent cibum, quem comederant. Hos damnat Persius Satyr. 3.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur:
Gutture sulphureas late exhalante Mephites.

Horatius quoque epist. 6.

Crudi, tumidique lavemur.

Crudi dixit pro non digesto, vel inconcocto cibo; ut propterea balneum repeterent capti voluntate escarum, & convivia iterum sumerent.

Clemens Alexandrinus indicans, quomodo Balneis uti debeant, maximè Christiani lib. 3. pædag. cap. 9. inquit: *Balnei quatuor sunt causæ per quas ad ipsum accedimus, vel enim causa munditiei, vel Caloris, vel sanitatis, vel postremo, voluptatis: se ergo voluptatis causa lavare rejiciendum est; sumendum est lavacrum mulieribus quidem mundationis causa & sanitatis, solius autem sanitatis viris.*

Christus ius Vsus.

Quam ob rem aliquando Christum in terris domestica balnea quoque frequentasse legimus: reprehenditur enim ab ipso Christo Pharisæus, Luc. 7. *Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti:* & aliàs cum ipse Christus illotus aliquando accubuisset, scandalo fuit Pharisæo, qui illum invitaverat, ut dicitur Luc. 11. *Rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se, & ingressus recubuit; Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere: Quare non baptizatus esset ante prandium?* Et erat hic sermo de ablutione totius corporis, cujus tunc erat consuetudo, ut etiam in lib. 2. Reg. 12. Sanctus Rex David deposito mœrore ob mortem filii Betsabeæ non prius mensam petere ausus est, quam de more ablueretur, ubi sic legitur: *Surrexit ergo David de terra, & lotus, unctusque est; petivitque, ut ponerent ei panem, & comedit.* Et quamvis Christus nequaquam frequens lavacrum petierit, quoties sibi accubendum fuisset, ut de corrupto Regionis, & seculi more sic refertur Marc. 7. *Pharisæi enim, & omnes Judæi nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum & à foro nisi baptizentur, non comedunt;* Negari tamen non potest, aliquando cum animarum lucrandarum causa balnea petiisse: *Ut omnia omnibus factus, omnes lucrifaceret;* & propterea balneorum voluptuarium usum redargueret; necessarium vel sanitatis, vel munditiei causa tantum permiserit.

Hinc advertendum, quod Hebræi duplici cœna sacrum Paschatis festum celebrare consueverunt; in priori enim cœna Agnum manducabant: Posteriorem autem cœnam instituebant, ut Azima ex Mosaicæ legis institutis inchoarent? Quam ob rem cum de more balneo, & pedum ablutione illi cœnam prævenire solerent; ita Christus in ultimo accubitu cum discipulis, ut duplici cœnæ duplex responderet pedum ablutio: consumpto jam Agno in priori Cœna; cum posterior cœna inchoanda, & aqua pedibus porrigenda fuisset à Ministris, Christus R. N. *Surgit à Cœna,* Jo. 13. nimirum à priori Cœna: *Præcinxit se linteo, & lavit pedes discipulorum.* Hoc autem

autem mystice factum, ut doceret Christus, quanta cum puritate, & animi candore accedere debeamus ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Consuevêre Veteres exercitiis, & corporis agitatione sudorem excitare. Clemens Alexand. lib. 3. pædag. cap. 10. *E Viris autem alii quidem nudi luctantur, alii vero parvo quoque globo ludunt, qui Phenis dicitur, maximè in Sole.* Et paulò post: *Est enim honestior, & virilior, quæ cum decoro robore fit hoc modo exercitatio, quæ utilis, & conducibilis sanitatis gratia assumitur:* unde exercitationis causa, sudandique gratia balnea instituta fuêre. Cornelius Celsus lib. 1. cap. 2. *Exercitationem optimè sequitur modò Unctio, modo balneum,* quia non solum balneo sudorem compescebant, ut vidimus supra de Alexandro Magno, sed etiam Oleo. Seneca teste in præfat. lib. 1. Controvers. *Nulla unquam illi cura vocis exercendæ fuit, illum fortem agrestem.* Et paulo post: *Non sudorem olei Unctione discutere, non latus ambulatione reparare.* Ad hoc semper in balneis destinata erant Oleum, & Unguenta. Sidonius lib. 2. Epist. 2. de Balneo ait: *Hic aquarum surgit Cella coctilium, quæ unguentariæ spatii parilitate conquadrat.* Ac etiam de Unguentis ad perfectam balnei rationem, Leontii Epigr. in Florilegio Epigramm. lib. 4. n. 32.

Post exercitia.

De Unctione.

Ædificavit me communi in vestibulo lavacri
Civis Vir, virtutis causa, non contentionis.
Illud curæ sit multis, ego vero paucisque, & amicis
Exhibeo lavacra, & Unguentum, & gratias.

Ac etiam certatores, & luctatores, nisi tantummodo uncti, in arenam descendebant Virg. 3. Æneid.

Exercent patrias oleo labente palæstras *Nudati socii.*

& 5. Æneid.

Cætera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.

Etiam mos fuit ungendi post varias corporis agitationes; sicuti Lampridius de Alexandro Severo inquit: *Post lephionem, operam palæstræ, aut Sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabit: atque inde Unctus lavabatur.*

Ungendi autem officio fungebantur in Balneis servi, qui ab eo Unctores dicti sunt. Senec. lib. 7. Epist. *Supra ipsum balneum habito, cum in aliquem ac plebeja Unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris.*

Unctores Gutto utebantur; ut inquit Varro, oleum, lavantibus se in Balneo, guttatim fundebant. Juven. Satyr. 3.

Pleno componit lintea Gutto.

Et ad hoc in usu erant, Ampullæ Apulejus lib. 2. floridorum inquit: *Strigilem, & ampullam, cæteraque balnei utensilia nundinis mercari.* Nam Rhinocerote potentiores tantum utebantur. Juvenalis:

Magno cum Rhinocerote lavari
Qui solet.

De strigili.

Utebantur etiam in Balneis tum ad fricandum corpus, sudoremque eliciendum, tum ad abstergendas sordes ænea strigili, cujusmodi multæ reperiuntur in antiquis ruderibus Thermarum, cujus Iconem hic delineandam curavimus, sicuti etiam supra apposuimus aliam figuram Pueri cum strigili, & Gutto præ manibus, unde Persius Satyr. 1.

Num. 39.

I, Puer, & strigiles Crispini ad Balnea defer.

& Juvenalis Satyr. 3.

Et sonat unctis strigilibus.

Nam Uncti oleo strigilibus radebantur sudantes, deinde linteis ad id paratis tergebantur. Plinius lib. 28. cap. 4. solum quoque remediorum maximum ab ipso sibi præstari potest, sicut linteorum, strigilumque vehementia. Martial. lib. 14. 15.

Pergamus has misit curvo distringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Distringere eleganter est sudorem strigilibus siccare & detergere apud Senecam Epist. 123. *Ut sudorem, quem moverunt, potionibus crebris & ferventibus, subinde distringat.*

Offendebantur aliquando corpora nimio Strigilis usu, ut scribit Sueton. in August. cap. 80. *Cum nimio strigilis usu cutem læsisse.* Delicatiores homines, & eos præcipuè, qui mala erant valetudine; spongiis, & linteis interdum uti solitos fuisse, tradit Plinius lib. 31. cap. ult. ibi: *Præstant & strigilum vicem, linteorumque affectis corporibus.*

Non prætermittam hic recensere formam strigilis, ac etiam, Gutti seu ampullæ ad effundendum oleum in Balneis: hæc graphicè delineata ab Apulejo lib. 2. florid. dicente: *Magno in cœtu prædicavit fabricatum sibi semet ampullam quoque oleariam, quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate, juxtaque honestam strigileculam recta fastigiatione clausulæ, flexa tabulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Et de puero inserviente in Balneis Domino cum strigili, & Gutto apposui Iconem.

Locus verò in Balneis, in quo ungebatur, Unctorium vocabatur. Plinius Jun. lib. 2. Epist. ad Gallium ait: *Adjacet Unctorium.* De variis Unguentorum generibus in Balneis, & hujusmodi ad materiam latè Fulvius Ursinus in Appendice ad Ciacconium de Triclinio, ac etiam Guglielmus Choul in tractatu de Balneis.

Qui Balneis præerant, Balneatores dicebantur, ut in marmore antiquo: *Anteros Balneator.* Capitolinus in Claudio secundo: *Balneatorum unum, & ad balnea, &c.* Hi quadrantem exigebant ab iis, qui lavabantur Juven. Satyr. 2.

Nec pueri credunt, nisi qui, nondum ære lavantur.

& Horatius lib. 1. serm. Satyr. 3.

Dum te Quadrante lavatum Rex ibis.

De separatione.

Balnea olim erant Mixta, in quibus lavabantur Viri, & Mulieres: Hadrianus autem Imperator inprimis Viros à Mulieribus discretos lavari edixit, ut scribit Spartianus in Hadriano, ibi: *Lavacra pro sexibus separavit.* Et Capitolinus in M. Aure-

lio:

ſio: *Lavacra mixta ſubmovit.* & Lampridius in Alex. Severo ait: *Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit:* Vitruvius lib. 5. cap. 10. apertè oſtendit Balnea Virorum disjuncta à Balneis Mulierum fuiſſe; ita tamen ut in iisdem regionibus collocata eſſent, ſic ait: *Uti Caldaria Muliebria, Viriliaque conjuncta, & in iisdem Regionibus ſint collocata; ſic enim efficietur uti Vaſaria ex hypocauſto communis ſit eorum utriſque.*

Lampridius in Alexandro ſcribit Eunuchos Balneis Fœminarum ab Alexandro præpoſitos fuiſſe.

Tempus autem, quo Balnea paterent, indicant Lampridius in Alexandro cum ait: *Addidit & oleum Luminibus thermarum, cum non ante Auroram paterent, & ante Solis occaſum clauderentur.* Vopiſcus in Tacito: *Thermas omnes ante Lucernam claudi juſſit.*

De tempore.

Lavationi tamen hora eadem erat aſſignata, quæ exercitationi, & hanc fuiſſe octavam in nonam ex Martiali lib. 4. Epigr. ad Euphemum:

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris.

Nam exercitationes, & Palæſtram ſtatim conſequebatur Lavatio; Cicero lib. 13. Epiſt. ad Atticum dicit: *Poſt horam octavam in Balneum*; itaque Spartianus in Hadriano inquit: *Ante octavam horam in publico Neminem niſi ægrotum lavari paſſus eſt.* Plinius Junior lib. 3. Ep. 1. *Ubi hora Balnei nuntiata eſt: eſt autem hieme nona, æſtate octava.* Ipſa autem lavandi Hora indicabatur ſonitu Tintinnabuli ex Martiali lib. 14.

Redde pilam, ſonat æs Thermarum, ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

Plinius dicta Epiſt. 1. lib. 3. *Ubi hora Balnei nuntiata eſt: Lotus accumbat, & pauliſper cibum differat.* Nam data Lavationi opera, & loto unctoque corpore, ut ex figura appoſita inferius Cœnas inibant. Cicero Epiſt. ad Atticum: *Poſt horam octavam in Balneum; & Unctus accumbit.* Et Apulejus lib. 4. de Aſino inquit: *In fine ſermonis hujus ſtatim ſe ſe deveſtiunt, calidaque perfuſi, & oleo peruncti; menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.*

Num. 40.

Tandem ubi Balnea exiviſſent, ſoleas, & ſovos accipere conſueverant, ut à ſoli contactu, & ſordibus pedes à Balneo nudos contegerent, atque defenderent: Hinc Martialis lib. 12. Epigr. 84. *Et ſi jam lotus, jam ſoleatus erit.* Verum ingreſſi cœnaculum ne ſtragula atque ſtrata luto fœdarent, antequam recumberent, deponebant ſoleas miniſterio ſervorum, & puerorum. Plautus in Truculento: *Jam rediit animus, deme ſoleas, cedo Vinum.* & Plutarch. lib. 7. Sympoſ. quæſt. 8. *Ut ne à puerulis quidem, qui Dominis modeſtis calceos portant, ſpectari ea deceat.* Ut videre eſt in figura hic appoſita.

Non reticebo quod circa varia loca, & Cellas, quæ in Balneis reperiebantur, latè & eruditè ſcripſit Guglielmus Choul. in tractatu de Balneis, ad quem rejicio lectorem.

Et quoniam mos fuit apud Romanos expletis Balneis ad Cœnandum tranſire, ideo de Tricliniis in ſequenti Capitulo dicemus.

Cap. XXV.
De Conviviis & Tricliniis.

Triclinium quid sit?

TRiclinium, Conclave, Cœnaculum erat locus, in quo discumbebant, & cœnabant, à tribus lectis, quos in eo sternebant, nomen habens. Hinc Horatius lib. 1. Satyr. 4.

Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos.

In iis cœnaculis Romani veteres sedentes cœnare soliti erant, Virgil. 8. Æneid.

Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Ubi Servius mensis, id est longis ad ordinem exæquatis sedentium; majores enim nostri sedentes epulabantur. Et apud Græcos teste Homero in Odyss.

Hieme
Ante focos olim scamnis considere longis,
Mos erat.

Postquam autem, ut inquit Varro lib. de Vita Populi Romani, non jam sedentes, sed accubantes omnes cœnabant (Imitantes in hoc forsan Persas, qui jam ante consueverant accumbere in cœna, & legitur in libro Hesteris cap. 1. de Convivio Assueri, & in lib. Tobiæ cap. 2. & 7.) lectos non dissimiles illis in quibus dormiebant, facere cœperunt, quos Triclinares appellabant. Cic. orat. 4. in Verrem. *Jam non quæro, unde tantam Melitensem vestem habueris, unde quinquaginta Tricliniorum lectos?* Et hæc Triclinia pretiosa erant, Plinius lib. 16. c. 43. *Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic cedrum pretiosius fieri, sic acer despici: modo luxuria verò fuerat contenta ligno, jam lignum etiam è testudine facit* Ut latè Petrus Ciacconius de Triclinio, fol. mihi 2. & Fulvius Ursinus in ejusdem Appendice fol. 123. & seq. & Bulingerus de Conviviis lib. 1. cap. 30. & 31.

Lecti Principum altiores.

Lecti autem Magnorum Virorum, Illustriorumque Personarum altiores erant, Virgil. 2. Æneid.

Inde toro Pater Æneas sic orsus ab alto.

Itaque ad eos gradibus ascendebant. Ciacconius. Ubi supra fol. mihi 6.

Stragulis injiciebantur pulvini Triclinares; & in marmoribus antiquis videmus accumbantes Pulvinis cubito innixos Martialis lib. 3.

Cubitis trudit hinc, & inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.

Loti cœnabant.

Jam strato Triclinio Convivæ Loti cœnatum veniebant, aut apud ipsum Convivii Dominum lavabant, Plautus in Stico: *Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum. Ep. Abi intro ad me, & lava.* Et apud eundem Plautum in Persa. Convivæ advenienti quidam ait: *Locus hic tuus est, hic accumbe, ferte aquam pedibus: præbe tu puer?*

Vestis mutatio.

Vestem deinde mutabant Cœnatoriam, sive Convivalem, sumebant etiam ii, qui luctus causa atrati erant. Petronius Arbiter. *Cœnatorias repetimus, & in proximam*

ximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti erant, soleas demebant, cum accumbere vellent. Cicero in Vatinium: *Atque illud etiam ex te scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in Epulo Q. Arri familiaris mei cum toga pulla accumberes?* Et inferius: *Cedo, quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud Epulum est funebre, ut munus sit funeris, Epulæ quidem ipsæ dignitatis.*

Sumpta Cœnatoria jam discumbitur, & ne pretiosam vestem stragulam lutulentis, aut sordidis Calceis inquinarent, Soleas deponebant. Paulus in Truculento:

Jam rediit animus deme soleas, cedo Vinum.

Manus lavabant.

Postquam se in lectis ordine collocaverant, manus lavabant Virg. 1. Æneid.

Jam Pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur Ostro,
Dant manibus famuli lymphas.

Et Plautus in Persa: *Date aquam manibus, apponite mensam.* Et Romani aliquando post singulos missus laverunt. Lampridius in Heliogabalo: *Exhibuit aliquando tale Convivium, ut haberet viginti, & duo fercula ingentium epularum, & per singula manus, quasi jam comedissent, lavarunt.*

Vnguenta dabantur.

Unguenta deinde dabantur, quibus caput, & barbam ungerent. Martialis lib. 3.

Unguentum fateor bonum dedisti
Convivis Here, sed nihil scidisti.

Corona.

Coronæ etiam dabantur ex iis floribus, quos anni tempus subministrabat: sed maximè Rosa aliisque, quæ ebrietatem prohiberent, & caput non gravarent: Has quidem Capiti, nonnulli Collo, aliis Brachiis aptabant, ut in antiquis marmoribus videmus. Cicero Verrina 5. *Ipse autem Coronam habebat, unam in capite, alteram in collo.* Coronabant autem Pocula, non se ipsos, nisi in privata cœna essent, quia Ebriorum fuit se ipsos coronare. Plautus in Amphitr. *Capiam Coronam mihi in caput, assimilabo me esse ebrium.* Propertius: *Cùm tua propendent dimissæ in pocula serta.* Virgil.

Et Vina coronant;
Pateramque Corona induit.

Theocritus: *Cinge poculum purpureo ovis flore.* Festus antiquissimum genus fuit Coronarum lanearum, & de iis vide Bulingerum de Conviviis lib. 3. cap. 24.

Numerus convivarum.

De Numero Convivarum à Varrone apud A. Gellium lib. 13. cap. 11. ita definitur: *Ut non pauciores sint, quam tres, nec plures, quam novem; ut numerum Gratiarum æquent, aut Musarum.* Atque ideo in pleno Convivio plerumque terni in lectis, nonnunquam & quaterni accumbentes. Horat. lib. 1. Satyr. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare Quaternos.

Et aliquando etiam Quini, ut apud Ciacconium dict. tract. fol. mihi 28. Quamvis apud Suetonium in Augusto Cœna fuit, in qua duodecim Convivæ, duodecim Deorum nomine, & specie. Et apud Macrobium in Pontificiæ cœnæ descriptione in duobus Tricliniis decem convivæ nominantur.

Ordo Discumbentium.

Pro cujusque autem Dignitatis fastigio discumbebant in lectis ordine servato, ut ex Plutarcho de Convivalibus quæst. lib. 1. quæst. 3. Verum enim verò quod ipse-

ipse ait, medii lecti ultimum locum digniorem fuisse apud Romanos, idque cum Consul convivio intererat, fortasse perpetuum fuit: cum verò Pontificales Cœnæ dabantur, aut ipsi Pontifices adhibebantur Convivis, medii lecti primus locus præcipuus erat; ut apud Græcos liquet solitum fuisse ex A. Gellio de Pontificalibus libris ibi: *Super hominem Dialem in Conviviis nisi Rex sacrificulus haud quisquam alius accumbit.* Et latè Ciacconius, fol. mihi 23. & Bulingerus lib. 1. cap. 34.

Mulieres an, & quomodo discumberent.

Quamvis soliti fuissent viri discumbere; Mulieres tamen ut plurimum sedebant, quia turpis visus est in Muliere accubitus Val. Maximus lib. 2. cap. 1. Bulingerus lib. 2. cap. 32. Nihilominus etiam Mulieres fuisse aliquando solitas infra eos hoc est in sinu eorum accumbere, qui eas amarent, sive sociam ducerent. Juvenalis Sat. 2.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna; sed in gremio jacuit nova nupta Mariti.

Ex Cicerone, Suetonio, & Livio citatis à dicto Ciacconio, fol. mihi 23. Atque auctore Plutarcho is locus Uxoris, aut filiorum, aut alioquin Carorum hominum inter honestas personas fuit. Plin. Junior lib. 4. Epist. *Cœnabat Imperator Nerva cum paucis Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Sicuti etiam Amicos in sinu Amantis accubuisse apud A. Gellium lib. 7. cap. 12.

Situs corporis.

Proni Cœnæ initio in Ventrem decumbebant pulvinis pectoribus appositis, quo utraque manus ad vescendum esset liberior; procedente autem tempore in cubitum se reponebant, aut si loqui nollent supini jacebant. Hinc Plutarchus lib. 5. sympofiacon quæst. 6. Quærit cur cœna initio angustè, & postmodum laxius discumberent? eamque rationem reddit, quod scilicet principio in ventrem, postmodum verò laxius discumberent, quia supini. Hinc Horat. lib. 2. Satyr. 4.

Languidus in cubitum jam se conviva reponet

& hæc omnia in marmoribus expressa videmus.

Mensa quid sit?

Mensa dicebatur, in qua ponebantur Vasa tum Escaria, tum Vinaria. Martial. lib. 4. Epigram.

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit.
Ornatus dives, parvula cœna fuit:
Auro non dapibus ornatur mensa, Ministri
Apponunt oculis plurima, parva Gulæ,
Tunc ego, non oculos sed Ventrem pascere veni:
Aut appone dapes Vare, vel aufer opes.

Et Ovidius:

Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyeo.

Ministris.

Hinc apparet Pocula apponi solita in mensa, non autem à Ministris porrigi, Ciacconius dicto tractatu fol. mihi 38. Quamvis Pueri scituli, & puellæ Conviviis ministrarent. Horat. Satyr. 8. lib. 2.

Ut omnes
Præcincti Pueri rectè, comptique ministrent.

Homer. 4. Odyss. ait: *Proma, conda, modesta cibum apposuit, varia fercula ferens, scissor*

cissor apposuit lances carnium variarum, &c. Apposuit illis varia pocula; ancilla autem manibus lavandis fudit aquam ex infundibulo, seu gutto aureo, subpelvi argentea. Senec. Ep. 96. *Aderit ministrorum turba linteis succincta, per quos signo dato ad inferendam cœnam haud obstrepenter discurritur.* Ammianus lib. 26. *Tunica auro distincta, ut Regius minister.* Qui autem parum scitè ministrabant, aquam bibere cogebantur, Lucianus in Sacerdote, & Crono: *Ministrorum alios in aquam incidere: hac enim mulcta mali ministerii.*

Non defuêre præterea in conviviis Pocillatores, seu Pincernæ, qui vinum miscebant; talis apud Superos dicitur Ganymedes, quem ab Aquila raptum Jovi pocula ministrare fabulantur, & apud Homerum in Odyss. Filius Menelai vina porrigebat: ingenui enim, & nobiles adolescentes in Græcia sic ministrabant in conviviis, ut apud Juvenal. Satyr. 9. **Pocillatores.**

— — Puerum te
Et Pulchrum, & dignum cyatho.

Ac refert Bulingerus de Conviviis lib. 4. cap. 6. quod etiam demonstratur ex ænea veteris Pocillatoris Imaguncula, quam inter cætera mea Cimelia retineo, eamque hic delineari curari; & habet is Pocillator Pateram dextera, & Phialam sinistra manu, quæ instar cornu est effigiata: siquidem de hujusmodi poculorum forma refert Athenæus lib. 11. pag. mihi 476. *Priscos fama est atque primos homines Boum cornibus olim bibisse.* Xenophon. lib. 7. expedit: *Mutuo se primo quidem salutarunt, deinde, ut Thracibus mos est, Vini Cornua protenderunt*; & simile etiam refert Plutarchus de Ira. **Num. 41. Pocula.**

Celabantur etiam apud priscos aurea, & argentea Pocula, & alia Vasa, ut apud Statium lib. 1. Thebaid. & refert Bulingerus de Conviviis lib. 4. cap. 14. Etenim veteres Romani potius ingenio, quam consilio varias utensilibus etiam induxerunt figuras, ut neque in lautitiis ad festivitatem ab obscœnis temperatum fuerit; inde Juvenalis Satyr. *Vitreo bibit ille Priapo.* Quam fœdissimam consuetudinem egregiè taxavit Plinius in Procemio lib. 33. hist. nat. *In poculis libidines celare juvit, ac per obscœnitatem bibere.*

Fuêre quoque apud Priscos in Conviviis Prægustatores, qui Regios cibos, & potus prægustarent ex Q. Curtio lib. 10. *Philippus, & Cottas potum Regis prægustare soliti.* Tacitus 12. Annal. *Inferre Epulas, & explorare solitus.* & lib. 13. *Pocillatores Regum, postquam dederint phialam Principi, haurientes cyatho, ex eo in manum dexteram effusa sorbent.* **Prægustator.**

Discumbentes se inter Convivas invitabant ad bibendum. Ovid. 3 Fastorum: **Invitatio ad bibendum.**

Sole tamen, vinoque calent, annosque precantur
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per Calices facta Sybilla suos.

Ita & similiter in iis vovebant Diis, Plinius l. 14. c. 13. *L. Papirius Imperator adversus Samnites dimicaturus votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini.* Livius lib. 10. *Voverat Jovi Victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi priusquam temetum biberet.*

Magister potandi.

Constituebant etiam Magistrum Potandi. Varro lib. 20. Rerum human: *In conviviis, qui sint instituti potandi modi Moderatores.* Cicero in Catone: *Me verò magisteria delectant, & is ordo, qui more majorum à summo adhibetur in poculis.*

Ordo dapium.

Cœnæ initio Ova apponebantur Cicero in Epist. famil. *Integram famem ad Ovum affero.* & Horatius lib. 1. Satyr. 3.

Si collibuisset ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacche.

id est ab initio Cœnæ usque ad mensam secundam, quæ Pomis seu malis constabat.

De Varietate Dapium, & Qualitate vini in Conviviis Romanorum, vide quæ latè scripsit Bulingerus lib. 2. & 3.

Apud majores singulis Convivis suæ certæ partes tribuebantur, postea in commune vesci, civilius visum ex Plutarcho lib. 11. Symposiacon quæst. 16.

Acroamata & Symphonia. Spectacula & similia.

Inter cœnandum Acroamata omnis generis adhibebantur, nam aut Symphonia personabat Triclinium aut Instrumenta, aut organa varia concinebant, Tragœdiæ, Comœdiæ, Mimique agebantur, aut spectacula alia jucunda inducebantur, odores naribus gratissimi. Seneca de Vita beata cap. 11. *Vides hos eosdem è suis lectis spectantes Popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitur corpus, & ne nares interim cessent, odoribus variis inficit locus ipse, in quo luxuria parentatur.* Sic Plautus in Menech. *Sternite lectos, incendite odores* & de Neronis cœnationibus mira hæc effert Sueton. in Neron. cap. 31. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis, versatilibus, ut flores, fistulatis ut unguenta desuper spargerentur.* Elephantes etiam inductos refert Plinius lib. 8. cap. 11. *Plenis hominum Tricliniis accubitu Elephantes iere per lectos, ita libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur.* Et quod horrendum fuit in lætiori convivio solenne fuit, paria aliquot Gladiatorum exhibere ad puguam. Silius lib. 11. Belli Punic.

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde,
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira,
Certatum ferro sæpe, & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Lampridius de Antonino: *Gladiatores ante Convivium pugnantes sibi frequenter exhibuit.* & de iis vide late Lipsii Saturnalia de Gladiatoribus lib. 1. cap. 6.

Pueri quoque Pavonio Flabello muscas abigebant. Martialis Dist.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superbia fuit.

Flabellum.

Vel Ventum faciunt ex Propertio:

Et mihi Pavonis cauda flabella superbi.

Ministri stabant ad pedes.

Inter lectos, & Triclinii parietes relinquebatur tantum spatii, quantum satis esset servientibus ad ministrandum, qui dicebantur ad pedes stare. Martialis in Zoilum lib. 3.

At ipse retro flexus ad pedum turbam.

&in

& in Santram. lib. 7.

Nec exculenta sufficit gulæ præda,
Mifto lagenam replet ad pedes Vino.

Quod autem ad pedes ftarent miniftri Triclinares Seneca lib. 3. de Benef. *Servus qui cœnanti ad pedes fteterat.* Ut ex Appendice Fulvii Urfini Ciacconium fol. mihi 112.

Ad pedes autem Domini difcumbentis ftetiffe Mulierem peccatricem miniftrantem. Luc. 7. *Mulier quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod Jefus accubuit in domo Pharifæi, attulit alabaftrum unguenti, & ftans retro fecus pedes ejus, & capillis capitis fuis tergebat, & ofculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Veteres non folum caput, & pedes unguento ungebant; verum unicuique corporis parti idonea unguenta affignabant. Ut in dicta Appendice F. Urfini fol. 132. mihi.

Peccatrix ad pedes Domini.

Abeuntibus Conviviis à Convivii Domino dabantur Apophoreta. Sueton. in Caligula: *Agitatori Euthyco Comeffatione quadam in Apophoretis vicies HS. contulit.* D. Ambrof. in exhortat. ad Virgines: *Qui ad Convivium magnum invitantur, Apophoreta fecum referre confueverunt.*

Apophoreta.

Illud non omiferim, ambiviffe quosdam magno conatu, & ingenti nonnunquam pretio redemiffe à Vocatoribus, ut Convivio Principis adhiberentur. Sueton. in Caligula: *Compererat Provincialem locupletem ducenta. HS. numeraffe vocatoribus, ut per fallaciam Convivio interponerotur: nec tulerat moleftæ tam magno æftimari honorem Cœnæ fuæ.* Porro ducenta feftertia, quinque millia fcutatorum funt.

Ambiviffe quosdam convivia Principis.

Demum pro Coronide adducam Tertullianum in Apologet. De conviviis Chriftianorum: *Non prius difcumbitur, quam oratio ad Deum prægufletur, editur, quantum efurientes capiunt, bibitur, quantum pudicis eft utile; Ita faturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum fibi effe: ita fabulantur, ut qui fciant Dominum audire. Poft aquam manualem, & lumina, ut quisque de fcripturis fanctis, vel de proprio ingenio poteft, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur, quomodo biberit, aque oratio convivium dirimit, inde difceditur.*

Convivia Chriftianorum qualia?

In iis autem conviviis, quæ Dominus, & Redemptor nofter, dum inter homines verfaretur, iniiffe memoratur, omnia more Romano adminiftrata fuiffe inferius reperiemus: Quoniam Hebræi jam inde à Pompejo in ditionem, poteftatemque Romanorum redacti, ad Victoris, dominantisque Populi inftituta fe, victusque fui rationem accommodaverant.

Chriftum iniiffe convivia more Romanor.

Romani tribus Lectis in Cœnaculo ftratis apparabant Convivia; & Chrifti difcipuli Cœnam illam apparaturi quæ fuit extrema ante Paffionem. *Invenerunt Cœnaculum grande ftratum, & ibi paraverunt.* Luc. 22.

Num. 42.

Tribus autem lectis eos cœnaffe illud indicio eft, quod cum tredecim effent, in eandem omnes patinam porrigebant manus: quod fi menfæ perpetuæ fuiffent, fieri haudquaquam poffet. *Qui intingit mecum manum in Parøpfide hic me tradet,* Matt 26. neminem ex illis hac voce defignans, cum omnes id ex æquo facerent.

Romani Loti, & Uncti convivia inibant, & Chrifti difcipuli Loti accubuerunt, quia cum Petrus primo negaret, ut fibi Chriftus pedes ablueret, & poftea idem caput,

put, & manus abluendas offerret, audit à Domino. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, & est mundus totus*, Joh. 13. quo significatur illos lotos discubuisse, nec debuisse abluere, nisi si quid sordidum pedes interveniendum fortè contraxerant: & alioquin Judæi omnes ex Marco 7. nisi lavissent manus, non manducabant, & à foro, nisi baptizarentur, cibum non sumebant.

Unctos verò fuisse persuadere videtur: cum Christus objecerit Simoni, quod ab eo invitatus ad cœnam id officii non exhibuisset Luc. 7. *Veni in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, oleo caput meum non unxisti.* Et à tali unctione Dominus non abhorruit inter Divina præcepta Matth. 6. *Tu autem* (ait) *cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.*

Romani accubituri vestem mutabant, & Christi discipulos vestem mutasse apparet, quod Adolescens (quem Joannem fuisse Ambrosius testatur) à Cœna in hortum cum Christo secedens: *Amictus sindone super nudo*, ostendit, ex Marc. 14. quasi veste Cœnatoria adhuc indutus, quod si solitum illi, & quotidianum fuisset, non utique ab Evangelista memoria traderetur: & in marmoribus antiquis videmus accumbentes una tantum veste super nudo: pariter & ille, qui non indutus veste Nuptiali in Convivium irrepsit, in tenebras exteriores projici jubetur, Matth. 22. & hanc eandem cœnatoriam vestem habuisse Christum in ultima Cœna, tradit Baronius in annum 34. ubi Spondanus n. 12.

Manus lavabant illi ante cœnam: & hos etiam abluisse credendum est, postquam eis à Pharisæis vitio datum est, quod illotis manibus cibum sumerent, Matth. 7. Nam hujusmodi scandala vitare nitebantur: *Ne scandalizemus eos*, (dicit Dominus Petro) *vade, da illis pro me, & te*, Matth. 17.

Accumbentes, non sedentes cœnabant Romani: & hos similiter accubuisse, cum Evangelistæ utantur semper verbo accumbere, & recumbere.

Triclinares Lectos, in quibus Christus, cœnabat, altiores fuisse patet, quod *Mulier illa stans retro secus pedes ejus*, Luc. 7. Stans, inquam, non procidens, non genu nixa eos lachrymis rigat, & capillis tergit; quo Lectorum altitudo ostenditur.

Soleas illi deponebant Accubituri, nudisque pedibus cœnabant: & Christus nudos Discipulorum pedes abluit; & Maria ipsius Domini nudos pedes lachrymis rigat; Cum calceatum incessisse Christum innuat Joannes Baptista, Matth. 3. & apud Marcum 6. legatur misisse Christum Discipulos, ut Evangelium prædicarent, non habentes æs in zonis, sed tantum calceatos sandaliis.

Romani liberos, & charos suos habebant in conviviis infra se, hoc est in sinu suo collocabant: & Joannes Christo maximè charus in ejus sinu recubuit. Joh. 13.

Regem Sacrorum apud Romanos summum locum medii lecti in Pontificalibus cœnis occupare solitum, neminemque supra eum accubuisse: & in iis Pontificalibus cœnis Christus vere Rex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech eundem locum occupat, nec quisquam super eum accumbit; alioquin non potuisset

Maria

Maria alabastrum unguenti effundere super caput recumbentis, si in medio lecto accubuisset, aut ipsum Joannem in sinu habere, si in imo.

Romani aliquando Quini etiam in Lectis discumbebant, ut diximus: & Christi Discipulos, verisimile est, Quinos duobus in Lectis discubuisse, in reliquo tres tantum, nempè ipsum Dominum, & Joannem, & fortasse Petrum; qui proximus Joanni innuit, ut ex Domino auctorem tanti facinoris quæreret. Joh. 15.

In commune illi vescebantur: & isti in commune vescuntur, in eandem patinam manus porrigunt omnes. Matth. 26.

Magistrum potandi, seu vini illi constituebant: & in Nuptiis Canæ Galileæ, in quibus Christus interfuit, fuisse Archítriclinum apparet. Joh. 2.

Spectacula fecisse Romanos in conviviis: Et quale spectaculum cum Cœli, & Mundi Dominus positis vestibus, linteo præcinctus pedes Discipulorum lavit, & linteo tersit? Joh. 13.

Comœdiæ apud Romanos inter epulas agebantur: & quæ similis Catastrophe; Quod mulier illa in civitate peccatrix lachrymis lavit pedes Christi, & capillis tersit, Luc. 7. Et hoc non sine insigni corollario, cum Dominus ad hanc mulierem conversus dixit: *Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te salvam fecit; Vade in pace.*

Quis Symphoniæ cantus cum Divino illo Hymno similis? Matth. 26. *& Hymno dicto exiêrunt in montem Oliveti:* Paulus Brusensis scribit; Judæos loco gratiarum actionis post cœnam solitos recitare septem Psalmos, id est à Psalmo centesimo duodecimo incipient. *Laudate pueri Dominum.* usque ad Psalmum centesimum decimum octavum; Judæos enim aliqua certaque gratiarum actione uti solitos, non solum Interpretes, verum in Deut. habetur c. 8. ibi: *Cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi:* & hoc etiam refert Maldonatus in Matth. 26. v. 30.

Quamvis Baron. in annum 34. ubi Spondan. n. 19. velit ex Rituali Hebræorum moris fuisse apud illos in singulorum solennium cœnis recitare Psalmos ad Mysterium ejus diei accommodatos: in Paschali verò consuevisse dici Psalmum 113. incip. *In exitu Israel de Ægypto.* & breves alios.

Nec defuerunt odores illi convivio. Joh. 12. *Effuso enim alabastro unguenti Nardi pistici pretiosi impleta est domus ex odore unguenti.*

Abeuntibus Romanis è convivio dabantur illis à Domino pretiosa Apophoreta. At liberalissimus, & sui nimium profusus Christus Dominus ex hoc mundo ipse discedens, Matth. 26. pretiosissimum Corpus suum, & sanguinem in Apophoreta conviviis dedit, ut sibi haberent, & secum domum deducerent.

Demum quoniam Romani ambibant, & magno pretio redimebant, ut inter amicos Principis ejus Epulis interessent: ambiamus, & nos quoque, qui sectatores Christi sumus, ut peccatorum sordibus ablutos, bonorum unguento nitidos, nuptiali stola innocentiæ indutos suis epulis Princeps noster adhibeat, ut edentes & bibentes super mensam ejus, illis gaudiis lætemur, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

Cap. XXVI.
De Funeribus Romanorum.

Num. 43. EX Priscorum Romanorum antiquitate, omissis Funerum Ritibus exterarum nationum, collegi, & lectitavi res tetras, ac frivolas; nempe Mulierum præficarum voces, quæ mercede conducta Næniis aliena funera emptis lacrymis decorabant.

Putarunt siquidem Ethnici, quod omnis vita, aut Fortuna terminaretur, ut in Didonis persona. Virgil. 4. Æneid.

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna, peregi.

Vel Fato constitueretur, ut in 2. Æneid. cum de Priami morte loquitur Pcëta:

Hæc finis Priami Fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit.

Nos autem, qui veram Religionem agnoscimus, Divinæ dispositioni terminum vitæ tribuimus. Job. 14. *Numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

Propinqui assistebant morituro.

Peracto vitæ cursu Romani constituerunt omnibus funeris Ritum. Primum propinqui circumstantes morientis lecto assidebant, cum jam deficere videretur, ignemque amitteret, & frigesceret, quo ultima illius verba attentiores exciperent: nam Divino aliquo instinctu inflatuque incitatus morientium animus credebatur, qui urgentibus fatis perfectiorem haberet futurorum quandam prædictionem, & præsentionem; scriptores omnes verba illa, quam maximè observarunt; inter hos Suetonius in Augusto cap. 99. quem in osculis Liviæ, & in hac voce defecisse tradit: *Livia nostri conjugii memor Vive, & Vale.* Morientis Bruti verba præteriti temporis recordatione studiosos virtutis tangent. Dion. lib. 47. *O misera virtus: ego te tanquam rem aliquam exercui: Tu verò servis fortunæ.* Quod forsan succedet, dum tempora erunt inimica Virtuti.

Inter ultima morientis Verba, Complexus, & Oscula; si quis præsens charior morienti esset, annuli ei tradebantur, quem ut plurimum scribebat Hæredem. Val. Max. lib. 7. cap. 9. quod tamen nihil ad institutionem profuit, nisi testamento probaretur, & firmaretur, ut Papiniani responso deciditur l. cum Pater §. Pater pluribus de Legat. 2.

Refert Gyraldus de vario sepeliendi ritu. Quod morientis spiritum etiam propinquiorum, ut mater, frater, soror excipiebant. Tullius action. 10. in Verrem: *Patres jacebant in limine, matres miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.* Sororem Didonis Annam Virg. introducit, quæ:

Extremus si quis super halitus erret:
Ore legat.

Quod etiam viri præstiterunt, ut Pœdo in versibus suis:

Sospite te saltem moriar Nero, tu mea condes
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Morien-

Morientem nomine propriio magno cum clamore vocabant. Servius in 4. Æneid. cum primum illum putabant obiisse: tum illius claudebant oculos & mos fuit parentibus, cum morerentur liberi, oculos claudere, ut liberis Parentes. Martialis lib. 10. Epigram. 63.

Oculos claudebant.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manu.

Et quamvis lex Mævia præciperet, Ne filii parentibus lucielaro sugillent oculos, ut ait Varro in Geminis apud Nonium; ejusdem tamen legis sensum hunc putat esse Ant. Augustinus lib. de Legibus. Nè oculos clauderent, quod per translationem fortasse dictum est; ne illorum mortem maturarent.

Posteà repetiti plangores, & paulusum, si intermissi essent, mortui virtutes præcipuè memorabantur, novi luctus incitamenta: occurrebant sermones ejusdem jucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas, ut oculi velut in gaudio relaxarentur. Senec. Epist. 99. Deinde ad oscula, & complexus mortui concurrebant. Senec. ad Helviam cap. 3. *Filium in manibus, & in osculis tuis funeraveras.* & recens auctor in proposito: *Affligoque manus, oraque ad ora fero.*

In legibus 12. tabul. minuendi sumptus, lamentationesque funeris tollendi: *Mulieres genas ne radunto, neve Lessum funeris ergo habento*; quod id ipsum Cicero 2. de legibus explicans, vestimenti aliquot genus funebris esse, quasi lugubrem ejulationem dicta lex vetet, ut etiam intellexit. Plautus in Truculento:

Luctus.

Thetis quoque etiam
Lamentando Lessum fecit filio.

Lugentium scena, & ostentatio doloris ea fuit, ut in luctu familia omnis intus clausa, scissis vestibus, promissa barba, intonsa coma; matronæ crinibus solutis, & antependulis, humi prostratæ jacerent, oppresso igne, Lucernis extinctis ex Apulejo 2. Metamorph. quoniam, ut ait Servius, Lugentibus ideo inimica lux, quia caruerunt ea ii, quos lugent, ut voluit Cicero 1. Tuscul. Ex illo fonte varia, & detestabilia genera lugendi promanârunt, lacerationes genarum, pectoris tunsiones, capitis percussiones, quibus se gratum mortuis facere existimabant, Diisque Inferis facilius satisfacturos, si se afflictos, & stratos esse faterentur. Cicero 3. Tuscul. Et talibus insaniis leges 12. tabul. cesserant. Varro apud Servium 3. Æneid. Gyraldus de vario sepeliendi Ritu.

Lavabant Mortuorum cadavera propinquiores, & ungebant, ut est notum ex Gyraldo ubi supra, & inquit Poëta:

Teque meæ poterant ungere nate manus.

Lavabantur corpora Defunctorum, quod si vitales spiritus essent sopiti nec extincti reviviscerent; ut Cornelius Celsus in præfatione 10. libri refert, & Servius in 6. Æneid. inquit: *Quod videlicet plerumque putetur exclusus vitalis spiritus, qui calida aqua ablutione, veluti sopitus excitatur.*

Lavabant, & ungebant.

Unguenta autem in funeris causa jure Civili computantur l. funeris D. de Relig. Ut si odores, & unguenta servus emerit, & ad funus erogaverit, quod ad Dominum

suum

suum pertinebat, in rem Domini versum videbatur l. 7. §. illud placet. De in rem vers. Ad quam unctionem lepidè ludit Martialis lib. 3. Epigr. 12.

Qui non cœnat, & unguitur Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

Talis ungendi usus ab Ægyptiis ad Hebræos, & alias nationes translatus, ut in Genesi cap. 50. De quo etiam Plato in Phœdone inquit: *Corpus enim servatum, & rebus quibusdam ad durationem curatum (quemadmodum in Ægypto faciunt) incredibile quoddam tempus fermè integrum manet; quia etiam si putrescat, tamen nonnullæ corporis partes, ossa videlicet, & nervi, atque similia (ut ita dicam) immortalia permanent.* Ac etiam Herodot. lib. 2. idem refert de Ægyptiis, distinguens tria condimentorum genera juxta personarum conditiones. Et Tacitus l. 5. testatur Hebræos non comburere cadavera, sed illa secundum morem Ægyptiorum unguentis condere consuevisse.

Qui autem funera curabant, Libitinarii dicebantur à Libitina Dea nuncupata, quam Sepulchrorum Præsidem Romani habuere Gyrald. de Vario sepeliendi Ritu in princ. in cujus templo, quæ ad Sepulturas necessaria essent, curarent, eandemque cum Proserpina, & Venere fuisse arbitrati sunt. Plutarch. in Numa, & apud illos morientium nomina edebantur. Sueton. in Nerone cap. 39.

Libitinarii munus non ita sordidum, quin & splendorem aliquem retinuerit, ut apud Val. Maximum lib. 5. cap. 5. Quin imo ipsi Libitinarii servos ad hoc ministerium multos habuerunt, qui ipsi ut honestiores designatorum munere fungebantur; nempè Magistri Pompæ, qui à Libitinariis non separantur. Seneca de Beneficiis lib. 6. cap. 38. Gutherus de Jure Manium lib. 1. cap. 15.

Sunt autem prædicti Ministri in primis Pollinctores sic vocati, quod pollincere, funus curare significaret, nempè lavando, & ungendo, quo verbo usus est Plautus in Pœnulo ibi: *Eorum alter vivit, alter est mortuus, quia mihi Pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Præficæ planctus principes non doloris; Sunt & Vesperones mox Vespillones, qui mortuos in Lecto efferebant ad Sepulturam, ut Lecticarii in Lectica; sic dicti quod Vesperi sepeliebantur olim vita functi. Sandapilarii Sandapila feretro viliorum. Ustores infimæ servitutis, & miseræ conditionis. Custodes cadaverum, qui ad mortui cadaver pernoctabant. Fuit quoque Piatrix Sacerdos funestam domum expurgare solitus certo scoparum genere, dum mortuus ad Sepulturam ferebatur. De his omnibus vide Gyraldum dicto lib. de vario sepeliendi ritu, & Gutherum de Jure Manium lib. 1. cap. 15.

Curatio Cadaveris.

Ubi quis extinctus esset, diebus septem domi illius corpus asservabatur, & curabatur lavando, ungendo, osculando, complorando, conclamando, ut diximus: Octavo die funus procedebat, & corpus incendebatur. Nono sepeliebatur; & si qui Ludi in mortui honorem fierent, ab eo Novendiales sunt appellati. Gyraldus dicto lib. citato & Gutherus dicto lib. 1. cap. 16. Novendiales illas ferias, aliqua ex parte à Christianis etiam servatas, ex Novella Constitutione Justiniani cap. 115. qua omnis exactio Creditorum funestæ familiæ diebus novem cessabat: Prædictam tamen veterem in nostris superstitionem arguit D. August. in quæst. super Genesin: *Nescio,* (inquit)

(inquit) *utrum inveniatur alicui Sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dierum, quod apud Latinos Novendiale appellatur.* Gutherus dicto Cap. 16.

Membris omnibus, unguentis & odoribus resperſis; tunc Mortuis conclamabatur, ex Terent. in Eunucho, & ibi Donatus, & alii notant. *Desine, jam conclamatum est.* Nempè quia nihil habent reliqui ad longioris vitæ officia.

Facta Conclamatione, dein albo linteo Corpus involvebatur, & componebatur, ut notatur ad Persium Satyr. 3. Exin pretiosa veste ſtragula ornabatur, qua etiam Pauperes exponi ſolebant; & propterea Superbi Mortui dicebantur. Plautus in Amphitr. Mercurius Soſiæ.

Faciam ego hodie te Superbum, ni hinc abis.

Stipes in ore. Mortuo compoſito in ipſius ore ſtipem ponebant, Charonti Portorium, & Naulum, quod eſt pretium ſolvendum pro vectura Navis ei, qui Navem exercet l. cum Servos §. fructus de Legat. 1. Apulejus ſic ait. 6. Metamorph. *Hinc ſqualido ſeni dabis Nauli nomine de ſtipibus, quas feres alteram, ſic tamen ut ipſe ſua manu de tuo ore ſumat.* Hinc Virgil. 6. Æneid. *Inops, inhumataque turba.* Nempe inops, quia Naulum perſolvere non poſſet.

Productio Cadaveris. Cadaver poſtea producebatur. Virgil. Æneid.

— — Recepitque ad limina greſſum
Corpus, ubi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Servabat ſenior;

Hi propriè Corporum Cuſtodes ex Libitinariorum familia conducebantur:

Circum omnis, famulumque manus, Trojanaque turba,
Et mœſtæ Iliades crinem de more ſolutæ.

Domeſticorum turba torum circumſtabat veſtitu lugubri, & adveniente aliquo luctum inſtaurabat; quod in perſona Æneæ ſervatum eſt ibi, dum ſequitur. *Hæc ubi deflevit, tolli miſerabile Corpus Imperat.* Sic Manes adorari dicebantur, cum quis illos alloqueretur. Seneca Epiſt. 86. *In ipſa Scipionis Africani villa jacens, hæc tibi ſcribo, adoratis manibus ejus, & Ara.* Gutherus lib. 1. cap. 18.

Cupreſſus Potentiorum januas in luctu comitabatur, funeſtamque domum indicabat, ne quiſquam Pontifex per ignorantiam ingreſſus pollueretur. Servius in 3. Æn.

Indictio exequiarum. Funebri arbore ornata domo, & producto corpore Honeſtiorum exequiæ per Præconem indicebantur. Indictionis formula ex Varrone lib. 4. & 6. de Lingua Lat. & Feſto in verbo Quiris. *Ollus Quiris letho datus eſt, ad exequias, quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt: Ollus ex ædibus affertur.*

Pauperum funus. Vulgare funus Pauperiorum fuit, qui tamen loti, uncti, conclamati, & defleti ſine Pompa & gravi ſumptu Sandapila veſperi per Veſpillones exportabantur. Martialis Epigr. 75. lib. 8.

Quattuor inſcripti portabant vile cadaver,
Accipit infœlix, qualia mille rogus.

Uſtrina publica fuit, ubi illorum Cadavera urerentur. Horat. 1. Serm. Satyr. 8. & publico ſepulchro condebantur in Exquiliis extra portam Mœtiam, quæ Exquilina di-

cta est, ubi pauperum cadavera ponebantur, & Sontes pœnas capite luebant, ut ex Plaut. in Cassin. *Ille ædepol videre ardentem te extra Portam Mœtiam*, id est in Ustrina combustam.

Fuère quoque funera Ordinaria, & Indictitia, sed de iis consule Gutherum allegatum cap. 20. & 21.

Majorum Imagines. Majorum Imagines in luctu exponebantur, & ex iis Carolus Sigonius de antiquit. Jur. Cap. 20. scribit, Eos apprime nobiles fuisse, qui majorum Imagines habuissent: Homines novos, qui suas tantum: qui nullas ignobiles illos. Quæ, & quales fuissent Imagines illæ cum Coronis. Vide prædictum Gutherum cap. 22.

Cantus. Mortuos cum Cantum ad sepulturam prosequebantur, inducti persuasione, quod corpore extincto animæ ad Cœlum redire crederentur dulcedine musicæ: Macrob. lib. 2. in Somni Scipionis cap. 3. Quare plangebant flebile carmen, quod in exequiis à Præfica præcinebatur; & à propinquioribus, vel iis, qui ad hanc rem conducti essent, cantabatur ad Tibias. Hæ Neniæ canebantur inter ludos Sueton. in Julio cap. 84. ibi: *Inter ludos cantata sunt, quædam ad miserationem, & invidiam cædis ejus accommodata.* Et quod tales tubæ seu tibiæ funeri inservirent Propertius Elegia ultima lib. 4. & Gutherus cap. 23. & tali more Gentilium adhibendi Tibicines in funeribus non solum usos Latinos, & Græcos, verum & Hebræos non autem Christianos, refert Baron. in annum 31. ubi Spond. in Epitom. n. 28.

Munera ac etiam Pompa funebris. Post Tibicines progrediebantur, qui munera ferebant propinquiorum, & non Amicorum, Odores, Unguenta, Epulas, Vestes. Statius: *Dona malæ feralia pompæ.* In Fronte præposita thoro Effigies, quæ Mortui vultum exprimebat, Toga prætexta si Vir esset Consularis, Purpura si Censorius, Picta si Triumphalis; Exin funebres Lectuli procedebant, ut sexcentos Augustus in Marcelli exequiis protulerit. Servius in 6. Æneid. etenim Coronæ lectulis ferebantur, & Magistratus insignia, aliavé, quæ Pompæ amplitudinem commendarent. Post hos Liberti, quorum major frequentia Testatoris benignitatem præferebat, & in funeris elatione magna Pileatorum turba præcellebat, quia iis novis Civibus Testator urbem illam terrarum Dominam funestare videbatur: Hoc genus hominum vocat Persius Satyr. 3. *Induto capite hesternos Quirites.* Constituit enim Imperator l. unica. §. sed & qui. C. de Latin. Liber. tollend. Quod qui Domini funus Pileati antecederent: si hoc voluntate testatoris fieret, vel Hæredis, illico fierent Cives Romani; sic Pilei impositione Liberti Orcini facti sunt l. 10. C. de Manum. testam. Archimimus sequebatur Libertos, qui personam Mortui hegebat; & imitabatur Sueton. in Vespasiano cap. 19. Archimimo igitur præeunte à filiis plerumque, aut honoratis Viris lectus funebris portabatur, ut de Metello Plinius lib. 7. cap. 47. Paterculus lib. 2. Pauli Æmylii funebri lectulo se sponte sua Macedonum Legati subjecère. Val. Maximus lib. 2. cap. 20. Funus ducebat funeris Præses, cui hæc cura testamento delegata esset, vel illam ultro suscepisset, ut M. Antonius in Julii Cæsaris funere, in quem M. Tullius Philipp. 2. inquit: *Tu funeri Tyranni illius sceleratissimi præfuisti? tua illa pulchra laudatio? tua miseratio? tua cohortatio? Tu illas faces incendisti? & eas, quibus seminustum latus illius est, &c.* Ductor funeris prætexta pulla indu-

No. 41. p. 137





No. 43. p: 142



indutus, si filius esset aperto capite, Patrem efferebat, Filiæ crinibus sparsis: Mulier reliquum funus faciebat magno fœminarum comitatu, Defunctique nomen vocabat canora voce, Propert. lib. 4. Eleg. 10. Postremo agmine turba omnis obsoleto vestitu ambulabat, qua funus claudebatur, Apulejus lib. 4. floridorum. Longo ordine thedæ undique lucebant. Plinius lib. 16. cap. 37. & pueros maximè ad faces, & cereos efferri solitos, Senec. Epist. 122. *Isti mihi Defunctorum loco sunt: quantulum enim à funere absunt; & quidem acerbo; qui ad faces, & cereos vivunt.*

Defunctum in exequiarum prosequutione deflebant in foro, per quod Pompa omnis ducebatur, Plautus in Monstella. *T. numquid processit ad forum tibi hodie novi? S. Vidi efferri Mortuum.* A foro in Rostra ascendebat, qui laudatione funebri viri virtutes enarraret, Senec. Epist. 102. *Nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat*; Servius 11. Æneid. *Laudes defunctorum viventium exhortatio est.* Pater filium, filius Patrem, Maritus Uxorem, aut qui proximior, vel amicus esset, mortuum laudabat, nisi ex publico officio, atque ex S. C. Magistratibus mandabatur: maximè si quis pro Patria in bello cecidisset: Quintilianus lib. 3. cap. 7. Guth. d. l. 1. c. 25. **Laudatio.**

Post laudationem Libitinensi Porta cadaver afferebatur ad Rogum, Servius lib. 11. Æneid. inquit, quod *Pyra est extructio lignorum; Rogus cum jam ardere cœperit: Bustum cum jam exustum est.* In Rogum mortuo illato conscendebat propinquior, ultimumque illi ungendi, & osculandi officium conferebat. Valerius Maximus lib. 4. cap. 6. Myrrata potio in os illius inferebatur, ut ex legibus 12. tabul. quæ illam vetant, quæ potio tanquam cœna ad Cœlum viatica fuit. Ventos præterea precabantur, ut faventes flammam properarent. Propert. lib. 4. Elegia 7. *Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?* Cum corpus arderet, vino rogum aspergebant, ut flammæ validiores essent; unde dictum: *Respersum Vinum.* Plinius lib. 14. cap. 12. Pix, & Resina addebantur, qua etiam pauperiores uti solebant. In Campo Martio Nobiliorum Rogus erat; aliorum penes Sepulchrum, dummodo intra duo millia passuum ab urbe Pyra strueretur ex Edicto facto A. Claudio & C. Nerbano Coss. Dio lib. 48. **Rogus.**

Cœna funebris una in Rogo Dis manibus parabatur, & hæc nominata exequium, seu Silicernium. Varro. *Funus exercui laute ad sepulchrum, antiquo more Silicernium confecimus.* Dictum ab eo, quod in luctu fas non esset, Lucernas accendere. Altera Cœna, quæ domi propinquioribus, & Amicis; & hæc propriè Epulum funebre, & ad hos vulgaris Coquus conducebatur ex Plaut. in Pseudol.

Coquum non potui, quam hunc, quem duco, ducere;
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Ut esset hic, qui mortuis Cœnam coquat.

Funeris ductor illas epulas primum degustabat. Virgil. in persona Æneæ 5. Æneid. *Libavitque dapes.* De hoc Cœnæ genere Tertull. lib. de Resurrect. Carn. cap. 1. *At ego magis ridebo vulgus, cum ipsos Defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus, & promerens, & offendens.*

Rogi Lustratio antequam faces subjicerentur, fieri solita à maxima quoque multitudine, quæ circumibat, & ambiebat Rogum. Quintil. declamat. 329. Cadaver

Augusti Rogo impositum, primum Pontifices, deinde Equites, tum Milites circumierunt, postea Centuriones ignem admoverunt: Quâ Lustratione facta, accenso Rogo ut in funere Pallantis. Virgil. 11. Æneid.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis,
Decurrere Rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravere in Equis, ululatusque ore dedêre.

Atque hanc Lustrationem cum sulphure, & tædis accensis & circumlatis factam, quibus Manes maximè placarentur ex Juvenal. Satyr. 2.

Umbra venit, cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis.

Mos fuit, & tunc conjuncti sanguine, amicitia, seu alio vinculo cum defuncto occiderent se ante Rogum, ut in funere Othonis inquit Tacitus lib. 17. *Tulere corpus Prætoriæ Cohortes cum lachrymis, & laudibus vultus, manusque ejus osculantes: Quidam militum juxta Rogum interfecere se, non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decoris, & charitate Principis.*

Post lustrationem Gladiatores ante Rogum dimicabant, qui Bustuarii à Busto sunt appellati, Serv. 10. Æneid. & de hujusmodi Gladiatoribus ante Rogum scripsit copiosè, & ornatè in tractatu de Gladiatoribus, Lipsius cap. 9. Unde Cicero pro Sulla: *Interpositi sunt Gladiatores, sed quos testamento Patris dari videmus.* Et in Spartiano habetur: *Hadrianum præcipuos honores socrui suæ ludis Gladiatoriis impendisse.* Gladiatorium à ludis erat separatum, Livius lib. 28. Huic Gladiatorum spectaculo ludi additi pro copia, & Provinciali, & Castrensi apparatu; quos à Græcis cœpisse tradit Gyrald. d. Tractatu.

Collectio Cinerum. Funestum dein sequebatur officium, ut Reliquiæ legerentur, cum flamma quievisset Tibull. lib. 1. Eleg. 3. *Non mihi Mater, quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.* Sueton. in August. cap. 100. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis tunicati, discincti, pedibusque nudis, & in Mausolæo condiderunt*; & Tacitus lib. 2. inquit: *At Agrippina quanquam defessa luctu, & corpore ægro ascendit classem cum cineribus Germanici; miserantibus cunctis, quod fœmina nobilitate Princeps, tunc ferialis reliquias sinu ferret.* Deinde manes præfabantur, hoc est alloquebantur; & insuper animam ter vocato defuncti nomine. Tibull. lib. 2. Eleg. 2. *Præfatæ ante meos manes, animamque rogatæ.* Puris manibus dum legissent ossa, illaque lavissent vino, & lacte, ter vale dicto, Reliquias ter osculabantur, ut in Anna Didonis, Ovidius 3. Fastorum:

Terque valedixit cineres, ter ad ora relatos
Pressit, & est illis visa subesse soror.

Tum sinu Cineres fovebant ex Tibull. Eleg. 3. lib. 1.

Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus. Et idem Tibull. lib. 3. Eleg. 2.
Post hæc Carbasiis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

Nam Lino Carbascino sive Asbestino, ex Plinio lib. 19. cap. 1. utebantur Romani in Ustrinis ad colligendos cineres cum illud compertum sit ignibus non absumi: unde

p osito

p. 149.

part. 3. p. 355.

No. 16



posito cadavere supra dictum linteum, sive linum, & accenso deinde igne subtus eodem linteo, cadaver resolvebatur in cineres absque lintei consumptione: Postea adhuc calentes cineres priusquam refriguissent, & ossa simul claudebantur in urna, cum odoribus, & lachrymis, quæ vitreo vasculo, seu phiala injecta essent. Ut de prædictis Phialis vide hic delineationem una cum olla fictili, in qua cineres recondebantur, quæ in meo Musæo servo. Num. 44.

Et hic intelligitur, quod Romæ passim in antiquis lapidibus legimus: *Cum lachrymis posuere*: & similia. His ita compositis post injectam glebam, & vale æternum dicebatur. *Nos te ordine quo cui natura jusserit, cuncti sequemur.* Servius 5. Æneid. Demum sacerdos circumstantes lustrabat, hoc est levi rore aspergebat, quod genus purgationis sufficio dicebatur, Festus in verbo Aqua, & de his Guther. l.1. c.28.

Mansit verò apud Romanos cremandi consuetudo usque ad Antoninorum Imperatorum tempora, quibus à plurisque desitum est corpora cremare, & rursus terræ mandare cœptum est, ut à principio conditæ urbis: Etenim Numæ Pompilii corpus in arca lapidea conditum legitur, quod multa post sæcula in Janiculo à Gn. Terentio effossum, tradunt Scriptores, ut refert Gyraldus de vario sepeliendi Ritu.

Non reticebo in memoriam antiquitatis, quod hic Romæ in mea vinea ad viam Appiam reperitur Subterraneum Conditorium sive Hypogeum dealbatum, & crustatum satis eleganter; & in hoc plurimæ concavitates in muro, sive, ut Italicè dicunt, Nicchie, & in unaquaque prædictarum extant duæ vel tres Ollæ fictiles muro affixæ repletæ cineribus, & ossibus semiustis, intra quas aliquæ repertæ quoque fuêre ex prædictis Phialis vitreis, & fictilibus ad usum lachrymarum. Et hoc conditorium est simile illi, de quo Petronius Arbiter in suo Satyrico ait: *In conditorium enim prosequuta est defunctum, positumque in Hypogeo, Græco more, corpus custodire cœpit.* Simile quoque est, quod scripsit Plinius Epist. 96. *Tentata in amicis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus conditoria extruere, omniaq; hæredum officia præsumere.* Extabat in prædicto meo conditorio Tabula Lapidea palmorum trium longitudinis, quam etiam adhuc servo, litteris hic annotatis:

L. Hostilius Fortunatus. sibi. &
Hostiliæ. Januariæ. filiæ. item.
Libertis. Libertabusque. suis.
Posterisque. eorum. fecit.
Exteræ. Familiæ. aditus. non.
Datur. nec. jure. quis. in. hoc.
Momento. Ollas. emet.

Consecravére Romani in Deos Romulum fundatorem, & alios Principes suos, ut ex Divo Augustino de Civitate Dei, lib.22. cap. 6. & lib. 3. cap. 15. Novos, & Adscriptitios Cives in cœlum adulatio recepit, & Pulvinaribus, Aris, Templis, Columnis, Flamine, Ludorumque celebritate, & Natalium cumulavit, ut ex Gruthero, lib.2.c.5. *Consecratio.*

Refert enim Plinius in sua Naturali hist. quod opus ingens, occultumque Divinitatis, & quo nullum majus reperiri possit, sit consecratio, sive relatio inter Deos. Servius tamen inter Deos, & Divos ita distinguit, ut Dii dicantur Æterni: Divi autem, qui ex hominibus fiunt; unde etiam hac appellatione quidam Imperatores Romani post mortem decorati sunt, à quibus insignia in vita profecta essent in Rempublicam merita (& de prædictis Consecrationibus plurimi nummi fuère effigiati) quanquam postea crescente indies adulatione plerique ne vivi quidem id honoris aspernati sunt.

Aromata ad condiendum.

Et ut me expediam, referam fuisse apud eruditos dubitatum, quomodo cadavera ante combustionem octo diebus sine corruptione servarentur absque viscerum extractione: sed difficultas à Plinio tolli videtur lib. 22. cap. 24. dum ait: *Mellis quidem natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore, atque non aspero, alia quam salis natura:* & apud Xenophontem in Græcorum historia, lib. 5. *Melle oblitus demum deportatus, ac regiam sepulturam consequutus.* Huc pertinet mystica antiquorum significatio: nam viventium symbolum *Fel*, mortuorum quidem *Mel.* Cœlius Rodig. lib. 28. c. 17. Antiq. lect. meminit ritus Diogenes Laërtius l. 3. Dict. Philosoph.

Non solum melle, sed & cera cadavera oblinire receptum maximè in defectum mellis. Æmylius Probus in Agesilao in fine: *In morbum implicitus decessit, ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod Mel non haberent; cera circumfuderunt, atq; in domum retulerunt*; & idem dixit Plutarchus in ejusdem Agesilai vita: *Cera cadavera illiquefacta, quia mel non suppetebat, Lacedæmonium retulerunt Spartiatæ.*

Tertio ungebantur cadavera Cedrio: Plinius lib. 16. cap. 11. *Primus sudor, aquæ modo, fluit canali; hoc in Syria Cedrium vocatur, cui tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur.* Eadem penè habet idem auctor lib. 24. c. 5. & de iis vide etiam alia relata in Paralipomeno ad Rosinum, cap. ult. ad finem.

Prædicta Aromata ad condiendum corpora (ut ego de his sermonem habui cum peritis) satis probabile est hodie ad nostram notitiam non pervenisse; siquidem cadavera quantumvis eviscerata, & condita, videmus hodie maximè in æstate tertio vel quarto die putrescere, & corrumpi: at tempore antiquorum Romanorum etiam quod tunc illa non aperirentur, ut diximus, ferè semper usque ad nonum diem antequam comburerentur, non putrescebant.

Quin imo Romanorum cadavera aromatibus condita post plurima sæcula reperta in sepulchris absque corruptionis læsione; ut legitur in historia Boccacii de Analogia Deorum lib. 12. cap. 60. quod tempore Henrici III. Imperatoris repertum fuerit prope Romam corpus Pallantis Evandri filii à fodiente villico integrum; uti nuper sepultum maxima proceritate, in quo adhuc apparebat vulnus impressum lancea Turni.

Ac etiam scribit F. Leander in lib. Descrittione d' Italia Capitolo della Campagna di Roma: sedente Alexandro VI. Pont. Max. repertum fuisse corpus integrum cujusdam puellæ satis concinnum absque læsione, & hoc perfusum intra mirabili liquore: ad cujus pedes ardebat lucerna, quæ aperto sepulchro extincta remansit; & hanc fuisse Tulliolam Ciceronis filiam sunt arbitrati, de quo ego valde dubito, cum fuerit mos tunc temporis corpora comburi, non autem sepeliri, & aromatibus integra præ-

præservari; probabilius tamen corpus illius puellæ fuisse sepultum posterioribus temporibus, quando imperantibus Antoninis sepeliri cœperunt.

Præterea jam triginta circiter elapsis annis in agro Romano extra Portam Appiam reperta fuit arca marmorea, in qua cadaver erat conditum ab omni ævi læsione servatum, quod ex paludamento purpureo, quod gestabat, Consulem fuisse sunt opinati: De prædicta purpura libens ego habeo aliqua frusta jucundo etiam odore adhuc fragrantia: color autem prædictæ purpuræ est duplex, particula coloris rubei satis accensi; altera vero pars desinens in flavum colorem.

Hanc autem corporum durationem non ex alia processisse causa opinor, quam ex efficacia illorum aromatum, de quibus nobis in præsentia non constat.

Et hæc satis dicta de Antiquorum Romanorum funeribus. Quibus annectam plurima sepulchrorum antiqua monumenta, quæ adhuc in meo Musæo servo: omnia ferè eruta annis præteritis ex ruderibus vineæ meæ in via Appia, nec ab alio illa adhuc notata.

D. M.
Fulviæ felicissimæ
conjugi Ka-
rissimæ, quæ
vixit annos
xviij: Mens. viij. D.
xiii. Hor. v.
M. Aurelius Fili-
tianus cum qu.
vixit annos vj.
Conjugi Bene-
merenti fecit
cum Arria Vi-
torina Matre
ejus, &
Patre ejus,
L. Rasinius
Epicurus
vixit ann. xxx.

M. S.
Julius Eros
Apie Patrone
Ereti fecerunt.

Vtia Agathem
Clymene Patr.
Luriæ Danæ. F.
C. Vtio Flo.

Memia C. L.
Pistolio
H. S. S.
Vmbreia. Ɔ. L. Chila.

C. Vilius. D. Aug. L. Dionysius	C. Julius Styrax.

Cocceia
L. L. Gemella
vixit A. xxviij.

D. M.
Mævio
Functo
Nævia Fu-
hodia Con-
jugi, Ben. Me.
fecit.

D. M.

D. M.
Q. Dasianio
Supero
Julianice
Conjugi B. M. Pos.
& sibi, &
C. Julio Rufo
Patrono.

Claudiæ
Spendusæ
vix. an. xviij. M. viiij.
Jaxytus Pater fec.

Jomedes Ap.
Strator
Fausta Hediæ.

D. M.
C. Cornelio C. Fil.
Sergia Fusco
Avonia M. filia
Isidora filio
piissimo.

D. M.
Marci-
æ Rho-
dopes fe-
cit L. Thal-
lius As-
pes Conju-
gi Remi.

L. Terentius. Ↄ. L.
Gratus.

D. M.
Viychus
Valeri Viychi
Anthusæ fil.
vixit M. iiij. D. xiij.

D. M.
M. Aurelio Optavete
Aug. C. N. Natitra,
Qui vixit an. liij Men.
iiij. Di. xx. Pon. Erm.
& Aur. Opta. Patri
pientis fecerunt.

P. Perelius
Nicia.

DECIA
V. A. O XIIX.
HYGIA.

D. M.
Dio. Cn. Ser.
Gess. Labicana
Benemerenti
Cognato

Maronianus
Aug. Lib. Proc.
vivos sibi
comparavit.

Foteia Staphis	Misontes Nicander Medicus.

C. Claudius Phalix Cur.	P. Nævius Eros

P. Ar-

P. Arruntius Cinnamus Sacerdos.	Gaa Vilicus.

Ovia Optata
Ollas II. filiis suis
Crescenti, &
Admeto

M. Novi M. L. Eronis
Noviæ M. L. Hilaræ

Anicetus
Cæsaris Aug.
Cajanus.

Tundareus
Atiaes L.
Gnomeatiæs L.

Sempronia
M. L. Helena

Dis. Mani.
P. Clodio Quieto
Filio suo
carissimo fecit.
Vixit Ann. II.
mensib. iiij. diebus xxviij.

D. M.
Soteridi fecit
Auxesis
Mater Filiæ.

F. Vlcinia Julia
Flacilla H. Auctii L.
Rhodia.

D. M.
Sabina Nutrix Martine
Alumnæ suæ, quæ vixit
Ann. iij.
mensib. iiij.
Benemerenti fecit.

D. M.
Novius Cassianus
Eques Romanus Dicne meæ Nutrici Arethuseæ, quæ vixit
Annis xxxv. menses
vii. dies x. Benemerenti
fecit.

D. M.
Capidius
Proculus
Scriba æd. curul.
Præf. Fabrum, &
Cassia Prisca
Vxori Casio Prisco
Scriba Æd. Cur. fratri
pientissimo
Parentibus suis
fecit.

D. M.
P. Flavio Rufo
T. T. Flavii
Venustinus, &
Saturninus
Fratri
pientissimo
fecerunt.

D. M.
Plautio Gnatio
Alumno dulcissimo
gratissimo,
suavissimo,
carissimo,
Plautius Filius
Julianus V. C.

Vennonia L. L. prima.	P. Quintilius P. N. L. Faustus

D. M.
Æmiliæ
Saturnine
T. Pescennius
liberals Conjugi
Benemerenti
& sibi, & suis posuer.

D. M.
Pantagati II.
Epigonus
amico carissimo

Atrebia Arbuscla
heres Aureli,
& M. Luxius Cerdo.

D. M.
Faustæ Ruf-
inæ ossa pila
cineresque sacri
hic ecce quiescunt.

D. M.
Ulpiæ
Clementillæ
lib. Benemerenti
M. Ulpius
Filiricus.

Abinnæus
Cæsaris Aug. P.
Rupilia Q. L.
Arbuscula.

Alaxandro
suæ sorores piæ
myrtis stibas
nephe prima
secundus magist.

P. Hilargurus
Insularius.

D. M. S.
Donatæ
Blasius
Helena
Alumnæ
B. M. F.

D. M.
T. Fuficio Icelo
fecit
Fuficius Ceriali
B. M.

D. M.
Antonia Fortunata
fecit Patronæ suæ
Bene merenti
Heracliæ
Et sibi, & suis.

D. M.
II. Claudio
Sucisso. Cla.
Sucissa Mat.
III. piissimo
fecit.
V. A. XX.

D. M.
M. Antoni
Theodoti
Stertinia
Gnome.
F. C. C.

D. M.
Floræ Murinæ,
quæ vix. Anno
vno, mens. viiij. D. xxiiij.
Euphrosinianus,
& Flavia Metite
Parentes, filiæ
dulcissimæ.

Vater-

Vaternia Rigilla Avia Proculi. Ceonteus. Beieus.	Callius C. C. L. Myro Pat. Allia C. L. Megiste L. Allia C. Ɔ. L. Nice. L. C. Allius C. L. Mario L.

HERMA DE SUO DAT.

O GENIO CANONIS ATTALI LIBENTI.	O GENIO PASICLENIS ATTALI SERVI.

D. M. Sabbio Cæs. N. S. Vilic. aquæ Claudiæ fecit sibi, & Fabiæ Verecundæ Conjug. suæ, cum qua vixit annis XXIV. santissi- mæ, & libertis, liber- tabusque ejus, & Vikaris suis posterisque eo- rum omnium in parte dimidia sua.	D. M. Sporus Cæs. N. S. Vilic. aquæ Claudiæ Hermione Conjugi suæ santissimæ & libertis, liberta- busque ejus, & Vikaris suis, posterisque eorum omnium in parte dimidia sua.

Dis. manibus posuit Tib. Claudius actus Tabellarius Aripa, & Po- piliæ Gallini- cæ contuber- nali meæ, & Popiliæ Æutichiæ.	Dis. manib. Quationis Decumi, Aug. lib. Eufemiani à manu fidelis conlibertis Fratri B. M. In fronte pedes duo, in agro pedes duo.

L. Lælio

L. Lælio Apro. V. A. VII. M. X. A. Lelio pietati.
V. A. IIII. M. V.
A. Lelius Cresens. & Claudia Pietas Filiis
Pientissimis fecerunt sibi, & suis
Lib. P. Q. E.

Tria præcedentia monumenta, quæ in Musæo Auctoris adhuc reperiuntur; sunt etiam impressa in libro epigrammata antiquæ Urbis cap. 16. de Regione Campi Martii, supra Portam Romani Casalis, quod volumen de anno 1521. editum auctore Jacobo Mazochio.

PERORATIO.

HÆc diximus de Ægyptiorum, Romanorum, & aliarum Gentium superstitionibus, & his populis, qui ambulabant in tenebris: & in regione umbræ mortis, & cum advenisset plenitudo temporis, lux orta est eis, & viderunt, ac cognoverunt verum Deum, qui venit omnes salvos facere; ut ex Psalmo 55. inquit Regius Propheta: *Homines, & jumenta salvabis Domine.* Hinc factum, ut Dominum recens natum exceperit Præsepe, quasi Bobus, atque Asinis, Judæorum scilicet, ac Gentium Populis, alimentum esset præbiturus: Quo alimento tanquam Divinitatis pharmaco, etiam nos, qui de Populo Gentili eramus, recuperaremus rationis donum, ipsumque Deum veneraremur. Quid ergo mirum, si Christus nos, qui aliàs cæci, ac inimici eramus absque lumine Fidei, amicos nos deinde appellaverit, & sua nobis arcana crediderit, quæ servis non facilè credantur: sic enim ajebat Johann. cap. 55. *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Agamus ergo, una cum Leone Pontifice, gratias Deo Patri, quia nos, cum essemus cæci, & mortui peccatis, convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura, novum figmentum, ut Divinæ consortes modo facti naturæ, nolimus in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: sed ut in sequenti libro videbimus, speculemur maximè priscos nascentis, & militantis Ecclesiæ ritus, ut tandem in illa triumphanti cœlesti gloria perfruamur.

LAUS DEO.

Index Rerum & Verborum accuratissimus,& copiosissimus, in Tractatum Joann. Baptistæ Casalii, de Veteribus Ægyptiorum, & Romanorum Ritibus.

C. Cada-

Fibu-

G.

Loti

Sym-

Domum

O.

Sacri-

FINIS.

DE
VETERIBUS SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS,

Sive apud OCCIDENTALES, ſive ORIENTALES
Catholica in Eccleſia probatis,

Joannis Baptiſtæ Caſalii Romani
Explanatio,

In qua haud pauca, ut temporum præſtitit ratio, de Sacris Ritibus, ac de illorum myſtico ſenſu, deque Eccleſiaſticis hiſtoriis modo annotata, modo diſcuſſa ſimplici ſtylo patebunt.

Francofurti & Hannoveræ,

Sumptibus Thomæ Henrici Hauenſteinii, *Bibliop. Hannov.*

Anno M DC LXXXI.

DEO TRINO ET UNI.

AUCTORIS VOTUM.

EX præcepto Divinæ Majestatis Tuæ in sancta, & mystica lege: Ut populus in promissam terram ad inhabitandum ingrediens de cunctis frugibus primitias tolleret, & pergens ad Sacerdotem, qui illas susciperet, & poneret ante Altare Domini Dei sui. Deut. 26.

Primitiæ namque sunt meæ istæ Lucubrationes cunctorum operum, quæ mihi à Te summo Deo provenisse lætor. Primitiæ certè sunt istæ frugum terræ, quas Dominus dedit, nempè veri sensus sacræ Scripturæ, quam Spiritus sanctus condidit. Itaque primitias frugum istas, qualescunque sint, ego provolutus in terram in sublime Altare tuum in conspectu Divinæ Majestatis Tuæ easdem offero, dico, & consecro.

At quoniam, ut dixit Archangelus Raphael Tobiæ: Sacramentum Regis abscondere bonum: opera autem Dei revelare honorificum est. Ego pariter has ipsas meas lucubrationes, ut ad majorem Fidelium utilitatem illæ quoque proficiant, maximè exopto; & propterea easdem à Divina Majestate Tua mihi iterum præstari humiliter peto. Sic etiam ipse Rex David gladium, quo Goliat Philisthæum percusserat, & in templo appenderat, petiit ab Achimelech Sacerdote, & obtinuit inquiens: Non est huic alter similis, da mihi eum. Ego quoque cum sacræ meæ istæ lucubrationes ex Verbo Majestatis Tuæ penetrabiliores sint omni gladio ancipiti, ut cum fratribus meis communicem, nec non rebelles Sectarios confundam, Te Deo meo propitio, proficuum spero. Tob. 10. 1. Reg. 21.

Tu Deus lux temporum, rerum, & hominum: in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent, omnia. Sapientia, in qua, & à qua & per quam sapiunt omnia: adveni mihi propitius Tu una æterna, & vera substantia, ubi nulla discrepantia, nulla confusio, nulla indigentia, nulla mores: Tu scintillam aliquam tui, si non radium in meam hanc mentem immitte, ut & videre, attingere, reserare possim in Veteribus istis Christianorum Ritibus, thesauros antiquitatis, & memoriæ, quos in ævi diffuso, implicitoque sinu reponis, & servas. Iube quæso atque impera quicquid vis: sed aperi aures meas, quibus voces Tuas audiam: aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam, ut Tibi semper placere valeam.

Ad Lectorem.

FRagmentum de Veteribus Christianorum Ritibus jam à me in lucem proditum; sed plurimis Auctoris, & Typographiæ defectibus repletum: placuit eruditis aliquibus amicis etiam ex Gallia, & Belgio me admonere, ut idem Opus magis elaboratum, & absolutum iterum imprimi curarem. Quorum suasiones, cum mihi jussa semper fuerint; annui potissimum, quoniam florentibus annis nulla mihi ex legalibus studiis utilitate reportata, nec ullo ex longo Principum obsequio mihi suffragante favore: sicuti nec alio quopiam ex longis itineribus, & aliis laboribus fructu acquisito; nisi fortè modica aliqua rerum humanarum cognitione; quam comitata est sola mentis agitatio, & vanitas, cum omnes cogitationes meæ fuerint semper dissipatæ. Propterea hac saltem mea ingravescente ætate residuum annorum meorum considerans, & quietam, tranquillamque vitam inquirens, omni humana dignitate, & aliis prædictis abnegatis ad Deum verum reversus, sacris insignitus Ordinibus; ut ex eruditis sacrarum litterarum studiis, & circa Veteres hos Christianorum Ritus aliquid mihi compararem, plurimum mihi complacui.

Ritus namque, qui in Ecclesia servantur, altissimarum signa sunt rerum, & maxima quæque continent cœlestium arcanorum Sacramenta. Et sicut in Scriptura sacra, B. Hieronymo teste, singuli sermones, syllabæ, apices, puncta plena sunt sensibus: & quæ minima putantur in sacris Litteris, ea item sunt Sacramentis spiritualibus plena, & omnia in Evangelio summatim tractantur, ita in Ecclesia sancta Dei à Spiritu sancto informata nullus Ritus, nulla consuetudo, nullaque ceremonia à sanctis Patribus ad debitum Deo cultum persolvendum est introducta, quæ sacris mysteriis careat.

In cap. 5. Matt. & in Epist. ad Ephes. cap. 5.

Ex prædictis Ritibus & Ceremoniis ad Divinam Majestatem contemplandam non nisi eruditus, & religiosus quisquam aspirare idoneus est: siquidem ab his viris ordinata hæc atque in obsequium Domini JESU Christi (qui est Caput Ecclesiæ) instituta sunt. Ac etiam Sacramenta Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, ac Ascensionis ejus, & sublimiter illi intellexerunt, & prædicare voce, litteris, atque hujusmodi signis fideliter, & sapienter voluerunt. Hæc vero Sacramenta celebrare, & causas coram non intelligere, quasi lingua loqui est, & interpretationem nescire. *Qui autem lingua loquitur*, inquit Apostolus, *oret, ut interpretur*; id est, ut ea quæ spiritu oramus, aut psallimus, mentis quoque intelligentia capiamus. Quamvis etiam qui mysteria, vel signa Ecclesiæ fideliter, & piè frequentant, si causas eorum scire non possunt, non tamen sine fructu sunt; ideo quippè instituta sunt hæc, ut miro modo arcana Dei, quæ à paucis possunt intelligi, penè ab omnibus possint agi, ex Apost. *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* Ita ut omnes, ad quæ ipsi tenentur, intelligant, vel saltem ad majorem fidelium utilitatem prosint.

1. Cor. 14.

Rom. 1.

Sed cum memoriæ ego retineam, quod etiam Dominus per Moysen præceperit, sibi à filiis Israel primitias præstari; & illi dum certatim offerrent, venerunt Artifices, & dixerunt Moysi: *Plus offert populus quam necessarium sit: oblata sufficiunt, & superabundant.*

Exod. 35. 36.

dant. Simile huic suspicor posse mihi objici: Iste scribit, quod necessarium non est: Sancti scripserunt: Sanctorum scripta sufficiunt, & superabundant. Nos haud sufficimus legere, quæ Sancti scripserunt, nedum hæc quæ isti ignoti sine auctoritate de corde suo proferunt. Hæc & alia graviora surda aure ego præteriens, ut totus ad eam intentus, quæ me tacere non permittit, dilectionem Verbi Dei: primitias istas ex vigiliis laborum meorum congessi: *Et Domino Deo adorato epulabor in omnibus bonis, quæ dedit Dominus mihi.* Deut. 26.

Et quanquam sancti, & prisci Patres, qui nos præcesserunt, plurima etiā hoc argumento tractaverint, non tamen ita omnia perfectè, quin nobis etiam aliquid remaneat supplendum: Senec. *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt, multum restat operis, multumq; restabit, nec ulli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adjiciendi.* Unde Eccles. *Sapientiam antiquorum exquiret Sapiens, & Prophetis vocabat.* Epist. 64. Cap. 39.

Igitur Sacramentorum omnium opificem invoco sanctum Spiritum; ut hæc quæ per sanctos Patres ipse ordinavit; eadem gratia mihi secundum sensum, & auctoritatem scripturarum in perscrutatione Ecclesiasticæ antiquitatis aperire dignetur. Visum est autem hunc librum sic ordinari.

Ut primum cognoscamus, quibus Ritibus mox fuit apud priscos fideles Divinam Majestatem, & Sanctos ejus venerari, & maximè de sacris Imaginibus.

Secundo de Sacramentis novæ Legis, & præcipuè de Veteribus eorundem Ritibus.

Tertio de Ecclesia materiali, nec non de ejusdem utensilibus, vestimentis, & aliis pluribus sacramentalibus, ac etiam de priscis Ritibus circa prædicta.

Quarto de ipsa Ecclesia spirituali, in qua summus Pontifex præest, verus Christi Vicarius, Petri successor, ac ejusdem Ecclesiæ visibile Caput circa omnes occurrentes difficultates.

Quinto de Statu Ecclesiæ Græcæ, & maximè in quo differant in præsenti ab Ecclesia Romana illius Schismatici.

Videbimus quoque de Ritibus, qui apud Orthodoxorum Ecclesiam quotidiani in usum sunt recepti, & de his quos diversis temporibus, & causis variari contingit, ac etiam de illis qui antiquati, & in desuetudinē abierunt. Pariter de priscis, & Ecclesiasticis historiis plura cōsiderabimus, & multa Sectariorum dogmata confutabimus: ac etiā mysticos sensus prædictorum Rituum, & alia multa, ipso adjuvante Christo, digeremus.

Illud autem à bonis omnibus hujusce studii meritum, vel dignitas impetrare debebit; ut quamvis vetus cum suavitate vinum bibere illi sint assueti, nostra tamen musta despuenda non judicent: sunt enim hic nonnulla, quæ multo studio, ac labore homines adipiscuntur: sunt quæ admireris: sunt quæ sigillatim asperneris; sed sunt simul omnia, in quibus Christianorum temporum antiquitatem veneraberis pariter atque admiraberis: & quicquid maximè sequendum, & imitandum, contra vero potissimum evitandum, ex ipsa rerum enarrandarum lectione intelligendo percipies.

Neque enim auctoritati Veterum quicquam in hoc detrahimus, scilicet, Isidori, Albini, Amalarii, Ruperti, Durandi, & aliorum, qui de hujusmodi eruditissime scripserunt; sed licet semperq; licebit salva fide sanctæ Catholicæ Ecclesiæ cuiquam aliorum lucubrationibus adjicere ad majorem Dei gloriam quid senserit. Vale.

JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS,
ÆMONIÆ PRÆSUL,

Nobili & Erudito VIRO

JOANNI BAPTISTÆ CASALIO,
S. P. D.

QUINTUS annus est, cum Romæ suavissimæ conversationis tuæ perpetuo favore nulla dies sine tuo aspectu transiret, qua nunc per Urbem celeberrimam Orbis dominam, Romanorum Imperium in delubris, in ruderibus, in porticibus admiraremur, nunc in tua Bibliotheca, modo in tuo Musæo ad radices Aventini montis oculos, animumque reficeremus. Dulcis profectò illius temporis mihi semper hæret memoria. Jam obrepentibus paulatim annis, remanent adhuc in me ea tuæ eruditionis exempla quæ de Ritibus priscis, & recentioribus copiosè ac doctè disserebas. Gratulor modo, quod præclara illa ingenii monumenta de Ritibus profanis, cum Ægyptiorum tum Romanorum compendio in lucem produxeris: quæ avide exspectata demum ad me pervenere in hac Æmoniæ solitudine non longe à maris obstrepentis æstu, frondisque Palladiæ umbris in Musæo abditum, ut earum lectione animum oblectarem. Nec mora; ut primum lætus volumen inspicio, & oculo plusquam curioso translego, vinnulam heu orationem persentio, pulcherrimas etiam tui Musæi Icones, Saxa, Lucernas, Tripodes, Vasa, cæterasque curiosæ, & reconditæ eruditionis imagines elegantissimo verborum nitore comparere video. Tibi vero universa mecum Respublica literaria, quod tam solidè, studioseque reconditam antiquitatis memoriam erueris, debebit plurimum. De Ritibus porrò sacris Commentarium dignitati Ecclesiasticæ magis consonum summa cum voluptate pervolvi. Argumentum sanè tuo ingenio dignum, iisque perjucundum, qui omnem ingenii vim contulere iis rite recteque percipiendis, quæ primam Ecclesiæ disciplinam longa vetustate occultarunt, uberiore stylo si ampliaveris, non de amicis dicam, verum de universa posteritate, quantum alius nemo promereberis. Plures namque profanorum Rituum Scriptores habemus; sacrorum autem paucissimos. Christiani nempe cultus rationem ad hanc usque ætatem pauci, satisque parce prodiderunt. Inde qui Ritus præsertim Baptismi, aquæ lustralis, Missæ, Eucharistiæ, similiumque initio fuerint, nondum omnibus perspicuum. Hæc verò omnia sic tuo calamo illustrata scio, ut erudito labore veterum Patrum lectionem obscuris fidei mysteriis redundantem insigniter illustra-

illustraveris, Rituumque sacrorum causam ita egeris, ut ipsorum insores tantum non everteris, verum ab erroris pertinacia revocaveris, dummodo rationes tuas æquo animo cognoscere voluerint. Si pari studio Saxa, & Monumenta in Templis Romæ per otium lustraveris, conatus profecto tam insigni labore haud erit indignus. Historicos & Polyhistores autem plurimum juveris, si quæ in tuis scriniis habet, publicæ utilitati expetita rei literariæ damno haud distuleris. Perge Nobilissime CASALI, & gnaviter cœpta sacrorum studiorum curricula tuorum Avorum exemplo perage. Virtuti tuæ inter cæteros præluxit JOANNES BAPTISTA CASALIUS: cujus nomen ut geris, ita viri planè eximii conatus pari fortuna sequere. Britanniæ ille Regi ob summam prudentiam ab intimis consiliis ad Serenissimam Rempublicam Venetam peracto Legati munere, variis tandem itineribus optatam quietem habuit Insula Bellunensi, qua toti Orbi sua virtute præ reliquis enituit. Vale advenarum Columen, ac urbis Delicium, meque tuo nomini devinctissimum redama, ut Deo & Amicis vivamus. Æmoniæ die 15. April. 1646.

REVERENDISSIMO ET ERUDITISSIMO

DOMINO,

DN. JACOBO PHILIPPO TOMASINO,

ÆMONIÆ PRÆSULI,

S. P. D.

Non alïud meum certè fuit ingenium Reverendiss. Præsul, cum aliquid quod arriserit, chartis mandavi; statim aliquem conquirere, qui prudentia, & doctrina optimè sapiat: non ut scripti causam suscipiat, & reprehensione digna tueatur, & laudet; sed ut vulneribus medeatur, & si quæ sunt à recta ratione non bene dictata corrigat, emendet, deleat, ac penitus tollat. Neque enim fieri potest, ut omnia semper laudanda scribamus, reprehendenda nunquam. Id si nusquam alias, nunc mihi in negotio difficillimo peroptandum fuit: neque in re levi versamur, sed intima priscorum Christianorum Rituum penetrantes adyta, & evisceratas ex eorum pectore, & scriptis sententias examinantes: & judicio facto ponderantes ea, quæ minus ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata sustinentur: eaque tanquam spuria, & adulterina pandamus, refellamus, & rejiciamus: recta vero, sanaque comprobemus. Hinc ego cum annis præteritis fragmentum de sacris & profanis Veteribus Ritibus à me non bene compactum, & mutilatum ad te transmisissem, ut de eo quid tu sentires perciperem. Humanissimè à te suasus, ut illam partem de Christianorum Ritibus, quæ totam fere Catholicam Religionem auctorizat, & Sectariorum confundit proterviam, diffusius ego prosequerer. Igitur in hoc argumento,

mento, quæ inter legendum aut animadverterim ipse, aut animadversa ab aliis observaverim, quam libentissimè, ut tibi morem gererem, modo in lucem protuli. Tantæ cognitor causæ unus tu mihi eris: Tu qui in omnem dicendi occasionem intentus omnia ubique rimando, omnia colligendo, & tua mentis feracitate omnia progignentis, tam multa, tam varia, tam apta rebus, tam opportuna temporibus, tam decora personis, quis non videt Opus ingenii tui, & intelligentiæ quantæ sint opes? ut ex tanta librorum congerie, quos in lucem protuleris, ad perfectam instruendam bibliothecam illi superabundent copiosè. Tu vero has meas lucubrationes, quas nec ordine, nec stylo, aut alio forsan defectu; quanquam non satisfaciant, pro tua in me benevolentia lætus suscipito, atque quo polles ingenio, dijudicato, malè compta perpolito, errata corrigito, spuria notato, si nihil est, quod arrideat, igne cremato. Quicquid feceris, optimè factum fuerit: exosculabor sententiam, nec judicem alium appellabo: si autem hoc meum institutum tibi forsan probabitur, si eruta m è Veterum Christianorum tenebris doctrinam frui luce permiseris, de tuo judicio summopere gaudebo.

Quod autem de Templis, Ruderibus, & aliis hic Romæ antiquitatis monumentis memoriæ retineas, quæ jam nos simul annis præteritis inviseramus, lætor, sed magis lætabor, si tu, ut mihi alias indicasti, iterum proximo seculari anno Romam advenies, ut ea diligentius intueamur, & perscrutemur. Hoc interim in eodem sacrarum antiquitatum argumento perfrueris eruditissimo Opere, quod brevi adveniet in lucem titulo: Roma Subterranea, *& quamvis alias post obitum Antonii Bosii, ejusdem Auctoris mutilatum prodierit; at modo luculentissimè auctum, & illustratum ab Eruditissimo, & Admodum Reverendo P. Paulo Aringhio* Congregationis *Oratorii apparebit.*

Demum cum mihi referendæ gratiæ facultas non sit; majoribus tuis beneficiis me magis ac magis obstrinxi. Attamen non patiar profiteri, quod debeo, quemadmodum nec tu pateris non tibi me obnoxium facere, & aliquo semper beneficio devincire. Romæ Kalend. Decembr. M DC XLVI.

Amplitudinis tuæ Reverendissimæ

Addictiss. Deditissimusque

JOANN. BAPTISTA CASALIUS.

ERUDI-

ERVDITO ET NOBILISSIMO VIRO

DN. JOANNI BAPTISTÆ CASALIO,

JOANN. FRANCISCUS à SLINGELANT, S. D.

POstquam, Dei beneficio, liberum aera paulisper haurire datum est, & à quadrimestri ægritudine, mihimet velut postliminio, redditus sum, nihil profectò antiquius habui, nihil ardentiore studio flagrabam, ut internæ mentis pabulo quodammodo reficerer, quam exspatiari protinus in tripertitos sacræ ac profanæ eruditionis campos, doctis omnibus, totique adeo posteritati, à tua, Nobilissime Casali, munificentia reseratos. Equidem, jam inde, ex quo primum hisce in oris innotuit, te istud operis moliri, omnium sic expostulata votis sunt volumina Rituum; nec mora, nec requies inter amicos fuit, quin ad me illicò per litteras sciscitarent, num prodisset tandem, exoptatum Opus? Nunc vero, cum unicum illud tantum, quo me donasti, exemplar, apud Belgas delatum sit, neque sufficiat explendæ siti doctiorum, qui haurire inde aut Ceremoniarum Ritus sacros, aut historias profanas, vel, quod caput est, perdiscere cupiunt solidioris doctrinæ argumenta, quibus Novatorum dogmata convellis; hæresesque fluxas esse, & vagas commonstras: atque eas denique, orthodoxo partim stylo tuo, partim & propriis telis jugulas, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate Evangelica prosternis, ac penitus conficis. Committere igitur non potui, quin ejus ergo, certiorem te redderem: simulque adhortarer audentius (pro ea, quæ mihi tecum, à multis retro annis necessitudine, conjunctioneque animorum intercedit, quæque penes Eminentissimum inter Eminentissimos, felicis memoriæ Cardinalem à Balneo, inter nos, longis tractibus per Galliam, & Italiam coaluit) ut secundas porrò curas, uberiori, atque auctiori editioni, quantocyus impenderes: Belgarumque inprimis votis facere satis, animum inducas tuum. Ne autem pigeat te, gloriosum istum laborem subire, cogita identidem cum Xenophonte, obsonii loco, viris bonis, esse labores. Hos vero, quos tam præclaros exantlasti, fax mentis honestæ gloria consequetur indubie atque collustrabit: tuque in Opere isto æternaturo, superstitabis. Meministi autem quale responsum Crassus olim tulit: Non posse, scilicet fortunam aut opes, sibi quemque fingere, aut vitam protelare ad libitum: ingenium duntaxat, fingere posse; quo solo, ad æternitatis perenne decus, enituntur mortales. Ac vitam extendere scriptis, hoc virtutis Opus. Honores quippe, tituli, divitiæ, &

)( )(alia

alia quæque fortunæ sunt: tribui posse à Principibus fateor; ingenium, doctrinaque non eripi, non dari. Et quis, te uno excepto, potiore titulo, aut majore cum fructu, ac fide exercens calamum, per hæc sacrorum Rituum Controversiarumque argumenta, decurrat? ut qui mores hominum varios lustrabas, & urbes; ac studio discendi percitus, Alpium claustra pervasisti, Gallias late qua patent undique perlustrans; Belgium deinde peragrans, atque ipsas adeo confœderatas Provincias explorasti ad unguem. Et ne quid intentatum relinquas, temet in Angliam ultimam penetrans, trajicere fretum, ut variam istic, & laceram Ecclesiæ faciem dignosceres, constituisti. Post hos, tantos labores, viarumque anfractus superatos, beato nunc demum otio, atque Urbi, & tibi redditus, sub hoc felicissimo S. D. N. INNOCENTII Papæ X. Imperio, prodesse publico rectè instituis, fructumque peregrinationis tuæ, non modio neque trimodio, sed toto velut horreo admetiens Orbi universo.

Ego denique, qui, epistolam scribere, oblitus videar, ut in orbitam redeam, supremum hoc iterum, atque iterum te rogo, per, si quid amicitiæ nostræ non intermorituræ tribuas, ut patiaris exorari te, ad evulgandum locupletius volumina ista Rituum, extremis terrarum Morinis pariter, ac Belgis omnibus desideratissima. DEUS, auctor Pacis, idemque exercituum Deus, tranquilla Reges inter utrosque, componat tempora: ut horum ad exemplum, tanquam majorum luminum, cæteri quoque videant Moderatores Europæ Christianæ, unum id conducere Ecclesiæ, ut ad Pacis studia convertant animos, hostique Christiani nominis, devota Deo pectora objiciant, & procul finibus nostris, atrox & crudele bellum, quod intentat, propulsare fortiter valeant. Hæc summa votorum, conceptissimis signata verbis. In qua desino & te bene valere jubeo. Scribebam in Areopago Belgii, Machliniæ. Eid. Apr. 1646.

CLARISSIMO ET ERVDITISSIMO VIRO

IOANNI FRANCISCO A SLINGELANT,

C. R.

JOANNES BAPTISTA CASALIUS,

S. P. D.

TE magno excelsoque ingenio esse, nunquam mihi timide pronuntiandum putavi; ut maximè in negotiis peragendis solertiam ad singulorum mores ita componas tuos; ut unus omnium gnarus, nusquam hospes, atque insolens, ubique in patria esse videaris; & quam prudentiam Homericus Ulysses multarum urbium mores videndo didicit; eandem tu magnam Europæ partem perlustrando maximè es consequutus. Unde cum primum in hanc nostram Urbem totius Orbis Caput advenisses, ab hoc Inclyto Romano

Romano populo libentissimè in Civem Romanum electus, & cooptatus fueris: inde in Belgium reversus à secretis in Areopago Machliniæ fueris adscriptus; ut jam pridem apud felicis memoriæ Joannem Franciscum Cardinalem à Balneo eodem munere in illius Legationibus Brabantiæ, & Galliæ, ac Romæ hic etiam fungebaris: ex his ego, & conjuncta etiam inter nos amicitia anno elapso transmisi ad te bonarum omnium litterarum eruditissimum lucubrationes meas de profanis & sacris Veteribus Ritibus; & cum judicium tuum, ut prosequerer ego illam partem de Veteribus Christianorum Ritibus, percepissem; hanc igitur ad te in præsenti magis elaboratam, & auctam remitto. At vero dum tu easdem has meas lucubrationes laudas: tantum absum ab eo, quod putasti non me latere hujusmodi Ritus, ut nihil in Epistola tua legerim tristius; & miror quod ingenii mei tenuitas te lateat, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me lateant; sed in his etiam hujusmodi Ritibus multo nesciam plura, quam sciam. Libenti animo nihilominus suscepi hoc Opus, ut mentem à Principum aulis, & inanibus mundi honoribus in præsens alienam, cum in adolescentia mea in his parum suffragante fortuna non ratio, non consilium profecerit: saltem in cadente ætate studiorum pabulo in hujusmodi Veteribus sacris Christianorum Ritibus, etiam te annuente, illam sic feliciori sorte recrearem.

Et maximè in hoc tuo genio etiam satisfeci, quoniam Batavorum Provincia per totum ferè impii Calvini dogmatibus infecta; in illius tamen Metropoli Dordrechti, ubi ego elapsis annis humanissime jam hospes fui in Gentilitia, & Nobili domo tua, avitam tamen inibi maximè fidem, & Catholicam Religionem coli, & illibatam servari deprehendi: ac non sine lachrymis gaudio permixtis sacra istic Missarum solennia celebrari conspexi; quantum quidem per arctissimas temporis angustias eluctando familia tua consequi potest. Unde ego ipse sæpius cogitabam eosdem fidelium Ritus tunc in illa domo tua potissimum peragi, quos alias sævientibus Tyrannis ab exordio nascentis Ecclesiæ priscos fideles in Cryptis, & Cavernis celebrasse legimus, ut etiam in hoc ipso Opere nos indicamus.

Te igitur ex corde rogo; ut præsentes bellorum calamitates, quæ undique totum Belgium devastantur, fortiter feras, ut soles; donec mittat misericors Deus suum Angelum Pacis, qui omnia componat, & regat. Vale mi Slingelant. Quicquid sum, tuus sum: & Casalium tuum, ut facis, ama. Romæ prid. Non. Decemb. M DC XLVI.

IN LIBRUM
DE
VETERIBUS SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS,
P. PAULUS ANTONIUS DE ÆILLI PARISINUS C.R.M.

INgenium, labor assiduus, pietasque Casalis
Concurrunt pariter singula ad istud Opus.
Et licet haud facile est dixisse an vincitur hujus
Ingenio pietas, an pietate labor.
Vera tamen pietas, & multis gentibus orbis
Cognita, in authoris pectore prima sedet.
Hæc illi Batavos, terra, pelagoque potentes,
Quoque fluit Tamisus, suasit adire solum.
Illic Christiadum sprevit gens impia cultus
Hactenus, & jacuit relligionis honor.
At postquam, ut sidus, tua pagina, lumine fausto
Gratanti Ausoniæ, docte Casali, micat:
Quisque suas damnat tenebras, veteremque requirunt
Anglica, cum Batavis, te duce, regna fidem.
Quin etiam Gallis non amplius Hydra resurgit,
Quæ Lodoicæa concidit icta manu.
Rupellæ frustra latebræ: totumque per orbem,
Antiquos ritus nunc celebrare juvat.

Auctoris Responsio.

COmplacuit tibi Admodum Reverende Pater Eruditissimo epigrammate tuo mea scripta de Veteribus Christianorum Ritibus illustrare: plurimas idcirco gratias ago: sicut & immensas tibi & familiæ tuæ debeo semper, quod Lutetiæ in Nobilissima, & opulenta domo tua pluries hospes fuerim; dum adhuc in sæculo tu esses, quando post peracta humaniora, & philosophiæ studia egregie, ac fortiter ibidem Nobilium aliorum Gallorum exemplo Regi tuo recolendæ memoriæ Ludovico XIII. in præliis inserviebas. At dein dum nobili conjugio à tuis destinabaris, majora premens, & oculos è terra in cœlum intendens, mutata militiæ temporalis exercitatione cum spirituali; relicta domo & patria tua, unica soboles viduæ matris tuæ ex Gondiorum nobilissima prosapia, Romam profugus advenisti: singulari propè exemplo ut cœlum lucrifaceres, in cœnobium ingressus: pauper & humilis Christum Dominum imitatus, ibidem innocentia, & austeritate vitæ, extinctæ jam familiæ tuæ immemor, eidem in præsens dignè famularis.

INDEX

INDEX CAPITULORUM
DE
Veteribus ſacris Chriſtianorum Ritibus.

Prior Numerus ordinem Capitulorum deſignat. Secundus Numerus paginam eorundem Capitulorum. Tertius Numerus & ſeq. indicat paginam Notabilium ad prædicta Capitula.

Præfatio, ſeu de cauſa ſuſcepti Operis.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

Quod

PARS QVARTA.

PARS QVINTA.

De

APPROBATIO.

De Veteribus Christianorum Ritibus Librum Auctore Joanne Baptista Casalio Romano jussu Reverendissimi P. Fr. Vincentii Candidi Sacr. Apost. Palat. Mag. legi, nihilque in eo Catholicæ Fidei contrarium, nec contra bonos mores reperi; immo opus multa eruditione refertum, & Christianæ antiquitatis studiosis pergratum deprehendi; dignum quod Typis æternæ memoriæ mandetur. Die 10. Februar. 1646.

Ita censeo ego Didacus Cinquinus.

APPROBATIO.

R. Pater. *Legi jussu tuo librum Viri Clarissimi Joannis Baptistæ Casalii inscriptum de Veteribus Christianorum Ritibus, nihilque in eo reperi, quod fidei Catholicæ bonisque moribus repugnet, quin etiam multa vidi, quæ Christianam historiam illustrare possunt. In quorum fidem, &c. Idibus Februar. 1646.*

Ego Paulus Josephus Meronus ita censeo.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Magistro sacri Apostolici Palatii A. Sacratus Episcopus Comaclensis Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Raymundus Capisuccus Magister, & Socius Reverendiss. P. Fr. Vincentii Candidi S. Palatii Apostolici Magistri Ord. Præd.

Moyses ad populum Deut. cap. 4. inquit;

Quæ est alia Gens sic inclyta, ut habeat Ceremonias, justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam vobis ante oculos vestros.

Et David jam moriturus ad filium Salomonem. 3. Reg. cap. 2. inquit;

Confortare, & esto vir fortis, & observa, ut custodias mandata Domini Dei tui, & custodias ceremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & testimonia; sicut scriptum est in lege Moysi.

Lanfranchi Archiepiscopi Cantuariensis ex Comment. de Eucharistia contra Berengarium.

De Historiæ Ecclesiasticæ efficacitate.

Ecclesiasticæ Historiæ, & sanctorum Patrum gesta, tametsi illam excellentissimam auctoritatis arcem non obtinent, qua donatæ sunt Scripturæ, quas Prophetias, seu Apostolicas nuncupamus; hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, à priscis temporibus habuerunt.

PRÆFA-

PRÆFATIO
SEU
De Causa suscepti operis.

PLurimi ex priscis Scriptoribus, cum de Ritibus nascentis Ecclesiæ sparsim multa eruditè scripsissent, de quibus recentiores pauca notarunt; Cumq; etiam plurimi ex nostris antiquariis penes se copiam habeant sacrarum supellectilium veteris Ecclesiæ ad usum illarum rerum, quibus tam sacra quam profana historia illustrari & confirmari valet; atque de iisdem, mensibus præteritis publicè etiam eruditissimam habuerit Orationem magno Urbis concursu Dominus Paulus Josephus Meronius, à quo ego varia desumpsi: me ut eundem campum ingrediar, excitarunt. Igitur honestissimum pijssimumque studium imitatus, congessi ex prædictis sacris veteribus Ritibus; nec non ex lapideis, ac æneis quibusdam supellectilibus priscorum Christianorum (maximè quæ adhuc in meo Musæo servo) fragmenta aliqua; de iisdem scripturus, & nonnulla breviter explicaturus:

caturus:

caturus; quasi si Christianis omnibus Evangelicum illud Joann. 6. dictum esset: *Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.*

Hæc inquam libenti animo sum aggressus; quoniam annis præteritis in Galliam, Angliam, Hollandiam, & Germaniam cum divertissem, cumque ibidem ex librorum lectura, & ex colloquio eruditorum virorum cognovissem, Hæresin hisce nostris temporibus in hoc potissimum versari; quòd in quarto & quinto sæculo fuerint superaddita & immutata Ecclesiæ Sacramenta, sacramentalia, nec non & cæteri priscorum fidelium ritus: unde in hoc nostro opere si ex sacrarum Scripturarum auctoritate, & Apostolica traditione, ex sacris Conciliis & Orthodoxis auctoribus, maximè antecedentium sæculorum, cognoverimus, omnia prædicta, sicut in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, sic etiam adhuc apud nos in usu esse, quæ principaliora & Orthodoxæ fidei substantialia sunt: adversariorum Hæreticorum cavillationes destructas, & nostrum munus adimplevisse censebimus. Præterea quantum hæ nostræ lucubrationes, sive ad historiam illustrandam, confirmandamque, sive ad Ecclesiam ab Hæreticorum conatibus vindicandam, valeant: pro mearum virium tenuitate quam brevissimè referam.

Vt igitur in prima Parte nostri operis cognoscamus, quibus Ritibus mos fuit apud priscos fideles Divinam Majestatem, & Sanctos ejus venerari: De figura sanctissimæ Crucis primò dicemus.

PARS

PARS PRIMA.

De Figura ſanctiſſimæ Crucis apud Priſcos: variis modis expreſſa.

CAP. I.

QUoniam à priſcis illis Eccleſiæ Magiſtris ita inſtructi ſumus, ut res omnes Chriſti nomine, ſignoque Crucis auſpicibus aggrediamur: De hoc primum agendum, cum ego præſertim apud me habeam diverſas hujusmodi Cruces antiquiſſimas: Quarum una parva eſt ex lapide pretioſo ſculpta, & in ea Chriſtus affixus cernitur quatuor clavis; ſtantibus hinc inde beatiſſima Matre, & Evangeliſta Joanne. Altera ex metallo unius digiti longitudinis, adducta ex Orientali Civitate Aleppi, & eruta ex antiquiſſimo Chriſtianorum Templo ſubterraneo, quod nunc verſum eſt in uſum ſtabuli; nec in hac Cruce Chriſtus affixus apparet, ſed ſolummodo adumbratus. Tertia pariter è metallo antiquiſſima, in qua Chriſtus patiens non eſt affixus, ſed in Majeſtate quaſi Imperans; & huic ſimilis eſt celeberrima Imago illa, quæ in Urbe Luca ſervatur, à Nicodemo, ut traditio eſt, elaborata; de qua Cardinalis Baronius anno 1099. & ibid. Spondanus in epitome num. 7. ex quibus duas poſteriores hic effigiatas propoſui.

Num. 1. Antiquitus Crux effigiata.

Effigiabant aliquando antiquitus Crucem, unà cum Columba in ſummitate, quæ eſt ſymbolum Spiritus ſancti; ſicuti hic proponam imaginem illam, de qua in Civitate Meliapori, dicta S. Thomæ apud Indos. Quæ Crucis imago inventa in Eccleſia, ubi affirmabant Incolæ ſanctum Thomam Apoſtolum interfectum, ejusdem Apoſtoli ſanguine tincta, ſingulis annis octo dies ante celebrationem Natalis Domini, cum Evangelium in officio Miſſæ inchoaretur, in nigrum colorem, deinde in cœruleum verſa, multum ex ſe liquorem ſplendidum mittebat. Oſorius lib. 3. de rebus Regis Emmanuelis. Baronius ann. 57. ubi Spondanus num. 34. & P. Kircherus in ſuo Prodromo cap. 4. latè.

De Cruce in Vaticano.

Præterea tempore, quo ſupplicium Crucis frequens fuit apud Gentes in Reos, & Latrones; Chriſtiani magna circumſpectione apponebant Imaginem Chriſti Patientis affixi ad crucem; ſed hanc potius exponebant gemmis, & margaritis ornatam, ut etiam canit Eccleſia.

O Crux ſplendidior cunctis aſtris.

Ad pedes ejusdem Crucis effigiabant aliquando imaginem Agni effundentis ſanguinem ex pectore, & ex quatuor pedibus, in ſymbolum Chriſti crucifixi; ut ex opere muſivo in antiquæ Vaticanæ Baſilicæ abſide jam extabat: quam imaginem hic delineatam propoſui.

In

In hoc primi illi fideles fragilitati recentium initiatorum indulgebant, qui sive ex Judaismo, sive ex Gentilitate ad fidem Christi convertebantur; accidebat enim ut ex his multi erubescerent Christum Crucifixum uti Deum adorare; ex Apostolo 1. Cor. 1. *Nos quidem prædicamus Christum Crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*: & post Nicephor. Sozomen. & Cassiodorum refert Card. Baron. dicto anno 1099. ubi Spondan. num. 7. Hoc nobis etiam indicavit S. Paulinus Episcopus Nolanus, epist. 12. ad Sulpitium Severum dicens:

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno.

Et paulò post;

Sanctam fatentur Crux & Agnus victimam.

Num. 2. Et hic est Agnus ille mansuetus, de quo Isaias cap. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus innocens coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et hunc ipsum indicavit Præcursor Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ad hanc imaginem sanctissimæ Crucis, & Agni immaculati, ex cujus latere sanguis in Calicem effunditur, respiciens Summus Pontifex Innocentius III. Mysteriorum Missæ lib. 4. c. 44. inquit: *Non solum enim lavit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum fudit in Crucis patibulo: verum etiam quotidie nos lavat à peccatis nostris in sanguine suo, quando ejus sanguinem accipimus in calicis poculo.* Nec durum nobis debet esse, quod fragilitati priscorum illorum fidelium indulgerent sancti illi Patres circa ritus, qui directè Christianæ Religioni non repugnarent: quoniam suaviter ad verum cultum erant ii reducendi; ut in nostro proposito S. Gregorius Magnus scribens Mellito Abbati in Regist. lib. 9. epist. 71. inquit; *Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est: quia is, qui locum summum ascendere nititur; gradibus vel passibus, non autem saltibus elevavatur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit: sed tamen eis sacrificiorum usus, quos Diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reservavit: ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet, quatenus &c.* Hinc est, quod plurimi similes ritus, sive Hebræorum, sive Gentilitatis, perseveravere etiam apud priscos illos fideles: sicuti & alii similes à summis Pontificibus, & aliis sanctis Patribus in Christianam Religionem redacti, ut in d. epist. S. Greg.

Hæc consuetudo exponendi Agnum fuit servata, donec anno 680. sub Papa Agathone, & Constantino Pogonato imperante, in sexta synodo Constantinopolitana can. 82. fuit decretum, ut loco figuræ Agni pingeretur in cruce Christus in figura hominis, dator gratiarum, quod etiam confirmavit Adrianus Primus, prout expressè in Decreto de consecrat. distinct. 3. can. sextam sanctam.


Sed de prædictis Crucibus Geminatis, quas effigiare Prisci fideles consueverant; alia singularis & mysteriis repleta, lapide musivo expressa repræsentatur in Lateranensis Basilicæ abside: quæ quanquam Nicolao Quarto Romano Pontifice sedente fuerit restaurata; ea tamen omnino similis perhibetur, ut ibidem à Magno Constantino jam fuerat constructa: quam etiam hic nos delineari curavimus.

Columba

No. 2. p. 4



No. 4. pa. 6



No. 3



Num: 5





No. 11



No. 11




No. 1



No. 8






No. 9



No. 7



No. 14



No. 6





Columba super hanc Crucem expansis alis apparet (ut in alia Cruce sancti Thomæ in Civitate Meliapori, quam etiam effigiavimus supra) ex cujus nostræ Columbæ ore copiosæ supereffluunt aquæ, quæ totum Crucis truncum irrigant: inferendo ad illud, quod S. Paulinus Nolanus ep. 12. ad Severum Sulpit. scripsit.

DE CRUCE IN LATERANO.

Num. 3. *Crux in Laterano quid significet.*

Et per Columbam Spiritus sanctus fluit. Quoniam sicut Spiritus sanctus in Columba super Dominum apparuit; rectè per Columbam Spiritus sancti charismata figurantur. Dictæ aquæ in profundo Crucis fontem repræsentant; è quo flumina scaturiunt, quibus nomina quatuor fluminum terrestris Paradisi sunt adscripta; quæ in quatuor partes dividuntur, juxta quatuor mundi plagas, & quatuor humani generis status; hoc est Naturæ, Legis Mosaicæ, Evangelii & Gloriæ: sic ut omni loco & tempore copiosè participarent homines hujus divinæ Crucis spiritualibus donis à sancto Spiritu, ut in Psalm. 129. *Quoniam apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Hinc Robertus Abbas in Numeros Comment. lib. 2. c. 7. inquit. *Hoc facto egressæ sunt aquæ largissimæ: nil verius: passo namque Christo fluxerunt aquæ scripturarum, torrentes gratiarum Spiritus sancti inundaverunt.* Innuentes etiam aquæ istæ septem Ecclesiæ Sacramenta à Cruce provenientia, quibus omnia dona & gratiæ Spiritus sancti super justos & electos effluunt; & potissimum ad sanctissimum Sacramentum Baptismi respiciunt, de cujus aqua Spiritus sanctus promiserat per Ezechielem cap. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quod autem Fons, & Flumina prædicta Baptismum denotent, testis est effigies Præcursoris Christum baptizantis in medio hujus nostræ Crucis. Fontem & Flumina ista præviderat jam Regius Propheta, quòd fœcundare debuissent Civitatem Dei; hoc est sanctam Ecclesiam, ut in Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Hinc etiam sub eadem hac nostra Cruce instar Civitatis Ecclesia sancta apparet expressa, vera supernæ Civitatis, & cœlestis Hierusalem imago: vera spiritualis effigies terrestris Paradisi, ad cujus sanctæ Civitatis regimen Christus ipse adest; cujus typus in medio ipsius Civitatis eminens Palma apparet, victoriæ & triumphi symbolum; ac supra Palmam residet Phœnix, qui Christum Salvatorem supra Crucem apertè denotat: quoniam ut Phœnix supra Palmam volitans se ibi comburens moritur; & iterum post mortem renascitur: sic & Salvator noster Christus supra victricem arborem Crucis ardenti charitate cum ascendisset, amore erga nos mori voluit; & quasi mysticus Phœnix cum postea resurrexisset, vicit, & subjugavit Tartarum, mortem destruxit, ut nobis æternam vitam repararet: quod jam à multis sæculis in Christi persona fuerat prævisum in Cantic. cap. 7. *Ascendam in Palmam, & apprehendam fructus ejus.* De quo mirando facinore Lactantius, dum de Phœnice loquitur, sic inquit:

Æternam vitam mortis adepta bono.

Ejusdem Civitatis Dei, hoc est, sanctæ Ecclesiæ, Custodes sunt sancti Angeli, & inter illos præsertim gloriosus cœlestis militiæ Dux sanctus Michael Archangelus

effigiatus per Angelum ante januam dictæ Civitatis, habentem evaginatum gladium in manu: alludens ad Cherubinum, quem Deus ante terrestris Paradisi januam constituerat: quorum Angelorum custodiam piè à Deo intercedit sancta Ecclesia, his verbis: *Civitatem istam tu circunda Domine, & Angeli tui custodiant muros ejus*; ejusdemque Civitatis defensores sunt Apostoli sancti, & maxime gloriosi principes Petrus & Paulus; quorum imagines supra muros ejusdem effigiatas videmus.

Respicimus etiam in hac nostra musiva figura Cervos, & Agnos, qui avide bibunt aquas è sacro fonte scaturientes, & per dicta flumina se effundentes. Per Cervos denotantur credentes ex gentilitate, qui virtute sanctæ Crucis non solum aquis Baptismi erant aspergendi, verum & aquis verbi Dei, ac ejusdem doctrinæ ab Idololatria & peccato erant mundandi, ut exponit D. Hieronymus in Ezechielem cap.63. his verbis: *Tunc omnis Gentilium turba cognoscet, quòd ego eos tollam de terris, in quas dispersi erant, & reducam in terram Ecclesiæ, & effundam super illos aquas doctrinæ, & sermonis Dei: & mundabo illos ab omnibus inquinamentis suis, & ab universis Idolis atque erroribus, quos in suo corde simulaverunt*, &c.

Per Agnos effigiatos, dum bibunt aquas effluentes per flumina, quæ à fonte sanctissimæ Crucis emanant, innocentes Fideles significantur, qui ex hac aqua bibunt, ut immaculati à peccatis serventur: quod Christus ad Ecclesiam ex persona sponsi ad sponsam voluit indicare, ut in lib. Canticorum cap. 4. & 6. *Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Ad quod respiciens D. Augustinus de Doctrina Christiana lib.2. cap.6. & idem in Psalm. 94. inquit: *Intueor in his verbis Sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollita duritie quasi demersos, mansosque transferre. Oves etiam jucundissimè agnosco detonsas, oneribus sæcularibus tanquam velleribus depositis, & ascendentes de lavacro, id est, de Baptismate; creare omnes geminos, id est, duo præcepta dilectionis; & nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video.*

Mos quoque fuit antiquitus, in musivis & aliis Ecclesiasticis picturis Agnos bibentes ad flumen effigiare, non solum ut sanctos Apostolos indicarent, de quibus cum lætitia canit etiam hodie Ecclesia: *Isti sunt Agni novelli, qui annunciaverunt, Alleluja: modò venerunt ad fontes, repleti sunt claritate, Alleluja, Alleluja:* Quin imo, ut nos ostendimus supra, ad Christum ipsum denotandum, Agnum etiam effigiabant in medio aliorum duodecim Agnorum, sicut Christus in medio duodecim Apostolorum, ut legitur Apocal. cap.7. *Quasi Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Num.4. Sed ut clarius Fideles illi Christum exprimerent; non solùm eum Agni symbolo effigiabant; verùm supra ejusdem Agni caput signum Crucis aliquando ponebant; ac etiam interdum duabus Græcis litteris Christum pariter significabant: quorum Agnorum effigies ex antiquis marmoribus, & aliis musivis hic nos effigiavimus.

Reperi-

Reperitur præterea altera Crucis species, quæ *Coronata* nominatur; non minus veneranda ac mystica prædictarum; quam nos hic effigiavimus ex abside musivo Ecclesiæ sancti Clementis hic Romæ in Cœlio Monte, Nicolao Primo Rom. Pont. sedente extructa: In cujus superiori parte, & aliis extremitatibus undequaque non unam tantum, sed plurimas videmus Coronas: mysticè denotantes, quod quanquam ardua & difficilis sit ipsa Crux, quam Fideles & electi sufferunt viventes in mundo; eò sublimiores sint Coronæ, quas iisdem benignus & misericors Deus præparavit in Cœlo: ut indicavit sanctus Paulinus Nolanus epist. 12. ad Severum.

De Cruce coronata.

Sanctorum labor, & merces, sibi ritè cohærent:
Ardua Crux, pretiumque Crucis sublime Corona.

Quibus Coronis non coronabitur quispiam, nisi in agone hujus mundi legitimè certaverit. At vero circa hujusmodi Coronarum effigies quantum augeatur pietatis studium, & viscera doloris compunctione, & devotionis ardore maximè comprimantur & collidantur: scribit S. Basil. homil. in 40. Martyres his verbis: *In Ecclesia adspectandum me alliciunt picturæ flores; contemplor fortitudinem Martyris, Coronarum præmia considero; & tanquam igne incendor æmulandi cupiditate, atque prostratus & supplex per martyrem Deum adoro, salutemque percipio.*

Corona vero, quæ in eminentiori cornu hujus Crucis apparet, per manum quandam sublata; indicat apertè gloriosam victoriam & triumphum, quem per sanctissimam Crucem Christus obtinuit; alludens in hoc ad Romanorum triumphos, in quibus Imperator gestabat Coronam aliena manu elatam: cum & hæc Corona expressa sit similis illis, quas Crassus ex auro & argento in ludis & certaminibus, ut præmium constituit, de quibus Plinius lib. 21. cap. 3. *Crassus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit.*

In eadem nostra Cruce Imago nuda Crucifixi Domini cernitur, clavis quatuor affixa, sub cujus pedibus ad fulcimentum corporis extat tabella, quæ *suppedanea* nuncupatur.

Cernimus in eadem Cruce candidas Columbas duodecim, duodecim Apostolos denotantes, quibus præcepit Christus apud Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*: Quæ verba ut sint intelligenda docet D. Ambros. de Fide lib. 3. cap. 7. *Præmittitur astutia, ut sit tuta simplicitas: sunt enim serpentes Evangelici, qui exuunt veterem usum, ut induant novos mores; sicut scriptum est: Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum secundum imaginem ejus, qui creavit eum. Discamus ergo depositis vetusti hominis exuviis, evangelicorum serpentium vias, ut more serpentium servare caput, si audem cavere noverimus.*

CRUX CORONATA.

Num. 5.

Nec prodest simplicitas, quæ rectum non discernit, ut quis innocens inveniatur. Hinc Paulus ad Roman. 16. *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo.* & 1. Epist. Corinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.*

Quòd

Quòd autem Columbæ circa Crucem denotent Apostolos, expresse de hujusmodi Imaginibus scripsit S. Paulinus ep. 12. ad Severum.

Crucem Corona lucido cingit globo:
Cui Coronæ, sunt Corona Apostoli;
Quorum figura est in Columbarum choro.

Est etiam talis Columba dilecta illa sponsa, quam cœlestis sponsus sic invitat in Cantic. cap. 2. *Surge, propera Amica mea, Speciosa mea, & veni, Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Quòd autem hæc Columba invitetur ad se protegendum in foraminibus petræ, declarat S. Bernard. in Cantic. sermon. 62. ex verbis Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam?* & sic inquit: *Ecclesia Columba est, & sic requiescit. Columba, quia innocens, quia gemens: Columba inquam, quia in mansuetudine suscipit insitum verbum: & requiescit in verbo; hoc est in petra: nam petra est verbum.* Foramina petræ, & caverna maceriæ, ad quæ invitatur hæc dilecta sponsa ad se protegendum, non aliud sunt, quam fixuræ clavorum Christi Crucifixi. Hinc sanctus Bernardus ibidem serm. 63. inquit: *Foramina petræ vulnera Christi interpretans: recte omnino; nam petra Christus. Bona foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi divinitatem: Dominus meus, inquit, & Deus meus: unde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his Passer invenit sibi domum, & Turtur nidum, ubi reponat pullos suos: in his se Columba tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur Accipitrem: & ideo ait: Columba mea in foraminibus petræ. Vox Columbæ: In petra exaltasti me.*

Effigiabantur Columbæ à priscis illis fidelibus penes Christum Crucifixum, ut indicarent semper ibidem residere puros, mansuetos & innocentes tanquam Columbas gementes, flentes, & semper meditantes in lege Domini, ut in Isaia, cap. 38. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo. meditabor ut Columba*: quod nullibi quam in ipsa Cruce perfici melius potest. S. August. in Psalm. 54. *Columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur: nihil tam amicum gemitibus, quam Columba; die noctuque gemit; tanquam ibi posita, ubi gemendum est.*

Quòd autem effigiassent primi fideles Columbas supra ipsam Crucem in principio nascentis Ecclesiæ: vidimus nos etiam supra ex illa Cruce Civitatis Meliapori in Indiis, quam effigiari & scalpi fecit in petra gloriosus sanctus Thomas Apostolus: cujus Columba non solum indicabat Spiritum sanctum supra ipsum Christum apparuisse, verum & supra eundem resedisse plenitudinem & septiformem gratiam donorum & virtutum omnium ipsius sancti Spiritus: ut refert Rupertus Abbas de Operibus Spiritus sancti lib. 1. cap. 22.

Apparet in calce hujus nostræ Crucis Cervus, qui flatu videtur serpentem absorbere: Symbolum peccati ab homine concepti, à quo nisi Spiritus sancti afflante gratia per Sacramenta è sanguine Christi provenientia, tanquam à vivis fontibus, non purificatur; ut propterea dixerit Psalmista: *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Quod mysticè explanavit D. Hieron. in Psal. 41. *Mos est Cervo,*

ut

ut inventum serpentem naribus hauriat: & post hæc exardescens, extinguat sitim. Ergo homo Ecclesiæ, qui diu in actu venenoso degebat, ubi se perspicit cœno fornicationis, Idololatriæ fœtore repletum, desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis; ut ablutus Baptismo accipiat donum remissionis: sed & si quis hodie nostrum extinctis vitiis ignescat in desiderium Dominicæ contemplationis, potest & ipse dicere: Quia desiderat anima mea ad te Deus. Hinc etiam in nostra figura duo Cervi ardenter bibunt ad quatuor flumina erumpentia ab ipsa Cruce, ut à serpentium veneno curentur; sicuti etiam homines ad aquas Sacramentorum bibentes à peccatis mundantur; ut declaravit Ruffinus Aquilejensis in Psalm. 41. *Dicitur natura esse Cervi, ut serpentem flatu suo extrahat, atque ipsum ad renovationem suam transglutiat: quo absorpto tanta siti propter venenum inardescit, quòd non sufficit ei de uno fonte potasse, sed ad plures currit. Ad hunc modum se perhibet hæc anima perfecta Deum desiderasse, dicens: Quemadmodum, id est; Quam ardenter desiderat, & festinat Cervus absorpto serpente, non ad unum tantum, sed ad plures aquarum fontes: ita ad illum modum & ardore, & fervore anima mea absorptis vitiis desiderat pervenire ad te: Quoniam apud te est fons vitæ, ad quem tu ipse animas invitare dignatus es, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & iterum: Qui bibit ex hac aqua, quam ego do, fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam.*

Mysticè hujusmodi Cruces alia pia symbolica continent ornamenta, nempè flores, ut indicarent talem fuisse Christum: *Ego flos campi, & lilium cõvallium.* Fructus denotant immensa justorum dona tum gratiæ, tum gloriæ, quæ ex Cruce proveniunt, ut in Proverb. cap 11. *Fructum justi lignum vitæ:* de quo in Apocalyps. cap.22. *Lignum vitæ afferens fructus per singulos menses.* At de iis & similibus aliis imaginibus hæc dicta sufficiant: quarum plurima veneranda mysteria antiquitatum indagatori melius patebunt.

Præterea de hoc salutifero Crucis signo inquit Corn. à Lapide in epist. 1. Corinth. cap. 1. num. 23. quod lingua Chaldaica, & Indica illud pronunciatur verbo *Mascal*: quo etiam significatur Dei sapientia, & virtus: indeque ibidem ait allusisse Paulum: *Prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & sapientiam.* Siquidem hæc vox Crux, commutatis tantum litteris symbolicis, & punctis; scandalum, stultitiam, & sapientiam significat.

Præterea Ægyptii, quamvis ignoranter, ex Horoapolline hieroglyphic. 112. vitam, & salutem futuram indicantes; geminas lineas ducebant, quarum transmissa altera alteri in perpendiculi modum ductæ substerneretur; atque ejus rei nulla alia suppetebat ratio, nisi quod hæc Divini cujusdam mysterii significatio esset. Quod etiam explicavit Marsilius Ficinus de vita cœlitus comparanda cap. 18. dicens: *Inter characteres Ægyptiorum Crux una erat insignis, vitam eorum more futuram significans; eamque figuram pectori Serapidis insculpebant.*

At ego in alio meo tractatu de prophanis Ægyptiorum Ritibus, cap. 13. ubi de Iside, & Osiride, delineari curavi effigiem Osiridis habentis in manu Crucem, Num. 6.

Crucem, ſeu Tau; ſicuti & hic delineatam propono ex muſæo Domini Octavi Tronſarelli effigiem Herculis circundati pelle Leonis, & habentis ſignum Crucis decuſſatæ: quod non aliud indicaſſe credo, quam quòd ad conſequendam vitam, & ſalutem in hieroglyphico Crucis, operandum ſit prius fortitudine, & virtute, ut in Hercule, quem evexit ad æthera virtus.

Num. 7. Sed hoc eminentiùs etiam apparet nobis, non verbis expreſſum, ſed ad vivum præfiguratum, & delineatum ex antiquiſſimo Ægyptiorum Hieroglyphico in celeberrima ænea tabula Cardinalis Bembi, quam etiam inſpexit in parte Jacobus Boſius in tractatu *Della trionfante Croce.* Eſt ibi Arula bipes, in qua ſtat urceus è duabus partibus aquam in modiolos effundens: urceo ſupernè infixa eſt Crux, & in utroque illorum modiolorum poſitum eſt aſpergillum; quaſi hæc nobis indicare velint, quod per ſanguinem, & aquam ex latere Chriſti prodierint Sacramenta, & ſacramentalia Eccleſiæ ſanctæ: ad Hebræos 9. c. *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Quæ omnia abſque ſigno Crucis exerceri non poſſunt. Sanctus Cyprianus de Baptiſmo Chriſti in princ. inquit: *Nos in Cruce Chriſti gloriamur, cujus virtus omnia peragit Sacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, nec aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exſurgit ſublimitas, & profundum: & longè, lateque diffunditur plenitudo gratiarum.*

Urceus in prædicta figura, ſupra quem eſt poſita Crux, poteſt nobis ſignificare Chriſtum crucifixum, de quo per Prophetam: *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Hinc ſanctus Ambroſius in expoſit. Pſalm. 45. *Fons ibi eſt, ubi Chriſtus eſt. Fons eſt, ut aquæ ſupereffluant requirentibus, quo & univerſa carnis, vel flagitia diluantur, vel reſtinguantur incendia.* Et iſte Divinus Fons ex latere Chriſti fuit jam ante pronunciatus per Zachariam cap. 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitatoribus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ: & erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra.* Et Ezechiel: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & univerſis Idolis veſtris mundabo vos.*

Extant præterea ante prædictam Arulam hieroglyphicam expreſſi duo viri genuflexi, ſanctam Crucem adorantes; ac etiam ſiniſtra manu portantes eandem Crucem in ſummitate cujusdam inſtrumenti, quod Siſtrum, vel hujusmodi quidpiam æneum eſt: dextera autem manu tenentes iidem Vaſa. Et hoc nobis demonſtraſſe videtur, quod antiqui Ægyptii abalienantes ſe à ſuperſtitioſo, & impio ipſorum Idolorum cultu; ad lumen ſanctæ fidei, & ad fontem Baptiſmi, erant ſe demum converſuri.

Num. 8. De iſtis genuflexis ante Crucem loquebatur Redemptor noſter Chriſtus ad Samaritanam, Joann. 4. *Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Quod Chriſtus exaggerat, quoniam prædicti fuerant antea Idolorum cultores, ut in Pſalm. 17. *Populus, quem non cognovi, ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.*

At

At quoniam isti non solum corde credebant ad justitiam, verum ore etiam confitebantur ad salutem, Christi nomen Gentibus annuntiantes: Hoc ipsum nobis indicatur ex sonitu sistri; quoniam æs pro diuturnitate perdurandi, & suavitate sonandi, Divinis competit Sacramentis, quæ nulla sæculorum longitudine deficiunt: *Et in omnem terram exivit sonus eorum*: Propterea dicitur Lucæ 17. quod *Unus ex decem leprosis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Et respondens Jesus: Non est inventus, qui daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Similiter: *Mulier Samaritana,* Joann. 4. *reliquit hydriam, & abiit in Civitatem, & dicit hominibus: Venite, & videte hominem, qui dicit mihi omnia quæcunque feci: nunquid ipse est Christus? Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis.*

Tenent quoque prædicti Ægyptii dextera manu vasa, ut ad Ecclesiam confugientes sancto Baptismo laventur, & vasa cordium ipsorum sancta fide repleantur. ad Rom. 2. *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*: Unde D. Prosper de Vocat. Gentium ait: *Paulus vero Apostolus hanc ipsam fidem secundum mensuram dari pro arbitrio largientis prædicat.*

De prædictis Ægyptiis, & aliis Gentium populis aridis, & mendicis omni salubri auxilio, quod essent aqua Baptismi, & aliorum Sacramentorum reficiendi, prophetavit Isaias cap. 41. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in supernis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.*

Præterea iidem Ægypti ministri, & Sacerdotes Christi facti sunt; ut ex Stola Sacerdotali circundata ad pectus istorum in forma Crucis instar celebrantium Sacerdotum: isti inquam, ut ministri Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, non solum habent in manibus vasa ad propriam ablutionem culparum; verum quod ex fonte, qui Christus est, aquas, quæ supereffluunt, dispergant requirentibus Laicis, ut flagitia carnis diluantur, & incendia restinguantur, ex Divo Ambrosio citato. Et ad hoc posita videntur aspergilla in vasis penes fontem; ut per illa effundant Sacerdotes aquam super populum, & Gentes, quas Christus invitat, dicens Joann. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Similiter Joann. 4. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Aquæ istæ illæ sunt, quæ ex fixuris clavorum, & latere Christi profluxerunt. Isai. 12. c. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Nec mirum, quod cum gaudio sumantur, quoniam bibentes ex illis præ dulcedine inebriabuntur. Psalm. 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus est.* Et idem Propheta: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Aliud mirabile hieroglyphicum Crucis consideravit prædictus Bosius in dict. tract. de Cruce lib. 5. cap. 10. nempè figuram Crucis supra caput volucris, quam Nycticoracem Græci, & Bubonem Latini appellant, ut est expressum in Obelisco **Num. 9.**

 Eate-

Lateranensi. Etenim sicuti hoc animal ab hominibus, & ipsis etiam avibus deluditur, & odio habetur; ita quoque Christus Rex noster à Gentibus, & à Judæis; unde in Christi persona clamat Regius Propheta Psalm. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*, & hoc idem intellexit in Psalm. 101. secundum expositores, dum dixit: *Factus sum sicut Nycticorax in domicilio*.

Hujusmodi sacratissima mysteria Incarnationis, Crucis, Passionis, & Mortis suæ, voluit Christus pro salute Hebræorum fuisse indicata illis sub umbra figurarum in sacris codicibus; ita Gentibus, & præsertim Ægyptiis abscondi voluit in hieroglyphicis, & symbolis eorum vanæ, & falsæ Religionis: & hoc usque in tempus plenitudinis gratiarum, quo hæc Apostolis, & Sanctis suis revelavit, unde Doctor gentium ad Coloss. 1. *Mysterium, quod absconditum est à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus.* Quæ verba exponens sanctus Ambrosius inquit: *Mysterium, quod latuit à sæculis, modo revelatum asserit, id est, tempore Apostolorum ostensum; quia & Gentes admittendæ essent, sine circumcisione carnis ad fidem.*

Alia Crucis symbola.

Non solum venerandum Crucis, seu Christi signum inter Ægyptiorum hieroglyphica consueverat apponi: verum etiam ab aliis quoque Ethnicis ignoranter olim usitatum fuisse. Ea nota, ut probè scimus, est littera X, quam P, intersecat. Etenim in plerisque Ptolemæorum æreis numismatibus, non semel extat; ac etiam in Collaribus fugitivorum hanc notam imprimi consuevisse: in Moneta siquidem ante Christum percussa potuit significare compendiaria ratione nomen alicujus, qui monetam cuderet; exempli gratia Chrysantis, Chrysippi, & similium. Et hoc docet Pignorius in eruditissima sua epistola 24. Quodque longe ante Constantini tempora fuerint quoque in exercitu Romanorum Gentilium alia militaria signa, quæ signum Crucis exprimerent; ut Romæ, & alibi cernere licet in multis trophæorum imaginibus, & aliis antiquis monumentis; refert post alios Baron. ad ann. 312. ubi Spondan. num. 4.



At vero Magnum Constantinum Augustum ex illo veteri usu transtulisse hanc notam ad hunc pium & sacrum, tum in propriis nummis, tum etiam in Galea, & Labaro, & ex promiscuo monetarum usu potuisse eximere hanc notam, cum infamiam abrogaverit supplicio crucis; ita ut post Constantinum solum nomen Salvatoris indicaverit; ex scriptoribus Ecclesiasticis constat: nec novum est, multa in supellectilem Christianam, ut ita dicam, fuisse invecta, quæ alias profanitatem suboleverant. Crux ipsa, quæ nunc exornat Imperantium frontes, fuit olim ignominiæ theca, & servilium suppliciorum epitome. Divertit deinde ad figuram rectam Crucis ab illa veteri Decussata in hanc formam, ut nummi veteres præseferunt; quos apud me habeo, ac etiam servo. Lucernam fictilem hac quoque nota signatam, quam inferius delineari curavi, cap. 42.



Hanc arcanam nominis Dei, & Christi scribendi rationem ad Latinam quoque Ecclesiam traductam monstrant sequentia Monogrammata Christi, videlicet.

Cæterum

IHS XC Cæterum non solum littera X, quam P, intersecat, sed unica etiam littera X spectatur in cœmeteriis: nempe hac littera X nomen Christi significari, seu Crucis, qualem efformavit Jacob; cum Josephi liberis benedixit, *manibus transversis obliquatis inter se*, ut loquitur Tertullianus de Baptismo cap. 8. Illud quoque argumento est, quod Julianus Apostata propterea Osor X à Christianis Antiochensibus dictus est (ut ex libello, qui Misopogon inscribitur, apparet) quia Christi erat juratus hostis. Quid vero aliud duarum linearum ista Decussatio, nisi figura Crucis? Huc accedit locupletissimum Justini Martyris testimonium: Is enim in Apologia secunda cum Platonem verba hæc de Filio Dei à Mose accepta in Timæo protulisse diceret: *Decussavit eum in universo*: Decussationem figuram Crucis esse affirmavit. Et hanc sanctissimi viri interpretationem sacrosanctæ Cruci non mediocriter faventem, ut Platonicæ Philosophiæ hortos Mosaicis fontibus irrigatos doceat, cur valde suspiciamus?

Ipsa quoque littera Tau Crucem denotavit, ut proinde rectè Origenes, aliique veteres Patres locum Ezechielis cap.9. de signo frontibus impresso ad Christi Crucem aptaverint. Itaque Tertullianus in Marcionem, lib.3. cap.22. de eodem Ezechielis loco agens, ajebat: *Ipsa enim littera Græcorum Tau, nostra autem T, species Crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Hierusalem.* Est præterea verissimum Hieronymi testimonium sic scribentis in dict. cap.9. Ezechielis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau littera Crucis habet similitudinem.*

Veneratio Crucis.

Et hæc quidem hactenus de salutari Christi nominis, & Crucis nota, quam religiosè admodum, ut habet Rufinus lib. 11. cap. 19. *Alexandriæ unusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingebat.* Et in 2. Synodo Ephesin. act.4. habetur: *In communi domo, in qua multa fuerint habitacula; adsit in singulis habitaculis veneranda Crucis Imago.* Addit S. Augustin. in Psalm. 33. *Ipsi Reges signum Crucis Christi in fronte jam portant, pretiosius signum, quam quælibet gemma Diadematis.* Et addit Hieronymus ad Lætam: *Vexilla militum Crucis insignia sunt: Regum purpuras, atque ardentes Diadematum Coronas patibuli Salvatoris pictura condecorat.* Crucis signum ex lucis fulgore figuratum oranti Constantino apparuit, cum inscriptione: IN HOC VINCE. Unde ad illius effigiem vexillum suum, quod Romani Labarum appellant, fabricari curavit. Eusebius in vita Constantini lib. 1. & nos infra cap. 4. delineari curavimus fragmentum columnæ ab Antonio Ethnico Imperatore erectæ, in qua milites Christiani per signum Crucis in suis scutis impressum (ut adhuc Romæ ad fidei nostræ testimonium intuentibus apparet) victoriam miraculosè à Marcomannis reportarunt. Ejusdem sanctæ Crucis signum atramento in frontibus Turcarum pictum, eos (quantumvis infideles) à pestis contagio præservavit, ut est apud Nicephorum Callisthum: & Alcuinus lib.18. de divinis Officiis dicit in die Parasceves in omnibus Ecclesiis præparari Crucem ante altare, & adoratam deosculari, Pontificem deinde, Presbyteros & Diaconos, cæterumque inde populum. Chrysostomus homil.55. in Matth. hortatur:

Ut in penetralibus, & in parietibus,& in fenestris,& in fronte quoque ac mente,magno studio Crucem inseramus. Crucifixi imaginem in medio templi poni solere indicant Lactantio adscripta carmina de Passione Domini.

Quisquis ades,mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me; me conde animo,me in pectore serva.

Quò spectat,quod concionatus est Ambrosius serm. 55. veluti malum in navi Crucem erectam esse in Ecclesia,quæ inter sæculi naufragia servatur incolumis, & generaliter inquit sanctus Maximus serm.53. *Ecclesia sine Cruce stare non potest.*

De signo Crucis in fronte.

Constat præterea etiam priscos Fideles frontem signaculo Crucis semper trivisse ex sancto Ambrosio serm.44. *Surgentes gratias agere Deo debemus,& omne diei opus in signo facere Salvatoris.* Cyrillus Catech. 4. & 13. *Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & stans, & sedens, & loquens, & ambulans, & in omni negotio tuo.* & infra: *In fronte fidenter signaculum Crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus Crux fiat; in panibus comedendis, & in poculis bibendis; in ingressu,& egressu ante somnum recumbendo, & resurgendo, eundo,& quiescendo: magna hæc est custodia.* Et D. Hieronymus epist. 22. ad Eustoch. *Ad omnem actum,ad omnem incessum manus pingat Crucem.* Tertull. de Corona militis cap.3. *Ad vestitum,ad calceatum, ad lavacra,ad mensas,ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet; frontem Crucis signaculo terimus.* Et quod Parentes supplere teneantur propriis Infantibus, quando hoc signum sibi imprimere non valent; Chrysost. homil. 12. in 1. ad Corinth. *Priusquam hoc signum possit Infantulus manu propria facere,vos ipsi Crucem ei imprimite.*

Refert præterea Tertull. in Apolog. Christianos dum orarent,manibus expansis utique ad similitudinem Crucifixi in Cœlum suspendisse; ut nos infra c. 4. dicemus. Tu igitur, ut habet Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 4. manifeste signa te Cruce in fronte. Huc pertinet illud Prudentii in vi. hymno ante somnum.

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet: *Crux pellit omne crimen*: &c.

Dæmones pellit.

Etenim maximè hoc sanctissimum Crucis signum salutare est; ut Dæmones procul fugiant,eorundemque suggestiones diluantur: quoniam ut inquit Hieronym. de Nativit. *Hoc signum Diabolus contremiscit, qui aurea Capitolia non timet: qui contemnit sceptra regalia, Cæsarum purpuras; Crucem timet.* Et Origen. homil.6. in cap.9. Exod. *Quid timent Dæmones? quid tremunt? sine dubio Crucem Christi.* Ad quod respiciens Theodoret. in Psalm.43. explicat verba illa: *In te inimicos nostros ventilabimus; & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Exemplum illustre,quod nulla exceptione submoveas, apud Nazianzen. orat. 1. in Julianum; refert Apostatam Imperatorem cum magicæ arti operam daret, à veneficis deductum in abditas sedes, ut mysteria illic perageret tenebris digna. Illic

vero

vero cum umbris & adventantium ſpectrorum tumultu terreretur, memorem adhuc Chriſtianæ, quam nuper reliquerat diſciplinæ, ſigno Crucis in ſe armaſſe: Abſceſſiſſe ſubito ſpectra, quieviſſe tumultum: neque tunc impios illos potuiſſe res ſuas, tanta virtute turbatas, inſtaurare.

At non minori dignum admiratione, quod refert Gregorius Magnus lib. 3. Dialog. cap. 7. de Judæo, qui ex Campaniæ partibus Romam veniens; cum per Fundanum territorium tranſiſſet, & diem cerneret veſperaſcere, & quo declinare poſſet, minime reperiret, ibique in quodam Apollinis templo remanſit. Qui ipſum loci illius ſacrilegium pertimeſcens; quamvis fidem Crucis minime haberet, ſigno tamen ſe Crucis munire curavit. Nocte autem media ipſo ſolitudinis pavore turbatus, pervigil jacebat, & repentè conſpiciens vidit malignorum ſpirituum turbam, in obſequium cujusdam, qui cæteris præerat: & dum idem ſingulorum ſpirituum ſibi obſequentium actus diſcutere cœpit, quatenus unusquisque quantum nequitiæ geſſiſſet, inveniret: cumque ſinguli quid operati fuiſſent, contra ſingulos exponerent; unus in medium proſiliit, qui in Andreæ Epiſcopi Fundani animum per ſpeciem fœminæ quæ in Epiſcopio ejus habitabat, quantam tentationem carnis commoviſſet, aperuit: tunc malignus qui præerat, ſpiritus ſubdidit, tantum ſibi factum lucrum grande, quantum ſanctioris viri animum ad lapſum perditionis inclinaverat. Cumque Judæus hoc pervigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret; ab eodem ſpiritu, qui cunctis illic obſequentibus præerat, juſſum eſt, ut requirerent, quisnam eſſet ille qui jacere in templo eodem præſumpſiſſet. Quem maligni ſpiritus ſubtilius intuentes, Crucis myſterio ſignatum viderunt, mirantesque dixerunt, *Væ, væ, vas vacuum, & ſignatum.* Quibus hoc renunciantibus cuncta illa malignorum ſpirituum turba diſparuit. Judæus vero qui hæc viderat; illicò ad Epiſcopum pervenit, eidemque prædictam illius tentationem aperuit. Quod agnoſcens Epiſcopus ſe ad terram protinus in orationem dedit, moxque de habitaculo ſuo omnem fœminam expulit: Judæum vero aqua Baptiſmatis emundatum ad ſanctæ Eccleſiæ gremium perduxit. Hæc latius D. Gregorius.

Nos autem hanc ſanctiſſimam Crucem, divam Helenam imitantes, conquiramus, & corde veneremur; ut ſigno filii Dei, quod apparebit in Cœlo, ſuus ſit honos.

CAP. II.

De ſacris Imaginibus naſcentis Eccleſiæ.

Cultus ſacris Imaginibus debitus, quamvis ab Arianis, Iconoclaſtis, & aliis recentioribus Hæreticis fuerit diverſis temporibus impugnatus; contrarium tamen teſtatur & docet Catholica Eccleſia ex ſacra Scriptura, Conciliis generalibus, & Sanctorum dictis. Hoc tamen advertendum, ut docet Tridentina Synodus ſeſſ. 25. decret. 2. *Honos, qui eis exhibetur* (utpotè Imaginibus) *refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per Imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procambimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

Habe-

Habetur igitur ex præcepto Dei ad Moysen de effigie Cherubim Exod. 25. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi: utrumque latus Propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus*, &c. de quibus Cherubim hallucinatur Joseph Antiquit. *Animalia volucria, specie nova, à nullo unquam hominum conspecta.*

Præterea Numer. cap. 21. vers. 8. loquutus est Dominus ad Moysen: *Fac serpentem æneum & pone eum pro signo. Fecit ergo Moyses serpentem æneum*, &c. Quas Imagines ex ore Dei formatas, quis unquam impugnare audebit?

Confirmatur talis cultus ex Concilio Niceno in Anathematismis tom. 3. act. 7. *Nos venerandas Imagines suscipimus, nos qui secus faxint anathemate percellimus; Quicunque sententias sacræ Scripturæ de Idolis contra venerandas Imagines adducunt, Anathema: Qui venerandas Imagines Idola appellant, Anathema.* Porrò beatus Basilius ex Apostolorum traditione processisse sacrarum Imaginum venerationem inquit; *Historias Imaginum illarum honoro & palam adoro: hoc enim nobis traditum à sanctis Apostolis, non est prohibendum.*

Quod autem motus animæ ad Imaginem sit relativus ad rem imaginatam, divus Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 19. *Cum autem per vim illuminatricem intendimus oculos in pulchritudinem Imaginis Dei invisibilis, per hanc supervehimur ad pulcherrimum spectaculum archetypi* &c. Excitant enim Imagines affectum in pectoribus Fidelium, qui illas aspiciunt, ut de se confitetur S. Gregorius Nissenus orat. 1. de juvandis Pauper. ibi: *Vidi sæpius inscriptiones Imaginum, & sine lachrymis pertransire nequivi; cum tam efficaciter pictura obtutibus meis proponeret historiam.* & infrà. *Efficaces sunt Imagines in commovendis inspectorum cordibus; dum in eis quis contemplatur exemplaris Divinitatem aut quamlibet virtutis sublimitatem.* Et quantum adjumenti conferant Imagines sacræ, consentit Beda de Templo Salomonis cap. 19. his verbis: *Imaginum aspectus multum compunctionis solet præstare contuentibus, & eis qui litteras ignorant, quasi vivam Dominicæ historiæ pandere lectionem.*

Sed omissis hujusmodi auctoritatibus, ut passim est studiosis intueri; Refragari non videtur cultui sacrarum Imaginum Concilium Elibertinum cap. 36. his verbis: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere; nec quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Quoniam Concilium illud Provinciale fuit non Generale, nec à sede Apostolica approbatum, ut aliqui dicunt: vel ut à Sandero respondetur lib. 2. de Orat. cap. 4. & à Turriano lib. 4. Dogmatum, dictum Decretum processit tempore, quo Christiani ad mortem persequebantur; qui cum sæpe fugere cogerentur; & ne Sanctorum Imagines permanentes in manus Gentilium & Hæreticorum incurrerent, & ab eisdem conculcarentur; propterea Concilium prohibet illas in parietibus Ecclesiarum pingi: & idem videtur sensisse Azorius part. 2. lib. 9. cap. 7. & Card. Bellarmin. de Imaginibus lib. 2. cap. 9.

De Radiis seu Diademate.

Prædictas Sanctorum Imagines consueverunt etiam prisci Fideles effigiare capitibus radiatis instar solis, quod refert Abdias, de Histor. Apostol. lib. 5. processisse à magna quadam luce: quæ apparuit circa caput sancti Joannis Evangelistæ versus

versus finem illius vitæ (quod etiam in aliis Sanctis evenit post mortem) ostendens in hoc Deus gloriam, qua ipsi fruuntur in cœlo: Matth. c. 13. *Fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris mei.* Ac etiam eisdem splendor ille competit, quoniam opera eorum à Spiritu sancto Soli assimilantur, in Ecclesiast. c. 17. *Opera eorum velut Sol in conspectu Dei.* Ut ex hoc à Christo illi nominentur, Matth. c. 5. *Vos estis lux mundi:* & infra: *Luceat lux vestra coram hominibus.* Aliis verò Sanctorum Imaginibus quoq; apponebant capiti Diadema, quod est Circulus sphæricus instar coronæ, symbolum Regni, & Imperii, ut in Cantic. cap. 3. *Videte Salomonem in Diademate.* & apud Isaiam cap. 62. *Diadema Regni in manu Dei.* Quorum supremum est illud Beatorum in Empyreo: Sapient. c. 5. *Iusti autem in perpetuum vivent: ideo accipient Regnum decoris, & Diadema speciei de manu Domini.* Et propterea Sanctorum Imagines sic effigiantur, ut in Sapient. cap. 18. *Magnificentia tua in Diademate capitis illius sculpta erat.* Et hoc etiam voluit Molanus de sanctis Imaginibus lib. 2. cap. 4.

Bene verum est præter mysteria, quo ad originem fuisse sumpta prædicta ab insignioribus Ducibus, & Heroibus, quibus Coronæ & Diademata imponebantur propter egregiam eorum virtutem in bello: & Imperatores Romani de novo electi, quò ipsimet non poterant se conferre, transferebant hujusmodi eorum Imagines, ut illis debitus cultus præstaretur, ut refert Card. Bar. ad annum 603. ubi Spondanus num. 1. qualis cultus multo magis est debitus Sanctis in gloria propter devictos hostes Diabolum, Mundum, & Carnem: ut nos etiam diximus in lib. de Veteribus Ægypt. Ritibus cap. 26. de Circulo, seu Diademate.

Sed ut deveniamus ad particulares Imagines, quas prisci Fideles etiam symbolicè persæpe exprimebant.

Symbola Christi.

Christus variis symbolis exprimebatur, præsertim litteris A & Ω, ex quibus eum rerum principium & finem esse intelligimus: modo Agni, ad cujus pedes vasculum apponitur, & Crucem gestantis; ut in cœmeteriis & antiquis lapidibus illum expressum vidimus supra. Etenim B. Paulinus epist. 5. ad Severum inquit: *Ipse & Agnus & Pastor est; qui pro ovibus suis Pastor, & pro Pastoribus suis Agnus occisus est. Ipse enim Dominus hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, & sacerdos suæ victimæ fuit.* Quod etiam indicasse videtur Canon. 82. sextæ Synodi his verbis: *Ergo antiquas figuras & umbras, ut veritatis signa & præsignationes Ecclesiæ traditas amplectentes; gratiam præferimus & veritatem.* Iisdemque planè verbis in septima Synodo Hadrianus Papa Primus in epistola ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum Imaginem Christi sub Agni forma laudavit, & amplexus est; sicuti etiam verum Pastorem mirabiliter, & cum affectu Deus promittit Christum, & cum eo pacem per Ezechielem, cap. 34.

Spiritus sanctus.

Præterea Columbæ imago, qua Spiritus sanctus pingi solet, approbatur; etenim Columbas aureas, & argenteas super divina lavacra, & altaria appensas legimus. Id reperitur in septima Synodo contra Iconomachos. In ejusmodi Columba super altari Eucharistiam asservavit Basilius Magnus, teste Amphilochio in vita

ejusdem Basilii. Quam consuetudinem Ecclesiæ primitivæ servandi sacrum Christi corpus in ejusmodi Columbis suspensis super altari; ego quoque annis præteritis vidi servatam in plurimis Ecclesiis Galliarum Regni, & præsertim Lutetiæ Parisiorum. Meminit ejusdem picturæ semel ac iterum S. Paulinus in carminibus duodecimæ epistolæ: meminit Baronius ad annum 57. suorum annalium, ac demum Joannes Molanus de historia sanctarum Imaginum lib. 2. cap.8.

Ac etiam quoniam Columbæ imagine Spiritus sanctus pingitur, non modo simplicitatis est typus, ut dicebat Dominus: *Estote simplices sicut Columbæ.* Matth. 10. sed & puritatis. Concordia quoque, & Charitas ex Columbæ ingenio consideratur: sic loquitur Divus Cyprian. lib. de Unitate Eccles. lib. 6. *In domo Dei; in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes, & simplices perseverant: idcirco & in Columbas venit Spiritus sanctus, quæ simplex, & lætum est animal, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum.* Et mox: *Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut Columbas dilectio fraternitatis operatur.* Et sanctus Chrysostomus in homil. in Matth. *Ideo à Spiritu sancto speciem Columbæ susceptam, quoniam præ omnibus animantibus hæc cultrix est charitatis.*

Num. 10. *Imago Christi.*

Imagines profecto Christi, quæ sub humana forma illum in cœmeteriis, archis, tabulisque lapideis nobis designant: valde frequentes sunt, quibus repræsentantur gesta, & miracula per Christum Servatorem nostrum in hac vita mortali. Sed omissis, quæ Antonius Bosius in eruditissimum suum opus, *Roma Sotterranea*, congessit; referam solum contenta in lapidea tabula, quæ ad manus meas pervenit ex hæreditate Martii Milesii, plurimis partibus lacerata (& forsan ab Hæreticis) quam ego restaurandam curavi, & hic delineatam apposui.

Exprimuntur primum in ea illi, qui offerebant parvulos, ut tangeret illos Jesus, qui ait illis: *Sinite parvulos ad me venire.* Matth. 19. Luc. 10.

Succedit deinde mulier, quæ laborabat fluxu sanguinis, & retro tetigit fimbriam vestimenti Jesu, ad quam ipse dixit: *Fides tua te salvam fecit.* Matth. 9. Luc. 8.

Extat præterea probatica Piscina quinque porticus habens, ubi ad hominem languidum dixit Jesus: *Vis sanus fieri? tolle grabatum tuum, & ambula*; & statim sanus factus sustulit grabatum, & ambulavit. Joan. 10.

Demum Christus insidens Asinæ ingrediens Hierusalem, & turba prosternit vestimenta sua in via, cædit ramos de arboribus, & clamat, Hosanna filio David. Matth. 21.

Prædictæ Icones in meo marmore; sicut & aliæ plurimæ à D. Antonio Bosio congestæ in opere suo, *Roma sotterranea*, Symbolum erant Resurrectionis. Et omissis, quæ reperiuntur de Jona in ventre Cœti, Lazari resuscitati, cum aliis similibus: consideremus duo solum in meo lapide. Primo, cum Christus dixit Languido, *Vis sanus fieri? tolle grabatum tuum, &c.* unde sanctus Ambrosius in Lucam cap. 5. *Hoc loco plenam spem resurrectionis ostendit, qui mentis vulneribus, corporisque*

que ſanatis, peccata donat animarum, debilitatem carnis excludit. Hoc eſt enim totum hominem eſſe curatum. Quamvis igitur magnum ſit hominibus peccata dimittere; tamen multo divinius eſt reſurrectionem dare corporibus. Quandoquidem ipſe Dominus Reſurrectio eſt.

Secundo conſideremus in noſtro marmore Chriſtum inſidentem Aſinæ, & ingredientem Hieruſalem in triumpho: de quo Hidelbert. Cenoman. De Chriſti benef. in Biblioth. Patrum tom. 5. *Porro beatus ille introitus* (nempè in cœleſtem Hieruſalem) *deſignatur per pueros Hebræorum; Deſignatur per eoſdem Reſurrectio Dormientium in ſanctam Civitatem. Hebræorum pueri Reſurrectionem vitæ denunciantes, cum ramis palmarum clamabant: Oſanna in excelſis. Quid fratres chariſſimi, aliud Reſponſorio præſenti decantatur quam futuræ Reſurrectionis qualitas, quam captivitas, & membrorum beatitudo ſempiterna?*

Sed omnium longè frequentiſſima, ultra prædictam tabulam, eſt Imago Paſtoris, qui oviculam in humeros ſuos ſublatam reportat ad ovile. Hac nempe imagine, utpotè, quæ ſummam Domini noſtri miſericordiam oculis mortalium ſubjicit, valde capi viſi ſunt Veteres Chriſtiani, conſiderantes quoque verba illa Salvatoris Amoris plena: *Ego ſum Paſtor bonus, & pro ovibus meis pono animam meam.* Joann. cap. 10. Hanc eandem Chriſti Paſtoris imaginem in ſacris Calicibus inſculpi conſueviſſe, qua Sacerdotes admonerentur Divinum illum Paſtorem inſculpi debuiſſe in corde, refert Tertullianus de Pudicitia cap. 6. & 10. & Baronius anno 57. ubi Spondanus num. 34.

Refertur per Euſebium lib. 7. cap. 14. quod mulier, quæ ſanguinis fluore laborans, tacta fimbria Salvatoris, ſanata eſt, Chriſto ſtatuam erexerit ex ære fuſam, quæ ipſius effigiem repræſentaret; & ſcribit ex eadem materia ſtatuam mulieris genibus Chriſti provolutæ, palmaſque ſuppliciter tendentis: ſub pedibus autem ſtatuæ Dominicæ herbam excreſcere, quæ omnium morborum curationes exhiberet. Hanc ſtatuam Julianus Apoſtata deturpavit, ſuamque ejus loco poſuit; quam fulmen de cœlo circa pectus perſecuit. At Chriſtiani poſtea fragmenta illius Dominicæ cum collegiſſent, in Eccleſia poſuerunt, ubi etiam adhuc cuſtoditur; ut ait Sozomenus lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 4. & alii relati à Molano de ſanctis Imaginibus lib. 2. cap. 4. ubi multa, & refert Baronius anno 31. & ibidem Spondan. num. 27.

Imaginem ſuam Chriſtus ad Abagarum Edeſſæ Regem miſit, non manufactam; quæ magno honore apud poſteros habita eſt, & ejus virtute hoſtes profligati. Baron. in annum 31. ubi Spondan. num. 23. quæ hic Romæ in Eccleſia Monialium ſancti Silveſtri de capite religiosè ſervatur. Extat quoque in Vaticana Baſilica Imago Chriſti impreſſa ſudario, quo Veronica faciem ejus abſterſit; de qua Baron. in annum 34. ubi Spondan. num. 42.

Nec non in Taurinenſi Civitate adhuc extat Sindon, quæ delibuta unguento Chriſti Corpus involvit, cujus figuram repræſentat, ut refert Baron. ann. 34. ubi Spond. num. 42.

Deipara Imago.

Christi Domini nostri Imaginibus proxima est Imago Deiparæ Virginis Mariæ super omnes Angelos exaltatæ; cujus Imaginem à Luca depictam esse, non est à Nicephoro, aut Metaphraste natum, sed ante mille annos, hanc Imaginem à Luca effictam esse, tradit Theodorus Lector, dum ait in initio Collectaneorum: *Pulcheria Eudocia Imaginem Matris Christi, quam Lucas Apostolus pinxerat Hierosolymis, misit*: Ex prædicto Molano lib. 2. cap. 9. referente varia hujusmodi exemplaria. At ego quoque antiquissimam ex ebore scalptam habeo figuram Deiparæ Virginis gestantis filium Jesum Christum.

Angelorum.

Imagines Angelorum à Vetustate observatas, quis nescit? In lege Exod. 25. Deum ipsum jussisse sanctorum Angelorum Imagines, & fieri, & in ipso Templi sacrario asservari? *Duos*, inquit, *Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium: ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta mandabo per te filiis Israel.* Sed & Salomon postea 3. Reg. c. 6. *Fecit in Oraculo duos Cherubim de lignis Olivarum, posuitque Cherubim in medio Templi interioris, texitque eos auro.*

Angelorum effigies formantur, quamvis incorporales sint: repræsentantur facie Juvenis, ut denotetur eorum puritas, & immortalitas: apponuntur iisdem alæ; ut apprehendatur Angelos esse spiritus, & intelligentias puras; qui absque discursu currunt ab antecedenti ad consequentiam, & à primis propositionibus ad remotissimas conclusiones. Hinc Nazianzenus in laudem Heronis inquit: *Angelis enim, cùm corporeo modo informantur, candida vestis, atque hilaris*, &c. *porrecta facies tribui solet; ad designandam, ni fallor, naturæ illorum puritatem.* Et D. Chrysost. homil. 3. de incomprehensibili Dei natura refert, quod ad demonstrandam eorum velocitatem in operando, & obediendo mandatis Dei, alæ apponantur eorum figuris; sicuti hominibus se sæpius præbuerunt.

Angelorum vocabulum nomen est officii non naturæ: refert D. Greg. Magn. hom l. 34. in Evang. quod cœlestes illi Spiritus semper quidem sint Spiritus; sed Angeli solum vocantur, cum per eos aliqua nunciantur: Hi autem, qui minima nunciant, Angeli: qui vero summa, Archangeli vocantur: Qui etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Michael namque, *Quis ut Deus*, interpretatur; ex ipso actu prælii cum Diabolo, dabit intelligere, nullum posse facere, quod non prævaleat Deus, Gabriel *Fortitudo Dei* nuncupatur: illum namque nunciare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis factus est. Raphael *Medicina Dei* nominatur, cum tenebras cæcitatis Tobiæ terserit.

Et quam verè assistant nobis Angeli prædicti: hoc non Sanctis modo; ut etiam Origenes homil. 8. in Jeremiam inquit: *Omnes hi Angeli, cum quibus versamur in terra, gaudent, quando justè agimus; quando peccamus, lugent*: sed etiam Gentilibus hoc cognitum. Eusebius Cæsariens. de præparat. Evangel. lib. 13. cap. 7. inquit: *Angelum unicuique ad custodiam divinitus datum didicimus.* & Plato scribere hoc non dubitavit: *Quoniam*, inquit, *omnes animæ sorte vivendi modum elegere; ordine*

ordine ad ſortem ſuam progrediuntur mota à Dæmone, quem ſingulæ ſortitæ ſunt, qui ad cuſtodiendam hanc vitam, & ad perficienda, quæ elegerunt; una cum eis mittitur. Hoc ipſum credo Socratem etiam ſignificaſſe, cum à Dæmone quodam ſæpius gubernari ſe dixerit.

Ioannis Baptiſtæ.

Joannes Præcurſor Domini ſubjungendus eſt. Habetur ex Damaſceno in Silveſtro, quod Conſtantinus Auguſtus fontem ſanctum conſtruxit, in quo, & baptizatus eſt, & in labro fontis Agnum ex auro puriſſimo, fundentem aquam, pendentem libras triginta: ad dextram Agni Salvatorem ex argento puriſſimo: in læva Agni beatum Joannem Baptiſtam ex argento; adſcripto hoc titulo: *Ecce Agnus Dei: ecce, qui tollit peccata mundi*; gravem libras centum. Canon. 82. ſynod. in Trullo, inter alias Venerabiles Picturas Agnus, qui digito Præcurſoris demonſtratur, depingitur. Taraſius in Confeſſ. fidei ſuæ act. 3. ſynod. 7. *Decreta edita, traditosque Canones recipio, in quo aſſignatur quibusdam in picturis Agnum digito Præcurſoris demonſtratum effigiari.* Et Molanus de ſanctis Imaginibus lib. 3. cap. 20. *Pingitur cum Agno*: & ut clarius etiam effigietur; Animali bruto Agno appingunt nonnulli ad caput aureolam, ſive Coronam Sanctorum, & in humeris vexillum Crucis.

De Apoſtolis Petro & Paulo.

De Picturis Apoſtolorum Petri & Pauli ſcripſit Euſebius lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 14. tales ſe prædictorum Apoſtolorum, & Domini noſtri JESU CHRISTI Imagines vidiſſe ea ſpecie, qua putantur fuiſſe; quas illis viventibus effigiatas, eaſque ad poſteros per manus veniſſe, refert etiam Baronius ann. 69. & ibi Spondanus num. 6. Habetur etiam tom. 1. Conciliorum in edicto Donationis Magni Conſtantini. *Interrogare cœpimus beatiſſimum Papam Silveſtrum, utrum iſtorum Apoſtolorum Imagines expreſſas haberet, ut ex ipſa pictura diſceremus, hoc eſſe, quos revelatio docuerat. Tunc idem Venerabilis Pater Imagines eorundem Apoſtolorum per Diaconum ſuum exhiberi præcepit: quas dum aſpicerem, & eorum, quos in ſomno videram, figuratos in ipſis Imaginibus cognoviſſem vultum; ingenti clamore coram omnibus ſatrapis meis confeſſus ſum, eos eſſe, quos in ſomno videram.* Idem refert Adrianus Primus in ſynodo Nicena act. 2. De Calvitie, quam Petro appingunt, habemus teſtimonium Clementis tom. 3. Concil. Hieronymi in Epiſt. 1. ad Galatas in illa verba, *Veni Hieroſolymam videre Petrum. Non ut oculos aut genas, vultumque ejus aſpiceret, & utrum frontem veſtiret coma; an ut Clemens in primordiis ejus refert, Calvitiem haberet in capite.* Et in hoc conſideratione dignum: Imaginum originem ex umbra Petri eſſe deductam, & inde earum venerationem, refert Baron. an. 34. ubi Spondan. num. 77.

Cur autem Petrus cum duabus clavibus regni Cœlorum pingatur? quarum una aurea eſt, altera argentea? Dico per auream clavem intelligi poteſtatem abſolvendi; per argenteam excommunicationis: hæc enim inferior eſt, illa nobilior. Ita Molanus lib. 3. cap. 21.

Additur quandoque tertia clavis in antiquiſſimis picturis ſancti Petri, ut in imagine Triclinii Lateranenſis per Leonem Tertium ſummum Pontificem extructi;

tructi, de qua infra videbimus. Et omissa eorum opinione, qui volunt Cœli, Terræ, & Inferorum potestatem Petro traditam; dicimus, ut denotetur per hanc tertiam clavem potestas, quam habet Ecclesia in suo visibili Capite dandi, & transferendi Imperia, ut fecere summi Pontifices Adrianus, Leo Tertius prædictus, & alii, quando expediens id fuit habitum: ut repræsentatur in dicto Triclinio Lateranensi.

Cur Petrus ad sinistram Pauli pingatur?

Est etiam Quæstio dudum agitata: Quibus de causis Paulus sæpe pingatur à dextris Petri? quod à prisca vetustate ad hæc usque tempora etiam est observatum in Apostolicis diplomatibus. Inter cæteras una ratio est, quia dextera significat vitam cœlestem: sinistra autem temporalem; unde non immerito dexter locus Paulo tribuitur, qui vivens adhuc ad cœlestia raptus est, ubi arcana audivit, quæ non licet homini loqui; & ad Apostolatum vocatus à Deo jam glorificatus; ut ex epistola Petri Damiani ad Desiderium Abbatem, ac etiam Innocentius Tertius serm. de Evangelistis: Guilielmus Durantes lib. 7. Rationalis cap. 44. & alii. Altera ratio, quod Petrus à sinistris collocetur; ut inde documentum sumamus summum Pontificem humilitate decoratum esse oportere; sicuti ipse Petrus fuit. Tertia ratio adducitur: dum Paulus Petro præponitur, significari potest, hos Apostolos esse æquales meritis, quodque de ipsis nihil debeamus sentire diversum, quos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales: nam & scriptura æqualitatem inter Filium, & Patrem significat, dum Filium asserit ad dextram Patris sedere. Quarta adducitur ratio per Cassaneum in catalogo Gloriæ mundi; Petrum in sinistra collocari, quia pars læva, seu sinistra, pro digniori in Divinis, seu sacris apud antiquos est habita, ut ex Varrone de lingua Latina: etenim quamvis in progressu pars dextera sit nobilior; tamen in consessu dicitur præcedere is, qui sedet in parte sinistra; ubi Paulus stat à dextris Petri, qui erat Pontifex. Et sic etiam servabatur in Conciliis universalibus, ubi Legati Apostolici sedebant à sinistris aliorum Prælatorum, ut bene refert, & sequitur Baronius occasione Concilii Niceni sub anno 325. & ibi Spondanus in epitome num. 17. & seq. ac etiam idem Baronius sub anno 451. & ibidem Spondanus num. 13. occasione Concilii Chalcedonensis.

Quoniam recentiores Hæretici maximè deludunt aliquas ex sacris Imaginibus: easdem hic nos proponere in testimonium veritatis non erit molestum.

De S. Antonio.

Et primum circa figuram D. Antonii Anachoretæ; de hac asserendum: ut Ignis, Sus, Tintinnabulum, Tau, & cætera similia, quæ penes illius effigiem conspiciuntur: Hæc potius componunt Emblema, quàm Historiam; unde mysticus sensus nihilominus in veritate rei permanet; cum sit anima Historiæ: siquidem mos erat antiquitus apud Orientales & apud Ægyptios potissimum; ut quod vellent ipsi docere, iidem proponerent ipsi symbolis & hieroglyphicis. Hinc est ut *Ignis* hujus Sancti proponat nobis divinum amorem, quo erat accensus: *Sus* ad pedes ejusdem Sancti, denotat sensuales voluptates, quas ille conculcaverat: *Tintinnabulum* vigilantiam, & assiduitatem in orationibus significat: Littera *Tau* supra humerum ejus, est signum Crucis Christi, nempe mortificationem JESU in corpore suo continuo

tinuo circumferentis: **Brachia** & **Crura** circa ejusdem figuram indicant donum ſanitatis,quam miraculosè impetraverat fidelibus, qui ſpiritualiter ſeu corporaliter erant percuſſi.

De S. Chriſtophoro.

De ſancto Chriſtophoro ſimiliter ejus *Altitudo* etiam hieroglyphico emblematico proponit nobis magnitudinem cordis illius. *Puer* indicat amorem filii Dei,quem ille in anima portabat impreſſum,& exterius etiam demonſtrabat exhortationibus,actibus,& paſſionibus, charitate, & zelo plenis: *Torrens ſeu Fluvius* indicat martyrium & tormenta, quæ ſuſtulit in nomine JESU: Virago cordis ejus ſignificatur in *Palma*; cum hæc magis gravata extollatur, ſeu etiam hæc indicat ſignum Crucis,ad quam innixus torrentem præſentis vitæ ille pertranſiit.

Quamvis præfata allegoricè intellecta, ut plurimi voluere; nihilominus veritas litteralis hiſtoriæ non rejicienda, quam Beda, Uſuardus, & Ado in eorum Menologiis deſcripſere ſeptimo Idus Maji, & S. Gregor. Magnus in Regiſtro lib. 8. epiſt. 33. meminit Eccleſiæ, & Monaſterii S. Chriſtophori. Advertendum eſt tamen aliquos reperiri errores cenſura dignos in ejus hiſtoria: & inter alios irrepſit, ut pro Decio Imperatore Dagus quidam ſit poſitus: ſub Decio etenim eſſe paſſum una cum cæteris Chriſtianis commilitonibus,conſtat ex veteri hymno ſacro, qui legitur in Breviario Toletano ſecundum regulam ſancti Iſidori, ut etiam refert Baron. in annotat. ad Martyrologium 25. Julii. At hoc non impedit,ut quod ſupereſt in hiſtoria,non ſit authenticum: proderit tamen maximè hoc nobis, ſi precibus ejus nos erimus veri Chriſtophores,utpotè quod nos,Filium Dei in corpore noſtro circumferamus,ſicuti ex verbo χριστοφόρος,nos hortatur Apoſtolus 2.Corinth.c.4.ut etiam nos docuit Cyrillus Hieroſolymitanus Catech.50.

De S. Georgio.

De ſancto Georgio ſupponendum, ut dixi,Orientales uſos ſymbolis, & hieroglyphicis; & propterea Provincias,& Civitates, *Nympharum* effigie proponebant: Diabolum forma *Draconis*: Sanctos qui fortiter pugnaverant, & ſanguinem pro Chriſto effuderant,indicabant per *Equitem* à Gratia Dei delatum, tanquam ab equo velociſſimo, eundemque armatum; ut deſcripſit Apoſt. ad Epheſ. cap. 6. ſcuto Fidei, galea Salutis,lorica Juſtitiæ, & gladio Spiritus,quod eſt verbum Dei. *Puella* igitur genuflexa manibus expanſis,neceſſitate impulſa: hæc Civitatem, ſeu Provinciam præbet, quæ ſub patrocinium D. Georgii ſe confert, ut ab infernali Dracone præſervetur: ut ſimile de effigie,quam pingi fecerat Conſtantinus Imper. refert Euſeb. in vita ejusdem lib. 3. cap. 3. his verbis: *Quin etiam in tabula depicta, quam in ſublimi ante Palatii veſtibula ſuſpenderat, ſe omnium oculis contemplandum propoſuit, ſalutareque Paſſionis inſigne ſupra caput ipſius locandum in pictura exprimendum: inimicam autem, & hoſtilem belluam, quæ Eccleſiam Dei impiorum tyrannide oppugnaſſet: in abyſſum demerſam Draconis ſpecie & figura deſcribendam curavit.* Hoc totum Idololatriam repræſentans per ipſum Conſtantinum ſubmerſam.

Poſſet alia etiam adduci ratio, qua Orientales pinxerunt Equitis forma Divum Georgium: quoniam ad hunc illi reclamabant in eorum expeditionibus,ut ad D.Petrum Romani,ad D. Dionyſium Pariſienſes,Hiſpani ad S. Jacobum &c.

Hic

Hic Sanctus per ludibrium à Novatoribus Perseus nuncupatus: Hic est, de quo in Græco Menologio sub 23. Aprilis: Metaphrastes ejusdem vitam, acta & martyrium descripsit: Lippomanus in Latinum idioma traduxit ex Cryptæ ferratæ Bibliotheca ab autographo Pasciratis ejusdem beati Martyris famulo: Surius refert eadem acta tom. 2. Et advertendum hæc illa non esse à Gelasio reprobata; quin imo ab Orientali Ecclesia semper recepta. Venantius Fortunatus de hoc sancto Martyre lib. 2. epigr. 13. inquit:

Carcere, cæde, siti, vinclis, & frigore, flammis
Confessus Christum, duxit ad astra caput:
* *Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,*
Ecce sub occiduo cardine præbet opem.

Aymo etiam de rebus Francorum meminit de Reliquiis hujus Sancti, quæ reperiuntur Lutetiæ Parisiorum lib. 2. cap. 25. & lib. 3. cap. 4. Sanctus Gregorius Magnus lib. 9. Registr. epist. 68. meminit etiam de reparanda Ecclesia dicti Martyris: faciunt etiam mentionem de Ecclesiis in honorem prædicti S. Georgii Procopius lib. 1. de Ædificiis Justiniani Imperat. Cedrenus in Epitome Histor. Paulus Diaconus lib. 6. cap. 5. de Gestis Longobardorum, & alii plurimi.

De S. Hieronymo. Deludunt etiam Sectarii figuram sancti Hieronymi, cui adhæret Leonis imago; quamvis de illo in ejus vita, nec in scriptis ullum verbum reperiatur. De qua Molanus lib. 3. sanctarum Imaginum cap. 42. inquit: Significat Leo, quod secesserit Hieronymus in vastam Syriæ solitudinem; ubi quadriennium in lectione divinorum librorum, cœlestisque beatitudinis contemplatione consumpsit. Leonem enim Hieronymus Marco tribuit, qui Evangelium suum à solitudine incipit. *Vox clamantis in deserto &c.* sanè Macario scribit Ruffinus lib. 11. cap. 4. quod Leænæ speluncam habuerit apud suam cellulam: Et ipse Hieronymus testis est mortuo Paulo Thebæo Principe Eremiticæ vitæ, duos Leones ex interiori eremi parte currentes, ei humi pedibus locum sepulchri scalpsisse.

De S. Catharina V. & M. Quidam spiritus blasphemiæ Palladem, seu Calliopen nominat gloriosam Virginem & Martyrem Catharinam: supponens ut Catholica Ecclesia ullam de illa attestationem non habeat pro servando honore illi debito, tam in Oriente, quam Occidente 25. Novembris. Respondemus primo cum Beda, & Adone, in eorum Martyrologiis: nec non Menologium Græcum die 25. Novembris inquit, *Commemoratio sanctæ magnæ Virginis Catharinæ.* Metaphrastes ex Græcis prodidit in lucem ejus acta, quæ reperiuntur etiam apud Lippomanum tom. 5. & apud Surium tom. 6. eadem etiam extant apud Abbatem Rabanum; ut retulit Molanus in annotationibus ad Usuardum; ubi ille affirmat quod pietas & devotio Populorum in Occidente erga hanc Sanctam maximum incrementum habuit ex subventione ad illius intercessionem in expeditione Terræ sanctæ. Quatenus aliquis error irrepserit in prædictis actis; utpotè quod nomen Mezentii vice Maximini fuerit appositum; non derogat hoc in eo quod superest veritatis in historia; nisi Oriens, Occidens, & totus orbis, ubi Christi nomen invocatur, de mendacio redarguatur. Extitit semper,

per, ac etiam extat in præsens affluenter concurrere Vota, Donaria, Peregrinantes ad montem Syna, ubi corpus sanctæ Virginis Angelorum ministerio, ut illud Mosis, miraculosè fuit sepultum: cujus devotio tanta est, ut non à Christianis solum, sed à Turcis & Barbaris in veneratione habeatur.

De S. Ursula.

Sigibertus in sua Chronica anno Domini 453. & alii recentiores relati per Baronium in suis annotationibus ad Martyrologium 21. Octobris, & Surius tomo quinto, referunt historiam undecim millium Virginum, quam Sectarii apocrypham, & fictam supponunt. Advertendum tamen in exacta inquisitione prædictorum actorum non invenisse Baronium loco citato exactiorem relationem, quàm Gaufrid. Episcopi Azafensis in antiquo Codice Vaticano, de Rebus Britannicis; & referens hic auctor, quæ gessit Maximinus Tyrannus, dum Imperium tempore Gratiani occupavit: compendium fecit Historiæ sanctæ Ursulæ his verbis.

Cum Maximus proximas Gallias invasisset, ac vicinos Armoricos sedibus expullisset; vacuam Provinciam, uberes glebas Britannicis militibus novæ Coloniæ tribuit, ac divisit: unde & eidem Provinciæ comparatum est nomen, ut minor Britannia diceretur. Quo vero eorum posteritati consuleret, ex magnæ Britanniæ Insula singulis uxores quæri jussit: singulis militibus singulæ Virgines & gentilibus suis sunt in matrimonium postulatæ. Erat autem prædictorum militum præcipuus post Maximum Dux Connanus, unus ex Britanniæ Regulis, cui paris nobilitatis conjux designata est filia Dionocis Regis Cornubiæ, nomine Ursula. Londini itaque cunctis coactis; invitæ licet patrium solum, charosque suos relinquentes, imponuntur navigiis. Dumque regionem Armoricorum cogitant Nautæ; mox sæva procella naves impulit in Germanicum littus; ubi dum essent Malga Pictorum, & Gaunus Hunnorum piratæ, qui comparata classe, icto fœdere cum Gratiano Imperatore, adversus Maximum; ut vel hac arte eum à cœptis disturbaret, cum infestandam Britanniam tenderent; in has ad littus jactatas Virgines naves incidentes; sic in Britannas Virgines, ut in hostes grassati sunt, ut vim inferendi earum pudicitiæ consilium caperent. Quæ omnes hortatu Ursulæ mortem durissimam potius appetere, ac gladiis obtruncari Christiana constantia decrevere, quàm ignominiosum quid pati. Cumque ea persisterent animi firmitate: mox illorum libidine in Barbaricum furorem mutata, cum aliò properarent, ne longiori mora detinerentur; singulas crudelissimè trucidarunt, indeque in Britanniam navigarunt; nactamque eam militibus vacuam aggressi: sed confestim missis illuc Maximo duabus militum legionibus; inde pulsi solverunt in Hyberniam. Hæc refert Gaufridus.

Accedunt prædictis, quæ scripsit Lindanus, relata per Baronium in dicta annotat. ad Martyrologium 21. Octobris; cumque satis sit, quæ ex longa traditione Ecclesia universalis recepit circa Nomen, Imagines, Reliquias, Solennitates, & invocationem hujusmodi Sanctorum, propter tenebras ignorantiæ, quæ in anteactis sæculis, orbem penè universum invasit.

Insurgunt etiam Sectarii contra Imaginem D. Luciæ V. & M. quod effigietur

habere oculos præ manibus, de quo nil legitur in Martyrologio, nec aliis Ecclesiasticis Scriptoribus; sed quod post varia passa tormenta gladio in gutture percussa martyrium illa consummaverit. Quibus respondetur, symbolicè indicare illos oculos lumen mentis collatum eidem, ut Spiritus sancti gratia meruerit illusiones Tyranni superare, castitatem servare, & martyrii æternam gloriam consequi.

Dicimus etiam: sicuti finis orationis universè acceptus nil aliud est, quam enunciatio illarum affectionum, quæ in animo sunt, his modis expressæ, quæ signa data appellantur: Aristot. in principio Perihermen. & ex iis animorum affectionibus varii fines emergunt, quasi effectus respondentes illi causæ, quæ linguam in hunc & in illum motum inflectant; ita Imagines ad externum cultum assumptæ, præter alterius rei similitudinem quam sustinent, proprios & singulares fines habent; nempè intimos animi sensus testantur; cum eos tanquam oblationes & genus quoddam sacrificii offerimus Deo, dum fatemur nos illi omnia debere: nosmet ad illius præcepta voluntatem nostram accommodare: una spe gratiæ cœlestis niti: ut etiam hujusmodi Imaginibus nos exprimimus desiderium consequendi à Deo cæteras gratias spirituales & corporeas. Etenim Imagines Christianæ affectionibus hominum excitandis maximè serviunt, quàm verba, ut inquit Horat. in Poetica: *Segnius irritant animum demissa per aures: quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus:* cum tales Imagines undequaque devotionem & sanctitatem spirare videantur, ut dixit Magnus Gregor. his verbis: *Dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur, quicquid fictis Imaginibus deliberando cogitatur.*

Et quemadmodum Orator finem suum, quod est persuadere, in potestate non habet; officium tamen & apta ad finem media habet: sicuti neque in Medici potestate est ægrotantem morbo liberare, qui medicinæ finis est; in illo tamen est curandi regula & modus, quæ ad officium suum pertinent; Idem igitur in Pictore quatenus cum Oratore convenit; dicimus illius partes esse, ut talem picturam faciat, quæ finem suum consequi possit: eum scilicet finem, qui à sacris Imaginibus exprimitur.

Inde est quod Fideles effigiantes D. Luciæ Imaginem, habentem oculos præ manibus, hoc faciunt non solum ut fideles ipsi orantes precibus illius lumen mentis consequantur à Deo, ut illa fuit consequuta; sed etiam ut nos fateamur à Deo tale lumen agnoscere, idemque ad ejusdem Dei voluntatem, nos dirigere, ut ab ipso Deo idem lumen mentis & corporis consequi semper mereamur precibus ejusdem Luciæ, quod ipsa obtinuit, ut non immerito à luce Luciæ nomen habuerit.

Deficeret calamus, si in singulis Iconibus, quæ occurrunt, contemplandis, immorari velim, de quibus satis copiosè, & eruditè post alios Joannes Molanus & Eminentiss. Card. Paleottus in eorum Hist. de sanctis Imaginibus, & Picturis tractarunt.

Antiquitas sacrar. Imaginum.

Desinant itaque recentiores Hæretici, veterum Iconomachorum more, triumphum canere ante victoriam. Desinant sacras Imagines ex templis abradere, & avellere, turpique mendacio veritati obstrepere, & gloriari, cum negent eas primis quin-

quingentis annis in Ecclesiis Christianorum depictas, scalptasve fuisse; atque hoc solo nomine vincere putant, quia ad antiquitatem provocant. Nil profecto est, cur ut impudentissimum mendacium illud refellamus, vel ad veterum Patrum testimonia, & exempla, quæ septima Synodus nobis copiosè suppeditat, confugiamus; sed satis erit si cœmeteria, (ubi olim Ethnicis magistratibus in Christianum nomen sævientibus, majores nostri latitantes Eucharistiam sumebant, sacras conciones audiebant, aliaque omnia, quæ in Ecclesiis obiri solent, obibant) ingrediamur; ibique Imagines, quæ passim obviæ fient, contemplemur; quas accuratissimè cumulavit, ac in lucem edidit Antonius Bosius in suo lib. Roma subterranea.

Fides habita imaginibus.

Et hic Romæ in monte Esquilino in Titulo Equitii magno fidelium cultu à tempore sancti Silvestri (qui Oratorium & Ecclesiam ibidem construxit) adhuc apparent S. picturæ, nempè sanctissimæ Crucis Imago gemmis ornata, (ut mos tunc erat illam effigiandi) Christi Salvatoris, Virginis Deiparæ, Apostolorum & plurimorum aliorum Sanctorum. Et hæc præter alia multa similia antiquitatis monumenta, ad confutandos Hæreticos, quod etiam primis quinque sæculis à Christo nato viguisset cultus sacrarum Imaginum.

Impugnant prætereà prædicti veteres, & recentiores Iconomachi, quod quamvis magnum antiquæ imagines ad Hæreticos confundendos, ac pietatem erga Deum, omnesque Cœlites excitandam, momentum habeant, certè ad historiam juvandam non valeant. Etenim Pictores, cum pro ea potestate, quam habent quidlibet audendi; multa more Poetarum confingere, Historiæque veritatem ita corrumpere soleant, ut ea ferè nusquam appareat.

At certè mirandum, ut quis mentis compos de antiquis Christianorum picturis sic sentiat. Etenim & si recentiores Pictores, sive quod artis elegantiam ostentare malint, non raro peccent, transiliantque historiæ lineas; non tamen propterea antiquorum Pictorum, ac Scalptorum (de Christianis loquor) quibus certè quidem religio erat, ab historia vel minimum discedere, fidem elevabimus. Porro quantum olim veritati studuerint Christiani Pictores, & Scalptores (ut de aliis Imaginibus taceam) exemplo est vetus illa Icon ex opere Musivo, quæ nobis in æde S. Petri ad Vinc la Sebastianum martyrem, non juvenem imberbem, sed senem (talis enim erat cum martyrium subiit) ante oculos ponit.

Unde ex hac Icone Card. Baron. in annotat. ad Martyrologium 20. Jan. reprehendit Pictores divum Sebastianum imberbem palo alligatum perperam effigiantes. Quam præfatam Iconem temporibus Papæ Agathonis ad luem propulsandam, divino monitu fuisse erectam: refert etiam Baron. in dicta annotatione & in Annalibus anno 680. ubi Spond. num. 7.

Fuere quoque non ita pridem, qui à Græcis ad Francos, Imperium Romani Pontificis auctoritate, translatum fuisse negarunt. Ad magnum istud impudensque mendacium profligandum, quid interest librorum veterum ac Iconum auctoritate, fideque pugnemus? Itaque si Card. Belarmino, quod libro de Translatione Imperii edito, Ecclesiæ Romanæ adversarios, multorum historicorum testimoniis

 frege-

fregerit, plurimum nos debere profitemur; æquum profecto est, ut etiam restaurata antiqua Imagine, producta in Palatii Lateranensis parietinis, & à nobis hic effigiata; quæ hoc idem præstitit, plurimum etiam debeamus. Sanè, qui Apostolum Petrum in throno sedentem, ac dextera Leoni Tertio Pontifici Maximo Pallium, sinistra vero, vexillum Carolo Magno tradentem aspexerit, subjectamque hanc inscriptionem legerit;

Num. 11.

BEATE PETRE DONA VITAM
LEONI, ET BICTORIAM CARULO
REGI DONA.

Quis, nisi in historia valde sit hospes, & Leonis Tertii restitutionem, & Caroli Imperatoris inaugurationem, & Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, graphicè descriptam; non continuo fateatur? Quæ imago, si nulla veterum de auctoritate Papæ in transferendo Imperio extarent monumenta: una hæc sit ad Hæreticorum pervicaciam contundendam, historiæque veritatem constabiliendam instar omnium testium.

Nec non etiam nobis suffragabitur ad veterum Pictorum, & Scalptorum fidem confirmandam, quod legitur in Martyrologio 6. Idus Novembris de Gloriosis Martyribus Claudio, Nicostrato, Castorio, & Symplicio. Siquidem, cum essent illi summi Scalptores, & artem suam Crucis signo munire consuevissent; nullo modo adduci potuerunt, ut Idolorum statuas facerent, ac Solis simulacrum venerarentur: unde post varia tormenta jussi sunt Romæ Diocletiano Imperante in flumen præcipites dari. De quibus etiam Surius tom. 6. & alia plurima Pictorum & Scalptorum exempla, qui in numerum Sanctorum relati sunt, refert Card. Paleottus de sacr. Imagin. lib. 1. cap. 8.

Cum hæc ita sint, non minus antiquis Imaginibus sacris fidem habebimus, integris, incorruptisque sacræ vetustatis testibus, quam antiquorum Historicorum libris, quos Viri doctrina & sanctitate præcellentes tanquam arma ediderunt ad Iconomachiam labefactandam. Urbem etenim colimus, quæ cæterarum urbium est Regina, Catholicæ Religionis Arx, morumque Magistra; ex omnibus terrarum oris quotidie Peregrini ad eam ventitant; incredibile est, quanta ii cum cura non ea modo, quæ in propatulo sunt, observent; sed abstrusa quæque rimentur. Equidem haud dubito, quin cùm ea, quæ à majoribus nostris quasi hæreditario jure accepimus, permagni à nobis æstimari viderint; satis amplum suæ peregrinationis fructum se percepisse dicturi sunt, quòd & Hæreticorum mendacia deprehenderint, & sancta sanctè tractanda esse didicerint.

De

CAP. III.

De plurimis priſcorum Fidelium Ritibus, circa eorum preces.

COgnito antiquo Fidelium ritu circa Hieroglyphica, Symbola, & Imagines, quibus illi denotabant ac exprimebant ſanctiſſimam Crucem, Chriſtum & Sanctos ejus: Congruum erit forſan recenſere, ſicuti jam mos fuit, qualiter priſci Chriſti fideles in ipſorum precibus Deum exorarent.

Pars enim eſt Religionis, & quidem ex primis una; Orare: Nec ulla fuit unquam Religio, quæ non certam ſupplicandi Deo rationem haberet: itaque quisquis unquam Religionem mutavit; & orandi rationem mutavit. Quare præcurſor Joannes, qui homines à vetere legis Moſaicæ religione avellere, & ad Chriſtum traducere conabatur, hoc inprimis curavit, ut præſcriberet diſcipulis ſuis modum orandi: idemque ut Chriſtus faceret, qui novam inſtituebat Religionem, Diſcipuli rogabant apud Lucam cap. 11. in princ. *Domine doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos.* Qui æmulatione fortaſſis aliqua periere, ut exiſtimat Theophilactus.

Imitati ſunt Hæretici, Joannis, & Chriſti exemplis abutentes. Nulla enim unquam Hæreſis fuit, quæ non continuo ſuas effingeret preces. De Arianis paſſim ſcribit Athanaſius: de Valentinianis Irenæus: de Marcioniſtis Tertullianus: de Manichæis & Donatiſtis Auguſtinus: de omnibus ſimul Hæreticis Epiphanius. Nec longe nobis exempla petenda ſunt. Quot noſtro tempore Lutherani, quot Calviniſtæ precandi formulas, neque cum noſtris, nec inter ſe ipſos convenientes, edidere? Propterea Chriſtus orandi formulam in Dominicali oratione tradidit: primùm Apoſtolis, ut apud Matthæum cap. 6. deinde apud Lucam cap. 11. in principio, ſeptuaginta duobus Diſcipulis: poſtea electis, quibus dixit; *Sic vos orabitis*, refert idem Matthæus. Vos, qui laudem apud Deum, non apud homines, ut illi, quærere debetis: Vos, qui melius docti à me eſtis, Deum non tàm verborum multiloquio, quàm magno orantis affectu exorari: nihil niſi juſta, & ad ejus gloriam conducentia petetis.

Oratio verſus Orientem.

At inter varios priſcorum Fidelium ritus in ipſorum precibus; illud maximè erat, ut inter orandum verterent ſe ad Orientem: & quod etiam plurimi è ſanctis Patribus variis myſteriis obſervarunt, ac potiſſimum S. Athanaſius ex Pſalmo 131. *Adorabimus, ubi ſteterunt pedes ejus.* Volens ipſe Sanctus, quod pedes Domini ſteterint ex Zachar. cap. 14. ſupra montem Olivarum, qui eſt contra Hieruſalem ad Orientem: & hoc etiam refert Baron. in annum 34. ubi Spondan. num. 64. in fin. Secundò, quoniam Deus Lux, & Creator Lucis nuncupetur: & propterea orantes reſpiciendo orientem Solem, elevent mentem ad Creatorem Lucis, ut inquit S. Auguſtinus lib. 2. de Orat. Domin. in Monte tom. 4. ibi: *Cùm ad orationem ſtamus, convertimur ad Orientem, ut admoneatur animus ad naturam excelſiorē ſe convertere,*

 id eſt

id est ad Dominum, cùm ipsum corpus ejus, quod est terrenum ad corpus excelsius, id est ad corpus cœleste convertatur; quoniam necesse est ut cœlum præferant terræ: & cùm aliquando cognoverint dignitatem animæ cœleste etiam corpus excedere; magis eum quærant in anima, quàm in corpore etiam cœlesti: & cum cognoverint quantum distat inter peccatorum animas, & justorum; sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent eum in terra collocare, sed in cœlo, sic postea meliori intelligentia magis eum in animis justorum, quam in peccatorum requirant.

Tertiò ad Orientem convertebantur; ut cum homo expulsus è Paradiso deliciarum, qui est ad Orientem; hinc ad illum respicientes exoptent illuc reverti. Quarto Oriens & Occidens sunt Symbola lucis & tenebrarum: propterea mos antiquitus in Ecclesia, quod Baptizandus respiceret ante Occidentem, & ibi per tres vices abrenunciato Dæmone, vertebat se deinde versus Orientem, ubi per alias tres vices consitebatur nomen Christi. Quinto, & ultimo: sicut Christus pendens in Cruce contra Hierusalem Occidentem respiciebat; ac idem etiam ad Cœlum ascendens similiter Occidentem intuebatur; ita & homines orantes versus Orientem debent aspicere; quasi expectantes adventum ejus, ut Angeli dixere discipulis post ejus ascensionem; *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in Cœlum, ita veniet.* Et inquit Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 3. tale fuisse institutum Apostolorum, quamvis non scriptum: quod idem affirmat Justinus Martyr. lib. 6. quæst. 118. & sanctus Basilius de Spiritu sancto cap. 27. refert etiam Baronius anno 58. ubi Spond. num. 43.

Adeo tenaces fuere prisci illi fideles in hoc ritu respiciendi Orientem; ut non solum ipsi viventes, hoc in eorum precibus exacte servarent: verum etiam mortui eorum corpora supina in sepulchris facie Orientem respicerent; ut nos infra dicemus, in cap. 67. de Funeribus Christianorum.

Cumque etiam ad Orientem respicere, & construi solitas Ecclesias Christianorum, Baron. in annum 57. ubi Spondan. num. 32. eoque etiam spectabat Templum Hierosolymitanum: idem Baron. in ann. 58. ubi Spond. num. 42.

Nihilominus tractu temporis S. Leo Primus, qui vivit anno 443. invehitur serm. 7. de Nativitate contra Populum, qui similiter vertebat se ad Orientem in atrio Vaticanæ Basilicæ sancti Petri, antequam illud ingrederetur; cujus hæc verba sunt. *Quòd nonnulli etiam Christiani adeo se religiosè facere putant, ut priusquam ad B. Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vivo, & vero est dedicata, perveniant: superatis gradibus, quibus ad suggestum areæ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent: quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu; multum tabescimus, & dolemus: Quia etsi quidam fortè Creatorem potius pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab hujusmodi speciæ officii, &c.* Hoc egit prædictus sanctus Pontifex, cùm esset vigilantissimus in arguendo Manichæos, & Priscillianistas, qui Solem orientem respiciebant, & ad hoc ut illi orantes à Fidelibus distinguerentur, refert etiam Baron. in anno 58. ubi Spond. num. 43. in fin. & anno 443. ubi Spond. num. 1.

Hinc

Hinc factum postea est, ut cum perseverassent etiam sequentibus sæculis fideles in atrio sancti Petri vertere se ad Orientem, ut ibi Deum precarentur contra portam prædictæ Basilicæ: & anno 1300. Jottus Florentinus excellens Pictor mandante Cardinale Stephanesco Nepote Bonifacii Octavi summi Pontificis, construxit ex opere Musivo Navem, in qua conspiciuntur Christus, sanctus Petrus, cum aliis Apostolis; ad hoc ut illam Imaginem Orientem versus positam orarent Fideles, & omnis evitaretur superstitio Solem adorandi. Quæ figura prædictæ Navis per Urbanum Octavum P. M. annis præteritis fuit collocata supra Portam majorem intus in prædicta Basilica.

Fuit precandi ritus apud Priscos Fideles, ut elevatis manibus in Crucis formam Christi passionis memoriam facerent. D. Ambros. de Cruce serm. 56. ibi: *Homo cùm manus levaverit, Crucem pingit; atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso membrorum gestu Passionem Domini fateamur.* Et Tertull. in lib. de Orat. num. 11. in fine ait: *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus à Dominica Passione modulatum, & orantes confitemur Christo.* Quod exponit Rigaltius: modulatum nempè, quem exhibuit Christus Dominus expansis in Cruce manibus. Quod ipsum etiam Maximus Taurinens. homil. 11. de Cruce ait: *Ipsius etiam incessus hominis, cùm manus levaverit, Crucem pingit.*

Varii orandi Priscorum ritus.

Requirebatur in Oratione humilitas, & submissio, Tertull. de Orat. num. 13. inquit: *Atqui cum modestia, & humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces nostras: ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis; sed temperate, ac probe elatis: ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantum prece, sed & vultu humiliatus, atque dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit.*

Sonos enim vocis submissos esse volebant, ut idem Tertull. num. 13. *Deus non vocis, sed cordis auditor est; sicuti conspector.* Quomodo, & oratio Jonæ de ventre Ceti per tantæ bestiæ viscera, per tantam æquoris molem ad Cœlum potuit evadere? Quid amplius referent isti, qui clarius adorant, quàm si in publico orent? Ethnicorum fuit error, qui exercendæ linguæ potius, quam mundando animo operam darent, ut existimarent, quantò plura, clarioreque voce loquerentur, facilius se à Deo exaudiri: colligitur ex sacro textu, 3. Reg. cap. 18. ubi Elias alludens ad Ethnicorum ritum, quem decem tribus Israel imitabantur, inquit: *Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere; aut certè dormit, ut excitetur.* Etenim S. Augustinus lib. 2. de Sermon. Domini in monte, tom. 4. inquit: *Non verbis nos agere debere apud Deum, ut impetremus quod volumus; sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura, & simplici affectu.* & infrà. *Quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritaliter nobis infunduntur.*

Nec prius quis orationem cœperat, quam si discordiam, vel offensam cum fratre contractam remiserat, Tertull. de Orat. num. 10. *Quomodo placabit Patrem*

iratus

iratus in fratrem; cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Quàm autem temerarium est, aut diem sine Oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere; aut perseverante ira undia orationem perdere?

Cordis munditia ad orationem necessaria; nempe à falso, à cæde, à sævitia, cæterisque maculis; quæ corde concupiuntur, & manuum opere complentur. Tertull. de Orat. num. 11. inquit: *Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem, etiam cum lavacro totius corporis, aquam sumentes: quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu quidem sordente, orationem obire? Cæterum, satis mundæ manus, quas cum toto corpore in Christo semel lavimus.*

Nec illa consuetudo antiquitus recepta; ut Jejunantes dum orarent, cum fratribus subtraxerint osculum pacis; quod erat signaculum orationis, ut inquit Tertull. de Orat. num. 14. *Quando magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cùm oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes, jam audeant de sua pace fratri transigere? Siquidem, quæ perfecta erit oratio cum divortio sancti osculi, quod Dominus præstandum præcepit? Qualè erit sacrificium, à quo sine pace receditur?* Sed de hoc nos infra cap. 59.

Mos etiam fuit apud priscos Fideles circa precandi ritum, non solum Deum & Sanctos adorare; sed ut plurimum etiam genua flectere; ut refert Tertull. de Pœnitent. cap. 9. *Presbyteris advolvi, & choris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis injungere.* Et S. August. Serm. 1. in festo Apostol. Petri & Pauli: ubi de multitudine Gentilium ad fidem conversarum inquit: *Nam beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat Gentilium multitudo credentium.* Et idem serm. 4. in eodem festo: *Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piscatoris.*

At si aliquando sæva urgebat necessitas, prostrati in terra, junctis vel etiam expansis manibus, ut dixi, fideles precari consueverant, ut ex præfatis, & alia innumera sunt exempla: tamen quod dies Dominicus Resurrectioni Domini esset consecratus; ideo non nisi *Stantes* fideles ex antiqua Ecclesiæ traditione eo die; itemque à Pascha usque ad Pentecosten orare sic solitos. Tertull. de Corona Militum cap. 3. At vero *Sedendo* adorare, extra disciplinam esse, inquit Tertull. de Oration. & refert Baronius sub ann. 58. ubi Spondan. num. 44. Nec permittebatur in Ecclesia sedere, quandò lectiones legebantur, aut Dei verbum prædicabatur; nisi longiores essent lectiones, aut debiles adstantes: & tunc qui non poterant stare, humiliter & cum silentio sedentes, attentis auribus, quæ legebantur, audiebant. S. Augustinus Homil. 26. in princ. & per tot.

Sed, quod magis Idololatriæ conforme videbatur, ut homines mortales sæpius exercuerint hujusmodi actus erga sibi similes. Tertull. de Pœnitent. cap. 9. supra adductus: sicuti etiam in sacro textu 3. Reg. 1. Nathan Propheta adoravit Regem Salomonem pronus in terram: ut etiam Abraham in Genes. 23. adoravit populum terræ Chanaan, cum similibus.

Circa Habitum corporis fuit etiam precandi ritus, ut Viri *detecto capite*, Fœminæ

næ *tecto* in Ecclesia orare deberent: est Apostoli institutio ad Corinth. epist. 1. cap. 11. & nos infra dicemus cap. 14.

Utque in precationibus aliquando suum quisque *tundat pectus pugno*. Publicani à Christo adeo commendati, Lucæ 18. probat exemplum; atque adeo signo animi pœnitudinem declarari facto illorum, qui post Christi passionem revertebantur percutientes pectora sua, Lucæ 23. quod & Nicolaus Papa docet rescribens ad Consultationes Bulgarorum.

Infertur igitur ex prædictis, quod pectus percutere, flectere genua, prosternere se in terram, & similes obsequii actus, & interni affectus, non sunt semper actus latriæ, nec supernæ adorationis; quoniam præcipuum in hoc consistit circa bene dirigendum principium intentionis: necesse namque est assiduè, & diligenter Populum instruere de hac veritate; ut præcipit Tridentina Synodus sess. 25. de Invocat. Venerat. & Reliquiis Sanctorum.

Honores varii in precibus redditi.

Ut autem hoc magis dilucide pateat omnibus; supponendum consuevisse semper Ecclesiam reddere honorem Latriæ soli Trinitati; ut docuit tom. 3. Concil. Constantinus Episcopus Constantiæ in septima Synodo Oecumenica art. 3. sub finem. *Suscipio & amplector venerandas Imagines: Adorationem autem, quæ fit secundum Latriam, hoc est Dei culturam; tantummodo supersubstantiali, & vivificæ Trinitati conservo, &c.* Similis est doctrina Augustini lib. 10. cap. 4. de Civitate Dei, cum sic loquatur de Latria: *Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc vera pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* Et idem lib. de vera Relig. sub finem: *Quare veneramur Angelos charitate, non servitute; nec eis templa construimus: nolunt enim se sic honorari à nobis; quia nos ipsos, cùm boni sumus, Templa summi Dei esse noverunt*, & infrà: *Religit nos Religio uni omnipotenti Deo.*

At quoniam tot sunt genera honorum, quot extant excellentiæ; hinc est, quòd sapiens mater Ecclesia, & Domina, nos admonet, ac omnibns præcipit; quod non recognoscit nisi tria excellentiarum genera, nec filiis suis permittit, quam tria genera honorum Religiosorum.

Prior namque excellentia est Divina, cui respondet *Latria*, quæ accipitur pro superna adoratione, quæ soli Deo debetur. Secunda excellentia major quàm humana, & minor quàm Divina, consistit circa dona supernaturalia gratiæ & gloriæ, quæ Sanctorum sunt propria; ac isti respondet cultus *Duliæ* nuncupatus; nempe honor magis quàm politicus, & summè inferior quàm Latria. Tertia excellentia, similiter nec comparabilis cum Divina, sed eminentior satis communi Sanctorum; propterea talis cultus *Hyperdulia* nominatur; nempè obsequium supra commune; tale inquam obsequium Humanitati filii Dei deberetur, si hæc separatim ab hypostasi consideraretur: Hujusmodi honore veneramur nos Virginem sanctissimam, propter privilegia & præeminentias supra cæteras omnes creaturas ipsi collatas. Quarta denique species excellentiæ humanæ, & naturalis ex virtutibus moralibus proveniens, seu dignitatibus, & aliis qualitatibus in humana Mundi Politia apparentibus: isti enim excellentiæ respondet honor, quem nos virtute præditis reddimus;

 simul

ſimul & obſequium, & homagium, & fidelitas debita Regibus, Parentibus, ac Dominis. Hæc autem communiter civilia, politica, & naturalia nominantur; quæ ſimiliter poſſent aſcribi etiam inter religioſa, ſancta, & meritoria; quandocunque is, qui illa exercet, recognoſceret ſuperioritatis excellentiam, quæ debetur Regibus, Principibus, Magiſtratibus, Parentibus, &c. tanquam à Deo provenientem: ſiquidem hi ſunt tanquam Imagines, & characteres magnitudinis Dei; ex Apoſtoli doctrina ad Epheſ. cap. 6. ibi: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus.*

Quis impoſterum hanc doctrinam non amplectetur? quis præfatam diſtinctionem excellentiæ, & honoris negabit? quis reverentiam Deiparæ debitam rejiciet? quis venerationem Sanctorum; & id omne, quod religioſam relationem habet ad ipſas nempè imagines, & Reliquias? quis obſervantiam proprio Regi? quis obſequium Magiſtratibus? quis fidelitatem propriis Dominis? quis inquam impoſterum aſſerere audebit, quod non ſibi complaceat Deus Zelotes, quando honorantur ii, quos ipſe honorat? & quando nos eundem Deum veneramur in ſuis creaturis, juxta communicationem ſui eſſe illis participatum? Legat is quæſo D. Hieronymum ad Riparium contra Vigilantium his verbis: *Ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit*: & hoc idem impius Lutherus coactus eſt aſſerere in farragine epiſtolarum ad Erphordienſes: *Quanquam ſupervacaneum ſit Sanctos colere; non tamen eos putarim reſpuendos, aut condemnandos eſſe, qui Sanctos adhuc colunt.*

De horis Canonicis.

Fuit apud priſcos fideles certis Horis orandi ritus; de quo ſanctus Leo ſermone 7. de Jejun. ſeptimi menſis refert; quæ ſcripta in lege, vel conſuetudine laudabili introducta eſſent apud Hebræos præcepta moralia; ea non modo Apoſtolos non ſpreviſſe, ſed etiam in Eccleſiam transfundere voluiſſe. Tertull. adverſ. Pſych. cap. 10. agit inprimis de tribus inſignioribus (ut vocat) ab Apoſtolis ex Judæorum fontibus in Eccleſiam deductis, nempè *Tertia, Sexta, & Nona*: quibus alias duas ſuperadditas docet Cyprianus de orat. Domin. nimirum *Matutinam, & Veſpertinam*: earundem omnium quinque originem ſimul, & myſteria deſcribit. Denique Athanaſius de Virgin. præter iſtas quinque, duarum item aliarum mentionem facit: videlicet, quæ *oriente fit Sole* & quæ *media nocte*; cunctarum ſeptem Divina myſteria explicans. De quibus ſeptem orandi horis, quatuor diurnis, & tribus nocturnis, agit Card. Baron. ſub ann. 34. ubi Spondan. num. 72. & nos plura infra cap. 45. referemus.

De nocturnis precibus.

Quod vero pertinet ad nocturnas preces; utpotè ipſas ſacras Vigilias; habemus in actis Apoſtol. cap. 16. Paulum, & Silam media nocte orantes laudaſſe Deum: quod ante eos David Rex facere conſueverat, ut in Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum Domino.* Quod quidem, & à fidelibus faciendum eſſe, Dei Eccleſia Apoſtolorum traditione, & exemplo conſtituit; idque illa præſertim ratione, quòd

quòd media nocte Dominum ad judicandum orbem terrarum ex improviso venturum esse crederent; ut ipse dixerat apud Matth. 25. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit:* At quoniam nec satis exploratum voluit esse Dominus, qua potissimum hora venturus esset; dicente ipso apud Marcum cap. 13. *Vigilate: nescitis enim quando Dominus veniet; sero an media nocte, an galli cantu, an mane:* Hac de causa non media nocte tantum fideles ad preces Deo fundendas consurgere consueverunt; sed & aliis diversis horis ejusdem noctis; sicuti declarat Clemens Alexandrinus Pædag. cap. 9. Et fortasse illis quatuor noctis temporibus expectandi Dominum ab ipso Domino enumeratis, respondent tres illæ nocturnæ preces, cùm his accedant Matutinæ laudes; quæ tamen omnes simul uno compendio hodie absolvuntur. Agit item sæpe Hieron. epist. 7. 8. & 22. de eisdem tribus orationis horis nocturnis.

Refert idem Hieron. dicta epist. 7. quod *Vespertina oratio* accensa lucerna fieret. Ideo Epiphan. in Compend. de ipsis horis agens; Psalmos, qui prima noctis hora cani consueverunt, *Lucernales* appellat: estque de iisdem Lucernariis precibus mentio apud Clementem lib. 8. Constitut. cap. 38. & Cassian. lib. 3. cap. 3. Chrysostom. etiam in Psalm. 118. & alibi, Lucernarium officium illud appellat, cum septem prædictas Canonicas horas orandi enumerat. Tertull. ad uxorem lib. 2. c. 4. *Nocturnas convocationes* eas appellat; quod scilicet non privatim in suis ædibus à singulis agerentur, sed publicè omnes in unam convocarentur Ecclesiam: quod etiam Ignatius epist. ad Magneses agendum monet.

Lucernariæ preces.

Porro de antiquo in Ecclesia sacrarum *Vigiliarum* usu, de quo agimus, non solum innumera sanctorum Patrum suppetunt testimonia, sed & scriptorum Gentilium; nempè Plin. junior lib. 10. epist. 97. Luciani in Philopat. Ammiani Marcell. lib. 8. in fin.

Vigiliæ.

Sanctus Ambrosius in Psalm. 109. edito Romæ de festo Pentecostes, commendans exactam Vigiliarum observationem, inquit: *Jejunavimus Sabbato, Vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes institimus, &c.* Erant in usu Vigiliæ nocturnæ, illæque puræ, & Christiana observatione dignissimæ, ut testatur August. in concione ad Catechum. contra Judæos tom. 6. ad quas etiam frequentandas suos consuevit hortari, ut ex sermone 251. de tempor. Insuper ex sacro, religiosoque usu Vigiliarum sublati fuerunt perditissimi sui temporis mores, qui ante irrepserant: refert idem sanctus August. serm. in die natali sancti Cypriani in ord. 115. de divers. ubi hæc leguntur cap. 5. tom. 10. *Aliquando ante annos non valde multos, istum locum invaserat petulantia saltatorum; istum sanctum locum, ubi jacet sancti Martyris corpus, invaserat pestilentia, & petulantia saltatorum. Per totam noctem hic cantabantur nefaria, & cantantibus saltabatur. Ex quo hic cœperunt sanctæ Vigiliæ celebrari, illa pestis aliquantulum reluctata postea cessit diligentiæ, erubuit sapientiæ.* Itaque ex his, & aliis clare cognoscitur, non Ambrosium, non Augustinum, non aliam quempiam Orthodoxorum his temporibus Vigilias nocturnas Ecclesiasticas abrogasse, ut à pluribus suppositum ex prætenso sermone August. ad fratres in Eremo in ord. 25.

 Siqui-

Siquidem impiissimus hæresiarcha Vigilantius, Vigilias, sui nominis hostis, primus impugnavit; sicque minuere conatus est; ut non nisi semel in anno in Paschali solennitate Vigilias peragendas esse jactaret, ex Hieron. adversus Vigilantium, & tradit Cardinal. Baron. in suis notis ad Martyrologium die 5. Januar. & in Annal. ad annum 51. ubi Spondan. num. 20. & qui easdem Vigilias profanare ausi fuerunt, graviter à Deo condemnati fuere, Baron. in dictis notis ad Martyrolog. die 24. Decembris.

Locus orationis.

De loco ad preces fundendas, quò conveniebant fideles ad orationes: Quantumlibet privatas quis orationes domi agere intra cubiculum suum (ut Dominus docuit) debeat esse solicitus; tamen exemplo Apostolorum, Templum ad orationem adeundum, admonentur Christiani, ad publicas preces in unum locum, ad ipsam scilicet Ecclesiam, convenire. Quod quidem faciendum Ignatius scribens ad Magnesianos inculcat; sicut & exemplo Domini, qui cum Hierosolymis esset, docebat in Templo. Idem etiam Apostoli illic doctrinæ cathedram exercuerunt, ut in actis Apostol. cap. 5. dum dicitur: Eos omnes fuisse unanimes in Porticu Salomonis. Ad quod alludens Tertull. de præscript. cap. 7. ait: *Institutionem Christianorum de Porticu Salomonis esse.* Et refert Baron. ad annum 34. ubi Spondan. num. 73.

Precum formula.

At vero circa formulas precum illorum fidelium, plurimæ etenim tunc erant, ut etiam in præsens est, apud Divina officia: Quod autem in hoc animadversione dignum ut Magnus Constantinus Imperator non Christianis solum, sed imperaverit, dederitque etiam militibus Gentilibus precationum formulam, qua omnes diebus Dominicis in patentibus suburbiorum campis in unum convenientes, uti deberent, ex Euseb. in vita Constantini lib. 4. his verbis: *Te Deum agnoscimus, te Deum profitemur, te adjutorem invocamus; per te victorias consequuti sumus, per te hostes superavimus, abs te & præsentem felicitatem consequutos fatemur, & futuram adepturos speramus: tui omnes supplices sumus: abs te petimus Constantinum Imperatorem una cum piis ejus liberis, quam diutissimè nobis salvum & Victorem conserves.* Quam etiam refert Baron. sub anno 321. ubi Spond. num. 6.

Gentiles pro Principibus Christianis orabant.

Etiam Christiani pro Principibus Infidelibus Deum exorabant.

At preces ad Deum verum, non ab Infidelibus & Ethnicis subditis pro Impp. & Regibus Christianis, ut dixi, solum præstabantur: verum & quod majorem quoque admirationem refert; ut etiam pro Imperatoribus, & Principibus Ethnicis Christiani subditi exorarent Deum: extat locus Athenagoræ Atheniensis in fine supplicationis, quam habuit ad Imperatores Antoninum & Commodum his verbis; *Vos igitur, qui in omnibus omni modo, tum natura, tum institutione, boni, moderati, humani, & Imperio digni estis; mihi nunc, & cùm objecta confutarim; & quod nos Pii, Justi, & animo contemperati simus, demonstraverim; Regali capite annuite: Quis obtinere justius est, quod petunt, quam nos, qui pro Imperio vestro oramus, ut & Filius à Patre, sicut æquissimum est, Imperium per manus accipiatis; & ipsum Imperium vestrum subjectis omnibus incrementum & accessum capiat.* Et ulterius in Commentario ad dictum locum leguntur hæc verba: *Quod autem hic dicit Athenagoras, Chri-*

stianis

stianos pro Imperio Cæsaris orare Deum; id ut nunc longa consuetudine pro Christiano Imperatore in Ecclesia solenniter observatur. Ita in prima nascente Ecclesia, etiam pro impiis Principibus fieri solitum; non solum ex hoc loco, sed ex Eusebio, Arnobio, Lactantio, & aliis antiquis intelligimus.

Adeo verum est, Christianos pro Principibus Infidelibus Deum exorasse, (dum gravi Ethnicorum servitute pressi reperiebantur,) ut non pigeat referre in proposito Historiam. Cùm Romani ab ingenti hostium multitudine aliquando ita conclusi fuissent apud Cornutum oppidum in expeditione Marcomannica, ut ex locis difficillimis nulla exeundi nec vi, nec arte facultas daretur; atque insuper tum aliis incommodis, tum maximè siti vexarentur: & Marcus Aurelius Imp. cum Deos suos precatus ab illis non exaudiretur: tunc milites Christiani, quorum magna copia in exercitu erat, flexis genibus ad Deum verum se converterunt: qui mox illos exaudiens; non solum aquam Romanis, qua reficerentur, immiserit; sed & eodem momento hostes vehementi grandine, igne, & fulminibus consumpserit. Hæc à pluribus referuntur auctoribus, & maximè à Xiphilino, dum arguit de mendacio voluntario Dionem, quod magicis artibus id tribuerit. In tanti vero beneficii remunerationem suis litteris Imperator generali edicto sanxit: Neminem quod Christianus esset, in judicium vocari, eorumque ut talium accusatores, vivos exuri; cujusmodi edictum etiam temporibus Commodi Marci filii viguisse Romæ, meminit Eusebius lib. 5. histor. cap. 20. Hoc idem testatur Tertullianus in Apolog. cap. 5. his verbis; *Si litteræ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam, contestatur.* & infrà: *Adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.*

Sed, quod spectat ad nomen Legionis, in qua iidem Christiani militarunt: omnes ferè auctores consentiunt, eam ex admiranda illa fulminum immissione, dictam esse *Fulminatricem*, seu *Fulmineam*.

Num. 12.

Extat porro hactenus Romæ tam egregii miraculi præclarum monumentum in nobilissima Marci Antonini Columna cochlide insigniter sculptum, una cum aliis Marci Aurelii in bello Marcomannico facinoribus fortiter gestis: ac etiam in eadem Milites Christiani apparent, qui flexis genibus Deum exorant: nec non iidem in propriis eorum scutis tremendum Crucis signum sculptum habent: ac præterea cernitur inter cætera Jovis figura undique imbres fundentis, & fulgura admiscentis, qualem dicere solerent *Pluvium*. Quamvis M. Aurelius Imp. publicis suis litteris, tantam divinitus impetratam gratiam, Christianorum precibus acceptam tulerit; tamen, vel quòd nomen Christianorum illi esset incognitum, vel quod ore omnium Gentilium diffamaretur, eam à Jove fuisse concessam, cui reliquæ res omnes prosperæ; etiamsi Christianorum precibus impetrarentur, tribui solerent; ut ex Tertull. in Apolog. cap. 4. & idem Tertull. in Apolog. cap. 4. & idem Tertull. cap. 4. ad Scapulam, de dicta pluvia per milites Christianos à Deo impetrata, sic inquit: *M. quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum Militum*

Orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus, & juvantibus nostris, etiam Civitates sunt depulsæ? Tunc & Populus adclamans Deo Deorum, qui solum potens est, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit. Idcirco Jovis Imago pluviam dantis in Columna fuit expressa; cujus Columnæ fragmentum in Christianæ fidei attestationem hic delineandum curavi.

Cæterum eandem Columnam, & Christianæ Fidei præclarissimum monumentum, Barbarico furore deorsum incensam, ac desuper fulmine tactam, jam deformatam & collabentem; Sixtus V. P. M. summo studio in pristinum splendorem restituendam curavit; collocata desuper in ejus vertice ærea inaurata Pauli Doctoris gentium sacra effigie: ut ubi olim ab Antonino Pio statutum fuerat simulacrum Marco Aurelio Parenti; ibidem illius, qui ad veram pietatem Urbem excoluit, & Gentiles Christo subegit, signum nobilissimum cerneretur: ut de his latè Card. Baronius tom. 2. Annalium sub anno 176.

Et hæc de Veteribus Ritibus circa preces: & de veneratione Divinæ majestatis & Sanctorum: dicta sufficiant.

Diximus de Ritibus sacrarum Imaginum, & Precum apud priscos Fideles; & quomodo Divina Majestas per illos adorata; nec non cœlestes Cives in Ecclesia venerati fuissent. Modò de Sacramentis novæ Legis, quæ fundamentalia sunt Catholicæ Ecclesiæ, consentaneum est videre.

PARS SECUNDA.

CAP. IV.

De Sacramentis novæ Legis.

Sacramenta novæ Legis in quibus differant à Sacramentis veteris Legis.

NOvæ Legis Sacramenta signa sunt visibilia invisibilis gratiæ, quam Deus efficaciter, & certè in ipsis operatur; modò ritè tractentur & accipiantur: non enim talia Sacramenta significandi tantum gratia instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ autem erant veteris Legis sacramenta, instituta fuerunt, ut solum ea significarent; signa enim solummodo erant, & non propriè Sacramenta; sicuti sacrificia carnalia & ceremoniæ veteris Legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes, ex Apostolo ad Hebr. cap. 9. Ac etiam prædicta Sacramenta veteris Populi servitutem pro congruentia cordis illorum, & prophetici temporis imposuerunt; sicuti legitur in quinque libris Moysis. Ea etenim Sacramenta veteris Legis fuerunt necessaria tantum necessitate præcepti; non quidem omnibus hominibus, sed iis tantum, qui erant de populo Israel, quibus circumcisio imperata erat, veluti janua aliorum Sacramentorum, ut in Exod. cap. 12. Præterea talia Sacramenta veteris Legis non imprimebant characterem; nam in illis per se nullus spiritualis effectus conferebatur per modum operis operati; quia nondum pretium nostræ

nostræ redemptionis erat exhibitum, à quo omnia sacramenta habent virtutem D. Thom. 3. part. quæst. 63. art. 1. ad tertium Suarez tom. 3. disp. 10. sect. 2. §. sed hæc etiam evasio, & sect. 3. §. primo & sequent.

At vero Sacramenta omnia novæ legis principaliter instituta sunt, ut sint non modò signa certa gratiæ, sed causa; cum id efficiant sive conferant ex opere operato, quod significant; & sint præsentissima remedia contra omnia peccata, & efficacia signa gratiæ Dei, per quæ omnis justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Quam ob rem Dominus noster JESUS CHRISTUS, sicut ipse in Evangelio loquitur, levi jugo suo, & levi sarcinæ nos subdens; Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit; sicut est Baptismus, Trinitatis nomine consecratus; Communio corporis & sanguinis ipsius, & cætera, quæ in scripturis Canonicis commendantur. Et sic cœlestis medicus humani generis reparator tali modo ægrotum sanavit, sicut optimè competebat ægrotanti, ægritudini, & ipsius ægritudinis curationi. De quibus omnibus Card. Bellarminus lib. de Sacramentis cum aliis Theologis.

De numero Sacramentorũ. De numero autem prædictorum Sacramentorum novæ legis, quanquam apud priscos Patres fuisset aliqua controversia; confundentibus illis inter sacramenta novæ Legis etiam sacramentalia; constat tamen ex Conciliis Florentino in Decreto Eugenii, & ex Tridentino sess. 7. can. 1. quòd ea sint septem à Christo instituta, nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium: & si quis plura aut pauciora quam septem prædicta esse dixerit, anathema sit, ut in dicta Tridentina Synodo.

Sacramenta quando necessaria? Advertendum tamen; quòd Sacramenta in nulla lege necessaria sint simpliciter: nec minus eadem homini necessaria in ordine ad finem qui est Beatitudo; cum Deus possit eam homini conferre sine sacramentis: Non enim, ut inquit Magister sententiarum distinct. 1. lib. 4. Deus alligavit potentiam suam Sacramentis: ex suppositione tamen divinæ ordinationis, qua decrevit, nullum de massa perditionis propagatum salvare regulariter nisi per Sacramenta (dummodo suscipiendi impotentia non excuset) & isto casu ipsa Sacramenta necessaria sunt ad salutem; ut de Baptismi Sacramento Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.* De quibus omnibus Suarez tom. 3. quæst. 65. art. 1. & Cardinalis Bellarminus part. 2. lib. 1. De Sacramentis in genere.

Ritus non scripti. Notandum præterea circa varios Ritus antiquos & recentes in Sacramentis novæ Legis, quos non scriptos sed traditos custodimus, qui quidem toto terrarum orbe observantur: de his datur intelligi vel ab Apostolis, aut à summis Pontificibus, vel plenariis Conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas) illos commendatos atque statutos; necessario esse illos retinendos; sicuti & si quid aliud tale occurrerit, quod ab universis servatur, quacunque se diffundit Ecclesia, ut refert D. Augustinus epist. 118. ad Januarium.

Sacramentalia. Extant quoque in Ecclesia præter Sacramenta etiam sacramentalia, quæ remedia quædam sunt, quibus solet attribui effectus remissionis venialium; ut ex com-

muni sententia Doctorum apud Suarez sect. 2. disp. 12. ubi etiam patet, an illa remittantur ex opere operato, vel ex opere operantis. Et quanquam nulla extet Ecclesiæ lex de illorum institutione, tamen antiqua traditio, & communis sensus fidelium satis hoc probat. Sunt autem prædicta sacramentalia inter cætera *Oratio Dominicalis* cap. de quotidianis, de pœnit. dist. 3. *Aqua benedicta* cap. aquam, de consecrat. dist. 3. *Esus panis benedicti, soliti diebus festis populo distribui: Confessio generalis* d. cap. de quotidianis: *Eleemosyna*, cap. medicina, & cap. quamobrem caus. 33. quæst. 3. de pœnitent. dist. 1. Item *Benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati.* cap. benedictio & cap. dictum prima quæst. 1. Et de his latè Filiuccius in suis moralibus quæstionibus tom. 1. tractat. 6. cap. 5. num. 127. & seq.

Et hæc satis de Sacramentis in genere; ut de Baptismo modo prosequamur.

CAP. V.

De Baptismo.

Baptismus, cum sit janua, ac primus aditus ad cætera Sacramenta, per quem recuperatur ante omnia munditia originalis, adeo ut per illum mansio fiat Christi in homine, ac etiam hominis in Christo; propterea cum Baptismus sit initiatio, de illo nos primum verba faciamus.

Supponendum est autem circa hoc Sacramentum, ut nec solus sanguis, nec sola aqua de latere Salvatoris manaverint: Sanguine namque redimimur, aqua abluimur. Ut ergo à peccatis lavaremur, Aqua (quæ corporales tantum lavare poterat sordes) Sanguini sociata est; & ex ejus societate virtutem atque auctoritatem sumpsit, ut ad abluendas invisibiles peccatorum sordes digna sit sancto cooperari Spiritui. Qua eadem societate hæc aqua comparatur Rubro mari, per quod salvatus populus transivit, Pharaone submerso cum curribus & equitibus suis: nam fugientes Ægyptum hujus sæculi, mundatos in veram repromissionis terram transmittit: Diabolum persequentem penitus absorbet cum præteritis actibus & pompis ejus. Rupertus Abbas de Divinis Offic. lib. 6. cap. 16. Christus ergo ut hanc aquam cum sanguine suo effunderet super nos in Baptismo, inquit apud Joannem cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei.* Adeo ut ipse Christus unigenitus Dei Filius de propria sui persona baptizanda non aqua, sed sanguine, dixerit apud Lucam cap. 12. *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Utque plurimi etiam Martyres Baptismum aquæ nondum consequuti tempore persequentium Tyrannorum, suppliciis affecti, pro Christo in proprio sanguine baptizati sunt: cum talis baptismus Sanguinis sit omnium potissimus, quia Deus in eo excellentius operatur effectum per operis imitationem. D. Thomas 3. parte quæst. 66. art. 12. Adeo ut convenienter describantur tria Baptismata, Aquæ, Sanguinis, & Spiritus: seu etiam Flaminis, Sanguinis, & Fluminis; quia his conformamur Christi passioni: & duo ultimi supplent primum, non tamen sunt Sacramenta; sed conveniunt in effectu, quem Deus potest producere sine Sacramento. D. Thom. d. quæst. 66. art. 11.

Baptismus

Baptiſmus in præſenti, ex communi loquendi conſuetudine, ad eam tantummodo ablutionem accommodatur, quæ ab Epiſcopo, vel Presbytero, aut alio quocunque ſub certa verborum forma miniſtratur.

Res igitur Chriſtiana primis temporibus inchoata cum eſſet, Baptiſteria in uſu non fuere, ſed in fluminibus aliquando baptizabatur. Tertull. lib. de Baptiſmo, c. 1. *Neque quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Jordane, & Petrus in Tibere tinxit.* Idem quoque Origenes tract. 7. in Matth. & Cyrillus Alexand. lib. 2. in Joann. c. 57. & clarè in Actibus Apoſt. cap. 16. ubi Paulus mulierem Lydiam ſacris baptiſmalibus in fluvio inſignivit. Honorius Auguſtunenſis ait in lib. de Gemma animæ, quod Apoſtoli non ſolum in fluviis, ſed & in fontibus, & ſtagnis baptizabant; ut adhuc extat Mediolani fons, quo ſanctus Barnabas Apoſtolus ad Baptiſmum utebatur. Ac etiam in via baptizabatur, ut in Actibus Apoſtolorum cap. 8. Eunuchus à Philippo, dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Item in domibus, vel in mari, ut in vita S. Apollinaris Ravennatis Epiſcopi.

Baptiſteria.

Baptiſteria, ſancti Dionyſii tempore inſtituta fuere, eaque conſuetudo usque ad nos ſtabilis, & firma derivavit. Neque obſtat Beda lib. 2. Hiſt. Eccleſ. de Anglis in fluvio Rheno, & Walva inſignitis Baptiſmo. Nam in principio recentis ibi Eccleſiæ Chriſtianæ hæc factitata, quando Baptiſteria ædificari temporum anguſtiæ non ferebant; quemadmodum ejusdem Bedæ verba lib. 2. hiſtor. *Nondum enim Oratoria, vel Baptiſteria in ipſo exordio naſcentis ibi Eccleſiæ poterant ædificari.* Eaque Baptiſteria primum in privatis ædibus ædificata; ut in vita ſancti Marcelli Papæ, ubi Maximiano Imperante, Carpaſius crudeliſſimus anguſtum Baptiſterium à Beato Cyriaco domi extructum flagitioſiſſime delevit, ſuffecto ejus in locum Balneo. Cujus forſan cauſa fuit, quod ſævientibus dein tyrannis, ſanctiſſimi homines extra urbem, & in occultis & abditis locis Baptiſteria ſtatuere: Donec Imperator Conſtantinus Magnus ea in ſuburbio conſtrui fecit. Socrat. hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 26. Sozomen. lib. 2. cap. 32. & etiam intra Urbem in Cœlio Monte. Damaſus Papa de Silveſtro Primo hujus Baptiſterii Conſtantiniani elegantiam explicans inquit: *Fontem ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus, ex lapide porphyretico:* quibus congruunt ſanctus Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 22. cap. 8. Socrat. lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap. 4. & 17. Gregor. Turonenſ. lib. 10. hiſtor. Francorum cap. 28. At in Galliis cœpere forſan Baptiſteria ædificari in Eccleſia tempore Clodovæi Regis; ut de ejusdem Regis Baptiſmate loquens Gregor. Turonenſis lib. 2. hiſtor. Francorum. Nec multo poſt Concilium Ilerdenſe c. 7. apud Gratianum de conſecrat. diſtinct. 4. cap. 106. ſtatuit Fontem Baptiſmalem extra Eccleſiam non aſportari & Gregor. Magnus epiſt. 24. lib. 11. meminit Baptiſterii in Eccleſia conſtructi.

Quamvis mos fuerit apud priſcos Fideles collocare Baptiſteria extra Eccleſiam; inferentes ex hoc, quod ſolum per Baptiſteria admittebantur homines in Eccleſ. ad Sacroſancta Myſteria; ut ex Gregor. Turon. lib. 5. hiſt. c. 11. S. Paulin. Ep. 7. Steph. Durant. de Ritib. Eccl. lib. 2. c. 19. ac etiam hodie patet Romæ in Lateranenſi

Baſilica,

Basilica, ubi Constantinus Magnus Imp. baptizatus: & in vita S. Silvestri legitur quod locus ille sit ab Ecclesia disjunctus: Crescente tamen dein fidelium numero; & cum Infantes ut plurimum, dum baptizarentur, ob imbecillitatem ætatis, & ab aere illi offenderentur; Decretum propterea fuit tempore Clodovæi Francorum Regis, quod Baptisteria intra Ecclesiam à sinistra parte ingredientium in Ecclesiam construerentur, ut ex Gregor. Turonensi de Miraculis sancti Martini lib. 2. cap. 21. ut etiam in Concilio 4. Provinciali Mediolani, decretum eadem ratione quoque fuit, Baptisteria in singulis Parochiis posse construi; cum Parochus proprius & ordinarius sit Minister hujus Sacramenti præter Episcopos; ut in cap. constat, de Consecrat. dist. 4. & capit. Perlectis dist. 25. Isidor. De Divinis Offic. lib. 2. cap. 24. S. Thomas p. 3. quæst. 67. art. 4. ad 2.

Qualitas hujus Baptisterii requiritur ut sit ex lapide duro, non autem fragili seu bibulo; ne aqua penetret, seu vas frangatur; ut ex Concilio Ilerdensi relato à Buccardo lib. 4. cap 13. & per Ivonem part. 1. cap. 208. Omnis Presbyter, de Consecrat. distinct. 4.

Collocabantur quoque Baptisteria in loco elevato supra basin, seu columnam; cujus circuitus esset aliquantum profundus: & ad illum descendebatur instar sepulchri; quoniam sepulti sunt Baptizati cum Christo: ad Roman. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum.* & ad Colossens. 2. *Consepulti & in Baptismo, in quo & resurrexistis.* Quale mysterium servatum videmus in Baptisterio Magni Constantini apud Lateranum; & refert de eodem Vicecomes in tract. de Veterib. Eccles. Ritibus; quod etiam de recenti imitatus est S. Carolus Borromæus in suis Decretis Synodalibus, cap. de Baptisterio.

Solitum quoque fuit antiquitus consecrare Baptisteria Ritibus diversis à Consecratione aquæ; ut ex antiquo Rituali titulo, *Ordo Romanus.* Qui locus propterea à fidelibus magna habebatur in veneratione, ex illo peccatorum remissionem sperantibus, & alia multa; ut ex Georgio Patriarcha Alexandrino in vita S. Chrysostomi: ut etiam qui hujusmodi sacra loca prophanarunt, quamvis involuntariè, gravissimis pœnis affecti fuerint, sicuti de Copronimo Imp. & Vincislao Bohemiæ Rege, & similibus, referunt scribentes.

Diversa Baptisterii loca.

Viris ac mulieribus diversus Baptisterii locus assignatus erat; non quia plura Baptisteria essent, sed quia uterque sexus distinctum locum haberet. Nam cum eodem tempore multos utriusque sexus baptizari oporteret, quos veste nudari, illorum temporum consuetudo postulabat: è certis lignis hinc inde à terra exsurgentibus, quasi duplicem fontem adeuntes integra verecundia baptizabantur; sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in præfat. catech. ipsos baptizandos monet in suscipiendo Baptismate, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus &c. S. August. de Civit. Dei, lib. 22. cap. 8. & clare in Synodo Constantinopolitana, act. 1.

Consecratio aquæ.

Consecratio Aquæ baptismalis ab Apostolis instituta pervenit ad nos, ut ex constitut. Apost. Clement. Papæ lib. 7. cap. 43. ibi: *Deinde venit ad aquam, benedicit, & glorificat sacerdos Dominum Deum omnipotentem, &c.* & paulò post Benedictionis

nis verba referens inquit: *Descende de cœlo, & sanctifica hanc aquam; da ei gratiam, & virtutem, ut qui baptizatur secundum mandatum Christi tui, cum eo crucifigatur, & commoriatur, & consepeliatur, & corresurgat*; sic etiam testatur Dionysius Areopag. de Eccles. hierarch. cap. de Baptism. & refert Baron. anno 132. ubi Spondan. num 2.

Tempus baptismi.

Baptismus in Ecclesiæ Christianæ primordiis quolibet die celebrabatur. Sic act. 8. de Eunucho Candacis Reginæ à Philippo baptizato. Item Actor. 10. Petrus Cornelium, & aliam turbam baptizavit. D. Ambrosius, cap. 4. in epist. ad Ephes. explicans Actorum loca, refert de eadem consuetudine: sed non multo post mos obtinuit, ut extra Paschatis, & Pentecostes tempus nemo Baptismatis mysteria celebraret. S. Leo epist. 4. ad universos Siciliæ Episcopos cap. 3. id ex Apostoli doctrina profectum esse docet. Non solum adultos, sed & infantes, & parvulos, tantum Paschatis, & Pentecostes tempore baptizatos, ex D. Ambrosio de mysterio Paschæ cap. 5. & sanctus Augustinus serm. 160. in Dominica in octav. Paschæ inquit: *Illi pueri infantes, parvuli, lactentes maternis uberibus inhærētes, & quantum in eis gratiæ conferatur nescientes, ut ipsi videtis, & ipsi habent octavas hodie.*

Minister.

Necessitate postulante omnibus baptizare licebat Ecclesiæ surgentis initio, ut testatur D. Ambrosius cap. 4. epist. ad Ephes. Cæterum solis Episcopis fuisse munus baptizandi, ex D. Ignatio ad Smirnenses habetur. *Non liceat sine Episcopo baptizare.* Et Tertullian. similiter lib. de Baptism. cap. 17. Sed ex quo postea certa Baptismi tempora cessarunt, & Episcopis aucta onera; singulis oppidis certi presbyteri assignati fuere, quibus totum negotium devolutum est. Monachi autem ab hoc munere in totum repellebantur, ut in decreto Eugenii apud Gratianum cap. Placuit secunda 16. quæst. 1. Baptismus verò à pueris collatus etiam per jocum, ritu Ecclesiæ, validus: supplenda tamen, quæ à sacerdotibus mos est fieri. Refert Baronius anno 311. & ibi Spond. num. 8.

De Compatre.

Qui sacro fonte Baptismi candidatos suscipiunt, Compatres appellantur. S. August. sermon. 116. de tempor. Et Concil. primum Moguntinum. Nominabantur etiam Patrini, Sponsores, Susceptores, Offerentes; ut apud Patres, & Concilia. Munus Susceptoris fuit in Ecclesia antiquissimum, ut ex Constitut. Apost. Clementis lib. 3. cap. 16. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. de Baptism. refert quomodo baptizandus à susceptore ad Episcopum ducitur. Susceptorum mos in Ecclesiam profectus est ab illo Evangelii. *Et adduxit eum ad Jesum.* Et Landulpho Carthusiano, libro 1. vitæ Christi, cap. 24. *Et adduxit eum ad Jesum. Ex hoc accipit Ecclesia, quod in Sacramento Baptismi, & Confirmationis utitur adducentibus, qui præsentent suscipientes Sacramentum, qui Patrini solent vocari.* Susceptores adhibebantur in Baptismo non solum infantium, verum & adultorum, Conc. Nicen. cap. 22. ibi: *Viri non teneant Baptismo puellas, aut mulieres, neque mulieres teneant masculos; sed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant masculos.* Cum non fuisset opus distinguere mulieres à puellis. Advertamus etiam ex dicto Niceni Conc. decreto. Quatenus viro mulierem, & mulieri virum de Fonte suscipere

tunc non licebat: ut etiam ex constitutione Apostol. lib. 3. cap. 16. cujus ratio fuit, quoniam adultorum Baptismus frequens erat, ac nudi de sancto lavacro admovebantur: quibus antiquatis, liberum fuit mari fœminam, & fœminæ marem suscipere, ut colligitur ex Concil. Maguntino cap. 10. apud Gratianum parte secunda, causa 30. quæst. 1. cap. de eo. Monachis susceptoris officio fungi non licebat, ut in cap. placuit. secunda 16. quæst. 1. Quoniam illos claustrales à negotiis sæcularibus segregatos esse oportebat. Non ita vero de Presbyteris, & Clericis, quos susceptoris officio functos fuisse refert Gregor. Turonens. lib. 6. histor. Francorum: Cum Theodoricus ab urbis Episcopo de Fonte susceptus fuerit. Parentes de Fonte filios suscipiebant, can. Quod autem 30. quæst. 4. S. Augustinus lib. 6. Hypognost. ibi: *Novimus parvulos, parentum manibus ad gratiam sancti Baptismi deportatos.* Et idem Augustinus epist. 23. ad Bonifacium. Modo consuetudo prædicta penitus abrogata est in Concilio Maguntino, cap. 55. *Nullus proprium filium, vel filiam de sacro Fonte suscipiat.* Cujus forsan ratio est, ut denotetur, educationem spiritualem longè distare à carnali.

De infantib. baptizan.

Quamvis Baptismum parvulorum maxime impugnaverint Hæretici; nihilominus probatur ille evidentissimè ex sacris litteris, & Patribus antiquis. Etenim Matth 19. Redemptor noster dixit Discipulis: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum Cœlorum.* Quem locum de Baptismi mysterio accipiendum esse, voluere scriptores. Item ex constit. Apostol. lib. 6. cap. 15. habetur: *Baptizate quoque parvulos vestros, & educate eos in præceptis Dei.* Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. ultimo, August. epist. 28. & 39. & ex Apostolica traditione, Infantes baptizandos inter alios censet Origen. lib. 5. cap. 6. ad Roman. dicens: *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare.* & Concilium Melevitanum contra hoc negantes: *Placuit ut qui parvulos recentes ab uberibus Matris baptizandos negat, anathema sit.*

Nec verum baptizandos Infantes absque Fide baptizari: Quia in eis ipsum baptizari est credere; & actio ipsa est fidei professio: Quemadmodum etiam de Sanctis Innocentibus canit Ecclesia: *Non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Unde Augustin. de peccator. meritis cap. 27. *Parvuli actu credunt; partim re ipsa dum baptizatur, partim aliena fide*: & Sermon. 10. de Verbis Apost. *Accommodat Mater Ecclesia Infantibus aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut confiteantur.* Et idem August. lib. 1. cap. 22. contra secundam Epistol. Pelagii rationem ponderans ait; *In Ecclesia Salvatoris per alios Parvuli credunt, &c.* & idem Epist. ad Dardanum. *Mirabile est, & tamen verum est, quod in multis Deus non habitat, qui eum norunt, ut in Philosophis, de quibus Apostolus ait: Cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt: & contra in multis habitat, qui eum non norunt, ut in Parvulis baptizatis.* Quin imo sanctus Hieronymus peccato obstrictos declarat parentes Christianos, quorum Infantes non baptizantur in ætate, qui contradicere non possunt.

Qui baptizandi erant, nominabantur Christiani, Catechumeni, Competentes, Initiati,

Initiati, & Electi; ex Concil. 1. Constantinop. cap. 7. Item Concil. Constantin. 6, cap. 34.

Catechumeni nomen Græcum est, & à sanctis Patribus dicitur, cui mysteria fidei, vivæ vocis ministerio credebantur: Etiam infantes inter Catechumenos referebantur. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. ultimo. August. epist. 23. ad Bonifacium lib. 4. de Baptism. cap. 24. & serm. 10. & 14. de verbis Apostol. & Susceptorum, in catholica fide, & Christi præceptis illos imbuendi munus erat, ut in dicto cap. ult. de Eccles. Hierarch. Et ipsorum nemo baptizabatur, nisi symbolum, & orationem Dominicam memoria retineret, Concilium Constantinop. 6. cap. 6. catechesi prosequendæ.

De Catechumenis.

In Catechumenatu quamvis nullum esset præfinitum tempus; in plerisque tamen Regionibus primo duravit tribus mensibus, ex Clemente Papa I. epist. 3. de officio Sacerdot. & Cleric. Deinde solum quadraginta diebus in Catechumenorum numero perstiterunt, ex D. Hieron. epist. ad Pammach. qui ait; *Qui baptizandi sunt super quadraginta dies, publicè iis tradamus sanctam, & adorandam Trinitatem.* Fuere autem tempora, cum Catechumenorum plurimi Baptismi diem longius protrahebant, ut ex Constantini Magni, & aliorum exemplis. Verum cum plurimum detrimenti hoc Christianæ Reipublicæ afferret; Primo. Neocæsariana Synodus canone 12. tum in Occidente sanctus Ambrosius, in Oriente, Basilius, Nyssenus, Nazianzenus oratione 23. in laudem Heron. Philos. extirpare & evellere plurimum conati sunt: Ut ex eorum orationibus de Baptismo editis, refert Baron. anno 377. ubi Spondan. num. 5. Catechumeni, omnes Christianorum ritus, & præcipuè Quadragesimam observabant. Isidorus Hispalens. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 27. de Dominica Palmarum. Albinus de divinis offic. capit. de Dom. Palm. Et quamvis Eucharist. Sacrament. fidelium more expiari non possent Catechumeni; tamen sanctificato Pane, sive sale, loco Eucharistiæ reficiebantur; ut in Conc. Carthag. 1. c. 5. D. Aug. lib. de peccat. merit. & remissione cap 26.

Catechumeni post Evangelium à Missæ Sacro ejiciebantur, ex Apost. Constit. lib. 2. cap. 61. & lib. 8. cap. 7. ubi ejectionis mentio fit per hæc verba: *Post hæc Diaconus dicat: Ite Catechumeni in pace.* Dionys. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 5. Et similiter hoc idem interdixisse Gentiles omnibus suæ Religionis non initiatis, ex Virgil. Æneid. 6. *Procul, ô procul este profani, conclamat Vates.* Insuper nec Catechumenis permissum, neque in publicis, neque in privatis Orationibus, cum Baptizatis convenire: Concilium Arausican. cap. 19. ibi: *Catechumeni nunquam admittendi sunt etiam inter domesticas orationes.*

De nomine.

Mos dandi Nomina in Baptismo antiquissimus est. Clemens Papa Primus Epist. 3. ad omnes Episcopos ait: *Si quis fidelis voluerit existere, & desideret baptizari, accedat ad Sacerdotem suum, & ipsi det nomen suum, & ab eo audiat mysteria, &c.* S. Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 2. S. August. de cura pro Mort. geren. & idem lib. de Fid. & Oper. Cujus ratio adducitur: ut Catechumeni ex Nominis mutatione, vitæ commutandæ argumenta desumerent: ac etiam ut Apostolorum propter

ſuam in eos propenſionem Nomina ſumerent. Ut apud Euſebium lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. Nicephorus Caliſtus lib. 6. Hiſtor. cap. 22. ibi: *Multa enim propter ſuam in Apoſtolos propenſionem, & affectionem, nomina eorum liberis ſuis imponebant.* Unde in Synodo Nicena Can. 30. Gentilium nomina filiis imponere fuit vetitum: quod & à S. Chryſoſtomo ſignificatum homil. 22. in cap. 4. Epiſt. 1. ad Corinth.

De renunciatione. Renunciabant Diabolo, & pompis ejus Catechumeni ex antiquiſſimo ritu, Paulus ad Timoth. 6. ait. *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es; confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* Super quod S. Hieron. in lib. Annot. ait: *Confeſſus es bonam Confeſſionem in Baptiſmo, renunciando ſæculo, & pompis ejus, &c.* Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 18. ibi: *Qui baptizatur, ſit ab omni impietate alienus, hæres Dei Patris, cohæres Filii ſui; qui renunciaverit Satanæ, & Dæmonibus, & fraudibus ſuis.* Idem lib. 7. cap. 40. & 41. Locus renunciationis erat extra Eccleſiam. Dionyſ. Areopag. de Eccleſ. Hierarch. cap. de Baptiſmo, ibi: *Puer ante fores Eccleſiæ ſtatuitur in ſignum humilitatis. Poſtquam perficiuntur Exorciſmi, & Inſufflationes, & Renunciationes, Eccleſiam cum confidentia ingreditur.* Renunciaturos, fuiſſe item nudos, tanquam Athletas ad pugnandum, Dionyſ. Areopag. de Eccleſ. Hierarch de Baptiſmo ibi. *Exuit eum, expoliatque per miniſtros; tum eum tertio jubet Satanam inſufflare, & quæ defectionis, & abrenunciationis ſunt, profiteri.*

De Pallio. Poſt renunciationes Catechumenis dabatur pallium: & hoc inſtitutum, ut relicta toga, quæ inſigne dignitatis erat, pallium, quod abjectionem, & humilitatem referebat, omnes induerent. Tertullian. lib. de pallio cap. 5. in princ. ait: *Cum hanc primum ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit; tunc certiſſimè pallium ſuper omnes exuvias, & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices & Tutulos ſacerdos ſuggeſtus.* Quare poſtea Gentiles irridentes Chriſtianos dicebant: *A Toga ad pallium.* Tertull. dicto cap. 5. Pallium erat nigri coloris, ut indicaret pœnitentiam. Severus Sulpitius de vita ſancti Martini dicens, *Martinum in veſte iſpida, nigro, & pendulo pallio circumſeptum.* Cœpit uſus prædicti pallii ab Apoſtolis, à quibus deinde fuit commune indumentum Chriſtianorum, ex Tertull. dicto tractatu: ſed temporis decurſu ad ſolos Monachos tranſivit, quos Sulpitius Severus epiſt. ad Beſull. nominat, *Agmina palliata.* Caſſianus de habitu Monach. lib. 1. cap. 7.

De Profeſſione Fidei. Fidei profitendæ mos fuit Catechumenis ante Baptiſmum; quod ab Apoſtolis ad nos proceſſit: ut in Actis Apoſtol. cap. 8. Etenim Eunucho petenti Baptiſmum, *dixit Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum.* Similiter Clemens in conſtit. Apoſtol. lib. 7. cap. 42. Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierarch. part. 2. cap. 2. Gregorius Magnus de ſacr. Baptiſm. cum aliis. Et talis profeſſio de ſuggeſtu edebatur, Auguſt. lib. 8. confeſſ. ubi hoc refert de Victorino. Profeſſionis forma tribus vicibus repetebatur, ut triplicem maculam corde, ore, & actione trina confeſſio aboleret. Sanctus Ambroſius lib. de Spiritu ſancto, cap. 11. ac etiam deſumptum ex triplici reſponſione Petri de Chriſti dilectione, Ambroſ. lib. 2. de Sacrament. cap. 7. Profitentes inſuper, renunciato

prius

prius ter Occidentem versus Diabolo, Christum similiter confessuri, ad orientem Solem spectabant; cum Deus Parens orienti Soli comparetur. Dionys. Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. 2. ait: *Ipsum ad Orientem transfert.* Nazianzenus orat. 40. in Sacramant. Baptism. inquit: *Ad Occasum inversus Satanam abjurabis, rursusque ad Ortum te convertens Deum confiteberis.* Baron. anno 58. ubi Spondan. num. 43. Postmodum Professio in tabulas relata, profitentis videlicet, alterius manu subscribebatur: Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo ibi: *Cumque Sacerdos aliquis ex Tabula Professionis, &c.* Gregor. orat. 40. de sancto Baptismo.

De tactu narium, & auriu.

Nares, & aures, Presbyterorum digitis ex saliva tangendi, antiqua fuit consuetudo: sanctus Ambrosius de iis, qui Myst. initiantur, ait. *Aperite aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis, munere sacramentorum carpite; quod vobis significavimus, cum aperitionis celebrantes mysteria diceremus Ephata, quod est, adaperire, &c.* S. Gregor. lib. de sacram. de catechiz. infant. Nares tanguntur, quia statim divinæ cognitionis odor percipitur: quod autem ex sputo aures, quia nos ad Dei verbum percipiendum paratas illas offerimus, sanctus Ambrosius lib. de sacram. cap. 1.

De Exorcismis.

De Exorcismis in Baptismo loquitur Christus apud Marcum, cap 16. *In nomine meo Dæmonia ejicient:* & de Lunatico apud Matth. cap. 17. *Et increpuit eum Jesus, & exiit ab eo Dæmonium.* Hoc idem explicat Isidorus Hispalen. lib. 2. de divin offic. cap. 20. sanctus Augustinus lib. 2. de nupt. & concupisc. Accedentes ad exorcismum erant nudis pedibus, & uno tantum vestimento. Joann. Chrysostom. homil. ad baptiz. ibi: *Cur post nostrum magisterium imbuti, nudis pedibus, uno tantum vestimento concesso, ad voces exorcizantium accedunt?* Concil. Constantinopolit. 2. act. 1. ibi: *Cum essemus in baptisterio Neophytistarum sine tunicis, calceamentis, &c.* Ardentem cereum in exorcismo Catechumeni manu tenebant. Albinus de divin. offic. cap. 19. *Cereus præcedit Catechumenos nostros, lumen ipsius Christum significat.*

Unctio Olei.

Unctio olei in Catechismo adhibita Spiritum sanctum significat: Constitut. Apost. lib. 3. cap. 17. ibi: *Baptismus datur in mortem Filii, aqua adhibetur pro sepultura, Oleum pro Spiritu sancto, Sigillum Crucis pro Cruce.* Et talis Unctio in Baptismo adhiberi solita, diversa ab Unctione Chrismatis: Baronius anno 35. ubi Spondan. num. 11.

De Crucis signo.

Signum crucis in Catechismo apponi antiquitus consuevit: de quo B. Linus de pass. sancti Petri ait; *Postquam non credentes in hac vicina custodia, fonte, precibus, & admirabili signo Crucis in sanctæ Trinitatis nomine baptizati.* Sanctus Ambrosius lib. de initiandis cap. 2. ibi; *Credit autem etiam Catechumenus in Crucem Domini nostri Jesu Christi, qua & ipse signatur.* Et ratio est, ut Dæmones vereantur pugnare cum Catechumeno. Innuit Tertull. lib. de Resurrect. carn. ibi: *Caro signatur, ut & anima muniatur; caro abluitur, ut & anima emaculetur.*

De Sale in os.

Sal in Catechumeni os inseri solitum est: Origenes homil. 6. ait: *Oportet ergo, quæ renascitur, Sale saliri, & pannorum involucro colligari; ne dicatur ad eam: Sale non es salita, & pannis non es colligata.* Ratio adducitur ab Isidoro Hispalens. lib. 2. de offic. c. 20. qui ait: *Sales in mysterio Catechumenis dandos, à Patribus est institutum, ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant.* Demum Catechumenus benedicebatur, ex constitut. Apostol. lib. 7. cap. 40. *Quomodo oporteat Catechumenum, cum initiatur, à Sacerdotibus benedici?*

De Competentibus.

Baptizandi inter alia nomina Competentes etiam nuncupabantur: Isidorus Hispalens. lib. de Eccles. offic. c. 21. ibi: *Post Catechumenos secundus Competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinabant; ideoque Competentes appellantur, id est gratiam Christi petentes.* Fiebant quippe Competentes in Dominica Palmarum: Ambros. epist. 33. August. serm. 116. in Dominica Palmarum ad Competentes. Soli Competentes jus habebant Baptismi flagitandi. Sanctus Augustinus lib. de fide & oper. ibi: *Hoc fit multo diligentius, & instantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum Baptismum sua nomina omnia dederunt.* & Isidorus dicto cap. 21. Idemque humi prostrati Baptismum petebant, Augustinus lib. 2. de symbol. cap. 1. Gregor. Turon. lib. 5. histor. Francor. cap. 11.

De Pœnitentia.

Baptizandi variis pœnitentiæ generibus utebantur. Sic Petrus in act. Apostol. cap. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Sanctus Augustinus de vera & falsa pœnitentia, ibi: *Ad hoc sunt Catechumeni in Ecclesia constituti, ut dum Baptismum expectant, unde verè pœniteant, habeant.* Et hæc in conscientiæ excussione, & lachrymis. Augustinus, sermon. 11. ad Fratres in eremo. *O compunctio sancta, sine qua adultis non prodest Baptismus.* Sicuti etiam in peccatorum confessione consistebat, ut legimus in actis Apostol. cap. 19. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos*: & hæc generaliter erat, non autem singulatim de peccatis, ut sacramentalis, ex prædicto verbo; *Annunciantes actus suos*, sicuti exponunt interpretes. Requirebatur etiam Jejunium in Baptizandis; Clemens in constitution. Apostol. lib. 7. cap. 23. ibi: *Ante Baptismum jejunet, qui est baptizandus.*

Abstinere quoque debent à legitimis uxoribus: sanctus Hieronymus, Epistola 83. ad Ocean. ibi: *Audiant Catechumeni, qui fidei sunt candidati, ne uxores ducant ante Baptisma, ne honesta jungant matrimonia.* Concilium Carthaginens. 4. cap. 86. habet: *Neophyti aliquamdiu à lautioribus epulis, & spectaculis, & conjugibus abstineant.* Accedant ad prædictam pœnitentiam, Catechumenorum orationes, jejunia, & similia. Tertull. lib. de Baptism. cap. 29. *Ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & privilegiis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, &c.* Similiter hortatur Nazianzenus orat. 40. in sanct. lavacrum. Nudis quoq; pedibus incedebant Catechumeni. Augustinus lib. 4. de symbol. ad Catechumenos, cap. 1. *Omnia Sacramenta, quæ acta sunt, & aguntur in vobis, exorcismis, orationibus, inclinatione cervicum, humilitate pedum, &c.*

Symbo-

Symbolum Fidei tradebatur baptizandis in die Palmarum Dominica. Isidorus Hispalens. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 27. de Dominica Palmarum, ibi: *Hoc autem die symbolum Competentibus traditur propter confinem Dominicæ Paschæ solennitatem; ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, quam confiteantur, agnoscant.* Albin. de divin. offic. cap. de Dominica Palmarum: *Pascha petitum, sive Competentium dicitur, quia hodie symbolum Competentibus tradebatur propter confinem Dominicæ Paschæ solennitatem.* S. Augustinus, serm. 116. de Dominica Palmarum, & alibi idem asserit.

De Symbolo.

In Gallia, & Hispania fuit olim mos lavandi capita baptizandis in Dominica Palmarum; & propterea dicta dies nuncupabatur Capitilavium, quia tunc lavabantur capita Competentium, qui ungendi erant, ne forte observatione Quadragesimæ sordidata accederent ad unctionem. Isidorus libr. 1. Eccles. offic. cap. 27. de Dominica Palmarum, Albinus de divin. offic. cap. de Dominica Palmarum. Non solum infantibus, verum & adultis capita lavabant. Pamelius in Tertullian. de Baptismo, Filsaceus de Quadragesima, cap. 14. Hæc consuetudo duravit in Ecclesiis Galliæ, & Hispaniæ; donec anno 813. in Concilio Maguntino secundo derogatum est, ut nemo amplius capitis ablutionem adhiberet: tum ne ab Ecclesia Romana dissentiret; tum ut offendendi occasionem demeret iis, qui illam ablutionem Baptismum esse rati, verum salutareque Baptisma respuebant.

De lavando capite.

Oratio Dominicalis exponebatur baptizandis feria secunda post Dominicam Palmarum. S. Augustinus homil. 42. de commendatione orationis Dominicæ.

Oratio Dominicalis.

Mos quoque fuit Mediolani, & in aliis Regionibus, abluendi pedes eorum, qui erant baptizandi. Sanctus Ambrosius lib. 3. de Sacrament. cap. 1. & lib. de initiandis, cap. 6. referens talem consuetudinem à sancto Petro habuisse originem. Meminit etiam ejusdem consuetudinis sanctus Augustinus, epist. 118. ad Januar. Et de tali consuetudine vide latè, quæ scripsit Joseph Vicecomes de antiquo baptizandi ritu, lib. 3. cap. 17. cum sequent.

Pedum ablutio.

Ultimus gradus eorum, qui baptizandi erant, Electi fuere, qui differebant à Catechumenis, & Competentibus: quoniam Electi non dicebantur nisi eo die, quo baptizabantur, ut scripsit Siricius Papa, epist. 1. ad Himerion. Tarraconens. cap. 2. Item ex Ordine Romano habetur, quod die Sabbati sancti, quo baptizabantur, Electorum nomine sic nuncupabantur: Orate Electi.

De Electis.

Origo Electorum pendebat ex scrutiniis, quod in eis de fide, & moribus inquireretur. Rupert. Abb. de Divin. offic. cap. 18. ibi. *Quarta ergo feria novæ Ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur Scrutinia: Scrutinia verò dicuntur à scrutando, quin perscrutandum erat in his, qui accedebant, ne qua radix amaritudinis subesset, velut fuit in Simone Mago.* Scrutinia Apostolorum tempore non fuerunt, quia tunc certa Baptismo tempora nondum statuta fuerant, ut propterea scrutinia celebrare opus fuerit. VValfridus de rebus Eccles. cap. 26. ait. *Alii addiderunt in Baptismatis Sacramento exorcismos, alii consecrationem Fontis, alii salis, alii Catechumenorum instructionem, alii Scrutinia ad tantum Mysterium præparationis*

De Scrutinio.

statuerunt. In scrutiniis perquirebantur diligenter voluntas, & opera baptizandi: Albinus de Divin. offic. cap. de Sabbato sancto Paschæ. *Tunc fiunt scrutinia, ut exploretur certius, an post renunciationem Satanæ, sacra verba datæ fidei radicitus corde defixerit.* Et idem asseritur in Concilio Braccharen. 2. cap. 1. Ferebant suffragia in prædictis scrutiniis, non solum Clerici, verum etiam Populus: sanctus August. lib. 2. de Symbol. ad Catechum. ferè initio ibi; *In conspectu totius Ecclesiæ.* Quibus verbis etiam laici comprehenduntur. Scrutinia prædicta septem numero fuere. Albinus de divin. offic. cap. 19. de Sabbato sancto Paschæ ibi: *Neque hoc omittendum est, quod Romani infra Quadragesimam sex scrutinia celebrant, & hodie septimum: in isto septenario intelliguntur Dona S. Spiritus in baptismate data.* Idem Rupertus Abbas lib. 4. de divinis offic. cap. 20. Quorum septem scrutiniorum erat majus in Feria quarta ante Dominicam Passionis: & quare illo die? Vide Rupertum Abb. lib. 4. cap. 19.

Fiebant quoque scrutinia publicè in Ecclesia, non autem in privatis domibus. Rupert. Abbas, dicto cap. 20. ubi etiam subdit, quod scrutinium futurum in præcedenti baptizandis indicebatur. Conficiebantur autem scrutinia hisce ceremoniis: ut primo recitarentur nomina singulorum Baptizandorum: Deinde ad morum, & fidei disquisitionem animum intendebant, ac etiam in iisdem fidei rudimenta quandoque explicabant. His peractis Diaconus imperabat quinquies humi sterni, & totidem vicibus surgere; ut quinque Christi plagas frequenti memoria recoleret: successive à susceptore, vel susceptricè unà cum Acolytho signum crucis in fronte imprimebatur. Ultima ceremonia, Cineris consecrati à sacerdote aspersio, ut ex Ordine Romano cap. de denunciatione scrutinii ad Electos. Vide de his omnibus latè Josephum Vicecomitem de antiquo baptizandi ritu, lib. 3. cap. 25. & nota quod ubi agebantur scrutinia, propriè quoque Collectæ pro Catechumenis dicebantur. Rupert. Abb. de Divin. offic. lib. 4. cap. 21. Infantes etiam subdebantur scrutinio, non ut fidei, & morum rationem sacerdotibus redderent; sed ut ceremoniis & ritibus, præsertim exorcismo, lustrarentur; ut ex Ordine Romano in denunciatione scrutinii ad Electos, ibi: *Quarta feria hora tertia scribantur nomina infantium, vel eorum, qui ipsos suscepturi sunt: & Diaconus clamet dicens; Catechumeni procedant: & vocentur ipsi infantes per nomina, vel ordinem, sicut scripti sunt: eodem die instruantur: item benedictio cineris ad eos, qui scrutinia sunt habituri, & baptizari desiderant.* Scrutinia omnibus baptizari volentibus necessaria erant: Strabo de rebus Eccles. cap. 26. ibi: *Alii scrutinia diligentissimè ad tantum Mysterium præparationis statuerunt.* Ea tamen necessitas, sive usus, postmodum ab Ecclesia sublatus est circa annum Domini 860. Imperantibus Ludovico, & Lothario: Quoniam posteriores scriptores omnes eam consuetudinem nuspiam sua ætate cognoverunt; & Rupertum Abbatem, nec non Ugonem in præterito tempore, *Fiebat, erat*, vel similia loquutos esse patet.

De ornatu Ecclesiæ.

Expletis ritibus, qui præcedebant Baptismum: subsequuntur modo, qui in Baptismo ministrando, vel paulo ante servabantur. At primum fuit Christianorum studium,

ſtudium, baptiſmi die, Eccleſiam Periſtromatis ornatam eſſe, Balſama, & odores, Incenſa, & varios cereos, & lychnos accendi conſueviſſe; Gregorius Turonenſ. lib. 2. hiſtor. Francorum, dum Clodovæi Regis baptiſmum recenſet. Et hæc non in ſolò baptiſmo Regum, & Principum; ſed & cæterorum, ut ex Ordine Romano, titulo de Sabbato; ubi celebrandi Baptiſmi modum præſcribit. *Sabbati verò die ſancto, ac ſolenniſſimo, primo mane ornetur Eccleſia cum omnibus utenſilibus ſuis, &c.*

Oblatio ſacerdoti. Fuit jam in Eccleſia receptum, ut qui baptizarentur, pecuniam, vel alia munera ſacerdotibus darent: quod etiam de inopibus accipiendum eſſe, tradit Nazianzenus orat. 40. in ſanct. Baptiſm. ubi etiam Nicetas ait, quod talis oblatio non eſſet definita, ſed pro cujuſcunque arbitrio; & illa pro neceſſitatibus Eccleſiæ, & miniſtrorum inſerviebat.

De Litaniis. Ante Baptiſmum, & in Baptiſmo Litaniæ dicebantur. Albinus de divinis officiis, cap. 19. de Sabbato ſancto ſic ait. *Euntes ad Fontes, canant litanias, per tantummodo repetendo: ſequitur conſecratio Fontis, &c.* & cap. 25. de Vigil. Pentecoſtes ibi: *Finitis lectionibus, deſcendendum eſt ad Fontes cum ſancto Chriſmate, & cereis, in magna reverentia, decantando Litaniam.* Idem Fortunatus lib. 1. de divinis officiis, cap. 28. Similiter dicebantur lectiones, & orationes variæ Baptiſmi neceſſitatem, & dignitatem indicantes, ut ex ſancto Gregorio Magno, lib. de ſacrament. titulo de Sabbato Paſchæ.

De forma. De forma Baptiſmi, qualis primis temporibus fuerit: quamvis aliqui Authores diſcrepent, & velint, quod Apoſtoli, cum maximè intenderent Chriſti Divinitatem barbaris nationibus ſuadere, in ejus nomine Baptiſmi ſacramentum adminiſtraſſent, non quidem quaſi ea legitima & vulgaris forma eſſet; verum ex divina diſpenſatione; quæ rerum formas pro rei opportunitate commutat, ut ex actis Apoſtol. cap. 2. 8. 10. 11. & 19. ubi Baptiſmus: *In nomine Chriſti*, aut, *In nomine Domini Jeſu*, collatus perhibetur. Item Paulus ad Roman. 6. *Ignoratis fratres, quicunque baptizati ſumus in Chriſto.* Alii autem putant in Chriſti nomine Trinitatem implicitè comprehendi; quoniam nomine Chriſti ſimul Patris perſonam, à quo unctus eſt, & Spiritum ſanctum, quo unctus ſignificatur. Sed veriſſima eſt opinio Baptiſmi formam cum expreſſis, & diſtinctis trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, hoc eſt Patris, Filii, & Spiritus ſancti nominibus ſemper fuiſſe; cum ita à Domino Apoſtolis præceptum fuerit, Matth. ult. Nec illos, neque ſucceſſores eorundem à communi forma diſceſſiſſe, ut ex conſtitut. Apoſtol. lib. 3. cap. 16. & lib. 7. cap. 23. Pelagius, cap. ſi revera de conſecrat. diſt. 4. cap. in ſynodo, eadem diſtinct. Quin immo Catholica Eccleſia divinitus edocta optimè intellexit non virtutem, aut fidem indicari, ſed tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis diſtinctè nominandas eſſe, & Chriſtus hanc formam baptizandi Apoſtolos voluit docere: Si Juſtinus Martyr. Apolog. 2. pro Chriſtianis ad finem, Joann. Chryſoſtom. homilia 16. ad Roman. & Fulgentius lib. de Incarnatione, cap. 11. Ad contrarios auctores poſſemus reſpondere; Chriſti, aut Jeſu, aut Jeſu Chriſti nomen, aliquandiu appoſitum fuiſſe; addito item Domini noſtri, ſed non omiſſo Patris, & Spiritus ſancti nomine, hac forma: Ego te baptizo

in Nomine Patris, & Filii ejus Domini nostri, & Spiritus sancti, &c. Atque hanc sententiam Actorum, & sancti Pauli subesse, B. Cyprianus testatur epistol. 73. ad Jubajanum; S. Fulgentius de Incarnatione, & Gratia, cap. 11. & sequitur Cardinalis Baronius anno 34. & ibidem Spond. in epit. num. 70. Respondetur etiam, Christi nomen, nihil aliud, quam institutionem significare; hoc est Baptismo Christi initiari, quia antea solo Joannis Baptismo fuerant initiati; ita ut nominis expressio in illis verbis, ad Baptizandos, non ad Baptizantes referri debeat. Dicimus etiam, quod in Christi nomine vis efficiendi ejus intelligitur; ut sensus sit Baptismum, sicut & cætera Sacramenta, suum robur à Christo accepisse. Aut demum in Christum baptizati esse dicimur, quod ita simus baptizati, ut in Christum cooptati simus; & capiti tanquam membra copulati.

De immersione. Nota quod Græci non attribuunt actum Baptismi Ministris, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes: Ego sum Pauli, ego sum Cephæ: & ideo dicunt: *Baptizetur servus Christi N. in nomine Patris, &c.* Et quia exprimitur actus exercitus per Ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum. Quod autem additur *Ego* in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad majorem expressionem intentionis. D. Thom. part. 3. quæst. 66. art. 5. in corpore.

Priscis temporibus Baptismus solum per immersionem fuit in usu, non autem per infusionem, vel aspersionem; hoc etenim patet ex verbis Domini nostri, cum Apostolis præcepit, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* verbo *Baptizantes* mersionem intellexisse, ut ex sancto Chrysostomo, homilia de fide in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ibi: *Omnibus Mysteriis veluti sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ, unum Baptisma Discipulis suis tradidit, dicens; Euntes, docete, &c.* Item in cap. multi sunt, de consecrat. dist. 4. ibi: *Trina mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Et adeo necessaria trina immersio, ut aliqui Patres dubitaverint: num Baptismus aspersionis, & infusionis esset legitimus, etiam in casu necessitatis? ut facit Magnus apud sanctum Cyprianum epist. 76. Et quamvis in actis Apostol. cap. 2. dicatur, sanctum Petrum uno die tria millia hominum baptizasse; ex quo videtur, quod aquæ aspersionem adhibuerit: Dicimus tamen, quod dies æstiva, qua Petrus baptizavit, trium millium mersioni fuisset sufficiens; præsertim cum tempore Apostolorum multæ solennitates Baptismi non essent in usu. Præterea Baptizandos, rectos, & stantes mergi solitos, totumqne hominis corpus in aquam mersum esse: Joseph Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus lib. 4. cap. 7. Consuetudo mergendi totum corpus in Baptismo duravit usque ad tempora sancti Gregorii, ex Pamelio in epistolam 76. sancti Cypriani. Consuetudo levis tinctionis cœpit in Ecclesia occidentali circiter annum 875. ob teneritatem infantum, cum jam rarissimus esset adultorum Baptismus, ut ex allegato cap. 7. in fine de antiquis Baptismi ritibus. Unicané, an trina mersio fieret? utroque modo quondam in Ecclesia verè Baptismum confectum esse, ex D. Gregor. epist. 41. ad Leandrum lib. 1. & Concil. Toletano

Toletano 4. cap. 5. Et quamvis trina mersio ex Apostolica traditione, diu in Ecclesia servata, sanctus Basilius de Spiritu sancto, cap. 27. can. 5. multi sunt, de consecrat. distinct. 4. Idem testantur Dionysius Areopagita de Baptismo, Tertullian. de corona milit. Ambros. lib. 2. de Sacrament. cap. 7. Nihilominus, quia postea aliquorum hæresis supponebat tres Naturas Divinas in tribus Personis ex præfata trina mersione; visum est Divo Gregorio Magno, quod ex hoc unica mersio fieret, ut ex dicto Gregorio, epist. 41. ad Leandrum, & dicto cap. 5. Concil. Toletani 4. Strabo de rebus Eccles. cap. 26. Quibus addo, quod in singulis mersionibus nomen trium Personarum proferebatur, ita Tertullian. lib. adversus Praxeam, cap. 16. S. Damasc. epist. de Trisagio. Baptismalis mersio in modum Crucis effingebatur; ut significaretur, à Christi morte, quæ in Crucis signo peracta est, humanæ redemptionis merita profluisse: sanctus Augustinus, serm. 119. ad Competentes ibi: *Lancea perforatum est latus Christi, & manavit pretium nostrum: ideo signo Christi signatur Baptismus, id est aqua, ubi tingimini.* S. Chrysostomus, homil. 55. in cap. 16. Matth.

De nuditate.

Nudi Baptizandi ad Baptismum accedebant, Dionys. Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo, ibi: *Cum planè vestes Ministri detraxerint, tunc Sacerdotes sacrum unctionis Oleum offerunt*; Sanctus Ambrosius sermon. 10. ibi: *Nudi accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque & expediti ad Cœli januam properemus. Quam autem incongruum est, ut quem nudum Mater genuit, nudum suscipit Ecclesia; dives velit intrare in Cœlum?* Et hoc adeo verum, quod in Baptismo etiam partes obscœnæ vestibus carerent: Metaphrastes in vita sancti Sylvestri de Constantino, ibi: *Hæc cum audisset Imperator, & latus probrum carnis subjecisset oculis, & unctus fuisset sancto Chrismate: ingressus est Piscinam.* Vicecomes dicto tractatu de antiquis Baptismi ritibus lib. 4. cap. 10. Quod autem adulti nudi baptizarentur, præter exemplum Constantini Magni ex Metaphraste, & Surio alleg. Etiam Magnus Basilius sine veste sacro Baptismate lustratus fuit, ut scribit in ejus vita Amphilochius. Similiter etiam de infantibus, quod nudi baptizarentur, patet ex Ordine Romano, cap. de Sabbato sancto Paschæ. ibi: *Pontifex cum egreditur à Fonte in sacrarium, & cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* Ipsas etiam mulieres nudas ad Baptismum accessisse, ex sancto Chrysostomo, epistola ad Innocent. Papam, quæ in vita ipsius per Palladium scripta circumfertur, ibi: *Mulieres, quæ intra Ecclesiam, ut baptizarentur, sese veste nudaverant, per idem tempus nudæ surgebant: neque sexus verecundiæ, & honestati permittebantur præ pavore consulere.* Pariter constituti in carcere nudi baptizabantur, quamvis esset timor sævientis persecutionis; ut de Aproniano, cum à Sisinio Diacono baptizatus est: ut in vita sancti Marcelli apud Surium. Item infirmi, ac debiles, etiam cum propinquæ mortis periculo, nudi baptizabantur, ut antiqui manuscripti Codices de gestis sancti Sebastiani apud Surium, ubi de Tranquillino, qui manuum, pedumque dolore magnopere distractus, à S. Polycarpo nudus baptizari voluit. Causa cur nudi baptizarentur? ut Christi similitudinem, qui pro nobis passus est, quantum

humana imbecillitas patitur, in nobis mutuò exprimeremus; ex S. Cyrillo Hierosolymitano, Catech. 2. Mystag. sic habetur: *Atque ita exuti eratis nudi; imitantes & in hoc eum, qui in Cruce nudatus fuerat, Christum.* Secundo, placuit ad Baptismum nudos accedere eodem habitu, quo Adam ante peccatum fuit, ex Cyrillo dicta Catech. secunda: *O rem admirandam: Nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat: re vera enim in hoc Adam ferebatis exemplum, qui nudus in Paradiso fuit, & tamen nullo officiebatur pudore.* Duravit autem prædicta consuetudo baptizandi nudos, usquequo malitia ad cumulum aucta, propter flagitii periculum illa cessavit in Occidente plurimis in locis circa annum 1140. quamvis in Oriente, ac etiam diversis locis Occidentalibus adhuc perseveret, Joseph Vicecomes, lib. 4. cap. 13.

De jejunio. Qui baptizabantur, usque ad horam Vesperarum jejunabant. B. Linus de passione sancti Pauli ibi; *Sicque procurrente jejunio usque ad Vesperam baptizati sunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Atque hac jejunii lege etiam infantes obstrictos fuisse. Joannes Diaconus in vita sancti Gregorii: *Paschatis supervenit dies: & dum sacratissimo Sabbato, in quo omnes etiam parvuli baptizandi jejunant, ipse jejunare non posset, cœpit prius mœrore, quam infirmitate deficere.* Et hoc servatum, donec imbecilla puerorum ætate diuturno jejunio nimis afflictata, matutinum tempus suffectum fuit: de quo Synodus Coloniensis, cap. 15. Vicecomes dict. libr. 4. cap. 4.

De separatione. Mulieres seorsim à viris baptizari solitas: & viri ad dexteram prius baptizabantur, deinde fœminæ ad sinistram; Ordo Rom. cap. de Sabbato sancto, ibi: *Masculi in dexteram partem, fœminæ verò in sinistram. Deinde Presbyteri induentes se vestibus mundis, & candidis, ingrediuntur intro in Fontem, & baptizantur primò Masculi, deinde Fœminæ:* Albinus de divinis officiis, cap. de Sabbato sancto idem refert.

Nominabantur baptizandi. Baptizandorum nomina recitabantur à Clericis, & eo ordine, quo quisq; suum nomen detulerat, baptizabatur. Dionysius Areopagita de Baptismo, ibi: *Virum ad se portari jubet; cumque sacerdos aliquis ex tabula professionis, & eum, & sponsorem citat; hic quidem ad aquam à sponsoribus ducitur ad Hierarchæ manus, ab eis manuductus. Hierarcha autem in loco superiori stans, ter quidem illum demergit.* Ex quo etiam deducitur, quod Catechumenus manuducebatur ad Episcopum. Baptismo intererat Populus, & Clerus, ex Ordine Romano de Sabbato sancto, ibi: *Adstante omni Clero, & Populo in circuitu Fontis,* Albin. de divinis officiis, cap. 19. de Sabbato sancto, idem refert Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 2. Mystag. *O rem admirandam, nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat?*

Demum variæ orationes & lectiones cum Psalmis recitabantur in Baptismo, ut ex Albino citato refert etiam Vicecomes, cap. ult. lib. 4.

Absoluto Baptismo, statim minister baptizatis oscula figebat; sanctus Cyprianus, epist. 59. ad fid. Episcop. ubi idem refert prædictam osculandi consuetudinem extendi non solum ad adultos, verum ad infantes in primis partus eorum diebus.

Præter-

Præterea subdit etiam, quod oscula cum amplexu, atque in imo pede figebantur. Ex prædicto osculo innuebatur Pax & Gratia, quam baptizatus cum Christo, & Ecclesia inibat; sanctus Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 3. & epist. 33. & sanct. Bernard. serm. 2. super Cantica. Insuper ex dicto osculo affirmabatur cognatio spiritualis, quæ ministro cum iis, qui abluuntur, intercedit, Tertullian. de veland. Virgin. & cap. 6. apologet. Ambros. lib. 2. adversus Gentes; & idem Ambrosius, lib. 3. de Virgin. Baronius ad annum Christi 294. Vel saltem ad vulgarem salutandi ritum pertinuit, ut ex Marco cap. 10. Christus parvulos: Matth. 26. Judas Christum; Actorum 20. Christiani Paulum osculati sunt; & ab eodem Paulo ad Roman. 19. & 2. Corint. cap. 13.

De linteorum abstersione.

Deinde Minister baptizatum susceptori in manus dabat, à quo sinistro brachio fultum, ipse adhibitis linteis abstergeret; Albinus de divinis officiis, cap. 19. de Sabbato sancto Paschæ, ibi; *Ut autem surrexit à Fonte, suscipiatur ab ipso, à quo suscipiendus est.* Et paulò est: *Sunt parati, qui eos suscepturi sunt, cum linteis in manibus suis; deinde accipiunt eos à Pontifice, vel Diaconis, qui eos baptizaverunt.*

Congratulatio adstantium.

Interea, qui adstabant, novis Christianis omnium peccatorum indulgentiam gratulabantur. Hujus quoque meminit S. Hieronymus, lib. 3. adversus Pelagianos. *De Baptismatis Fonte surgentes, & regenerati in Dominum Salvatorem; impleto illo, quod de se scriptum est; Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, statim in prima Communione Corporis Christi dicunt; Et dimitte nobis debita nostra, &c.* Subsequebatur postea Cantus post Baptismum. Nicetas in sanctum Baptismum ait: *Quod post Baptismum ante altare collocaris, futuræ vitæ gloriam, & propinquitatem apud Deum indicat. Psalmodia lætum, & festivum illius sæculi sonum.* Nicephorus lib. 3. histor. Eccles. cap. 37. *Mysteria omnia absolverunt, & circum vicinum templum psallentes obambulabant.* Oratio autem illa interim religiosè fiebat à baptizatis, ut in constitut. Apostol. lib. 7. cap. 49. ibi; *Deinde adstans dicat orationem, quam nos docuit Dominus.* Et B. Eutichius Constantinopolitanus, de quo Surius 8. Nonas Aprilis inquit. *Narrabat enim vir optimus, cum ab Avo ad sacrum Baptismum ductus esset, ab eo didicisse, ut cum baptizatus genua esset flexurus, ita precaretur; Bonam mihi mentem Domine elargire, &c.* Tertullian. lib. de Baptism. cap. ult. &c.

De Chrismate.

Sacerdos item summum Baptizati verticem Chrismate ungebat: de cujus origine Silvester Papa, propter timorem imminentis mortis post Baptismum absente Episcopo: Damasus in Pontificali de Silvestro. *Hic & hoc constituit, ut Baptizatum liniat presbyter Chrismate levatum de aqua: propter occasionem transitus mortis, & propter absentiam Episcoporum necessitate addidit, ut à presbytero ungeretur.* Idem Rupertus Abbas de divinis officiis, cap. 16. Cujus unctionis instituendæ occasio refertur à Rabano lib. 1. de institut. Clericorum, cap. 28. ibi: *Bene quidem Baptismo continuatur Chrismatis unctio; quia Spiritus sanctus, qui per illud Chrisma suæ virtutis admixtione sanctificat credentes, baptizato Jesu statim super illum, in Columbæ specie descendit.* Præterea tali unctione ad pugnandum contra Dæmones baptizati invitabantur: sanctus Augustinus, tractat. 33. in Joannem inquit: *Christi nomen à Chrismate*

mate dictum, hoc est ab unctione: ideo autem nos unxit Christus, quia luctatores contra Diabolum fecit. Et insuper talis unctio signum lætitiæ fuit: sanctus Chrysostomus homilia ad Neophyt. scribit. *Ut scias nostrarum partium spectatorem; pervide, quomodo nos tanquam suos unxit oleo lætitiæ.* Sanctus Gregorius de feria quinta in Cœna Domini ait: *Cum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum.*

De Veste candida. Vestis candida dabatur ulterius Baptizatis; Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. Mystag. ait. *Exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundum spiritum albæ, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet.* Lactantius de Resurrectione Domini.

Candidus egreditur nitidis exercitus undis. &
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia Pastor habet.

Vestem candidam etiam infantibus datam, & aliis omnibus, Nissenus orat. 3. de festo Paschæ ait: *Puellus infans mutatione vestis sensu externo Festum colit, quandoquidem interiori animi sensu nondum potest.* Item Ado in vita sancti Hieronymi de eodem ait; *Hic natus in oppido Stridonis Patre Eusebio, vestem Christi Romæ puer suscepit.* Eamque dari solitam esse omnibus, quacunque dignitate præditi essent, Beda lib. 2. histor. Angl. de vita sancti Paulini Eboracensis, Baronius de Imperatore Arcadio ad annum 401. Quare autem daretur Baptizatis vestis candida? Primo, ut esset symbolum Innocentiæ, quæ in Baptismo confertur; Origenes homilia 12. in Exod. *Lota sunt vestimenta tua, cum venisti ad Baptismi gratiam, purificatus es corpore, purificatus es spiritu, mundatus es ab omni inquinamento carnis, & Spiritus.* Similiter vestis alba significabat spiritualem nativitatem, & resurrectionem futuram; sanctus Augustinus, serm. 163. de tempore ibi : *Ad hoc enim Dominus hodie resurrexit, ut imaginem nobis hodie futuræ resurrectionis ostenderet, & ideo hodie vitali lavacro resurgens Dei populus, ad instar resurrectionis, Ecclesiam nostram splendore nivei coloris illuminet.* Albinus de divinis officiis de Sabbato sancto Paschæ ait; *Albis induitur vestimentis propter gratiam regenerationis.* Et pariter dabatur Baptizatis vestis alba, ad indicandam libertatem à Dæmonis servitute. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in Procatech. inquit. *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma: captivitatis liberatio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, &c.* Et sanctus August. lib. 4. de symbol. ad Catechum. cap. 9.

Forma vetus dandæ vestis albæ, illa eadem semper fuit, qua nunc utimur, hoc est; *Accipe vestem candidam, & immaculatam, quam proferas sine macula ante tribunal Domini nostri JESU CHRISTI, ut habeas vitam æternam, Amen.* Gregor. Magn. de Sacrament. in ordine Baptismi infantium. Et idem ferè Ordo Rom. de divinis officiis tit. de Sabbato sancto. Materia vestis candidæ ex lino constabat; sanctus Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam inquit: *Præceptis Dei lavandi sumus, & cum parati ad indumentum Christi, tunicas pelliceas deposuerimus; nunc induemur veste linea, nihil in se mortis habente; sed tota candida: ut de Baptismo consurgentes cingamus lumbos veritate.* Idem refert Nicephorus lib. 3. histor. Eccles. cap. 37.

Hinc

Hinc infertur, quod vestis candida erat arcta, & adstricta cingulo; ac etiam corpus totum operiebat vestis alba, ex Tertullian. de Idololatr. cap. 18. & de oratione cap. 3. Fortunatus lib. 1. de Eccles. offic. cap. 27. ibi. *Quam ablutionem significant albæ vestes in Baptismate per totum corpus, &c.* Vestis alba plerumque à baptizatis deponebatur octava die: sanctus Augustinus serm. 157. de Dominica in octava Paschæ, ibi; *Paschalis solennitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie quoque Neophytorum habitus commutatur; ita tamen, ut candor, qui ex habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Fortunatus lib. 1. de Eccles. offic. cap. 28. & cap. 29. & alii passim. Ferendi autem vestem albam septem diebus ea causa fuit, ut septem Spiritus sancti Dona, quæ in Baptismo infunduntur, nobis indicentur. Ita Fortunatus lib. 4. de Eccles. offic. cap. 23. ibi; *Baptismalia sacramenta usque ad completionem dierum septem tendunt, quia septiformi Spiritu ditantur nuper baptizati.* Solam vestem candidam non aliam inferiorem baptizati ferebant; Vicecomes de antiquis Baptism. ritibus, lib. 5. cap. 14. Veste candida baptizati ab aliis exuebantur, Albinus epistola ad Carolum Magnum, ibi; *Cum alba tolluntur vestimenta à baptizatis*; Quamvis vestem albam fœminæ per se deponerent, ex Vicecomite, dict. cap. 14. Deponebatur quoque dicta vestis alba in Ecclesia, sive Baptisterio: Fortunatus de ordine antiphonarum, cap. 51. ibi; *Et hodie revertuntur ad Fontes, ut exuant se albis.* Ulterius vestem candidam, postquam deposita erat, aqua lustrali lotam fuisse; & post depositionem in Ecclesia relictam, Vicecomes d. lib. 5. cap. 15.

De S. Velam.

Mysticum, seu sacrum velamen dabatur baptizatis, Albinus de divinis officiis, cap. de Sabbato sancto, ibi; *Albis induitur vestimentis, propter gratiam regenerationis; tunc sacro Chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, ut intelligat se Diadema Regni, & Sacerdotii dignitatem portare.* Hinc agnosce mysticum velamen distingui à veste candida, ac etiam, quod illud Diadema, Regni, & Sacerdotii dignitatem denotet. Fuit etiam dictum velamen inventum ad conservandum Chrisma, Concilium Belluacens. cap. 121. ibi: *Si quis voluerit Chrismate pannum iterum linire, & super alium Baptismum mittere, non est absurdum.* Filum rubeum in mystico velamine insutum erat, ut Christi passionem indicaret, à qua omnis abluendi vis in Baptismum uti à Fonte; Durantus ration. divin. offic. lib. 6. cap. de Sabbato sancto. Et hoc velamen pariter octava die deponebatur. Ex D. Augustin. serm. 160. in Dominica octavæ Paschæ. *Hodie octavæ dicuntur infantium, revelata sunt capita eorum, quod est indicium libertatis.* Duravit velaminis usus usque ad tempora Ivonis Carnotensis de anno 1090. post quem Gossipio, vulgo Bombacio abstergi Chrisma Patres voluerunt, Vicecomes, d. lib. 5. cap. 17.

De Calceis.

Calcei post Baptismum dabantur: Ratio affertur à Ruperto Abbate lib. 7. cap. 1. cum de Baptismi ritibus agit, & ait; *Calceamenta namque de mortuis animalibus fiunt; & hæc manifesta Dominicæ mortis insignia sunt.* S. Gregorius exponens illud, *Calceamenta habebitis in pedibus*, inquit: *Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum vitam conspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire.*

Decem siliquæ olim dabantur Baptizato à Pontifice : & præter Ordinem Romanum in titulo de Sabbato sancto, idem refert Albinus de divinis officiis, cap. de Sabbato sancto sanctæ Paschæ ibi ; *Postquam autem vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum ; quibus dat singulis stolam candidam Chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur.* Hæc siliqua erat pecunia minimi valoris; & hæc à Pontifice dabatur forsan, ut tolleretur ea macula, quod Christiani res divinas pretio venales haberent.

De Cereo. Cerei accensi in manus Baptizati à Ministro dabantur : sanctus Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 1. Mystag. *Qui fidei lampades nuper accendistis, nunc non extinctas easdem manu tenendo custodite.* Ivo Carnotens. serm. de Sacrament. Neophyt. ibi. *Ad ultimum datur cereus ardens in manu baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent, &c.* Hinc disce, quod cereus dabatur, ut exemplo aliis prælucerent, ut idem consideravit Ugo Victorinus de Sacramentis, cap. 20. Significabat quoque cereus, Animam baptizati nuptias cum Christo contrahere, Cyrillus Hierosolymitanus Procatech. ad baptiz. ibi ; *Et sponsales lampades vobis donatæ.* Sicut quoque spiritualem denotabat, ut ex Nazianz. orat. 39. Cereum ferebant baptizati septem diebus, Albinus epistola ad Carolum Magnum ibi ; *Et per septem dies in Angelico castitatis habitu, & luminibus cœlestis claritatis sanctis assistere sacrificiis solent.* Et idem de divinis officiis, cap. de Sabbato in Albis, ibi : *Unde intelligitur ad nullos alios usus in quibuslibet locis eam debere accendi, nisi in recordatione luminis Spiritus sancti, dum itur ad Ecclesiam.* Cereus ferebatur à baptizatis, manibus suis, ut ex dicta epistola Albini ad Carolum Magnum. Demum cereus depositus in baptisterio in Ecclesiæ usum servabatur, ex Vicecomite de antiquis Baptismi ritibus lib. 5. cap. 25.

De Pace. Pax dabatur baptizato à Ministro, ex Auctore Ordinis Romani, titulo de Sabbato sancto in principio. Pacis nunciandæ post Baptismum fuit consuetudo abrogata 800. ferè ab hinc annis, quia pervulgata in totum orbem Christi fide, communionis signa præbere non erat necesse, ex dicto Vicecomite, cap. 29. lib. 5.

De loco edito. Baptizatus locabatur in loco edito ante sacrarium, ex Dionysio Areopagita de Baptism. ibi ; *Rursus ad prima, & potiora speculanda sustollitur.* Et de quodam baptizato, qui mortem Matris machinatus fuerat ingemens, sanctus Augustinus epist. 168. ad Eusebium, ibi : *Furens, & in maternum sanguinem fremens, albis vestibus candidatur, construitur intra cancellos eminens, atque conspicuus, & omnium gementium oculis matricidii meditator, &c.* Hinc vide, quod locus, in quo ponebantur baptizati, editus erat ; in eoque stabant recto corpore; ut ex D. Augustino citato, ibi ; *Eminens, atque conspicuus.* Causa verò collocandi ad altare in loco edito, fuit, ut à rebus humanis mens avocata ad cœlestium meditationem erigeretur, ut ex dicto loco Dionysii, ibi ; *Speculanda sustollitur.* Ex quibus verbis infertur etiam, quod ibi collocabantur ab aliis, non autem per seipsos; ut videlicet homines nihil recti viribus suis efficere posse significaretur : Et similiter Divus Augustinus dicta epistola

168.

168. citata. Prædicta consuetudo collocandi ad altare, quamvis etiam hodie continuetur in Oriente, fuit tamen jamdiu antiquata in Occidente, ex Vicecomite, dict. tract. lib. 5. cap. 27.

Baptizati in primitiva Ecclesia statim confirmabantur, Clem. I. Papa, epist. 4. inquit: *Omnibus ergo festinandum sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo: cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus.* Concilium Laodicenum, cap. 48. *Oportet baptizatos post Baptismum, Chrismatis quoque cœlestis, & Regni futuri participes fieri.* Adverte, à beato Sylvestro ductam esse consuetudinem duplicis Chrismatis usus. Primo, ungendi baptizatos Chrismate statim in vertice, ut diximus supra: Secundo, in fronte, quod pertinet ad Confirmationem: & de hac posteriori intellexit sanctus Cyprianus, epist. 73. ad Jubajanum, ibi: *Quod etiam nunc quoque apud nos quæritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Hoc quippe verbum idem importat, quod perficiantur, seu confirmentur, ut dixit sanctus Ambrosius, lib. 2. de Sacrament. cap. 2. ibi: *Post Fontem superest, ut perfectio fiat.* Adde Theodoretum ad cap. 1. Cantic. *Sacri Baptismatis mysterium recordare, in quo, qui initiatur, post Satanæ abnegationem, & Dei confessionem, veluti signo, ac nota quadam regia; spiritualis unguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie, invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt.* Quæ verba non de Chrismate in vertice accipienda sunt, sed de Confirmationis Sacramento, ut ex illis vocibus, *Signo, ac nota*, quæ soli Confirmationi tribuuntur: quod patet, cum baptizatis necessaria sit Confirmatio statim post Baptismum: ex Concilio Laodiceno cap 48. ibi: *Oportet baptizatos post Baptismum, Chrismatis quoque cœlestis, & Regni futuri participes fieri.* Et hujusmodi consuetudo extendebatur, ut etiam baptizati absente Episcopo, ab eodem postmodum confirmarentur, ut in Actis sancti Marcelli legitur. *Apronianus respondit, Credo: & Sisinnius Diaconus dixit ei; Illuminet te Christus: Et elevavit eum de pelvi, & duxit eum ad sanctum Marcellum Episcopum, qui eum Chrismate consignavit.* Et quod Episcopi circumirent minores Urbes, sacræ confirmationis nuper baptizatis conferendæ causa, refert sanctus Hieronymus, lib. adversus Luciferian. ibi: *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per presbyteros, & diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat.*

De Confirmatione.

Non solum adultos, verum etiam infantes statim, post Baptismum confirmatos esse, sanctus Augustinus de Eccles. dogmat. ibi: *Si vero parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui illos offerunt juxta morem baptizandi; & sic manus impositione, & Chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur.* Simile habetur ex Ordine Romano inter Baptismi ceremonias de Sabbato sancto. Addimus prædictis, ut mos confirmandi post Baptismum fuerit in usu Apostolorum tempore, ex Actis Apostol. cap. 8. *Cum audissent Apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum descendissent, ora-*

Infantes confirmati.

verunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Et simile habetur c. 28. & Apost. ad Hebr. 6. ubi Ambros. Haymo, Anselmus, & alii. Quare autem statim post Baptismum celebraretur Confirmatio? Ut nimirum ex eo ad professionis Christianæ studia attentiores fieremus, ex Urbano I. Pap. epistola ad univers. Christ. ubi ait: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur, &c.* Affertur etiam alia ratio, quam refert Albinus de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancto Paschæ, ibi: *Per impositionem manus à summo Sacerdote, & septiformis gratiæ Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis.* Cessavit deinde successu temporis (& forsan imperante Carolo Magno) ritus confirmandi statim post Baptismum: Quoniam aucto fidelium numero, & Baptismo per singulas Parochias invecto, cum Episcopi tantam multitudinem uno die confirmare non valerent; cœptus est ritus, ut illi statis per annum diebus Diœcesin obeundo, eos, quibus opus erat, Chrismate confirmarent: & hoc in Occidentis Regionibus; etenim in Oriente vetus ritus ut plurimum perseverat, ex Vicecomite, dict. libr. 5. cap. 32.

De Pace. Baptizatis iterum dabatur Pax: Ordo Roman. de Sabbato sancto. *Pontifex tincto pollice in Chrismate, faciat Crucem in frontibus singulorum, dicendo, Confirmo &c. Pax vobis. Quibus expletis jussi incipiunt in Ecclesia Litaniam, Tertiam, & campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Missam.*

De Benedictione. Benedictio deinde impertiebatur Baptizatis. Tertullian. de Baptism. cap. 8. ait; *Dehinc manus imponitur, per Benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum, &c.*

De Missa. Missa quoque post Baptismum celebrabatur, ut ex citato Ordine Romano. Item Albinus de divinis officiis cap. 19. de Sabbato sancto Paschæ, ibi; *His finitis, pulsantur signa ad Missam publicam.*

De Eucharistia. Post Baptismum, peracto Missæ sacrificio dabatur statim Eucharistia. Clemens I. Papa, epistola 3. de officio Sacerdotis. *Baptizetur unusquisque in aquis perennibus nomine Trinæ Beatitudinis, perunctus oleo per orationem sanctificato; ut ita demum per hæc consecratus possit percipere de sanctis.* Et non est dubium, Sanctorum nomine Eucharistiam intelligi; & Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarch. cap. de Baptismo. *Is cum virum unguento insignivit, Eucharistiæ participem esse pronunciat.* Ritum Eucharistiæ suscipiendæ post Baptismum non solum adultis, verum etiam infantibus fuisse communem, ex sancto Anselmo in cap. 2. Lucæ, ibi: *Potest etiam puer iste, qui in templum introducitur, illos nunc significare, qui ad fidem venientes in Ecclesiam inducuntur, ut consuetudinem Legis observent; quia expleta in Baptismo purgatione, introducunt eos ad sanctum altare consecrandos Victima Divinæ Eucharistiæ.* Sed nota ex Hugone Victorino, lib. 1. de Sacramentis, c. 20. & ex Div. August. ad Bonifacium contra Hæresin Pelagianam: Quod pueri post Baptismum Eucharistiam solummodo sub specie vini sumebant. Secundo, Ugonis ætate vini usum in Christi sanguinis locum suffectum esse. Tertio, adultos sub utraque specie Eucharistiæ cibo animum refecisse; & ex dicto Vicecomite lib. 5. cap. 36.

Coro-

Coronam impositam fuisse olim baptizatorum capiti, ex Nazianzeno, orat. 40. in sanctum Baptismum, ibi: *Baptismo consignare: hunc tibi vitæ socium, & familiarem adscisce, honore eum complectere, ut te ornet, capitique tuo gratiarum coronam nectat, & corona deliciarum te protegat.* Severus Alexandrinus lib. de Baptismo, scribit: *Et elevant baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, & sertis coronat eos sacerdos.* Et Paulo post: *Psallite hymnum Filio Dominatoris omnium, qui Regum Corona vos coronavit, &c.* Et idem refert sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in sua Procatech. cum baptizatos hortaretur. Imponebatur baptizatorum capiti Corona, tanquam lætitiæ Symbolum, uti Amoris index, & Regium, & Sacerdotale insigne, Tertullian. de corona militis, sanctus Cyprianus de lapsis, & aliis; ac etiam ut signum Victoriæ, Nazianzen. orat. 23. in laudem Heron.

De Corona.

Ab initio nascentis Ecclesiæ fuit consuetudo dare baptizatis Lac & Mel; ut ex sancto Petro, epist. 1. cap. 2. ibi: *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Quod nomen *infantes* pro baptizatis usurpatur, ex sancto Hieronym. in cap. 55. Isaiæ. Item Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagog. cap. 6. latè Tertullian. de corona militis, cap. 3. ubi de Baptismi ceremoniis inquit: *Deinde ter mergitamur, inde suscepti lactis, & mellis societatem prægustamus.* Et idem lib. 1. adversus Marcionem cap. 14. ait: *Sed ille quidem usque nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos ungit; nec lactis, & mellis societatem, quo suos infantat; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat.* Ubi significantur Baptismi ceremoniæ, & sanctus Hieronymus adversus Lucif. ibi: *Veluti in lavacro ter caput mergitare; deinde egressos, lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* Quibus adde Auctorem de Ordine Romano de Sabbato sancto Paschæ, ubi refertur Benedictio lactis, & mellis. Dabatur lac & mel, ad significandam spiritualem infantiam, ut ex Clemente Alexandrino lib. 1. Pædag. cap. 6. Item ad significandam Dei misericordiam, & peccatorum remissionem, ac etiam Gratiam, & cœlestem Beatitudinem, ut ex Clemente, dict. cap. 6. allegato. Duravit prædicta consuetudo usque ad Ordinis Romani tempora anno 725. & adhuc observatur à Christianis Æthiopibus.

De lacte & melle.

Præbebant quoque Ministri Baptizatis lac & vinum dulce, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 6. ibi: *Porro autem miscetur quoque lac vino dulci.* Sanctus Hieronymus in explan. cap. 55. Isaiæ ait: *Qui mos, ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum, lacque tribuatur.* Inhærentes forsan illi ad cap. 55. Isaiæ: *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, & comedite: venite, emite absque argento, & absque commutatione lac & mel.*

De lacte & vino.

Demum post Baptismum Concio habebatur, & Pax baptizatis impertiebatur. Severus Alexandrinus, lib. de Baptism. ibi; *Psallite hymnum Filio Dominatoris omnium, qui Regum Corona vos coronavit; peroptate eum, immutate vestimenta vestra, & candidi estote in modum nivis, ac in similitudinem Angelorum splendores vestros illuminate. Ite in Pace filii Baptismi. Diaconus; Ite in Pace.*

De eleemosynis. Expletis ceremoniis ad Baptiſmum pertinentibus, ſubnectam quoque de aliis quibusdam à baptizatis ſervari ſolitis. Et primò baptizati ſtipem copiosè in egenos conferebant, ex Act. Apoſt. cap. 4. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia ad pedes Apoſtolorum*; & ſimiliter cap. 5. de Anania.

De Convivio. Baptizati excipiebant convivio Miniſtros, & ſuſceptores, ex Nazianzeno orat. 40. in ſanctum Baptiſmum, qui inquit, quod non imminuatur de gratia Baptiſmi, ſi deſit ſplendida veſtis ad excipiendos initiatores, ubi expoſitio Nicetæ: *At inquies, munus parabo, ſplendidamque veſtem, quam poſt Baptiſmum induam, atque menſam, qua initiatorem meum excipiam. Ne hæc quidem neceſſaria ſunt, nec ſi ita præparatus non fueris, propterea Baptiſmi gratiæ quicquam decedet.* Succeſſu temporis prohibita, aut ſaltem moderata fuere prædicta convivia; ex Maguntina Synodo II. cap. 16. ibi: *Comeſſationes verò, & parum ſobria convivia, quæ quibusdam in locis poſt Baptiſmum fiunt, per civiles Magiſtratus inhiberi, aut ſaltem ad moderationem Chriſtianis dignam, reduci volumus.*

De lætitia. Lætitiæ ſigna præbebant Chriſtiani propter baptizatos. Tertull. de Baptiſm. cap. 20. ibi: *Ipſum Dominum poſt lavacrum ſtatim tentationes circumſteterunt, quadraginta diebus jejuniis functum. Ergo & nos, dicet aliquis, à lavacro potius jejunare oportet? & quis enim prohibet, niſi neceſſitas gaudii, & gratulatio ſalutis?* Sanctus Auguſtinus ſerm. 163. de tempore in die Paſchatis ibi: *Hic igitur eſt dies, quem fecit Dominus, celſior cunctis, lucidior univerſis; in quo ſibi novam plebem, ut ipſi videtis, regenerationis ſpiritu conquiſivit, in quo ſingulorum mentes gaudio, & exultatione perfudit.* Remanet adhuc veſtigium Gaudii propter baptizatos in octiduo Paſchæ. Rupertus Abbas de divinis offic. cap. 11. ibi; *Hoc alleluja, ſicut & reliquum hujus diei officium, maximè baptizatorum eſt exultatio; eo quod prima, ut dictum eſt, Reſurrectione jam conſurrexerunt cum Chriſto.* Auctor Ordinis Romani de Sabbato ſancto in die.

Denunciati Baptizati. Denunciatio baptizatorum prius ab Epiſcopo fiebat: ex Nazianzeno orat. 23. ibi: *Sed coram Deo, & Angelis, atque univerſo Eccleſiæ cœtu victorem proclamabo.* Poſtquam verò crevit dignitas Epiſcopalis, devolutum eſt munus prædictæ declamationis ad inferiores Clericos, & Notarium Regionarium. Auctor Ordinis Romani in Vigilia ſanctæ Paſchæ, ibi: *Die Reſurrectionis Dominicæ procedente Pontifice ad ſanctam Mariam cum Ordinibus ſuis; Notarius ſtat in loco, qui dicitur Merulanus, & ſalutato Pontifice, dicit: In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti baptizati ſunt externa nocte in ſancta Dei Genitrice Maria infantes maſculi numero tot, fœminæ tot. Et Papa reſpondebat: Deo gratias,* ut etiam refert Cencius Camerarius.

De Imagine Agni ex cera. Fuit conſuetudo dandi baptizatis in certa conſecrata imagines Agni cœleſtis. Guilielmus Durantus in ration. Divin. offic. & hodie Romæ peragitur ceremonia veteris conſuetudinis veſtigium: quod Dominico die, qui Paſchatis ſolennia ſubſequitur, dum Pontifex Agnos è cera ritè conſecrata fictos Domeſticis diſtribuit; Acolythus tunc alta voce clamat: *Domine, Domine, Domine, iſti ſunt Agni novelli, qui annun-*

annunciaverunt, Alleluja: modo venerunt ad Fontes, &c. De hoc patet, quoniam non ſolum Agnorum novellorum, hoc eſt nuper baptizatorum mentio eſt; verum quia etiam tunc Fontes, nempe Baptiſteria, nominantur; unde ſacras Agni Dei imagines in cœleſti lavacro baptizatis dari ſolitas eſſe, conſtabit. Quare autem baptizatis daretur prædicta cerea imago Divini Agni? Ut Baptizati intelligerent, ſe propter Agni Chriſti Domini acerbiſſimam mortem pro humano genere obitam, ſalutaribus Baptiſmi aquis ablutos fuiſſe, & ſtuderent ſe virtutum Chriſtianarum officia, & præcipuè manſuetudinem, quæ in Agno elucet, exemplo aliis prælucere.

De Anniverſario.

Apud antiquos Chriſti fideles ſolita fuit celebratio de Anniverſario die, quo quis fuerat baptizatus; & hæc dicebatur Illuminatio, ſeu de ſanctis Luminibus, de qua ſanctus Gregorius Nazianzenus, orat. 40. in ſanctum lavacrum, ibi: *Quoniam heri ſplendidam Luminum diem celebravimus, &c.* Et hæc ſolennitas à Gentibus fuit deſumpta, dum celebrabant diem nominalium, nempe in quo nomen ipſis fuerat impoſitum, ex Tertullian. de Idololatria, cap. 16. ibi: *Circa officia verò privatorum, & communium ſolennitatum; ut togæ, ut ſponſalium, ut nominalium: nullum putem periculum obſervari de ſtatu Idololatriæ, quæ intervenit.* Quod in hanc ſententiam exponit Pamelius.

Et poſtremo addimus, quod baptizati apud Miniſtrum per aliquot dies manebant, & erant in Eccleſia, ad hoc munus electi homines, qui recens baptizatos erudirent, ex ſancto Ambroſio in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. ibi: *Magiſtri verò exorciſtæ ſunt; quia in Eccleſia ipſi compeſcunt, & verberant inquietos; ſive ii, qui infantes ſolebant imbuere.* Ubi infantis nomen accipitur pro de recenti baptizato.

Et hæc de Baptiſmi Sacramento dicta ſint ſatis: ut noti ſint omnibus de illo priſcorum Fidelium ritus: necnon ejuſdem neceſſitas ad ſalutem; dicente Domino: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei,* Joann. 3. Et quamvis Chriſtus, qua hora ſanguinem, & aquam de latere ſuo profudit, eadem hora totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, quantacunque ab initio mundi usque in eandem horam conſecraverit, & ſemel ſimulque baptizaverit, ut ipſe Chriſtus apud Lucam 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur:* Sicque Latro in Cruce mortuus cum Chriſto, & cum eodem in paradiſum ingreſſus; & tamen non niſi in univerſali Eccleſia ſimul cum illo, qui de latere Domini effluxit flumine præſentaliter baptizatus eſt. Siquidem reſpondemus, ſolum Chriſti ſanguinem tunc profuiſſe ad ſalutem; quoniam ut Romana Leonis Papæ auctoritas ex Evangelica ſerie comprobat, baptizandi regula ante Paſſionem Domini data non fuerat, ſed poſt Paſſionem, & reſurrectionem ejus, ab eodem præſtita forma his verbis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* ut late Rupert. Abb. de Divin. offic. lib. 6. cap. 35.

CAP.

CAP. VI.

De triplici Christi Cœna, & primum de Legali.

ABsolutis veteribus Baptismi ritibus, prosequemur, quos in sanctissima Eucharistia, ac etiam in Missæ sacrificio veteres observabant: ad quorum majorem cognitionem præfabimur de triplici Christi cœna. Et quamvis unam tantum cœnam admittat Maldonatus in Matthæum 26. vers. 20. & partitionem cœnarum, *Legalis, Communis, & Eucharisticæ*, neget commodam esse, quia Legalis, & Tertia, non Cœna; sed Pascha, & Eucharistia dicendæ sint: Tamen cum Tertullianus ad uxorem, Chrysostomus homilia 82. in Matth. 26. & Marc. 14. Augustinus lib. 3. de consensu Evangel. cap. 1. distinguant; & Rituale Hebræorum secundam mensam cœnam nostram communem vocet; nos etiam hic agemus primum de Legali Cœna.

De Cœna Legali.

Quod igitur ad Legalem cœnam attinet: Hierosolymis tantum, & non alibi morem fuisse celebrandi, Deuteron. 16. *Non poteris immolare Phase in qualibet Urbium, quas Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Christum autem in civitate Hierosolymitana cœnasse: atque in ædibus cujusdam Petrus & Joannes locum impetrarunt; & si confusè nominetur, certum tamen Christus designat, ut Hieronymus notavit, Beda in Marcum 14. Hic allegoricus est, neminem nominari, ut se omnes ad novum Christi Pascha nominatos intelligant: Sed propiùs ad veri historicam similitudinem Euthymus accessit; Ne Judas cognita domo ad Judæos vitæ Christi insidiantes, locum referret; illique prævenirent tempus, quo ipse capi voluit. Voluerunt aliqui, fuisse dictam domum Joannis Evangelistæ, alii Josephi ab Arimathia, alii Simonis leprosi; sed quoniam de hoc non satis constat, procedamus ulterius.

Circa ritum institutionis Phase, præcepit Deus, quod cum ex Ægypto Israel excederet, servaret Pascha, ut legitur cap. 12. Exodi, & ordinavit, quod Agnum anniculum mactarent circa introitum, & ostium domus; & tunc excipiebant sanguinem illius pelvi, aut alio quopiam vase: tum accipiebant fasciculum hyssopi, intingebant in sanguinem adhuc calentem, & aspergebant super liminare ostii, & duas postes.

At quoniam mandarat Deus ut ad Agni ritum, etiam Hædum tollerent; quidam duplicem immolationem præceptam intelligunt. Verum tamen est, non de duplici immolatione præceptum Exodi 12. sed tantum innuitur, ut cui Agnus deesset, licuisset Hædum immolare illius loco: ita Theodoretus quæst. 14. in Exod. & ibidem Lyranus, & Tostatus.

Quare decima die Agnum jussi sunt accipere, quem tantum decima quarta immolabant? Putat Lyranus, quod in illis quatuor diebus explorarent; an in illo Agno, vel Hædo accepto esset aliqua macula, id est defectus, propter quem non deberet immolari, & sic de alio sibi providerent.

Qui

Qui ritè Agnum in Paschate faciebant, non adducebant agnos in templum, ut sacerdotes illos jugularent; sed qui immolabant, edebant; ut clarè legitur in dicto textu Exodi 12. ibi: *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & edent carnes nocte illa assas igne, &c.* & ita post alios Cardin. Bellarm. lib. 1. de Missa, cap. 7.

Cœnatores in Pascha, infra decem, esse non licuisse, ut refert Josephus. *Per singulas hostias contubernia non pauciorum, quam decem fiunt.*

Christi cœnæ, præter ipsum, duodecim interfuerunt, qui unà cœnabant; Christus scilicet, & Apostoli duodecim, quamvis alii plures ibidem interfuerint, ut refert Metaphrastes, oratione de vita Deiparæ, his verbis: *Videntur non abfuisse tempore Mysteriorum, sed cum Apostolis minimè accubuisse; fuisse tamen ejus domus participes: nam Christus discipulos habuit accumbentes, Matrem autem jussit curam gerere mulierum, quæ ipsi ministrabant, tanquam per eam eas excipiens, & cum eis vescens.* Vult ergo Matrem cum mulieribus iisdem in ædibus, ac eodem tempore, discretis tamen in cœnaculis, cœnasse.

Quo situ Christus cum Discipulis cœnaverit? Respondetur, quod in Paschali cœna Christus stetit; Ac in Communi, seu vulgari. At in Eucharistica accubuit, ex Augustin. de consensu Evangel. & in tract. 55. in Joannem, quo loco facit illam triplicem cœnæ divisionem.

Loti ad mensam adstiterunt, prout Christus dixit Petro: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.*

Quid ergo est Pascha? Transitus. Hinc Dorothæus Abb. doctrinal. 23. inquit; *Anima Christiana rectè celebrat, cum egreditur à cogitationibus Ægypti, hoc est à peccato. Quoties enim digreditur anima à peccato, toties Domino celebratur Phase.* Et nobis illum Christus stravit, sed cum ipse transivit. Eligius homilia 4. de cœna Domini: *Suo Paschate, id est transitu ex hoc mundo ad Patrem, nos de vitiis ad virtutem, de terrenis ad cœlestia transire docuit.* Modum, quem tenere debemus, docet Anselmus in Matth. 26. *Quicunque voluerit Pascha Domini celebrare, debet sequi Bajulum aquæ. Aqua significat gratiam Spiritus sancti: unde dictum est; De ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dicebat de Spiritu sancto.*

Agnum edebant in una domo plures. Cæsarius Arelatensis homilia 6. de Pascha. *Quid est in una domo? id est, in unitate Ecclesiæ, jubemur carnes ejus assumere. Ariani ergo, & diversæ Hæreticorum perversitates, non in una illum comedunt domo. Quare sicut in diluvio non est salvatus, nisi qui in Arca Noe fuit inventus; ita diversæ fidei homines extra Ecclesiæ domum non habentes Agnum, qui Christus est, salvi esse non possunt.*

Est autem hic Agnus Christi figura, ob simplicitatem, & innocentiam: cum ad lanienam trahitur, non vociferat; cum tondetur, non clamat, sic Christus per Isaiam 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Panis azymus unà debet comedi, ut præcepit lex Levitici 8. Eligius; *Edendæ sunt carnes istæ cum azymis panibus, & lactucis agrestibus. Azymum dicimus absque fermento; fermentum verò malitiam designat, & dolum. Absque fermento igitur Agnum comedimus, si sacram Eucharistiam sine malitia, dolo, & simulatione in sinceritate bonæ vitæ percipimus. Lactuca quoque agrestis valde amara est, & in viris luxuriam reprimit. Significat autem hoc, ut quando ad Corpus Christi, qui verus Agnus est, sumendum accedimus; quamvis de Redemptione lætemur, amaritudinem tamen ex recordatione peccatorum habeamus; ut dulcescat ex venia, quod amarescit ex pœnitentia.*

Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. B. Eligius homilia 14. *Agnum nostrum comesturi renes nostros accingamus, id est delectationes noxias, & carnalium desideriorum fluxa restringamus: calceamenta in pedibus habeamus, id est operum nostrorum gressus exemplis sanctorum Patrum muniamus: Et baculos opus est manibus teneamus, ut in cunctis, quæ agimus, timorem Dei vivum præ oculis tenentes, secundum ipsum opera nostra dirigi postulemus. Nec prætereundum, quod dicitur, Comedetis festinanter: Festinantes namque Pascha comedimus, cum nos hic non habere certam mansionem recolentes, quotidie de festinanti, & jam jamque imminenti fine suspendimur, assiduè meditantes, quoniam incolæ super terram, & peregrini simus, &c.*

Caput cum pedibus vorandum. Cæsarius Arelatensis, homilia 6. de Pascha: *Ut Deum, & hominem puri confessione veneremur: caput accipiamus de eo, quod dicit B. Joannes; In principio erat Verbum: Pedes verò de eo, quod Apostolus scribit; Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, &c. Oportet ergo, ut hujus nostri Agni carnalibus succinctis lumbis, id est mortificatis carnalibus passionibus, cum summa cordis, & corporis puritate vescamur caput cum pedibus; id est & ex Deo genitum credamus, & ex homine procreatum.*

Ossa comburenda igni. Gregor. Nissenus de vita Moysis inquit; *Duo esse præceptorum genera: nam alia ejusmodi sunt, ut possibile sit ea nobis planè intelligere, probabilemque de ipsis rationem reddere: Hæc neque coactè, neque ignaviter pertractare debemus, sed ut ad bonam nobis hic cibus valetudinem animæ prodesse possit. Alia sic latent, ut duriora sint, quam ut planè intelligere, vel reddere rationem queamus: ut si quæreres, quænam sit substantia Dei? Quæ sit necessitas eorum, quæ sunt? aliaque plurima. Hæc omnia Spiritui sancto relinquemus, qui Dei profunda investigat, & scit. Nam ignis in sacris litteris, plerumque pro Spiritu sancto ponitur.*

Uterque postis oblinendus sanguine Agni; Gaudentius serm. 6. de manducatione Agni inquit: *Habemus in utrisque postibus, scilicet in corde, & ore, salutarem Domini Passionem. Quomodo? sicut dicit Apostol. Roman. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Habemus in limine frontis, signum sanguinis Agni, ut non sinat exterminatorem Deus introire ad nos.*

CAP.

CAP. VII.

De Vulgari, seu Communi Cœna.

SEquitur altera Cœna, quæ Communis, seu Vulgaris vocatur. Et peracta prima Legali Cœna, in qua stantes erant, ad hanc secundam Christum cum Discipulis accubuisse, ferè omnes consentiunt. Chrysostomus homilia 82. in Matth. *Quomodo ii Pascha comedebant adversus legem recumbentes? Dicere possumus, quia postquam comederunt Pascha, ad cœnandum recubuerunt.* Theophilactus in 26. Matth. & Marcum 14. Dicimus itaque quod prius Pascha stans comederit, deinde recumbens tradidit suum Sacramentum. Primùm enim perfecit figuralia, deinde verum perficit: Ambrosius in 15. Lucæ, & Nonnus in Joannis 15. hoc idem refert Baron. in anno 34. ubi Spond. num. 12. Notandum, quod omnes duodecim de eodem vase in circuitu cum Domino sumebant in cœnaculo strato; quasi jacendo, more antiquo recumbentes.

Lecti stabant dispositi in Cœnaculo circum mensam, in quos illi positis soleis, loti, unctique cum cœnatoria veste ascendebant ad mensam accubituri. Ita Homer. Odyss.8. Et nos annotavimus in lib. de Roman. veter. Ritibus, cap. de Triclinio.

Singularis erat vestis, non una omnium, sed cuique sua. Martialis in Silam.

Ad cœnam venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur Pallia nostra tuis.

Proni deinde pectus pulvino fulti procumbebant in vestem: supini erant nonnunquam, & ritu sedentium erant aliquando, ex Martiale.

Languidus in cubitum jam se conviva reponat.

Pro pulvino Christo erat Joannes, Ambros. Luc. 15. *Nonne tibi videtur Christum cecidisse in collum Joannis, quando erat Joannes in sinu Jesu cervice recumbens reflexa? & ideo Verbum apud Deum vidit, qui erectus est ad superna.*

In Triclinio ex frequenti Romanorum usu dicemus, quinos accubuisse Apostolos utrinque ad mensam; ternos in capite, Christum, Joannem, & forsan Petrum: Joanni proximus in accubitu erat Petrus, qui alioqui in aurem quædam dicere Joanni non potuisset. Verisimilis hic ordo, & forma Mensæ, quæ non rotunda, sed quadrata; prout est videre Romæ in Laterano eandem illam, in qua Christus postremo cœnavit, à Vespasiano Romam transvectam inter tot alia pretiosa sacra; ut est traditio.

Cœna facta surgit Christus ab illa, Lyranus ibidem. *Non enim intelligendum est, quod esset totaliter completa, quia postea dicitur, cum recubuissent: sed erat facta quantum ad hoc, quod comederant Agnum Paschalem.* Augustinus tractatu 55. in Joannem. *Non ita debemus intelligere cœnam factam, veluti jam consummatam, atque transactam: adhuc enim cœnabatur, cum Dominus surrexit, & pedes lavit Discipulis*

ſuis; nam poſtea recubuit, & buccellam ſuo traditori poſtea dedit, utique cœna nondum finita; id eſt dum adhuc panis eſſet in menſa. Cœna ergo facta, dictum eſt, jam parata, & ad convivantium menſam, uſumque perducta.

Poſuit veſtimenta Chriſtus, & linteo ſe præcinxit. Hinc Cardinalis Viguerius Chorda 7. *Ponit veſtimenta ſua, non quidem omnia, ſed ſuperiora, ſive exteriora, quæ magiſtri ſpeciem præſeferrent, quaſi miniſtri perſonam ipſo habitu profeſſus eſt.*

Præcinctus mittit aquam in pelvim, & lavare cœpit pedes Diſcipulorum, Clemens conſtitutionum, cap. 19. *Cum enim accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde fudit aquam in pelvim, & nobis menſæ accumbentibus acceſſit ad nos, & noſtros omnium pedes lavit, & linteo terſit.* Et nota, quod menſæ accumbentibus loti pedes: Non ſurrexerunt ergo alii, ſed Chriſtus ſolus loco ſe moverit, ut ex Evangelio. Hanc demiſſionem tantam demiratus Coſmas Hieroſolymitanus hymno 6. exclamat. *Irretentibilem tenens, & altam in æthere aquam, abyſſos frænans, & maria retinens Dei ſapientia; aquam in pelvim jacit, pedes verò ſervorum lavat herus.*

Et quod omnium pedes, & quidem Judæ laverit, Auguſtinus tract. 55. in Joannem. *Illi non dedignatus eſt pedes lavare, cujus manus videbat in ſcelere.* & infra. *Paſſurus exitia, præmiſit obſequia, non ſolum pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem.*

Chriſto Petrus reſtitit dicens; *Non lavabis mihi pedes in æternum*; Beatus Auguſtinus exactè expendit. *Tu mihi? Quid eſt tu, quid eſt mihi? cogitanda ſunt potius, quam dicenda; ne fortè quod ex iis verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua.* Ambroſius Prologo in libr. 1. de Spiritu Sancto. *Extendantur pedes animorum noſtrorum: vult Dominus Jeſus & noſtros lavare pedes: non enim Petro ſoli, ſed unicuique dicit fideli; Niſi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem.*

Iterum recubuit à lotione, & verba habuit ad diſcipulos, &c. Poſtquam laverat pedes, & veſtes reſumpſerat, tanquam Rex ſacrorum in ſummo accumbit, teſtamentum conditurus; ubi occurrit de Jacob Patriarcha cogitare, Geneſis 49. qui ſub vitæ finem filios duodecim ad ſe vocarat, ut ſingulis benediceret, & olim futura nunciaret. *Vocavit autem Jacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, ut annunciem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis. Congregamini, & audite filii Jacob, audite Iſrael Patrem veſtrum, &c. Finitiſque mandatis, quibus filios inſtruebat, colligit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit, appoſituſque eſt ad populum ſuum.* Figura eſt de Chriſto, qui Diſcipulos ſuos duodecim convocarat, præmonuit de futuris; proditorem ſuum inter ipſos accumbere, diſpergendos omnes, negaturos, ſcandalum paſſuros, &c. Et pro Benedictione teſtamento corpus ſanguinemque ſuum iis reliquit; poſtmodum collectis pedibus ſuper lectulum Crucis expiravit.

Cum hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu, Joann. 13. *Quia unus ex vobis tradet me.* In amoribus Chriſto Judas erat, ut non niſi turbatus ſpiritu de illa ſacrilega deſi-

designatione quicquam potuerit eloqui, sed tantùm spiritu humano. Lyranus. *Hæc vero turbatio, quæ erat in parte sensitiva, non erat contraria rationi, sed magis conveniens:* idq; secundum Glossam: *Quia ex imperio rationis procedebat.* Hinc Augustinus tractatu 60. *Turbetur planè animus Christianus non miseria, sed misericordia: timeat, ne pereant homines Christo: contristetur, cum periit aliquis Christo.*

Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Quamvis aliqui culpent Christum, ac Judam liberent; eum, cum bonus esset, traditum juxta cœlestem cognitionem; Tertullian. præscript. cap. 47. & apud Epiphanium Hæresi 38. Nihilominus clarè patet, quod ipse Christum, Verbum, Sapientia, Veritas, dicit misero; *Væ, væ*; ergo pessimè sacrilegus fecit, cum magistrum Deum vendidit. Fatetur id ille ipse; *Peccavi tradens sanguinem justum.* Hinc se, & Judæos parricidii damnavit; ait Euthymius in Matth. cap. 67. *Et Christum injustè mori testatus est. Judæi item respondentes: Quid ad nos? tu videris: ejus testimonio subscripserunt, veritatemque, etsi inimici, confessi sunt.*

Occasionem proditioni dedit profusa Mariæ Magdalenæ liberalitas, quæ *Accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes illius capillis suis. Dixit ergo Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Hinc Euthymius cap. 62. in Evangelia: *Cum aliena est effecta Domestica Maria Magdalena; tum Domesticus alienatus est.* Et sanctus Antoninus part. 1. histor. *Unctio occasio accepta, non data.* Sed nota, quod non tunc præciso tempore de proditione cum Scribis convenit, sed feria pridie ante cœnam pacti sunt pecuniam illi dare; Clem. lib. 5. constit. cap. 13. Alcuin. de divin. offic. cap. 16. & est communis opio.

Proditorem nondum noverunt Apostoli, ergo & sibi metuentes cœperunt. *Dicere singulatim, Nunquid ego?* Tamen Judas, ut innocentiam contra conscientiam probaret. Hieronymus lib. 4. in Matth. *Cæteris contristatis, & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo; temeritate & impudentia, qua proditurus erat, manum cum Magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur.*

Et post buccellam intravit in eum Satanas. Hieron. in Matth. lib. 4. *Nec primo, nec secundo correptus à proditione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, & thesaurizat sibi iram in die iræ: pœna prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia.*

Quod facis, fac citius; cum Dæmon proditorem occupasset, & quasi eidem Dæmoni Christus loqueretur, ut loquitur Cyrillus in Joannem, cap. 17. *Opus, quod facere soles ò Diabole, fac citiùs. Prophetas occidisti, nemini à Deo misso pepercisti: veni ego post illos, &c.* Et Theophil. Alexandrinus lib 4. in Evangel. *Ostendo, horam passionis propria voluntate mihi imminere.*

CAP. VIII.

De Tertia Cœna Euchariſtica.

EX communi ſanctorum Patrum doctrina in hac Cœna panis azymus fuit appoſitus, quia in ſacro eloquio nunquam invenitur fermentum accipi in bonum, 1. Corinth. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Et iterum: *Expurgate vetus fermentum.* Et paulò poſt: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento nequitiæ, & malitiæ.* Et Matth. *Cavete à fermento Phariſæorum.* Contra verò, azymum ſumitur ſemper in bonam ſignificationem, ut apud Paulum. *Epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Azymo itaque utimur Chriſti imitatione, ſed & illo ex frumento lecto. Concilium Cojacenſe in Diœceſi Ovetenſi, ſub Ferdinando I. *Hoſtia ſit ex frumento ſano, & integro; vinum ſit mundum, & aqua munda; ita ut inter vinum, aquam, & hoſtiam, Trinitas ſit ſignificata.* Et pariter Humbertus Sylvæ candidæ inquit: *Romana Eccleſia à miniſtris ſacri Altaris offert azymum, ex grano frumenti, & limpida lympha per ignem præparatum.*

Chriſtus cùm accepiſſet panem in manus, oculis elevatis in cœlum Deo gratias pro donis egit; *Benedixit*: nobis in exemplum, ſi quando de beneficiis participemus, meminerimus Creatoris.

Deditque Diſcipulis ſuis. Judam autem proditorem excluſum fuiſſe cœna Euchariſtica; communior videtur opinio ſanctorum Patrum. Clemens Romanus, qui ait ſe cœnæ Euchariſticæ interfuiſſe, lib. 8. conſtitut. Apoſt. cap. 13. *Cùm autem tradidiſſet nobis myſteria pretioſi corporis, & ſanguinis abſente Juda.* Areopagita Hierarchiæ Eccleſiaſt. cap. 3. *Ipſe author ſymbolorum juſtiſſimè ſubtrahit eum qui non ſanctè, neque pari morum ſimilitudine ſacra concœnaverat.* Concœnaverat quippe Judas ſacra, id eſt Paſcha cum azymis, & lactucis; ſubtrahit à cœna Dominica, ſacroque ſuo corpore non impertit. Unde ſanctus Maximus ad dicta ſuperius Areopagitæ verba: *Judam intelligit, & ſignificat, quod illi imperticrit myſticum panem, & poculum: myſteria verò diſcipulis poſt Judam à cœna diſceſſum, quaſi coram indignus ille extiterit.* Hilarius can. 30. in Matth. *Poſt quæ Judas proditor indicatur, ſine quo Paſcha accepto calice, & fracto pane conficitur: dignus enim æternorum ſacramentorum non fuerat.* Innocentius Papa de ſacro altaris myſterio, lib. 4. cap. 13. cenſet nobiſcum ſentiendum omnino, ſcilicet ab Euchariſtia traditorem excluſum. Hanc opinionem latè firmat VVeringus de triplici Chriſti cœna p. 2. c. 8.

Chriſtus communicavit, & ſe ſibi impertiit. Baſilius in anaphora, de calice loquens: *Benedixit, ſanctificavit, ac guſtavit, & diviſit Diſcipulis ſuis.* Hieronymus ad Hedibiam, quæſt. 2. *Dominus Jeſus Chriſtus ipſe convivium; ipſe comedens, & qui comeditur.* & ſanctus Antoninus, part. 1. cap. 6. tit. 5. §. 2. *Facta conſecratione & ipſe ſacramentum ſumpſit; non quòd egeret, vel novum effectum gratiæ ex eo ſuſciperet; ſed ut exemplum illud accipiendi nobis præberet.*

Glorio-

Gloriosam Dei parentem communicasse putat Cardinalis Viguerius, idem putat Didacus de Vega, concione prima feriæ sextæ hebdomadæ sanctæ, Metaphrastes oratione de vita Deiparæ apud Surium 15. Augusti; quamvis sanctam Virginem Matrem, quasi seorsim Gynæceum instituisse diverso in cubiculo, & si eisdem in ædibus, ibique per Petrum à Christo missam sanctissimam Eucharistiam, cum sequacibus mulieribus suscepisse; Bertadius lib. 4. commentariorum lib. 1. cap. 17. & sequitur VValterius Veringus de triplici cœna, lib. 3. cap. 11.

HOC EST CORPUS MEUM.

Ex istis Christi verbis constat apertè, in sanctissima Eucharistia adesse Christi Corpus verè & realiter. Unde S. Basilius Christum in Eucharistia latentem alloquens inquit: *Qui supra cum Patre sedes, & hic invisibiliter nobiscum es.* Et sanctus Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Atque alibi: *Non regium puerum, sed ipsum unigenitum Dei Filium accipis.* Et Paschasius lib. de Instit. Sacram. explicans prædicta Christi verba, testatur neminem omninò fuisse Ecclesiæ Latinæ, Græcæ, & Barbaræ; modò se Christianum profiteretur; qui ausus sit negare Carnem Domini verè esse in Eucharistia. De qua quidem veritate carnis in Eucharistia etiam Lactantius lib. ultimo, inquit: *Interroga universos, qui Latinæ linguæ, nostrarumque Litterarum notitiam perceperunt; Interrogo Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscunque Christianos: uno ore hanc fidem se testabuntur habere.*

Sed ut primarium aliquem ex primis quinque sæculis afferam: Ignatius, Apostolorum Discipulus, inquit: *Panem Dei volo, panem cœlestem: quæ est caro Filii Dei.*

Ex secundo, Justinus Martyr, Apolog. 2. ad Antoninum Imp. de Eucharistia inquit: *Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum hæc sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatus Jesus Christus Salvator noster, & Carnem & Sanguinem pro salute nostra habuit; sic etiam vi Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Jesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.*

Ex tertio sæculo, S. Cyprianus serm. 15. de lapsis ait: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat; non effigie, sed natura mutatus: omnipotentia Verbi factus est Caro: & sicut in persona Christi Humanitas apparebat & latebat Divinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter se infundit essentia.*

Ex quarto, S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. inquit: *Cum Christus ipse sic affirmet, ac dicat de Pane: Hoc est Corpus meum: Quis deinceps audeat dubitare? Et eodem quoque confirmante, & dicente de Vino: Hic est Sanguis meus? Quis unquam dubitet ac dicat; Non esse illius sanguinem?*

Ex quinto denique sæculo, S. Joann. Chrysostomus prædictis omnibus subscribit in hæc verba: *O miraculum, ô Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis*

temporis articulo omnium manibus pertractatur; ac se seipsum tradit volentibus illum excipere & amplecti.

Reliquos sequentium sæculorum Patres, quos contra se stare Calvinus non negat, sedulò omitto: præsertim quia nemini generalium Conciliorum doctrina vel leviter erudito, ignotum est, Lateranense sub Innocentio III. celebratum, hoc habere in primo Decreto: *Christi corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis ac vini veraciter continentur.* Quod Viennense celebratum sub Clemente V. Constantiense sess. 13. inhærens Decreto Urbani IV. qui ejus mysterii Festum celebrari jussit, & Florentinum in Decreto de Unione cum Græcis, & in instructione, quam tradit Armeniorum: necnon & post alia sacrosancta Concilia hanc Catholicam veritatem præsentiæ corporis Christi in Eucharistia approbavit etiam Tridentina Synodus sess. 13. pluribus in locis.

Nihilominus circa annum 1030. Berengarius Archidiaconus Turonensis, primus sacrosanctæ Eucharistiæ oppugnator extitit; à Benedicto Nono Romano Pont. ignominia notatus: Idem deinde in Concilio Romæ habito sub Nicolao Secundo sacrilegum Eucharistiæ deposuit errorem: ut etiam aliis duobus sequentibus Conciliis abjecit. Exinde circa prædicta sanctissimæ consecrationis verba præcisis Hydriæ capitibus tot alia succrevêre; quot hic errores ad unam voculam seu syllabam sectatores inierunt; quorum paucos brevitati studens, solummodo hic recensebo.

Et quidem *Sacramentarii*, inter quos Zvinglius, Calvinus, Petrus Martyr, & alii, conantur interpretari verbum illud: *Est*; videlicet: *Hoc est Corpus meum*: Hoc significat corpus meum; vel, Hoc est *signum* corporis mei. Quod ex textu revincit Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 14. *Panis & vinum non corporis figura sunt, absit enim hoc; verum ipsummet Domini corpus Divinitate affectum; quippe cum Dominus ipse dixerit: Hoc est; non corporis signum, sed corpus: non sanguinis signum, sed sanguis.*

Alteram viam iniit Berengarius apud Aversanum, lib. 2. de veritate Eucharistiæ: *Qui risum tenere jam valeat audiens Berengarium ipsa Domini verba de Sacramentis interpretantem? Hoc inquam necessario panis est corpus meum; & hic calix necessario vinum. O impudentissima stultitia! Quæ est enim hic necessitas, ut subaudiatur tam necessario panis, & vinum; cum possit è contra congruè dici: Hoc subaudis corpus, jam non panis, est corpus meum: Et hic, subaudiatur potus, jam non vinum, est calix sanguinis mei?*

Simile figmentum voluit Lutherus, lib. Quod verba Domini firmiter stent, sub annum Domini 1527. quasi Christus dixerit: *Hoc est corpus meum: id est, Panis est corpus à me factum, creatumque.* Fatetur enim illic realiter contineri Christi corpus; sed non existimat panem inde recedere: & quamvis fateatur adesse Christi corpus realiter, negat tamen illud adorandum. Sed ad hoc responderi sufficiat, si illic panis & Christi corpus esset, non diceret Christus: *Hoc est corpus meum*; sed, Hic est corpus meum: Nec diceret, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; sed, in pane, quem

ego

ego dabo, caro mea est. Præfata opinio quamvis ridicula sit, habuit tamen sequaces, qui *Impanatores* nominantur: inter quos Joannes Campanus, Anno 1544. testatur confessionem. In eundem errorem lapsus erat olim Rupertus Abbas, lib. 2. de Divinis Officiis cap. 2. & 9. & alii multi Algeri ævo, ut iste lib. 1. testatur cap. 6. ibi: *Dicunt ita personaliter impanatum in panem Christum, sicut in carne humana personaliter incarnatum Deum.* Atque hæc videtur causa fuisse ut opera dicti Ruperti Abbatis, alioquin non mala nec indocta, jacuerint sine luce & honore in tenebris oblivionis annis circiter quadringentis: nam nostro primum tempore cœperunt lucem aspicere, ut refert Card. Bellarm. De scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1119.

Ugonoti, Protestantes, & cæteri *Calvinistæ*, nihil illic præter panem esse contendunt; quippe sedere à dextris Patris Christum; neque variis locis posse consistere: nec aliud ex consecratione resultare intendunt, quàm fieri commemorationem ipsius Christi; ac se per fidem manducare Dominicam carnem. Quibus verbis Calvinistæ Scripturæ sacræ, & Patrum sententias eludunt, qui testantur re ipsa Christi Carnem & Sanguinem sumi.

Successerunt *Ubiquitistæ*, qui Christum volebant ubique etiam in Inferno esse verè præsentem secundùm Corpus; nec magis in Pane Corpus Christi esse, quàm aliis in rebus. Ita Stapulensis in cap. 11. 1. ad Corinth. quia nempe Verbum Dei caro factum est: quod cum ubique sit, sequitur carnem ubique esse in omnibus locis, ut unam cum eo personam constituat. Cui argumento respondet Augustinus epistola 57. *Cavendum, ne ita Divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis destruamus: non est autem consequens, ut id, quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus: nam & de nobis Scriptura dicit, Quòd in illo vivimus, movemur, & sumus; nec tamen sicut ille ubique sumus: sed aliter ille homo in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam, & singulari modo. Una enim persona Deus est, & Homo est; & utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id, quod Deus est, in cœlo autem per id, quod Homo.*

Ex prædictis infertur; Quamvis Omnipotentia, Præsentia, & Essentia Majestatis suæ omnia repleat Deus, apud Hierem. cap. 23. *Cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus*, & Apost. ad Athenienses in Actis cap. 17. *In ipso movemur, vivimus, & sumus*: ita ut ubique idem audiat & exaudiat, ut in Psalm. 144. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum:* Nihilominus absque hæsitatione supponendum est, ut Catholica Fides nos instruit, quod quamvis ubique existat Deus majestate potentiæ; tamen non omnibus locis ostenditur Deus iisdem effectibus potentiæ & bonitatis suæ; & in Christo solum est Filius, & Verbum æternum, supponitans, & communicans suum esse personale, & Divinum illi naturæ humanæ sibi unitæ. Similiter reperitur in Cœlo, ut objectum beneficum: in Inferno exercens justitiam suam, ut etiam in Eucharistia verè, realiter, & sacramentaliter existit. Præterea Jesus Christus in propria persona quandoque est supra terram, ac semper in Cœlis ad dexteram Patris, ut in Psalm. 109. *Sede à dextris meis, &c.* & tamen suum corpus est, & pot-

est esse in diversis locis eodem tempore; ut continuò in sanctissima Eucharistia exercet; ut refert S. Chrysostomus lib. 3. De Sacerdotio sub initium tom. 5. supra adductus: cujus rationem communiter adducunt Theologi: Quoniam Identitas Sacrificii proveniens ex Identitate Victimæ, & principalis Sacrificatoris, est & erit semper in diversis locis eodem tempore absque diminutione ulla essentiæ suæ naturalis. Hoc idem inquit Basilius in Liturgia; *Veni ad satisfaciendum nos qui sursum Patri consides; & hic nobis invisibiliter coes: dignare manu forti dare nobis sanctum & intaminatum corpus tuum, & pretiosum Sanguinem, & per nos peccatores populo tuo.* Et magis dilucide Gregorius Nyssenus Orat. de Paschate: *Sicut divinitus replet mundum; & tamen unus Deus est; ita innumerabilibus locis consecratus, & tamen unum corpus est.* Et Chrysost. homil. 17. in cap. 19. ad Hebr. inquit: *Eundem enim semper offerunt, non nunc quidem alium, sed semper eundem: Quam ob rem unum est sacrificium, propter hanc rationem; Quoniam multis in locis offertur, multinè sunt Christi? nequaquam, sed unus est Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus; unum corpus, & non multa corpora; ita etiam unum est sacrificium.* Quamvis hæc admodum difficilia sint sensibus hominum; non est tamen impossibile apud Deum omne Verbum ex Angeli oraculo: utpotè si sit res, quæ rationi non repugnet, & quæ respondeat æternis Verbi Ideis, quod factum non est, & per quem omnia facta sunt: hujusmodi ea sunt, quæ non retinent in suis essentialibus conceptionibus aliquam contradictionem, & sic possibilia, & factibilia sunt; sicuti est locus, qui extra corpus est, posterior corpore, accidentalis corpori; & nullatenus essentialis corpori: Et de prædictis similia multa occurrunt exempla, ut apud Theologos, & eos qui de controversiis scripsere.

Utuntur quoque adversarii altera insulsa ratiuncula, Eph. 4. *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Quasi quod Christi Humanitas omnia modo impleat: Non intelligentes, aliud Apostolum non dicere, quàm Christum ascendisse, ut Prophetæ de illo vaticinati implerentur. Cogitent Act. 1. dictum: *Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet*: Qui aliquò venit, eò sine motu venire non potest, debetque postmodum esse, ubi ante non erat: nequit ergo venire ad Judicium in Vallem Josaphat, si modò ibi est.

Ex verbis consecrationis nempe, CORPUS MEUM, Berengarius calumniatus est verba Domini, Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c.* Hæc, inquit ille, non intelligenda de Carne, & Sanguine Christi, sed de homine justo sanctificato, à communi hominum vita segregato; ut refert Lanfrancus lib. de Eucharistiæ Sacramento. Quæ opinio confutatur per Cyrillum in Actis Concilii, tom. 1. edit. Peltanæ, c. 14. ibi: *Quamvis ad nos ergo dicat; Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c. neutiquam tamen istam communem, id est, hominis cujusquam nostræ conditionis carnem esse existimare debemus; quomodo enim hominis caro secundum suam ipsius naturam vivifica esse queat? sed verè illius propriam, qui nostri causa, & filius hominis factus, & appellatus est.*

BIBITE

BIBITE EX EO OMNES.

NIhil hic præcepti Christus tulit de Calice laicis communicando (ut pertinaciter nituntur Hæretici extorquere:) sed cum ipse sacrum suum sanguinem bibisset, Joanni, ut est verosimilius, tradidit; voluitque tum in ambitum ire inter manus, inquiens: *Bibite ex eo omnes*: nempe voluit Christus singulos accumbentes bibere: Illi paruerunt, & biberunt.

Priscis tamen temporibus, etiam oriente Ecclesia, utraque species communis populo erat, & præsertim Missa divina Jacobi fratris Domini, ac Marci Evangelistæ Liturgia.

TRANSUBSTANTIATIO.

CLarè admodum mutationem, quæ fit in ven. Eucharistia, Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. fatetur, creditumque semper à Catholicis Transubstantiationem fieri docet ibi: *Quæ conversio convenienter, & proprie à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.* Deinde can. 1. & 2. *Anathema contra sentientibus dicit.* Qua denominatione per aliquot sæcula ante dictum Concilium usus fuit Petrus Blesensis quondam Angliæ Cancellarius, qui serm. 38. in Synodo de sacerdotibus loquitur: *Qui corpus Domini conficiunt, sumunt, sumendum aliis tribuunt; eorũ ministerio panis, & vinum in carne Christi transubstantiatur.* Et idem Epistola 140. ad Petrum Clericum: *Et ut in uno sacramentorum videas abyssum profundissimum, & humano sensui imperceptibilem pane, & vino transubstantiatis virtute verborum cœlestium in Corpus, & sanguinem Christi, accidentia, quæ prius ibi fuerant, sine subjecto remanent, & apparent.*

Quibus verbis fiat consecratio, Concilium Florentinum definivit, ibi: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.* Ubi docet Christum, & sacerdotem; qui vice Christi consecrat, iisdem verbis facere.

Si modum hujus conversionis nos non intelligimus, relictis humanis disputationibus sequamur consilium sancti Fulberti Carnotensis Epist. ad Adeodatum, dum de hoc ipso sic loquitur: *Si Deum omnia posse credis; & hoc consequitur ut credas; nec humanis disputationibus discernere curiosius insistas. Si creaturas de nihilo potuit creare; has ipsas multo magis valet in excelsioris naturæ dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere.* Quod etiam Glossa ordinaria in cap. 11. epist. 1. ad Corinthios profitetur his verbis: *Nos incerta relinquentes, quod ex auctoribus certum est profitemur; scilicet substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Dominici converti: modum verò conversionis ignorare, non erubescimus fateri.* Rationes enim de occulto Dei judicio quærere, est contra Dei judicium superbire: etenim Proverb. cap. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Et Apostolus, ut in his mysteriis nos credendo subjiciamus: *In captivitatem redigentes omnem*

intellectum in obsequium fidei: quod inter ceremonias ad esum Agni Paschalis fuit figuratum de hoc Sacramento, Exod. 12. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni; caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis; nec remanebit ex eo quicquam usque mane; si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Ut scilicet hoc mysterium coqui non debeat aqua Philosophicæ curiositatis, aut rationis humanæ, quomodo conantur Gentiles & Hæretici frigidissimis rationibus comprehendere mysteria divina; sed tantum assari debet Agnus igne charitatis, quæ sola hunc facit fructuosum, omnesque in eo delicias includit.

Magna igitur charitatis arte pigmenta sua Dei sapientia composuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renovata quotidie suæ salutis commemoratione, percelleret: & infantem plebem, quæ æterni Verbi solidum non poterat terere & ruminare cibum; dulcissimo hoc liquamine confecto, Verbi ejusdem Divinitatem in panis & vini Sacramento sorbillare consuefaceret.

De Apparatu Mensæ Christi.

A*Ccipiens calicem, &c.* Materiam & formam illius videamus. Chrysostom. homilia 60. ad Pop. *Non erat illa mensa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo sanguinem proprium Christus suis dedit Discipulis: pretiosa tamen erant illa omnia, & tremenda, quoniam erant Spiritu plena.* Et inferius: *Non putemus satis ad salutem, si viduis, & pupillis expilatis aureum calicem, & gemmatum offeramus. Vis honorare sacrificium? offer animam, propter quam immolatum est, hanc fac auream. Si autem plumbo maneat, & testa deterior, vas autem sit aureum; quid utilitatis?* Et subdit: *Et hæc dico nõ prohibens ejusmodi oblationes fieri; suadeo tamen cum iis, & ante has eleemosynas exhiberi; hæc enim suscipit, sed illam multo gratius.* Gabriel Biel. lect. 52. in Canonem Missæ inquit: *Sacerdos calicem factum de auro & argento, vel ubi paupertas Ecclesiæ cogit, de stanno; Christus autem, qui Apostolis suis possessionem auri interdicit, non creditur fuisse usus calice aureo, vel argenteo, sed fortè nec stanneo.* Sed contra alii pretiosum judicarunt: Beda de locis sanctis, cap. 2. *In platea, quæ martyrium, & Golgotha continuat, exedra est, in qua calix Domini scriniolo reconditus per operculi foramen tangi solet, & osculari; qui argenteus calix hinc inde duas habens ansulas, sextarii Gallici mensuram capit, &c.* Et hoc idem refert Baron. in annum 34. ubi Spondan. num. 18.

Lagenam, sive amphoram aquæ testaceam, dicit Chrysost. 26. in Matth.

Pelvis ex ære fuit, ex quo fabricata crux, quæ anno 1437. asservabatur in Cypro; sed deinde Rhodum translata, ut retulit Saligniacus in Itinerario Terræ sanctæ, sub annum 1522.

De Linteo refertur id circa annum Domini 1376. servatum in templo sancti Andreæ Constantinopoli; Quamvis apud Leonem in Chronico Cassinensi, lib. 2. cap. 34. legimus anno 1013. Quosdam Monachos ab Hierosolymis venientes particulam lintei, cum quo Dominus pedes Discipulorum extersit, secum detulisse, & Cassinensi cœnobio obtulisse: cujus fides miraculo ignis fuit confirmata.

Catinum

Catinum eundem cum Paropside fuisse, & quidem quadrangulum fictilem, putant. D. Thomas in 20. Matth. ex Rabano Mauro: sic ferè Zacharias Chrysopolitanus, lib. 4. in unum ex quatuor cap. 1. *Quod verò Matthæus Paropsidem, Marcus Catinum dicit; unus quadraturam vasis, alter quia esset fictile, designat.*

Mappam beatæ Mariæ manu elaboratam servat Societas Jesu Olysippone in Ecclesia S. Rocchi.

Panis Azymus, mundus, triticeus integer, ut opinantur Epiphanius, & diximus supra. Et de prædictis omnibus vide latius VValterium Viringum de triplici Cœna, libr. 3. cap. 38.

Duos Calices habuisse Christum in cœna, refert Paschasius Corbejensis lib. de Corpore & Sanguine Domini: *Unum post Agni comestionem, antequam panem acciperet; alterum postquam benedixit ipsum panem, ac fregit, & dedit Discipulis:* Quamvis ex epistola Gregorii II. ad Bonifacium Apostolum Germaniæ: *In Missarum solenniis observandum est, quod Dominus noster Jesus Christus sanctis suis tribuit Discipulis dicens: Hic est Calix, &c. Marc. 14. & Luc. 22. Unde congruum non est duos, vel tres Calices in Altari ponere, cùm Missarum solennia celebrantur.* VViringus ubi supra cap. 41.

Vino Dominus aquulam miscuit; quia Christi demortui perfosso latere sanguis & aqua profluxerunt. Amalarius lib. 4. offic. Eccles. cap. 47. *Vinum & aqua in calicem monstrant Sacramenta, quæ de latere Domini in cruce effluxerunt; id est, sanguinem & aquam, quibus nos potat Dominus noster.* Unionem innui vult Cyprianus, ibi: *In calice Dominico aqua sine vino deesse non debet; ne populus, qui per aquam juxta Apocalypsin significatur, à Christo separatus esse videatur.*

CAP. IX.

De antiquis Missæ Ritibus.

DIcam de antiquis Missæ Ritibus, & uti sacrificii rationem habet, ac etiam ut Sacramenti naturam induit.

Missam verum esse sacrificium.

Hanc Missam, præter sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ut diximus supra, verum fuisse sacrificium; ponderant plerique illa Christi verba Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ubi per vocem *Hoc*, declarant, Apostolos & sacerdotes omnes idem facturos, quod Christus fecit in Cœna; in qua certè se ipsum obtulit in specie panis ac vini: & subdens; *Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur.* Explicat hoc idem nostrum sacrificium futurum propitiatorium, perinde ac suum. Et de nostro sacrificio, S. Chrysostom. homil 96. ad populum Antiochenum inquit: *Sacra oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse Discipulis, quamque Sacerdotes quoque conficiunt: nihil habet ista quàm illa minus.* Et Ambros. in Psalm. 38. *Et si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.*

Quodque hoc sacrificium sit oblatio pro peccatis hominum, testatur D. Gregorius Dialogorum lib. 4. cap. 58. his verbis: *Hac victima singulariter ab æterno interitu animam salvat.* & sanctus Cyrillus Hierosolymitanus ait: *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus; ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.*

Idem verò Sacrificium propitiatorium esse non pro vivis duntaxat, sed etiam pro defunctis, probat Origen. Homil. 3. in Job. ibi: *Memorias Sanctorum facimus. & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.* Et S. Augustin. serm. 32. de verbis Apost. *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt.* Et sanctus Cyrillus Hierosolymit. Catech. Mystag. 5. ait: *Maximum esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius ac tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Et S. Augustin. lib. 9. Confess. cap. 12. refert, illud nequaquam à nobis omittendum, imo à piis Fidelibus omnibus imitandum sanctæ matris suæ Monicæ in morte propositum: non corpus aromatibus conditum, non monumentum electum, aut sepulchrum patrium curavit; sed solum Missæ sacrificium pro anima sua desideravit. Et nos de his infra dicemus cap. 88. ubi de Purgatorio.

De nomine Missæ.

Verum quippe est, Missæ vocabulum, quatenus sacrificium significat, Ecclesiæ nascentis exordio fuisse frequentissimum. Clemens I. Papa, epist. 3 Decret. sic scribit: *In aliis locis sacrificare, & Missas sacrificare non licet, &c.* Et idem epistol. 5. ibi: *Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, ubi sacerdotes, & reliqui clerici consistunt (quod Presbyterium nuncupatur) quando Missæ celebrantur, consistere, ut liberè, & honorifice possint sacra officia exercere.* Evaristus Papa, epistola 2. Decretal. ibi: *Omnes Basilicæ cum Missa semper debent consecrari, &c.* Item Alexander Papa epistola 1. statuit. *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est; ut ejus, cujus corpus, & sanguis conficitur, Passio celebretur.* Similiter Telesphorus Papa, epistola ad omnes universaliter in cap. 2. Missæ nomine usus est. Item Soterus Papa, ut legitur in volumine primo Conciliorum, statuit, quod Missæ solum à jejunis celebrentur, &c. & Felix Papa inquit epistola 2. *Mandamus, ut super memorias Martyrum Missæ celebrentur.* Habemus ulterius in can. 10. Apost. *Qui non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur, nec sanctam Communionem percipiunt, veluti inquietudines Ecclesiæ moventes, convenit communione privari.* Demum, ne in infinitum prodeam, satis sit annuere Liturgiam S. Jacobi, ibi: *Proinde hanc orationem, & gratiarum actionem tibi offero, ut mihi Spiritus Paracletus mittatur, fortificans, & instaurans me ad hanc Missam.*

Missæ Denominatio.

Quamvis aliqui Missæ nomen Hebræum, vel Græcum esse censuerint; Verior tamen est opinio à Catechumenorum dimissione ita dictam. S. Augustin. serm. 237. hoc inquit: *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis: manebunt fideles, venitur ad*

locum orationis. Et clarius Isidorus Hispalensis lib. 6. Orig. cap. 16. ibi: *Missa tempore sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: si quis Catechumenus remansit, exeat foras: & inde Missa, quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati nascuntur.* Censuerunt quoque nonnulli, Missam à missa in cœlum Hostia, vel à missis ad Deum hominibus; Albinus de divinis officiis, cap. de celebr. Missæ ibi: *Missa autem dicitur quasi transmissa; eo quod populus fidelis, de suis meritis non præsumens, preces, & oblationes, quas Deo omnipotenti offerre desiderat, per ministerium & orationem sacerdotis ad Deum transmittat. Sive alio modo potest dici Missa, eo quod nos mittat ad Deum.* Vide Baronium anno 34. ubi Spondan. num. 16. in fin.

Et ex iis obiter adverte, obscuro Missæ nomine ad rem Divinam significandam usos veteres fideles Latinos, ut hominibus falsas Religiones colentibus hoc nomen symbolicum ignotum esset, ne fideles ipsi proderentur, dum in locis abditis conventus habebant. Vel certè subobscuri nominis alia causa potuit esse, ut facilius de tam insigni mysterio prophanos homines cælarent, ne sanctum canibus objicerent. Græci tamen rem Divinam clarioribus vocabulis expresserunt: vel quia vocum propriarum retinendarum studiosiores erant: vel quod tantus persecutionis æstus apud illos commotus non esset.

Liturgia apud Græcos.

Apud Græcos Liturgia idem est ac Missa apud Latinos. Nec desunt qui incruenti sacrificii cum mentio facienda est, Liturgiam nominavêre. Amphilochius de vita sancti Basilii: *Eamus ad peragendum sanctum Dei ministerium. Ubi ad Ecclesiam ventum est, voluit ut presbyter faceret ministerium, sive Liturgiam.* Et infra: *Præcepit ut cuncti ad magnam Ecclesiam accederent; participes futuri Divinæ Liturgiæ, sive ministerii.* Hanc autem veram Liturgiæ Etymologiam scribit Suidas. *Liturgia propriè dicitur officium, sive ministerium, sive munus publicum, &c.*

De aliis nominibus.

Alia quoque nomina ad significandam Missam Patres Latini, & Græci adhibuerunt; nempe Latria, Communio, Spectaculum, Consecratio, Canon universalis, Ministerium, Preces, Convivium, Cœna, Mensa, Eucharistia, Dominicum, Salutatio perfunctoria, Munus, Officium, Sacramentum, Sacrum, Solennia, Operatio sacra seu mystica, Mysterium, Oblatio, Sacrificium incruentum, Immolatio, Holocaustum, Conventus, Collecta, Concio, Synagoga, Congregatio, Synaxis, Coitio, Communicatio, Cœtus, Convocatio, & alia multa, de quibus Baronius ann. 34. ubi Spondan. num. 16.

Formulæ sacrum Missæ faciendi, quibus veteres scriptores usi sunt, multæ etiam fuêre: Scilicet, Sacerdotio incumbere; Domino sacrum ministerium obire; Ministrare Deo; Incruentum offerre sacrificium; Exequi synaxin; Frangere panem; Immolare Dominum; Sacrificare; Dicere, seu tractare Missam, seu mysterium pietatis; Agere Divinum officium, seu sanctum mysterium; Agere collectam, & Dominicum; Habere orationem; facere Eucharistiam, seu Missam, seu oblationem offerre, seu peragere oblationem, seu Missam; Conficere sacrum Corporis & Sanguinis mysterium; celebrare, occupari sacris officiis, commemorare, &c.

re,&c. De quibus, & aliis vide quæ scripsit Vicecomes de Missæ ritibus, lib. 1. cap. 7. & 8.

De figura Missæ.

Deveniendo modo ad rem ipsam, videamus primo figuras hujus sacrificii, quas veteris Legis instituta nobis suppeditant. Quarum præcipua est illa, de qua in Psalmo 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quem locum D. Paulus citat ad Hebr. 7. *Alii quidem sine jurejurando facti sunt sacerdotes; Hic autem cum jurejurando per eum, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Verùm, ut videamus sacrificium Melchisedech fuisse typum Christi sacrificii, quod Patri obtulit in postrema cœna, non ejus, quod in cruce obtulit; inter cæteros est Clemens Alexandrinus lib. 4. stromat. loquens: *Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.* Quibus congruit sanctus Cyprianus epistola 63. ad Cœcil. ibi: *Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum; suum scilicet corpus & sanguinem.* Et idem refert Eusebius Cæsariens. l. 6. de demonstr. Evangel. cap. 3. sanctus Ambrosius libro de Abraham Patriarch. cap. 3. & in cap. 5. epist. ad Hebr. Isidor. Hispalens. lib. 1. Ecclesiast. offic. cap. 18. cum aliis multis.

Theophilus in Matth. 26. *Sicut vetus Testamentum immolationem habebat; ita & novum Testamentum sanguinem habet, & immolationem.* Sed præstantiori modo, Leo serm. 7. de Passion. *Ut enim umbræ cederent corpori, & imagines sub præsentia veritatis; antiqua observantia novo tollitur sacramento, hostia in hostiam transiit, sanguinem sanguis excludit; & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Et refert Isidorus de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 18. *Hoc sacrificium Christianis celebrare præceptum esse relictis, & finitis Judaicis victimis, quæ in servitute veteris populi celebrari impetratæ sunt. Hoc itaque fit à nobis de mane, quod pro nobis ipse Dominus obtulit post cœnam; nempè ut ostenderet Dominus, horam ipsam sacrificii esse vesperam mundi.*

De umbris, & vaticiniis Missæ.

Umbræ erant vituli; placuere tamen Deo, ut Genes. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Et Genes. 8. *Ædificavit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & de volucribus mundis, obtulit holocausta super altare; odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Tandem rejecit illa Deus: *Non accipiam inquit, de domo tua vitulos, & de gregibus tuis hircos.* Ut advertit Regius Psaltes Psalm. 50. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.*

Res siquidem erat, & cum ea signum, id est Jesu Christi sub speciebus panis & vini, corpus & sanguis, hostia beneplacens; cujus desiderio succensus Deus rejecit cætera: Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Et

de

de nostro sacrificio hoc intellexit Tertullian. contra Marcionem, S. Hieronymus in Malach. August. de Civitate Dei lib. 18. cap. 35.

Secunda prædictio est in Psalm. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi.* Et de Liturgia hoc exponunt sancti Augustin. & Chrysostom. in eodem Psalm. 39. Tertia est, Proverbiorum locus, ibi: *Sapientia ædificavit sibi domum, &c. immolavit victimas suas; miscuit vinum, & posuit mensam suam.* Et ita exponit sanctus Cyprianus epistola 63. & sanctus Augustinus lib. 17. de Civitate Dei, cap. 20. Quarta erit Danielis cap. 11. & 12. *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & postea fuerit abominatio desolationis.* Et iterum: *Tulit juge sacrificium; & ejecit locum sanctificationis ejus: robur autem datum est ei contra juge sacrificium, propter peccata.* Quæ loca etiamsi communiter intelligantur de Antichristo; tamen nunc quoque Dæmon Antichristum in Ecclesiam induit, cum per Hæreticos, sanctissimum tollentes sacrificium, innumera infert damna. Et ita intellexit Petrus Cluniacensis contra Petrobrusianos. Quintò, quoad elevationem sacratissimæ Hostiæ in Missa, facit locus Psalm. 71. *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Quod explicatur à Rabi Jonata ante adventum Domini: *Erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum.*

Christus auctor.

Missæ sacrificium à Christo fuit institutum, Tertullian. in Apolog. ait: *Qui Deo offert opimam & majorem Hostiam, quam ipse mandavit.* Sanctus Cyprianus epist. 63. ad Cæcil. *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod à nobis Deus prior fecerit.* Et hoc institutum à Christo, ut ejus recordationem nobis renovaret. Eusebius Cæsariens. demonstr. Evangel. lib. 1. cap. 10. *Sacrificiumque eximium Patri suo operatus, pro nostra, omniumque salute obtulit; ejusque memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offeramus, instituit.* Et quod Christus Missam Apostolos docuit, & ipsi ad nos usque transmiserunt. Maurus de instit. cleric. cap 32. Baronius anno 34. ubi Spondan. num 15. Nec aliquid facit contra prædicta Synodus Trullensis apud Gratianum, can. Jacobus, de consecrat. distinct. 1. ubi de SS. Jacobo, & Basilio quidem legitur; *In scripturis sacræ Missæ celebrationem addiderunt.* Ad hoc etenim respondemus, quod post sacrificium à Christo institutum Jacobus, & Basilius Missæ ritum scriptis tradiderunt. Vel quia, ut docet Nicolaus Methensis, Jacobus mysticam, incruentamque Liturgiam exposuit: ut etiam declarat Glossa in verbo, celebrationem, dicti canonis: Baron. anno 63. ubi Spondan. num. 5.

Et quando.

Quando scilicet Christus instituerit? Hoc quippe clarè declarat sanctus Cyprianus dict. epist. 63. ibi: *At enim non mane, sed post cœnam, mixtum calicem obtulit Dominus.* Et hoc feria quinta hebdomadæ sacrosanctæ, discumbens cum discipulis, S. Leo serm. 7. in die Passionis Domini. *Discumbentibus discipulis ad edendam mysticam cœnam; cum in atrio Caiphæ tractaretur, quomodo Christus occidi posset, ille corporis sui, & sanguinis ordinans sacramentum, docebat, qualis Deo hostia debeat offerri.* Idem refert Isidorus Hispalens. lib. 1. de Eccl. offic. cap. 18.

Per verba. Ex verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Missæ institutio colligitur. Auctor constitut. Apostolic. lib. 5. cap. 20. ait: *Quare vos quoque suscitato Domino offerte sacrificium vestrum, de quo vobis præcepit per nos, dicens: Hoc facite in meam commemorationem.* Et pariter sanctus Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 3 & 5. Martialis epist. ad Burdegal.

Apostoli dixere. Missam dixisse Apostolos comprobatur primò, ex Act. Apost. cap. 2. ibi: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, fractione panis, & orationis.* Quæ verba communiter de sacrà Liturgia intelliguntur: quod etiam confirmatur ex cap. 13. eorundem Actorum ibi: *Sacrificantibus verò ipsis Domino, & jejunantibus.* Amplius cap. 20. ibidem: *Una autem Sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* Et notum quippe est Dominicum diem olim dici una Sabbati: Beda in commentar. dict. cap. 20. Actorum inquit: *Id est, die Dominico, qui est primus à Sabbato, cum ad mysteria celebranda congregati essemus.* Et idem refert sanctus Augustinus epistola 88. ad Casul. Strabo lib. de rebus Eccles. cap. 22.

Et sanctum Petrum omnium primum rem divinam celebrasse, ex Albino de divin. offic. cap. de celebr. Missæ: *Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrasse.* Ugo à sancto Victore de sacr. fidei lib. 2. part. 8. cap. 14. iisdem verbis refert hoc idem. Sed adverte: quod ajunt Antiochiæ primam Missam celebrasse, id accipiendum est de ea, quæ apparatissima pompa conficitur; quandoquidem longe ante Hierosolymis Apostoli sacrificium fecerunt, ut in locis Actorum Apost. citatis supra. Et quòd prima Missæ celebratio contigerit die Pentecostes, Hesychius lib. 4. in Levitic. cap. 9. latè.

De Calumniis. Infanticidæ, & humanæ carnis voratores crediti à Gentilibus Christiani propter Missam; & forsan suspicione, quod dicerentur sacratissimo Corpore, & sanguine Christi pasci: seu quòd alii id criminis conjiciant in Hæreticos Nicolaitas, Marcionitas, Gnosticos, & alios Catholicæ fidei hostes. Sanctus Justinus martyr. dialog. cum Tryph. *An vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare, & post Epulum lucernis extinctis nefariè promiscuo concubitu misceri?* Ubi Epuli, & Lucernarum nomine alludens ad Agapes, quæ fiebant post Missam, & ad cereos in Missa accensos: Minutius Felix in Octavio: *Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit, aut credit, de cæde infantis, & sanguine.* Quæ vox *Initiari* Missam significat; ex Tertullian. cap. 7. Apolog. adversus Gentes. *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto.* Et paulò post: *Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum & Sirenarum ora judici reservavit? quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? quis talia facinora cum invenisset, cælavit? imo à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis, non utique, cum vel ex ipsa forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur, ut extranei: & unde extraneis notitia, cum semper etiam impiè initiatores arceant profanos?* Ex quibus collige inter cætera, quod cælarentur Gentilibus mysteria Missæ: & de

de prædictis vide etiam Minutium in Octavio,& Origen. lib.6. contra Celsum, & Viringum de triplici cœna,lib.3.cap.56.

Promiscuus incestus de Christianis confictus Missæ causa,propter osculum in Missa invicem dari solitum,ac etiam quod Christiani invicem fratris, ac sororis nomine in Missa salutarentur. Tertullian. cap.9. Apologet. *Dinumera loca, ubi mater,ubi soror; nota diligenter,ut cum tenebræ ceciderint canina non erres; piaculum enim admiseris,nisi incestum feceris.* Et hoc idem latè refert duobus in locis Minutius in Octavio,& alii.

Antistitis Genitalia colere crediti à Gentibus Christiani, propter Missæ sacrificium occultum, & nocturnum, ut plurimum: Minutius Felix in Octavio ibi: *Alii eos ferunt ipsius Antitistis, ac sacerdotis colere Genitalia, & quasi parentis sui adorare naturam: nescio an falsa: certè occultis,ac nocturnis sacris apposita suspicio.* Et paulo post idem subdit : *Etiam ille,qui de adoratis sacerdotis virilibus adversus nos fabulatur; tentat in nos conferre, quæ sua sunt; istæ enim impudicitiæ eorum forsitan sacra sunt,apud quos sexus omnis membris prostat:* Et idem refert Arnobius lib. 8. adversus Gentes.

Cultus quoque asinini capitis Christianis objectus : cujus causam refert Tertullian. apolog. cap.16. *Jam quidem somniastis, caput asininum esse Deum nostrum. Hanc C. Tacitus suspicionem hujusmodi inseruit: Is enim refert Judæos similis bestiæ effigiem consecrasse; atque ita inde (opinor) præsumptum,nos quoque, ut Judaicæ Religionis propinquos,eidem simulacro initiari, &c.* Et Minutius in Octavio ait: *Inde est, quòd audire dicis caput asini rem nobis esse divinam.* Per quæ verba; *Rem Divinam*, Minutii, & verbum *Initiari*, Tertulliani, Missæ sacrificium denotari satis patet. Sed quatenus prædicta calumnia Tacito attribuatur per Tertullianum; nihilominus Josephus Hebræus Tacito antiquior meminit ejusdem, libr. 2 contra Appion. cap.10.

Solis adoratio præterea dabatur eisdem Presbyteris, propterea quod in Missa, & cæteris Ecclesiasticis officiis,versus Solem orientem preces funderent: de quo Tertullianus cap.16.in Apolog.ibi: *Alii planè humaniùs,& verisimiliùs, Solem credunt Deum nostrum; inde suspicio,quod innotuerit,nos ad Orientis regimen precari.* Quod confirmat Origen. lib. 5. contra Celsum.

Bacchum & Cererem coluisse Christianos,item calumnia Gentilium fuit; quia in Missa vinum,& panem adhiberent; scripsit S, Augustinus lib.20.advers.Manich. cap.13.

Quia Diis sacrificium non faciebant Christiani,vocati sunt in crimen sacrilegii à Gentilibus. Tertull.cap.1.apolog.& idem lib.ad Scapul. scribit: *Nos,quos sacrilegos existimatis,* & reliqua.

Accusati Christiani etiam propter Missam,quod occultos conventus haberent; Origenes contra Celsum,inquit: *Primum criminationis caput,à Christianis clancularios conventus haberi solere,legibus vetitos; quæ eo tendunt,ut calumnientur Agapen,quã Christiani vocitant, quoties occultè communis periculi metu conveniunt ad convivium.*

Et propterea, quod pro salute Imperatoris non sacrificarent, ut ex Tertullian. in apologet. cap. 27. & idem lib. ad Scapul. item Origenes lib. 1. contra Celsum.

Quamvis contrarium nobis constet, quod Christiani etiam quandoque pro Ethnicis Imperatoribus Deum exorarent: ut ex Athenagora Atheniensi in fine supplicationis, quam habuit ad Impp. Antoninum, & Commodum, & nos latè retulimus supra cap. 4.

Denique fideles in quæstionem vocati, neceque affecti, quia Missam celebrassent. Eusebius Emissenus, homilia de sancta Blandina, ibi: *Post Dominici corporis sacrificium, profanis tribulationibus novam de se hostiam Christo oblaturus infertur.* Item Ado in vita beati Stephani Papæ scribit: *Stephanus perrexit cum omnibus Christianis ad Cæmeterium sanctæ Lucinæ; & multis eos consolatus sermonibus obtulit pro eis sacrificium Deo omnipotenti. Quæ gesta audiens Valerianus, misit plurimos militum, qui beatum Stephanum punirent:* Et Beda lib. 5. histor. Anglicarum cap. 11.

De Luminaribus. Juxta Romanum Ordinem nunquam celebratur Missa absque lumine; non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies: sed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpabimus ut in nocte: & nos infra dicemus cap. 42.

De Signis. Signa in Missa dabantur Ecclesiæ nascentis exordio, ad convocandos fideles. Sylverius Papa apud Burchardum lib. 19. decret. cap. de contempt. jejunii, ibi: *Solent plures, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut signum audierint, ad horam nonam manducare; qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium: concurrendum est enim ad Missam, & auditis Missarum solennibus, & vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accelerandum est.* Et B. Ephrem parænes. 23. *Signo ad synaxin & officium dato, &c.*

Quomodo autem convocarentur prisci fideles ad officia Ecclesiæ, & quibus modis, vide ut notavimus infra cap. de Campanis, cap. 49.

De Ritibus diversis. Singulæ Nationes olim diversis ritibus in Missæ sacrificio utebantur. Quoniam veterum Patrum Liturgiæ, Petri, Jacobi, Marci, Apollinaris, Barnabæ, Dionysii, Basilii, Gregorii, Chrysostomi, & aliorum, inadmodum paucis conveniebant; & quælibet nationes sequebantur Duces proprios in Missæ ritibus: cùm Liturgia nil aliud fuerit, quàm præfinitæ ceremoniæ, quas tum ipsi, qui illas scripserunt, in salutari hostia Deo offerenda, adhibuere. Hinc Innocentius I. Papa Epistol. 1. ad Decennium Episcopum Eugubinum, cum eo graviter expostulat, quod Apostolorum instituta Episcopi non æstimarent, ibi: *Sed unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum: inde diversa in diversis Ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant, sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolicis contrarietatem inductam, &c.* Similiter sanctus Gregorius ab Augustino Angliæ Episcopo interrogatus, interrogatione tertia

tia respondit sic: *Cur cùm una sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ, & altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, atque in Galliarum tenetur? Mihi placet, ut sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicite eligas, & in Anglorum Ecclesiam infundas.* Et Innocentius III. Papa præcepit: ut Episcopi Provinciarum viros idoneos compararent, qui & juxta ritum, & linguarum diversitatem, Missam, & cætera Ecclesiastici cultus officia illis peragerent; ut in cap. quoniam, de officio Jud. ordin. *Siquidem diversæ Nationes diversis ritibus usæ sunt*; Ex Strabone, lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. ibi: *Multi itaque apud Græcos, & Latinos Missæ ordinem, ut sibi visum est, statuerunt.* Et signanter de expositione Liturgiæ Coptici idiomatis, quæ formula ante mille & quadringentos annos usitata, vide P. Athanasium Kircherum in suo Prodromo cap. 2. Sed ulterius quoque considerandum, quòd singulæ Nationes, non solum à Romana Ecclesia discrepabant, verum inter se ritibus & ceremoniis dissentiebant, ut ex sancto Hieronymo epistola ad Rusticum Narbonensem, ibi: *Hoc in Ecclesiis tuis faciunt, quod Romæ, sive quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Aphrica, quod in Illyrico, quod in Hispania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis, ubi humilitas perseverat.* Quæ enumeratio supervacanea esset, nisi Ecclesiæ singulæ invicem discordassent. Quod confirmatur etiam ex prædicta epistola sancti Gregorii ad Augustinum. Addimus amplius, quod omnes Provinciæ, ac Civitates, diversos ritus habuere. Et de Græcis discordibus inter se, Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 22. ibi: *Multi itaque apud Græcos, & Latinos, Missæ ordinem, ut sibi visum est, statuerunt.* Pariter Africanæ Ecclesiæ diversis ceremoniis usæ sunt. Victor Papa epistol. 2. ad Episcop. Aphricæ ait: *Oportet vos unanimes esse, & adminiculum vicissim ferre, & in sacramentis divinis non discrepare, sed concordes esse.* Similiter inter Alexandrinos, & Thebaidos incolas, rituum diversitas intercessit. Socrates lib. 5. histor. Ecclesiasticæ, cap. 21. inquit: *De Synaxi variæ consuetudines sunt. Nam quanquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclesiæ singulis septimanis vertentibus die Sabbati mysteria celebrant; Alexandrini tamen, & Romani ex antiqua traditione illud facere renuunt: at Ægyptii, qui Alexandrinis finitimi sunt, & ii qui Thebaidem incolunt, Sabbato synaxin exequuntur illi quidem, sed non ut mos est, Christianorum mysteria participant.* Hispani quoque vario ritu Ecclesiastica divini cultus officia celebravêre. Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 30. ibi: *Cereum autem benedici non solum in principalibus Ecclesiis, sed etiam in parochiis, Zosimus Papa constituit, quod ipsum Concilio Toletano ostenditur quosdam Hispanorum observasse, quosdam neglexisse.* Et confirmatur ex Concilio Toletano IV. cap. 2. Rituum & Ceremoniarum denique discrepantia inter Galliæ, Germaniæ, & Italiæ populos, veterum Scriptorum testimoniis comprobatur, ut de Gallis sanctus Hieronymus epistola ad Rusticum Narbonens. Episcopum, ibi: *Hoc in Ecclesiis tuis faciant, quod Romæ, sive quod in Oriente, quod in Italia, quod etiam ex parte per Gallias.* Et quo ad Germanos, Fortunatus de ordin. antiphonarum cap. 80. Strabo de rebus Ecclesiasticis, cap. 22.

In vetusto Romano Antiphonario inveni responsoria ad vesperas: sed quoniam maxima pars Regionis nostra non cantabat, &c. Et de reliquis Italiæ populis, Strabo de rebus Ecclesiasticis cap.22. ibi: *Multi apud Græcos, & Latinos, Missæ ordinem, ut sibi visum est, statuerunt: Et Romani quidem usum observationum à beato Petro accipientes, suis quoque temporibus, quæ congrua judicata sunt, addiderunt.* Item Rabanus de institutione cleric. titulo, Additio de Missa, ibi: *Itali quoque primò mittunt de sancto pane in calicem, & postea dicunt, Pax Domini: Aliqui verò reservant immissionem usque dum Pax celebrata sit, & fractio panis: Romani verò cum dicunt, Pax Domini sit semper vobiscum, mittunt corpus Domini in calicem, oblatæ particulatim particulæ, &c.*

Diversitas Missarum, in eadem Natione, ac Provincia, desiit anno salutis 509. Quandoquidem Synodus Epaunensis eo potissimum tempore celebrata illius meminit, cap.27. *Ad celebrandum divina officia, ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales observare debebunt.* Quod confirmatum in Concilio Gerundensi cap. I. *Ut institutio Missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconensi provincia, tam ipsius Missæ ordo, quam psallendo, vel ministrando consuetudo servetur.* Et hoc idem in Concilio Toletano 4. cap.2. Et quando dicatur, rituum similitudinem in eadem Natione serius quam dixi, receptam esse, ut per auctores supra citatos: Respondemus plerosque eorum non sui temporis ritus, sed superioris ævi significare; quod vocibus præteriti temporis *cantabat, statuerunt, addiderunt*, ac similibus utantur.

Quare autem ceremoniarum diversitas in singulis Nationibus, ac Provinciis antiquata fuerit? explicatur à Concilio Toletano 4. cap. 2. illis verbis: *Ne qualibet nostra diversitas apud ignaros, seu carnales, schismatis errorem videatur ostendere, & multis extet in scandalum varietas Ecclesiarum: unus ergo modus orandi per omnem Hispaniam, & Galliam conservetur; unus modus in Missarum solennitatibus, unus in vespertinis officiis, &c.*

De causa diversitatis.

Missarum diversitas in unaquaque Ecclesia introducta fuit, quod singuli Episcopi suos ritus Romanis digniores censerent. Sanctus Ambrosius lib. 3. de Sacrament. cap.1. ait: *Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem: In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectè custodimus.* Adducitur secunda ratio à Socrate libr.5. Ecclesiast. histor. cap.21. *Quoniam nemo de ea præceptum, literarum monumentis proditum potest ostendere: perspicuum est Apostolis liberam potestatem in eodem cujusque menti, vel arbitrio permisisse; ut quisque nec metu, nec necessitate inductus, quod bonum est, deligere, & sequi posset.* Deinde Episcopi in Apostolorum locum suffecti, ritus Ecclesiæ, cui præerant, ab illis præscriptos retinuerunt. Nicephorus ibidem: *Sed dissensiones tales in Ecclesia invaluisse opinor reverentia eorum, qui eis ab initio præfuerunt, & qui illis deinde successerunt; nam ii tanquam leges quasdam ab illis acceptas per manus posteris tradidere; non satis pium, neque ferendum esse arbitrati, si traditiones, in quibus educati essent, non honorificè colerent, sed contemptim rejicerent.* Et iisdem ferè verbis Sozomenus lib.7. histor. cap.19. Fuit quoque Tertia cau-

causa, cur diversis ritibus singulæ Nationes uterentur: quoniam tempore Tyrannorum sævientium in fideles, non poterant isti in unum cogi ad statuendum communibus suffragiis de uno ritu Missæ celebrandæ; sed unaquælibet gens traditiones suorum Apostolorum servabat: ut ex citatis auctoribus.

Pleræque deinde Nationes ritus Romanos postea assumpserunt, ne suspicio insurgeret scandali, aut schismatis, ut dixi. Gallia siquidem in suis ritibus tenacissima, nihilominus ab avitis consuetudinibus ad Romanos reflectere cœpit anno Christi 800. Caroli Magni suasione; ut egregiè refert Joannes Diaconus lib. 2. de vita sancti Gregorii cap. 9. Similiter Strabo de rebus Eccles. cap. 22. scribit: *Ab ipsis ergo* (nimirum à Græcis) *ad Romanos ille usus creditur pervenisse; sed apud Gallos, & Germanos post dejectionem illius Hæretici sub Gloriosissimo Carolo Gallorum Rectore damnati, idem Symbolum latius, & crebrius in Missarum cœpit officiis iterari.* Ubi loquitur de Symbolo, quod in sacra Liturgia Galli à Romanis didicerunt: & successivè Galliæ exemplo motæ pleræque nationes, Romanas consuetudines amplexæ fuerunt. Strabo dict. cap. 22. ibi: *Romani quidem usum observationum à B. Petro accipientes; quorum morem ideo in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia &c.* & cap. 25. Romanas ceremonias apud plerasque Latinorum Ecclesias viguisse testatur, ibi: *Privilegio Romanæ Sedis observato, & congruentia rationabili dispositionum apud eam factarum persuadente; factum est, ut omnibus pœnè Latinorum Ecclesiis consuetudo, & magisterium ejusdem Sedis prævaleret; quia, &c.* In Hispaniis autem usum Romanorum rituum cœpisse tempore, quo Sanctius, & Alphonsus Imperium Hispanum tenebant, ut ex epist. 64. lib. 1. sancti Gregorii VII. Papæ ad dictum Sanctium dum scribit: *Romani ordinis officium fieri studio, & jussionibus tuis asseris.* Etenim hunc Pontificem, potissimum in hoc elaborasse, videmus etiam ex epistolis 63. lib. 1. & 18. lib. 3. Ita ut non prius anno 1073. Hispani patrios ritus cum Romanis commutarint, ut refert Vicecomus de Missæ ritibus libr. 2. cap. 17.

Cur autem factum sit, ut potius Romanos ritus ab Hispania, reliquisque Ecclesiis; quam harum à Romana recipiendos, summi rerum moderatores censuerint? Dilucidè explicat Strabo de rebus Ecclesiasticis, cap 22. ibi: *Romani quidem usum observationum à beato Petro Principe Apostolorum accipientes; suis quoque temporibus, quæ congruè judicata sunt, addiderunt: quorum morem ideo in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia ea tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent: & nulla per orbem Ecclesia æquè ut Romana, ab omni ferè Hæresi cunctis retro temporibus pura permansit.* Voluit etiam Viringus de triplici cœna, lib. 3. cap. 54. in fine.

Esset dicendum de variis Missis, videlicet, de Dominica, de Sanctis, Votivis, & de earundem origine; sicuti etiam de variis Missis pro Defunctis; sed indulgendo brevitati, inspiciamus Albinum Flaccum lib. Sacrament. & Vicecomitem de ritibus Missæ lib. 3. & 4.

De Missis vespertinis.

Fuit mos antiquitus in Ecclesia, quod Missæ essent divisæ in Matutinas, & Vespertinas. Tertull. de Corona militis cap. 3. testatur ibi: *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, &c.*

Etenim

Etenim verba, *Tempore victus*, Cibi sumptionem significant: Voce autem, *Antelucanis cœtibus*, significantur conventus fidelium de summo mane. Item Concilium Agathense apud Gratianum de consecrat. dist. 5. cap. convenit, ibi: *Hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur; & in conclusione matutinarum vel vespertinarum Missarum post hymnos capitula de Psalmis dicantur.* Et in Concilio Aurelianensi 3. cap. 28. canetur: *Sacrificia verò matutina Missarum, sive vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectet.*

Duxerunt originem prædictæ Missæ vespertinæ à Dominica cœna vesperi inita. S. Augustinus epist. 118. inquit: *Quæris enim, quid per feriam quintam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat? an offerendum sit manè, & rursus post cœnam? propter illud, quod dictum sit: Similiter postquam cœnatum est; an jejunandum, & post cœnam tantummodo offerendum? an etiam jejunandum, & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum?*

In Aphrica, aliisque Regionibus, quotidie Missæ vespertinæ peragebantur; Verum alibi tum vespertinæ, tum matutinæ fiebant; ut ex prædicta epist. 118. sancti Augustini, Gabriel Philadelphiensis Episcopus in suo de Sacramentis libello inquit: *Habent hunc morem Græci, ut in Quadragesima, diebus jejunii, & in vigiliis Liturgiam, seu Missam celebrent à meridie*: Et ut hinc apparet, post vesperas.

Quamvis jejuni sacerdotes Missis vespertinis operam darent ferè omnes, ex dict. epist. 118. S. Augustini, ibi: *An etiam jejunandum, & post oblationem (sicut facere solemus) cœnandum?* Nihilominus Ægyptii, & aliæ Nationes, etiam post captum cibum celebrabant Socrates lib. 5. histor. Eccles. cap. 21. inquit: *At Ægyptii, qui Alexandrinis finitimi sunt, & illi, qui Thebaidem incolunt, Sabbato synaxin exequuntur illi quidem; sed non ut mos fert Christianorum, mysteria participant; nam ubi epulati sunt, & variis cibariis se saturarunt, sub vesperam oblatione facta, mysteriis communicant.* Adde Sozomenum lib. 7. histor. cap. 19. Nicephorum Calistum lib. 11. cap 34.

Die quinta hebdomadæ sanctioris Missa vespertina olim frequentissima: S. Augustinus epist. 118. ibi: *Quid per feriam quintam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat? an offerendum sit mane, & rursus post cœnam?* Et paulò post ibidem: *Vidit hic offerri quinta Sabbati hebdomadæ ultimæ Quadragesimæ, & mane, & ad vesperam.* Ut apud Strabonem de rebus Ecclesiasticis cap. 19. ex Concilio Aphricano cap. 8. Easdem Missas Sabbato celebrari solitas esse, ex Socrate lib. 5. dict. cap. 21. *Sabbato synaxin exequuntur illi quidem*: & Sozomenus lib. 7. cap. 19. *Sub vesperum Sabbato convenientes, ac jam pransi mysteriorum participes fiunt*: & Nicephorus lib. 12. cap. 34. *Synaxes quidem die Sabbati peragebant.* Et quamvis de singulari Sabbato non fit mentio, quo Missæ vespertinæ celebrarentur; conjicitur tamen fuisse illud resurgentis Christi anniversarium: siquidem de hujusmodi Missarum celebratione eo die celebratarum, latè Robertus Abbas lib. 6. de divin. offic. cap. 32. ubi refert, hanc sacrosanctam solennitatem habere matutinum & vespertinum sacrificium. Etenim cum duabus ex causis splendeat, scilicet redemptione animarum ex morte Christi;

Christi; & ex resurrectione mortuorum, illo resurgente: Dicitur quoque sacrificium matutinum, quoniam Lucifer matutinus Christus resurgendo, diem nobilitavit. Celebratur etiam vespertinum sacrificium, quia imminente vespera in parasceve Spiritum tradidit; sed ejus celebritas dilata, & competenter in hanc translata est. Refertur quoque ritus hujus sacrificii vespertini, quem Ugo de sancto Victore cap. 22. lib. 3. de specialibus Missæ observat. inscripsit; *De officio Missæ in nocte Paschali*; & subdit: *Nocte præfata Lectiones quatuor leguntur.* Dicebatur quoque Missa vespertina in Sabbato pervigilio Pentecostes, ut refert Berno Augiensis de vita sancti Uldarici Episcopi Vindelicorum, ibi: *Qui in ipsa sancta Pentecostes vigilia, cum fratribus vespertinæ synaxi interesset incolumis, &c.* Accedebant quoque dies jejunii, quibus Missæ vespertinæ celebrabantur. Buccard. lib. 19. decret. cap. de contemptu jejunii, ibi: *Solent quidam, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut signum viderint, ad horam nonam manducare: qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solennibus, & vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est.* Ubi Missarum solennia cum vespertinis officiis conjunguntur. Fuerunt quoque in usu Missæ vespertinæ sine dici expressione, ex Conc Agath. c. 20. & ex Conc. Aurelian. 3. c. 28. it. ex capit. Græcarum Synodor. c. 47.

Consuetudo celebrandi Missam vesperi, duravit quibusdam in locis usque ad annum 430. cum adhuc, testibus Socrate lib. 5. cap. 21. & Sozomeno lib. 7. cap. 19. ab Ægyptiis, & in Thebaide servabatur. Hæc inquam consuetudo sublata est à Concilio Carthaginensi 3. can. 29. excepto die anniversario Cœnæ Domini; quod confirmavit Concilium Matisconense 2. cap. 6. verum postea etiam illa permissio abrogata est à Concilio Tarraconensi in Hispanis. In Oriente verò à Laodiceno Concilio can. 5. & rursus à sexta Synodo universali cap. 29. ob eam causam, ut non nisi jejuni sacram Eucharistiam sumerent fideles, antiquitus observatum esse videretur, ex Baronio ann. 34. ubi Spondanus num. 17. circa finem, & latè VValterius Viringus de triplici cœna lib. 3. cap. 12. & ad Pii V. tempora anno 1566 fuit publicata Sanctio, qua licentia concessa Metropolitanis, Cathedralibus, Conventibus omnium ordinum; Item Imperatoribus, Regibus, Ducibus, &c. vesperi celebrandi Missas, revocatur: vultque Ecclesiæ instituto, & Patrum decretis omnes obsequi; censuris latis in eos, qui contra auderent, &c.

De audienda Missa solenni quamvis alia plures recitentur.

Plures Missas eadem in Urbe, immo Ecclesia, & Altari, jam olim celebratas, cum omnes simul Ecclesia non caperet festo solenniore, S. Leo Dioscoro Episcopo Alexandrino epist. 81. c. 2. Successu temporis plura altaria in una Ecclesia erecta, in quibus plures simul celebrabant; sic tamen ut ne populus à solenni sacro avocaretur. Theodulphus Aurelianensis, epistola ad Compresbyteros sic ait: *Admonendus est populus, ut ante peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam Matrem Ecclesiam Missarum solennia, & prædicationem audituri conveniant, & sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas celebrent, ut populus à publicis solennitatibus abstrahatur; sed ut in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniat.*

De Missa quotidiana.

Quotidianum semper in Ecclesia sacrificium fuisse; testantur Acta Apostolorum: *Erant autem perseverantes, & communicantes in fractione Panis.* Et Andreas Apostolus ad Ægeam Tyrannum: *Quotidie immolo Deo Agnum immaculatum.* Et de sancto Cassio Narniensi Episcopo quotidie celebrante, sanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 56. Et propterea sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. reprehendit, quòd cum sit Ecclesiæ usus, quotidie in Ecclesia offerre sacrificium incruentum; nihilominus aliqui persistebant in errore, Eucharistiam præstantioris virtutis esse feria quinta in Cœna Domini, quàm alio die confectam quapropter tunc tantum celebrare solere, ut per totum annum eam ministrent infirmis. Rationem reddit Stephanus Eduensis cap. 13. de Sacramento Altaris. *Culpis nostris exigentibus quotidie labimur; ab hoc lapsu iterata immolatione, quis fit in Altari, resurgimus, & renovamur; immolatio renovatur, non Christus occiditur, sed ipso præsente passio ejus repræsentatur.*

De pluritate seu repetitione Missæ.

Sed fervor etiam ulterius prorupit tres Missas certis diebus celebrandi, Amalarius lib. 3. officiorum cap. 41. Et in Nativitate Domini licet tria sacra celebrare, quamvis de necessitate unum tantum sufficiat: & per hæc donotantur tres Christi Nativitates: Prima ex Patre: Secunda, spiritualis ex gratia in cordibus nostris: Tertia, corporalis ex Matre. Cardinal. Toletus in summa lib. 1. cap. 3. num. 3. Exolevit verò, quod refert Sotus cap. 38. usus celebrandi tres Missas in Nativitate sancti Joannis Baptistæ.

Ante cibum iterare solitum Missam, non ita rarum est. Robertus Archidiaconus Austromasiæ de sancto Alberto Monacho: *Factus Presbyter duas in die celebravit Missas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis.* Rarius tamen præ Leone III. qui vel novies celebrabat in die. Walfridus Strabo rerum Ecclesiasticarum cap. 21. Modum posuit Concilium Salegustadiense cap. 5. Vetuitque ne quis trium Missarum numerum excederet. Accessit Alexander Papa, qui ad id tempus unam revocavit, cap. sufficit de consecrat. distinct. 1. Nihilominus si quando postquam celebravit Sacerdos, supervenisset Episcopus, qui vellet sacrum audire, etiam extra diem festum, nec existente alio celebrante; posset iterum celebrare, si non sumpsit ablutionem: & similiter cum supervenissent multi Peregrini, & est dies præcepti, cum alius non adest sacerdos. Ut quoque, si velit infirmus communicari, & non sit sacramentum, pariter licet. Toletus in sua summa lib. 1. cap. 3. num. 5. 6. & 7.

Aliquando vetitum celebrare.

Vetitum biduo celebrare. Innocentius I. ad Decennium: *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo, id est Parasceve, & Sabbato sancto, quo Apostoli in mœrore constituti jejunarunt, sacramenta penitus non celebrari.* Immo sexta Synodus cap. 52. voluit sacerdotes in Quadragesima tantum conficere die Sabbati, Dominica & Annuntiatione beatissimæ Virginis; aliis autem diebus uti præconsecratis Hostiis; ut in Latina Ecclesia ante annos 700. suo tempore fieri solitum, Rabanus Maurus lib. de institutione Cleric. & post divum Augustinum epist. 118. Refert etiam Micrologus de Eccles. observat. cap. 49. tempore Quadragesimalis jejunii Missam usque ad Nonam differ-

differri. Quæ opiniones conciliantur: ut prior procedat in jejunio integro Quadragesimæ, quod usque ad noctem proferebatur: Altera opinio procedat in jejunio dimidiato: & in hoc ad horam Nonam permissa erat Missæ celebratio. Albaspinus de veteribus Ecclesiæ ritibus, libr. 1. cap. 15. Præterea Carthusienses primò non quotidie celebrabant, donec hoc Patres Carthusiani nova collectione Statutorum correxerunt, secunda parte, cap. 7. & rectè siquidem: Nam Augustinus epistol. 118. & refertur cap. si non, de consecrat. dist. 2. *Si non talia peccata sint, ut excommunicetur; quis non debet se à quotidiana medicina corporis & sanguinis Domini separare.*

TEMPLUM est locus celebrandi decenter. Theodulphus Aurelianensis epistola ad Compresbyteros: *Missarum solennia nequaquam alibi, nisi in Ecclesia celebranda sunt; non in quibuslibet domibus, & in vilibus locis, sed in loco, quem elegerit Dominus, juxta Deut. 12. Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in loco, quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.* Nihilominus ex causa, & necessitate, etiam fuit aliquando solitum.

Ubi celebrabantur.

IN CRYPTIS. Cornelius Papa ad Lupicinum Viennensem Episcopum: *Scias frater charissime, Aream Dominicam vento persequutionis acerrimè commoveri, & edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici. Nam ad hoc in Urbe Romana Imperator constitutus est, ut publicè, neque in Cryptis notioribus, Missas agere Christianis liceat.*

SUPER CORPORIBUS SANCTORUM. Apud VValfridum Rerum Eccles. cap. 20. legitur: *Felix XXVII. Papa constituisse, ut super memorias Martyrum Missæ celebrarentur. Sed & Gregorius Papa in ordine LXVI. præcepit super corpus sancti Petri Apostoli fieri Missas.* Et idem refert Joannes Diaconus in vita sancti Gregorii lib. 2. quod jam ante in usu fuerat. Hieronym. contra Vigilantium. *Romanus Pontifex offert Domino sacrificia super mortuorum hominum Petri, & Pauli ossa veneranda, & tumulos eorum arbitratur altaria Christi.* Sigebertus in Chronico ad annum 441. de Leone Pontifice: *Hic quoties rogabatur ab aliquibus, ut eis aliquorum Apostolorum, vel Martyrum reliquias daret, consuevit ad corpora, vel memorias Apostolorum, vel Martyrum, quorum reliquiæ petebantur, Missas celebrare in ipsorum honorem: & sic BRANDEUM altaris, quo consecratum Corpus Domini involverat, particulatim dividebat; cultello pannos illos pungens, sanguinem eliciebat. Sic palam cunctis faciens, quod in consecratione mysteriorum Christi, sanguis Apostolorum, vel Martyrum, qui pro illo effusus est, intret per divinam virtutem pannos illos; & ideo meritò illos dari pro reliquiis Sanctorum, in quorum honore consecrati sunt.* De hoc ipso Brandeo extat Epistola beati Gregorii Magni 30. lib. 3. registri ad Constantiam Augustam, & alia multa in notis Baronii ad Martyrologium Romanum sub die 15. Junii, ac etiam latè refert P. Severanus in libro delle sette Chiese di Roma, fol. mihi 147

Non licet tamen Missas celebrare in campis, vel alibi, ubi Paganus sepultus est, cap. non oportet, de consecrat. distinct. 1.

IN CARCERE. Cyprianus epistola 15. ad Clerum monet, ne glomeratim ad

carceres convolent: *Ita ut presbyteri quoque, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent; quia & mutatio personarum convenientium minuit invidiam.* Et in vita SS. Processi & Martiniani legitur, quòd Apostoli Petrus & Paulus detenti in Mamertini custodia ibidem offerebant sacrificia, & participes illos faciebant Corporis & Sanguinis Domini.

SUPRA PECTUS: idque refert Metaphrastes de sancto Juliano Martyre fame propemodum enecto; à quo Discipuli donari cupiebant Corpore Domini die festo Theophaniæ: sed non videbatur fieri posse, ob frequentiam carceres obsidentium. Ait ille: *Erit mensa vobis meum pectus, non futura Deo minus honesta ea, quæ fit ex inanimi materia; templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circundantes; itaque factum est, Deus ita voluit, custodes abierunt; jussitque omnes Martyr in orbem consistere; ut inter se invicem alter prope alterum stantes, cum tuto comprehenderent, & suo pectori imponi signa Divini sacrificii. Hæc ut fecit, in cœlum sustulit oculos, rite omnia ad sacrum peregit; Primum se sacramentorum fecit participem, & transmisit ad eos, qui abierant, ut ostendit in ultima ad eos epistola.*

IN MANIBUS DIACONORUM. Theodoretus Cyri Episcopus de vitis Patrum cap. 20. in Marre ad Nentim Homeri vicem Anachoreta.

IN TITULIS. Sanctus Pius Papa Justo Episc. *Antequam Romæ soror nostra Euprepia Titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus.*

IN CAMPIS. Bertoldus, de Synodo Placentina. *Ad quam Synodum multitudo tam innumerabilis confluxit, ut nequaquam in qualibet Ecclesia illius loci posset comprehendi: unde & Dominus Papa extra Urbem in campo illam celebrare compulsus est. Missas quoque nonnunquam extra Ecclesiam satis probabiliter, necessitate quidem cogente celebramus, quamvis Ecclesias earum celebrationi specialiter deputatas non ignoramus.*

IN TENTORIIS. Anonymus author vitæ S. Bonifacii Martyris, & Episcopi lib. 1. cap. 23.

IN TUGURIO. De Apollinare Episcopo & Martyre id constat ex Martyrologio, ubi de eo inquit: *Habebant autem Christiani Tugurium non longe à mœnibus, in quo ille Missas faciebat; baptizabat autem in Mari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Capellas enim non Ecclesias, sed antiquitus Tuguria, Caprarum pellibus tecta fuisse.

IN DOMO. Paulinus in vita Ambrosii: *Cum trans Tyberim apud quendam clarissimum invitaretur, ut sacrificium in domo offerret, quædam Balneatrix, quæ paralytica in lecto jacebat, &c.* Marcellus Papa in domo Lucinæ via Latina sacra faciebat, ut docent Acta 16. Januarii. S. Gregorius lib. 5. epist. 43. indictione 14. mandat Joanni Episcopo Syracusano, amicitiæ, pacisq; causa, quæ inter Ecclesiæ, & seculi Præsides esse debet, in Venantii Præfecti domo Missarum peragi mysteria permittat. Quod difficile alioquin impetratu erat.

IN CELLA. Metaphrastes in Phanutio; *Cui prodito, nondum tamen tradito, proximam Martyrii palmam Angelus annunciat. At ille in cellulam suam ingressus, pallio, & lin-*

& linteo se induit, ac post oblationem exiit ita hilaris, ut ad convivium alter pergens.

ANTE LECTUM. Uranius presbyter de sancto Paulino Nolano, cap.2. ibi: *Et quasi profecturus ad Dominum jubet sibi ante lectulum sacra mysteria exhiberi, ut oblato sacrificio animam suam Domino commendaret.*

Ac demum in MARI. S. VValfranus Archiepiscopus Senonensis apud Divum Antoninum part.2. cap.2. tit. 13. §. 2. dum in Phrisiam navigaret, in medio Mari positis anchoris Missam cantaret; & dum minister offerre Patenam sancto debebat, illa cecidit in Mare; & Sanctus mittens ad locum, ubi ceciderat, effecit, ut ab imo Maris revecta, manui ministri cohæreret.

Quis minister.

Sacerdos, cujus ea dignitas, ut major esse non possit. In eo laudando Patres omnes Chrysostomi sunt, sed ipse super omnes lib.2. de Sacerdotio: *Tanto est superius regno sacerdotium; quantum est inter spiritum & carnem intervallum.* Consternavit hæc Majestas tanta sanctum Paulinum epistola 6. ad Sulpitium Severum, cùm de suo sacerdotio loquitur. *Novum, insperatumque placitum Divinæ voluntatis expavi. Data igitur cervice in jugum Christi, video majora me meritis, & sensibus opera tractare; jamque arcanis, & penetralibus Dei summi receptum & insertum, communicare cœlestia, & Deo propius admotum, in Spiritu ipso Christi, & corpore, & splendore versari.*

Mediatorem ipse agit Deum inter, & humanum genus. Chrysostomus ubi supra. *Medius inter Deum, & hominum naturam, stat sacerdos, beneficia illinc ad nos deducens.* Honorem ideo summum Christiani illi habitum iverunt; & in famulo Dominum, & in Oratore Regem venerati sunt. Concilium Matisconense cap.14. *Statuimus, ut si quis sæcularium quempiam clericorum in itinere obvium habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris veneranter, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cujus officia, & obsequia fidelissima Christianitatis jura promeruit, &c.* Et facto ipso B. Martinus præ Imperatore sacerdotem veneratus est, ut ad Desiderium scribit Severus Sulpitius. Forte enim Imperator Maximus virum sanctum eò induxit, ut mensæ voluerit interesse. *Ad medium convivium, ut mos est, pateram Regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo dari potius jubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram presbytero suo tradidit; nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet, nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos, qui à Rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti sunt, placeret: Celeberrimumque per totum palatium fuit, fecisse Martinum in Regis prandio, quod in infimorum judicum conviviis Episcoporum nemo fecisset.*

Verum quia, ut B. Nilus tractatu Parænetico, *Sacerdos non est, qui pro sacerdotis dignitate non vivit*; Propterea attendamus nos Sacerdotes potissimum consequi scientiam, castitatem, vitæ integritatem, vigilantiam, sanctitatem & reliqua, de quibus Apostolus ad Timotheum cap.3. & ad Titum cap.1.

CAP. X.

De particulari Missæ Expositione.

DIcendum de quibusdam ad expositionem Missæ ex Amalario Fortunato de divinis officiis: Rabano Mauro de institut. Cleric. Strabone, ex Ruperto Abbate, & Albino de divin offic. ex quibus & aliis nos quædam recensebimus. Et quamvis priscis Apostolorum temporibus Missarum celebritas ageretur, ut ad ipsam solummodo orationem Dominicam oblationis Hostiam consecrarent, ex Bernone, de quibusdam ad Missæ sacrificium. Voluit etiam Albinus de divin. offic. cap. de celebrat. Missæ: quod hanc Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ celebraverit, in qua tres tantummodo Orationes in initio fidei proferrentur, incipientes ubi dicitur: *Hanc igitur oblationem.* Sed quoniam, crescente statu Religionis, creverunt Missæ ritus: Nos per singula capita prosequemur notabiliora, quæ quique Romanorum Pontificum contulerunt; magis secundum ordinem eorum, quæ ordinata sunt, quàm eorum qui ordinaverunt.

DE INTROITU MISSÆ.

INtroitus initium habet à prima Antiphona: Quæ ex Græco *Vox reciproca* interpretatur, duobus alternatim psallentibus; & finitur in oratione. Introitus Episcopi ad Missam, qui Christi est Vicarius, illius adventum nobis ad memoriam reducit, & populi adunationem ad eum, sive per suam prædicationem, sive suorum. Hoc officium addidit Missæ Cœlestinus, ut in gestis Pontificalibus continetur: ille constituit, ut Psalmi David 150 ante sacrificium psallerentur; quod ante non fiebat; nisi quod epistola beati Pauli Apostoli, & sanctum Evangelium recitabatur: Et sic Missa celebrabatur. Qui mos etiam hodie retinetur in vigiliis Paschæ, & Pentecostes. Successores vero Pontifices, ne tædio afficeretur Sacerdos, ac etiam adstantes; commutarunt vice psalmorum quasdam orationes, collectas, versicula &c. ut nos infra dicemus. Cantorum dulcis vox huic operi dedita est, ut sua dulcedine idonea sit hortari populum ad confitendum Domino, ut legitur in libro Paralipomenon: *Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus auditur, &c.* Adveniens Dominus ducit secum Prophetas, & sapientes, & scribas, quos in Evangelio pronunciavit se mittere ad invitandum populum. Diaconi loco Prophetarum sunt, qui annunciant ex Evangelio futuram vitam. Subdiaconi loco sapientum, qui sciunt ordinatè vasa Domini disponere. Acolythi loco Scribarum, qui accendunt corda fidelium ex Scriptura sacra; & ferunt candelabra, ut super fundamentum jam positum luceat lux Prædicatorum coram hominibus.

DE KYRIE ELEISON.

ADunato per prædicationem Christi populo Dei ex magna parte, in quo Cantores magno certamine laboraverunt; ne aliqua præsumptio inutilis subrepat corda

corda eorum, hortatur eos Dominus dicere: Servi inutiles ſumus; & ideo proſequuntur, *Kyrie eleiſon*, Domine Pater miſerere. *Chriſte eleiſon*: Miſerere, qui nos redemiſti, & iterum *Kyrie eleiſon*: Domine Spiritus ſancte miſerere. Poteſt etiam intelligi, ut Cantores poſt finitam Antiphonam, precentur Dei miſericordiam, quæ deprimat inanem jactantiam, quæ ſolet ſequi cantores. At verius ante omnem orationem ſpecialem ſacerdotum, neceſſe eſt ut generalis Oratio Litaniæ agatur à Clero. Primò, ut ſerenetur mens ſacerdotis ad intelligenda, quæ ore dicit. Secundo, ut dignus ſit loqui Deo, quantum humana conditio patitur. Tertio, ut in judicio miſericordiæ repellantur à mente vanæ cogitationes, quæ accidunt viſu, auditu, cæteriſque ſenſibus, ut in oratione ſola inviſibilia mens cogitet. Ideo autem *Kyrie eleiſon*, Latini Græcè; & Græci aliqua Latinè proferunt; quia quædam Græca honeſtius quam Latina; & quædam Latina melius quam Græca ſonant: & ut unum populum non eſſe oſtendamus, unumque Deum, utrumque populum credere. Gregorius II. Romanus Pont. præcepit à Clero cantari *Kyrie eleiſon*, quod apud Græcos ab omni populo cantabatur.

DE GLORIA IN EXCELSIS DEO.

TEleſphorus natione Græcus conſtituit, ut hymnus diceretur Angelicus, hoc eſt *Gloria in excelſis Deo*, tantum in nocte Natalis Domini. Symmachus XLV. poſt Teleſphorum conſtituit, ut omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum, idem hymnus cantaretur. Sacerdos quando dicit, *Gloria in excelſis Deo*, Orientis partes ſolet reſpicere, in quibus ita ſolemus Deum requirere, quaſi ibi propria ejus ſedes ſit; cum alioquin ſciamus eum ubique eſſe. Vel ſecundum ſanctum Auguſtinum in oratione Domini in Monte, convertimur ad Orientem, unde cœlum ſurgit; non tanquam ibi ſit Deus, qui ubique Majeſtatis potentia præſens eſt; ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem, id eſt ad Dominum, ſe convertere. Ac etiam dicimus, *Gloria in excelſis Deo* cantandum; quoniam ineffabilis in Excelſis facta eſt, quando Chriſtus tranſitu ſuo animas Sanctorum copulavit conſortio Angelorum, ut Angelus in Nativitate annuntiavit.

DE PRIMA MISSÆ ORATIONE.

QUando dicimus, *Pax vobis*, vel *Dominus vobiſcum*, quod eſt ſalutatio, ad populum ſumus verſi. Quem ſalutamus, faciem præſentamus, excepto uno, quod eſt in præparatione hymni ante *Te igitur*, ibi occupati ad inſtituendam intentionem devotiſſimam, quam habemus in offerendo ſacrificio; congruentius eſt ibidem verſos nos eſſe, quam retro reſpicere. Salutavit in veteri Teſtamento Angelus Gedeon, dicens: *Dominus tecum Virorum fortiſſime*. Et iterum dixit Dominus: *Pax tecum*; & in lib. 2. Paralipom. *Audi me Aſa, & omnis Juda, & Benjamin*: *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo*. Reſponſio noſtra: *Et cum ſpiritu tuo*, ex Pauli epiſtola 2. ad Timoth. ſumpta eſt. Hac ſalutatione Epiſcopi, & reſponſione populi, intelligimus unum debere eſſe affectum Epiſcopi & populi, ſive hoſpitium unius Domini. Deinde revertitur Epiſcopus ad Orientem, & dicit, *Oremus*: & deinde ſequitur Oratio, ſive Benedictio; ſic & Chriſtus antequam aſcenderet in Cœlum,

Cœlum, *Benedixit eis*, sicut scriptum est in Evangelio Lucæ. Utroque nomine Benedictionis, & Orationis, vocatur Oratio Sacerdotis.

Sequitur Collecta sic dicta, quod ex multis sermonibus una colligatur Oratio: sive à collectione, & societate Populi dicitur, qui tunc in unum concurrens colligitur. Ideo autem in omnibus Collectis interponitur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*: ut omne quod datur à Patre, intelligamus per Filium mediatorem ejus nos accipere, cujus hæreditas sumus. Et impossibile est æterna Dei beneficia per aliam viam decurrere ad nos, quàm per ipsum: Dicente ipso Christo: *Quodcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* Dicens vero Sacerdos: *Qui tecum vivit & regnat, &c.* admonet Populum, ut credat Filium Dei vivere, & regnare semper sine initio, & sine termino, & unam potestatem habere æqualiter cum Patre & Spiritu sancto, atque unam substantiam. *Amen* vero Confirmatio est Orationis à Populo; nempè: ita nos credimus, sicut tu dicis, Filium Dei ante omnia sæcula regnare &c.

DE SESSIONE EPISCOPI.

DEinde Christus ascendit in Cœlum, ut sedeat ad dexteram Patris. Episcopus, quia Vicarius est Christi, debet hic ad memoriam nobis reducere Christi ascensionem, & sedem. Quapropter ascendit in sedem post opus, & laborem ministerii commissi. De iis, qui ascenderunt cum Christo, aliqui sedent, aliqui stant. Per eos, qui sedent, demonstrantur membra Christi in pace quiescentia; per eos, qui stant, in certamine posita. Caput & membra unum corpus, quomodo Christus in aliquibus sedet, in aliquibus stat, aliqui ascendentium sedent, aliqui stant.

DE OFFICIO LECTORIS ET CANTORIS.

LEctor dicitur, quia lectione fungitur, ut ait Isidorus: Lectio dicitur, quia non cantatur, ut Psalmi, vel Hymni; sed legitur. Cantus post sessionem sequitur lectionem, quæ legitur; & talis cantus vocatur Responsorius, quod alio desinente, alius respondeat. Possumus etiam officio Cantoris Prophetas intelligere. Lectio Legis, & Prophetarum frequentabatur etiam à populo antiquitus; unde habetur in Actis Apost. ibi: *Et ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt ad eos, &c.* Ex Responsorio admonetur Cantor, seu Prædicator, quomodo doctrinam, quæ præcessit in Lectione, exerceat; ut dulcedine suæ imitationis plurimos sibi adsciscat: & conjuncti corda multorum excitent ad compunctionem & lachrymas.

DE ALLELUJA.

CAntus Alleluja antiquus est Hebræorum, cujus expositio duorum verborum compositione consistit, nempe *Laus Dei.* De cujus mysterio Joannes in Apocal. refert, audivisse vocem cœlestis exercitus Angelorum, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem validorum tonitruum, dicentium Alleluja: & propterea à nobis canitur Alleluja; ut ostendamus nos colere eundem Deum in terris, quem colunt Angeli in Cœlis; ac etiam cùm sit illud unum ex decem nominibus, quibus vocatur Deus apud Hebræos.

Alleluja

Alleluja cantatur per festos dies in recordatione æternæ lætitiæ, in quo totum canitur dexterum, quod Ecclesiæ lætitiam, & Domini laudem sine tristitia retinet; nempe: *Dominus regnavit, exultet terra. Lauda anima mea Dominum. Jubilate Deo omnis terra: &c.*

At vero, qui in laboribus & sudoribus se adhuc esse conspiciunt; non competit eis adjungere laudibus Dei Alleluja; quod non hujus temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat. Unde mos inolevit; quod in diebus Septuagesimæ usque ad Pascha non cantetur, quia sunt dies luctus & pœnitentiæ. Ivo Carnotens. de Sacramentis Dedicationis.

Canitur Alleluja post Graduale; Canticum lætitiæ post luctum pœnitentiæ summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ reposita est illis qui lugent; ut illuc rapiantur, ubi sancti exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 1. cap. 35.

DE ASCENSU IN PULPITUM.

Lector & Cantor in gradum ascendunt more antiquorum, juxta illud, quod scriptum est in Esdra: *Stetit autem Esdras Scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* Et paulò post; *Super universum quippe Populum eminebat.* Et in Paralipomenon: *Fecerat Salomon basin æneam, & posuit eam in medio Basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, &c.* Verum quia Salomon, quasi Rex, basin fecit æneam: Porro Esdras, quasi minoris potentiæ, gradum ad loquendum ligneum constituit: sed non minoris perfectionis sacramentum est putandum, ligneum Gradum, quàm Basem habere æneam. Nam sicut æs pro diuturnitate perdurandi, vel suavitate sonandi, Divinis competit sacramentis, quæ nulla sæculorum longitudine deficiunt; *Et in omnem terram exivit sonus eorum:* Ita etiam lignum eisdem aptissimè congruit, propter trophæum Dominicæ Passionis: unde merito fiduciam liberè verbum Dei prædicandi obtinet.

DE DIACONI ASCENSIONE IN TRIBUNAL.

Tribunal vocat Cyprianus Gradum, super quem ascendit Diaconus ad legendum, sic scribens ad Clerum de Celerino Lectore ordinato, ibi: *Quid aliud, quàm super pulpitum, id est super Tribunal Ecclesiæ, oportebat imponi; ut loci altioris celsitate subnixus, & Plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta, & Evangelium Domini, quæ fortiter, & fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in iis, quæ Dominus loquutus est, audiatur.* Post sessionem, modo surgendum est ad verba Evangelii.

Anastasius natione Romanus, ut legitur in actibus Episcopalibus, constituit, ut quotiescunque Evangelia sancta recitantur, Sacerdotes non sedeant, sed curvi stantes, Dominica verba intente audiant & adorent, ut in Decret. de Consecrat. distinct. 1. Can. Apostolica in ordine. 68. Deinde ponit Episcopus thymiama in thuribulum super prunas, ut suavem odorem excitet. Thuribulum Corpus Christi significat, in quo est ignis, scilicet Spiritus sanctus, ex quo bonus odor procedit, quem unusquisque electorum ad se vult rapere. Deinde Diaconus

petit à sacerdote Benedictionem, ut cor ejus Dominicis verbis adhæreat; & ut non exhalent verba imposita, neve introeant noxia; signo Crucis facto manu sacerdotis super caput ejus, munitur. Salutante Diacono congruit, ut sacerdos, & omnis populus, vertant se ad Orientem, & faciant Crucem in frontibus suis. Quoniam sedes verecundiæ in fronte solet esse: siquidem Judæi erubescunt credere in illum, quem norunt Cruci fixum, ut Apostolus dicit: *Nos quidem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum*, &, *Credimus per eundem salvari.*

Duo Cerei, qui portantur ante Evangelium, Legem, & Prophetas designant præcinuisse Evangelicam doctrinam. Cerei quoque Evangelium præcedentes, demonstrant, gratia Evangelii mundum illuminatum, qui erat in tenebris peccatorum. Thuribulum verò opinionem bonarum virtutum procedentem de Christo ante Evangelicam doctrinam: quia priùs Jesus fecit, & postea docuit. Excelsior locus, in quo legitur Evangelium, eminentissimam doctrinam Evangelicæ prædicationis. Status inferior cereorum monstrat, inferiorem esse Legem, & Prophetas Evangelio.

Verba Evangelii Levita pronunciaturus contra Septentrionem faciem vertit: ut ostendat, verbum Dei, & annunciationem Spiritus sancti contra eum dirigi, qui semper Spiritui sancto contrarius extitit, & in nullo ei communicat. Sicuti etiam per Austrum, qui ventus est calidus, & leniter flat, Spiritus sanctus designatur, qui corda ad amorem dilectionis inflammat; ita & per Aquilonem, qui frigidus est, Diabolus intelligitur, qui eos quos possidet, ab amore Charitatis torpentes, & frigidos reddit. Quod autem per Aquilonem Diabolus designetur, ostendit Propheta dicens: *O Lucifer, qui dicebas in corde tuo, Sedebo in lateribus Aquilonis, &c.*

Salutat populum dicens, *Dominus vobiscum*, quatenus corda illorum à mundanis cogitationibus Dominus emundet, & ad suscipienda verba salutifera aperire dignetur. Dicit Diaconus: *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum*: ut ea quæ sequuntur post salutationem in illa lectione secundùm illud Evangelium contineantur. Hinc sequitur Evangelium, quod de Græco in Latinum sonat *Bonum nuncium*: & quod est melius nuncium, quàm istud: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum?* Seu quæ dicuntur in Evangelio de Incarnatione, Miraculis, Passione, Resurrectione, Ascensione Filii Dei? &c. Post recitatum Evangelium, iterum signo Crucis populus se munire festinat; ut quod ex divinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo Crucis permaneat, ne à mentibus eorum Diabolica fraude evacuari valeat.

Quòd Dalmaticam non nisi festis diebus induit Diaconus: non autem tempore Quadragesimæ seu Adventus: hoc significat, quod rationem sublimium Sacramentorum, non nisi postquam glorificatus est Dominus Jesus, & Spiritus sanctus advenit, Discipuli portare potuerunt; Nam tunica illa rationem sublimium significat. Rupertus Abbas, de Divinis offic. lib. 1. cap. 36.

Subdia-

Subdiaconus apertum circumfert Evangelii librum, omnibus religioso osculo salutandum, quem ad introitum portaverat clausum; quia post prædicationem Christi cœpit lex credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere fidem Evangelicam. Rupertus Abbas lib.2.cap.1.

Cerei extinguuntur post Evangelium, quia ejusdem prædicatione Lex & Prophetæ cessarunt. Amalarius & alii.

DE SYMBOLO.

Occasione Concilii Aquisgranensis de anno 809. in quo fuit quæstio de processione Spiritus sancti; Dum apud Hispanos, & Francos additæ fuissent Symbolo Constantinopolitano quatuor syllabæ, nempe, FILIOQUE; Quare ad Leonem Papam à Carolo Imperatore per Legatos delata: Etsi permiserit Leo symbolum cani, prohibuit tamen, ne cum eo additamento caneretur. Cæterum VValfridius Strabo de rebus Ecclesf. cap. 22. tradit, usum cantandi in Ecclesia symbolum, à tempore damnatæ Felicianæ Hæresis in Gallia, atque Germania fuisse frequentatum. Ut verò Constantinopolitanum potius, quam Nicenum caneretur, ea ratione factum, quod aptum videretur modulis Musicis: ex Baronio anno 809. & ibidem Spondanus num. 4. Verùm quia deinde Aquilejensis Patriarcha conspiraverat unà cum Photio adversus Ecclesiam Latinam, quod Spiritus sanctus à Filio non procederet: Ideo Leo Magnus Romanus Pontifex in epistola ad Turbium Episcopum; Itemque universæ Galliarum, & Hispaniarum Ecclesiæ scripsit: quamvis Ecclesia Romana antiquitatis tenacissima, diutius recusaverit additamentum illud, *Filioque*, in symbolo Constantinopolitano; tamen deinde Romani Pontifices inferendas in symbolum decreverunt illas quatuor syllabas, *Filioque*, propter proterviam prædictorum; ut ex Baronio anno 883. ubi Spondanus num. 3. & 4. & habetur in Synodo Toletana 3. tom. 2. Conciliorum. *Pro firmitate Fidei Catholicæ, nostra decrevit authoritas, ut propter roborandam gentis nostræ novellam confessionem, omnes Hispaniarum, & Gallicæ Ecclesiæ hanc regulam servent, ut omni sacrificii tempore ante communicationem Corporis Christi, & Sanguinis, juxta Orientalium partium morem unanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant symbolum, &c.*

Successu temporis, refert Berno Agiensis Abbas de rebus ad Missam spectantibus cap. 3. cùm Romani Presbyteri ab eo interrogarentur, cur post Evangelium (ut in aliis Ecclesiis fiebat) symbolum non cantarent? illos respondisse, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in sodalitate Catholicæ fidei permaneret inconcussa; nec ideo necessarium esse symbolum ibidem cantando frequentare, ut in aliis partibus. Additque dictus auctor, nihilominus Imperatorem Benedicto Papæ persuasisse, quod etiam Romani Pontifices ad publicam Missam symbolum decantarent; ut mox observatum refert etiam Baronius anno 1024. ubi Spondanus num. 3.

DE OFFERTORIIS.

OFfertoria, quæ in ſacrificiorum honore canuntur, Eccleſiaſticus liber cap. 50. indicium eſt, Veteres cantare ſolitos, quando Victimæ immolabantur; ſic enim inquit: *Porrexit Sacerdos manum ſuam in libationem, & libavit de ſanguine Uvæ, & fudit in fundamento Altaris odorem Divinum excelſo Principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis ductilibus, & ſonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Domino.* Non aliter, & nunc in ſono tubæ, id eſt vocis, prædicatione cantus accendimur, ſimulque corde & opere laudes Domini declarantes, jubilamus in altum, in illo ſcilicet vero ſacrificio, cujus ſanguine ſalvatus eſt mundus. Ac etiam quia dum Turba cantabat *Hoſanna*; tunc Chriſtus vota eorum ſuſcipiebat. Et propterea hujusmodi oblationes ſemper in Miſſarum ſolennibus offerendas præcipit Gregor. VII. Papa ut in Decret. de Conſecrat. diſtinct. 1. can. Omnis, in ordine 69. & hoc ad memoriam, quod Deus per Moyſen dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.*

Offerenda inchoatur in Miſſa, quando ſacerdos dicit, *Dominus vobiſcum*; & finitur, quando excelſa voce dicit, *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Chriſtus cum venire dignatus eſt in Hieruſalem die Palmarum, & ibi expectaret diem Immolationis ſuæ, in illo conſummata eſt omnis immolatio Hebræorum. Dicitur, *Dominus vobiſcum*; Quoniam Dominus ſalutavit Turbam venientem ſibi obviam, cum talis eſſet conſuetudo Judæorum. Dicitur, *Oremus*: Quoniam oratione ſerenantur corda ad cognoſcendum Dominum. Deinde Sacerdos ad Altare *diſponit oblationes*, quas immolaturus eſt Domino in ſequentibus Miſſæ: ſic Chriſtus poſt oblationes canentium Templum introivit, ibique ſe præſentavit ſibi, Deoque Patri ad immolationem futuram. Poſtea dicit Sacerdos *Secreta*: Quoniam Agnus Paſchalis latebat in Chriſto, qui erat immolandus; quod non ſolum Judæis, ſed & Apoſtolis, & cæteris erat ſecretum uſque ad diem Cœnæ. Ac etiam tale ſilentium poſt offerendam denotat memoriam Dominicæ Paſſionis; cum Chriſtus non palam ambularet, & Diſcipuli conticeſcerent. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 2. cap. 4. Interim ponitur Sindon, ſeu *Corporale* in Altare: ut ſicut ille mundus eſt, & nitet ſuo ſplendore; ita intentio offerentium ſimplicitate niteat coram Deo Corporale, cui ſuperimponitur Corpus Dominicum, non aliud quàm lineum eſſe oportet; quoniam Joſeph linteum mundum legimus emiſſe, ubi corpus Dominicum involvit. *Lavat Sacerdos manus ſuas* more priorum Sacerdotum, ut exterſæ ſint à tactu. Lavatio manuum munditiam cordis ſignificat per lachrymas, & compunctionem. Et de hac ablutione, quæ fit circa Offertorium, S. Dionyſ. Areopag. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3. inquit: *Ablutio illa non fit ad delendas corporis ſordes, quæ jam lotæ fuerant; ſed in ſymbolum, quod oporteat nos à peccatis omnibus mundari; & ad deſignandam animi puritatem: atque ideo abluuntur non manus, ſed ſolæ extremitates digitorum: ad deſignandum, non ſolum gravia, ſed etiam leviſſima peccata eſſe tollenda.* Idem affirmat Clemens Papa lib. 8. Conſtit. cap. 5. Cyrill. Catech. 5. Myſtic. S. Thomas part. 3.

quæſt.

quæst. 83. art. 5. ad primum. Neque quisquam de plebe ibi lavari, sed ipse Pontifex jussus est, & filii ejus; quia magnorum virorum sicut perfectior vita; sic & compunctio solet esse sublimior. *Orat* pro suis propriis delictis remissionem, ut dignus sit accedere ad Altara, & ad tactum oblatarum. Diaconus *miscet aquam vino*: Quoniam, ut inquit sanctus Cyprianus, lib. 2. epist. 3 quem refert Isidor. De Eccles. offic. lib. 1. cap. 18. Christo populus adunatur, & credentium plebs in eum, in quem credidit, copulatur, & jungitur: & hæc sic miscentur in Calice, ut invicem separari non possint; & si quis vinum tantum offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola; incipit plebs esse sine Christo. Alexander Romanus Pont. in ord. 6. ideo decrevit, quod sicut de latere Crucifixi Domini effluxit Sanguis & aqua; ita aqua vino in consecratione misceatur, nec unum sine altero offeratur. Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa parat mentes Fratrum dicens, *Sursum corda*. Quapropter Apostolus admonet instantes orationi, vigilantes in ea, docens, eos impetrare quod postulant, quos Deus vigilantes videt. Et propterea S. Cyprianus serm. 6. de orat. Dominic. relatus in Decret. de consecrat. dist. 1. can. Quando in ord. 70. inquit: *Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda; ut dum respondet Plebs, Habeamus ad Dominum, admoneatur, nihil se aliud, quam Dominum cogitare debere.*

De Præfatione seu de Hymno ante Domini nostri Passionem.

HYmnus ideo dicitur, quia refertus est gratiarum actione, & laudibus Angelorum, qui solent adesse consecrationi Corporis Christi. Revocat hoc nobis ad memoriam, quod Christus in Cœna multa locutus est cum Discipulis, & Hymnum cantavit, ut refert sanctus Joannes, in quo precatus est Patrem pro Discipulis suis. Refert Beda talem hymnum fuisse exemplum cantus Ecclesiastici; ac etiam refert Paulus Burgensis, Judæos loco gratiarum actionis post cœnam septem Psalmos recitare solitos, incipien. à Psalmo 112. *Laudate pueri Dominum*, cum sequentibus: quod refert etiam Maldonatus in Matth. cap 26. num. 30. Quales autem Præfationes in Missa sint cantandæ, referuntur à Pelagio II. Papa, & in Decreto de consecrat. distinct. 1. cap. Invenimus in ord. 71.

Prædicto Hymno subsequitur alter additus à Sixto Papa, ut in Gestis Pontificalibus legitur, videlicet: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Idem hymnus duorum ordinum voces continet Angelorum, ut in præcedentibus verbis: ordo hominum dicit, *Osanna in Excelsis, Benedictus, &c.* Quam partem hymni cantavit Turba præcedens Dominum in die Palmarum. Unde quia superna Civitas ex Angelis & hominibus constat; merito sancta Ecclesia, quæ illis socianda est in Cœlo, jam nunc ipsis vocibus Deum laudat in terris, quibus cum sancti Angeli laudant in Cœlis.

Dicitur in prædicto Angelorum Hymno, *Sabaoth*, quod unum eſt ex decem nominibus Dei apud Hebræos & interpretatur *Exercituum*, ſive *Virtutum*, vel *Militiarum*; quia omnes exercitus & militiæ, Virtutesque Angelorum illi ſerviunt. In verbis autem turbarum laudantium Dominum venientem Hieroſolymam, atque dicentium, *Hoſanna in excelſis* &c. ita poſt laudem, & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis adjungitur etiam gratiarum actio de adventu Salvatoris, qui pro ſalute noſtra *Homo factus eſt:* Quod enim dicit *Hoſanna*, interpretatur, O Domine ſalvum me fac, ſeu ſalvifica in excelſis. Huc uſque Præfatio : hinc Obſecratio ſequitur.

TE IGITUR.

Obſecratio.

AD ſolum autem Patrem dirigitur oratio (quæ initium eſt Canonis;) cum totius ſanctæ Trinitatis, ſicut una eſt Divinitas; ita æqualis honor, & glorificatio. Id Apoſtoli, ſancto per eos ordinante Spiritu, ſanxerunt; ut qui multorum Deorum errores unius Dei prædicatione nitebantur evellere; ſub Trinitatis Sacramento uni Perſonæ in ſacrificiorum ritu eſſe ſupplicandum decernerent; ne qui unum Deum prædicabant, in pluralem Divinitatis numerum incidiſſe arguerentur: & quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, unius Deitatis, unius naturæ, unius ſubſtantiæ, unius denique poteſtatis exiſtunt; una ex eis perſona propter unitatis myſterium retinendum, in ſacrificio invocaretur: Nec alia debuit, niſi quæ prima eſt, in qua duæ cæteræ naturaliter exiſtunt.

Hæc oratio ſecretè etiam dicitur, quia magiſterio ſuo Dominus ſecreto nos orare præcepit in abditis, & ſecretis locis, in cubiculis ipſis; ut ſciamus ipſum audire, & videre omnes, & abdita & occulta penetrare; nec vocis, ſed cordis, auditor eſt; nec clamoribus admonendus, qui cogitationes hominum videt.

Refert etiam Albinus de divin. offic. Idcirco conſuetudo venit in Eccleſia, ut tacite iſta obſecratio atque conſecratio à ſacerdote cantetur; ne verba tam ſacra, & ad tantum myſterium pertinentia vileſcerent; dum penè omnes per uſum ea retinentes memoriæ, per vicos & plateas, aliisque locis, ubi non conveniret, ea decantarent. Inde fertur quod antequam hæc conſuetudo inoleviſſet, cum Paſtores ea decantarent, divinitus percuſſi fuerint.

Exercet hic ſacerdos unà cum Eccleſia, ſpiritali deſiderio intrans in ſacrarium Dei ſupremum & æternum, tres orationes; id eſt pro univerſali Eccleſia, pro fratribus ſpecialibus, & pro Clero ſacerdotum; ita etiam Chriſtus in monte Oliveti ante ſuam proditionem.

De Inſtitutione Domini in conſecrando Corpore & Sanguine.

Sacrificiũ Laudis.

OFfertur hoc ſacrificium Laudis Deo à tota Eccleſia Catholica, ut ex his verbis: *Quorum tibi fides cognita eſt* , *& nota devotio*, & deinde : *Qui tibi offerunt.* Quod

Quod enim adimpletur propriè ministerio sacerdotum; hoc generaliter agitur fide, & devotione cunctorum. Sacrificium dicitur Laudis, quia in laude illius offertur: non enim nostra illi damus, sed sua reddimus.

Recensetur in hoc sacrificio memoria sanctissimæ Virginis, & omnium Sanctorum: propter merita namque & intercessionem justorum, Dominus miseretur. Sic & Moyses pro populo precante intercedens, Patrum facit mentionem: Ezechiæ auxilium petenti dicitur: *Civitatem hanc protegam propter te, & propter David servum meum.* Postulat Ecclesia suffragia Martyrum; non tamen sacrificat Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro.

HANC IGITUR OBLATIONEM SERVITUTIS NOSTRÆ.

Quam Obsecrationem Gelasius principaliter composuit: sed B. Gregorius addidit hunc versiculum: *Atque ab æterna damnatione &c.* Quibus verbis sacerdos præmissa oratione munera subsequitur; & adorans loquitur sapienter, quæ pacis sunt, ne in æternum pereat, sed gloriam consequatur.

Consecratio. Huc usque Obsecratio: hinc sequitur Consecratio, seu sacrificium Immolationis Corporis Christi pro peccatis, ex Apostolo ad Timotheum: *Qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere*; & cum sit Dominus omnium, voluit Hostia fieri pro peccatoribus, qui non poterant Deo offerre sacrificium in reconciliatione peccatorum.

Incipit Consecratio ex his verbis; *Quam oblationem, &c.* Oratur Deus, ut sit illa *Benedicta, Adscripta, & Rata*; id est in numerum placitorum sibi recepta. Hoc autem quod sequitur: *Qui pridie quam pateretur*, usque *In mei memoriam facietis*; Apostoli in usu habuerunt post Ascensionem Domini; & sicut Dominus Apostolis, sic Apostoli generaliter Ecclesiæ tradiderunt, ut in 1. Corinth. cap. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit Panem, &c.* Christi ergo virtute & verbis, iste Panis & Calix ab initio consecratus est, & semper consecrabitur: Ipse enim loquens per Sacerdotes sua verba, cœlesti benedictione sanctum Corpus & Sanguinem suum perfecit.

Quod autem ait: *Sumite ex eo omnes*; Commendatio est unitatis; ut per hoc mysterium Christo participantes, unum simus omnes in illo; sicut Apostolus ait; *Unus panis, unum corpus multi sumus.*

Accipit Sacerdos Panem manibus suis, ut eadem, quæ Christus fecit, & nos faciamus. De Crucibus, quas solemus diverso modo facere super panem & vinum; An Dominus, quando benedixit panem, fecisset simile signaculum; non est certum, cum nondum esset erectum vexillum sanctæ Crucis: At modo scimus nobis necessarium, ex August. in Joannem homil. 64. quod nisi adhibeatur in sacramentis, & sacramentalibus; nihil perficitur. Sacerdotem etiam priscis temporibus, post sacrosanctæ Eucharistiæ consecrationem, consuevisse eandem in altum extollere, & populo ostendere, testatur Anastasius Sinaita de sacra Synaxi. In eo Pane commendavit Christus Corpus suum, & in Calice Sanguinem suum, atque subjunxit: *Hæc*

quo-

quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quare subdit Sacerdos voce sua & plebis: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ Passionis, nec non ab Inferis Resurrectionis, sed & in Cœlos gloriosæ Ascensionis, &c.* Quorum primum Ecclesiæ vulnerat charitatem, alterum confortat fidem, tertium lætificat spem.

Ubi etiam dicens, *Hostiam puram, Hostiam sanctam, &c.* quinquenarium Crucis signaculum Corpori & Sanguini Christi imprimit. Hæc sunt illa foramina viventis Petræ, in quibus immaculata Columba residet, scilicet Ecclesia, quæ quinque Dilecti sui plagas fida tenet & contemplatur memoria. Rupert. Abb. de divin. offic lib. 2. cap. 12. Et subdit Sacerdos: *Supra quæ propitio & sereno vultu respicere digneris, &c.* Non quod vultus Dei aliquando mutetur; sed tunc super nos serenat & illuminat vultum suum, quando declarat super nos misericordiam suam. Precatur dein Sacerdos: *Supplices te rogamus; jube hæc præferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, & in conspectu divinæ Majestatis tuæ, &c.* Unde sanctus Gregorius inquit: *Uno eodemque tempore ac momento, & in excelsis rapitur ministerio Angelorum consociandum Corpori Christi, & ante oculos Sacerdotis in Altari videtur.* Et B. Augustinus de eodem sublimi Altari sic inquit: *Est quoddam Altare Dei invisibile, ad quod non accedit injustus: ille solus accedit, qui ad ipsum securus accedit.* Hæc ex Patrum verbis posita sunt, ne quis carnaliter æstimet in Cœlis esse Altare corporeum; sed potius intelligamus sublime Altare Dei, rationale, & intelligibile, esse in electa & rationali creatura, quæ in contemplatione Dei sublimata, & sibi invicem per Christum unita, verum, & sublime Altare Dei existit; ad cujus unitatem adjungitur nunc per fidem, & in futuro per Divinæ contemplationis speciem omnis multitudo Electorum. Postea inclinato capite Christus emisit spiritum, & Sacerdos inclinans se; & hoc quod vice Christi immolatum est, Deo Patri commendat. Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, quod conjunctim prolata est Passio Christi, & nostra confessio peccatorum, ut non timeremus dura pati pro peccatis nostris. Et Centurio Gentilis confitetur: *Verè hic homo justus erat*; quod designat Sacerdos per mutationem vocis, *Nobis quoque peccatoribus.* Sicut etiam Judæi percutiebant pectora sua, & Latro confitebatur: *Verè &c.* Præterea ex Concilio Cabilonensi 2. ut in decret. de Consecrat. distinct. 1. Can. visum in ord. 72. habetur, ut in omnibus Missarum solenniis Oratio fiat pro Defunctis; quas orationes faciendas pro omnibus in Catholica societate, est antiquitus observatum: Præcedunt enim fideles de corpore exeuntes ad eum; sed non recedunt ab Ecclesia, qui præcedunt cum signo fidei.

DE ORATIONE DOMINICA.

AMalarius de Ecclesiasticis officiis lib. 4. cap. 33. refert Orationem Dominicam ad Missam dici ab Apostolis sumptam, non autem à Græcis, & ut ad ipsam solum orationem, oblationis Hostiam consecrarent. Berno Abbas de quibusdam ad Missam spectantibus, cap. 1. Dominica Oratio dicitur excelsa voce, cum cæteræ

cæteræ ſecreto dicantur, quia ex Apoſtolo Paulo, cum quis precatur, non pro ſe tantum precetur: & ideo non dicimus, Pater meus, qui es in cœlis, nec Panem meum, nec Dimitte mihi: ſed, *Pater noſter, Panem noſtrum*, & *Dimitte nobis*. In iis ſeptem petitionibus, quando dicimus, *Sed libera nos à malo*; comprehendimus adverſa cuncta, quæ contra nos molitur Inimicus: Præterita, Præſentia, & Futura.

Dicitur Oratio Dominicalis expanſis manibus; quia nos inter orandum ipſo geſtu profitemur Chriſtianos, corpore noſtro ad figuram Crucifixi conformato. Tertullian. lib. 1. ad Nationes: *Si ſtatueris hominem manibus expanſis, imaginem Crucis feceris.* Et D. Ambroſius ſerm. 56. de Cruce, inquit: *Homo cum manus levaverit, Crucem peragit; atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipſo membrorum geſtu Paſſionem Domini fateamur.*

Dominicali oratione expleta; Patena, quæ abſcondita & cooperta ſub Corporali, Palliolo, ſeu velo remanſit, dum ſacra fuerunt peracta; tunc detegitur, ut îndicetur, Myſteria omnia veteris Teſtamenti prius occulta, tunc reſerata & patefacta fuiſſe per Chriſti mortem in Cruce; cum ipſe dixit, *Conſummatum eſt.* Rupertus Abbas, & alii ſupra adducti.

DE IMMISSIONE PANIS IN VINUM.

Conſecratio.

QUamdiu in homine vigent caro & ſanguis, ſpiritus adeſt. In iſto officio monſtratur, ſanguinem fuſum pro noſtra anima, & carnem mortuam pro noſtro corpore redire ad propriam ſubſtantiam, atque ſpiritu vivificante vegetari hominem novum, ut ultra non moriatur, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Crux, quæ formatur ſuper Calicem particula oblata, ipſum nobis corpus ante oculos præſcribit, quod pro nobis Cruci fixum eſt.

Tripartita ſacratiſſimæ Hoſtiæ fractura ſanctæ Trinitati oblationem aſſignat: particulamque unam, quæ Perſonam inſinuat Filii, ſacro Sanguini demiſſam immergit.

DE PACIS OSCULO.

SAcerdos dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; per quam conſtet populum ad omnia, quæ in Myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum; ac finita eſſe, Pacis concludentis ſignaculo demonſtreatur. Ac etiam elevatio vocis, bonum ſignificat nuncium Dominicæ Reſurrectionis, dicente; *Pax Domini, &c.* Rupert. Abb. lib. 2. cap. 16. de divin. offic. Et hanc Pacem ante Communionem dari inſtituit Innocentius I. ut refert Strabo de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. columna ultima. Et de oſculo Pacis dicemus infra latè cap. 59.

DE AGNUS DEI.

SErgius Papa conſtituit, *ut Agnus Dei* caneretur, ſicut ſcriptum eſt in geſtis Pontificalibus; & deprecatio eſt pro populo, qui ſumpturus eſt Corpus Chriſti, ut miſericordia Agni, peccata auferantur. Refert etiam Innocentius de Myſteriis Miſſæ lib. 6. cap. 4. additum propter Schiſma, quod tunc vigebat, ut tertia vice diceretur in Miſſa *Agnus Dei* &c. *Dona nobis Pacem.*

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia sumenda est post osculum Pacis: sicut unus panis sumus in Christo, sic & unum cor debemus habere: Ipsa unitas ut teneatur, admonemur per oscula Pacis, cujus unitatem in Sacramento panis commendat Apostolus dicens: *Unus Panis, & unum Corpus sumus.* At nos imitantes Zacchæum, & Centurionem, qui ambo honorificaverunt Christum, dicamus: *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres*: & quemadmodum venerabilis antiquitas in Ecclesiam induxit hunc ritum, ut communicaturi dicant ex Origene, *Domine non sum dignus*: ita & nos peccatis miseri misericordiam consequamur. Sacerdos cum Eucharistiam aliis antiquitus sumendam traderet, quid daret, contestabatur dicens, *Corpus Christi*; Et qui accipiebat, idipsum verum esse profitens, dicebat: *Amen.* Hoc est verum; tradit Ambros. Tertull. & alii relati per Baron. anno 57. ubi Spond. num. 42.

DE ULTIMA BENEDICTIONE.

Dominus ante ascensionem in Cœlum duxit discipulos in Bethaniam, Benedixit eis, & ascendit in Cœlum. Hunc morem tenet Sacerdos, ut post omnia sacramenta consummata, benedicat populo, atque salutet. Et hoc dicto populum excitat ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficiis; quia profecto Redemptore, & ad dextram Patris sedente, & interpellante pro nobis, perseverant ejus Apostoli dicentes nobis: *Semper gratias agite, sine intermissione orate.* Ephes. 5. & 1. Thessal. cap. 5. Benedictionem dari à Sacerdotibus solitam populo, antiqua per Moysen Benedictio comprobat, ut inquit Isidorus de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 17. quæ Benedictio populo sub sacramento trinæ invocationis jubetur: ait enim Dominus ad Moysen in lib. Num. cap. 6. *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Deinde revertitur ad Orientem, ut se commendet Domini Ascensioni. Dicitque Diaconus; *Ite, Missa est.* Singularis enim legatio Christi missi est pro nobis ad Patrem, ut pro nobis ostendat, quale genus mortis pertulerit; de qua legatione inquit Joannes: *Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*; & refert Fortunatus de Eccles. offic. lib 3. cap. 36.

Hæc de augustissimo Missæ sacrificio præcipuè diximus, etiam ex priscis Ecclesiæ ritibus, quoniam non satis est Sectariis nostri temporis, propriis conviciis, & libellis famosis, contumeliis, blasphemiis, sacros Catholicæ Ecclesiæ præsentes ritus impugnare; sed & ipsi denique Corpori, & Sanguini Domini violentas manus inferre, sanctaq; ejus conculcare, & contaminare, ac jugem illam Hostiam sublatam è medio volunt, & abominationem desolationis à Daniele definitam introducere nituntur. Propterea non mirum, si studiosa divinæ legis Ecclesia Romana paulatim jam protulerit de thesauro suo nova pietatis monumenta, & quoddam velut ex auro, lapidibusque pretiosis religiosi Officii sancto Sacrificio fabrefecerit Diadema:

Non

Non quidem sanctius quam erat prius, quando ad sola verba Domini, solamque Dominicam orationem consecrabatur; sed maximè decuit, ut fides, quæ adhuc illo tempore erat rudis; ubi ornari potuit, maximè deauraretur, & earum rerum, quæ superius dicta sunt, veneranda similitudine fulgeret.

CAP. XI.
De Calicis usu.

QUi Calices olim in usu? apud VValfridum Strabonem, lib. de rebus Eccles. cap. 24. & Rodulphum Tungrensem de canonum observantia, propositione 23. *Ecclesiæ Martyr, & Episcopus Bonifacius interrogatus, si liceret in vasis ligneis sacramenta conficere? respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc è contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Nascente siquidem Ecclesia lignei in usu Calices erant; sed quia bibuli imbuebantur sacro Sanguine, à Zephyrino Papa, lib. de Pontificibus Romanis in Zephyrino, in vitreos mutati; ex Hieronymo ad Rusticum: *Nihil Exuperio ditius, qui Corpus Domini vimine canistro, & Sanguinem portat in vitro?* Durarunt ex vitro ad Gregorii Turonensis ætatem, de Gloria Martyr. cap. 16. factum hoc narrat: sed tandem ex vitro exclusi, quia fragiles, Rhemensi Concilio; cap. ut Calix, de consecr. distinct. 1. Ex metallo sapor displicuit, quamvis eo usi Gallus, & Columbanus Abbates. Marmorei Calicis meminit Gregorius Presbyter in Theodoro Archimandrita Sicæorum, cujus supellex argentea in cœnobio nondum ulla erat. Ex auro, & argento apud Augustinum lib. 3. contra Crescon. Gramm. cap. 29. *Calices duo aurei, item Calices sex argentei.* In Carthensi Ecclesia, idem confirmant acta sub Minutio Fœlice; Quibus inhiabant Donatistæ sacrilega prophanatione. Optatus Melevitanus lib. 6. contra Donatistas. Cæterum in præsenti unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens Corporale de lino candidum, & nitidum; ut in Bulla Innocentii IV. Papæ super ritibus Græcorum, anno 11. Pontif. num. 13.

Nec sumptui parcebant; pingebant, cælabant. Tertullian. de Pudicit. cap. 7. *A parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita, à Domino requisita, & humeris revecta, procedunt istæ picturæ calicum vestrorum, si in illis perlucebit interpretatio illius pecudis.*

Addebant etiam pondus & ornatum: Anastas. in Greg. 2. *Hic fecit calicem aureum præcipuum diversis ornatum lapidibus preciosis, pensantem libras triginta: similiter & patenam auream pensantem libras octo, & semis;* Viringus de triplici cœna part. 3. cap. 39.

De vino & aqua mixto.

Vino aqua mixto utendum in sacrificio Calicis; Hieronymus de Quæstion. Hebraicis; *Vinum, quod Deo in sacrificium offerebatur, aqua mixtum erat:* Et idem Doctor in Proverb. cap. 9. una cum Glossa, & Lyrano in Isai. 55. *Bibite vinum, quod miscui vobis, quia a Christo hæc prædicantur, qui in una persona Divinitatem cum Humanitate copulavit.*

Nihilominus aliqui vino abſtinebant, ſed aqua utebantur, qui manè anteluca- no tempore ad ſynaxin conveniebant; Quos graviſſimè Cyprianus erroris monet epiſt. 63. ad Cæcilium, & Chryſoſtomus homil 83. in Matth. quoniam apud priores tres Evangeliſtas legimus: *Genimen vitis*, quæ vinum, non aquam producit.

Et ulterius proceſſit inſania, quod in lacte aliqui conſecrarunt, de quibus Concilium Braccharenſe 3. Procœmio: *Quidam in ſacrificio Domini relati ſunt lac pro vino offerre; Euchariſtiam quoque vino madidam pro complemento Communionis credunt populis porrigendam.*

Alii etiam Mel, & Lac addiderunt: Quod jam ante fuit prohibitum per canon. Apoſtol. 3. ibi: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alia quædam, puta, aut Mel, aut Lac, aut pro vino ſiceram ſuper Altare obtulerit; ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor.*

De Calice miniſtrali.

Confirmat prædicta ſanctus Marcus Evangeliſta in Liturgia, ibi: *Similiter & Calicem poſtquam cœnavit accipiens, factaque vini, & aquæ commixtione, &c.* Et B. Jacobus frater Domini in Miſſa Divina; *Similiter poſtquam cœnavit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino, & aqua, & adſpiciens in Cœlum, &c.* Viringus de triplici cœna part. 3. cap. 45.

Communi uſu vulgo ſub utraque ſpecie communicabatur. Gregor. homil. 22. in Evangel. *Quid ſit ſanguis Agni, non jam audiendo, ſed bibendo.* His ſerviebant miniſtrales Calices, quod iis Chriſti ſanguis populo miniſtraretur; Author vitæ Pontific. in Sixto III. *Calices miniſtrales duos obtulit penſantes ſingulos libras tres.* Et ſuo, quem Eccleſiæ dicavit B. Remigius, apud Amalarium hos verſus inſcripſit.

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro
Injecto: æternus quem fudit vulnere Chriſtus,
Remigius reddit Domino ſua vota ſacerdos.

Et miniſtri, qui populo impertiebantur. De beato Laurentio, S. Leo ſerm. de eo ipſo: *Qui non ſolum miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Euchariſticæ ſubſtantiæ eminebat.* Et ſanctus Ambroſius lib. 1. offic. cap. 41. ubi in perſona ejuſdem Laurentii ad Pontificem Sixtum: *Num degenerem me probaſti? experire certè utrum idoneum miniſtrum elegeris: cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem: cui conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui Sanguinis denegas?*

De uſu Cannæ.

De Canna, ſive Fiſtula, & Calamo, B. Rhenanus ſcholiis in Tertullianum: *Non poſſum celare ſtudioſos antiquitatis Chriſtianæ, Laicos olim canna ſolitos haurire Dominicum ſanguinem è calice; quod pridem mihi indicavit P. Volius Abbas Augoniani cœnobii, erutum ex libro ſignorum, qui frequens extat apud Benedictinos. Idem nuper reperit in primis Carthuſianorum conſtitutionibus Conradus Pellicanus; ubi prohibetur, ne quidquam pretioſum poſſideant præter calicem argenteum, & fiſtulam, qua Laici Dominicum exſorbeant ſanguinem. Præterea libellus de veteribus theſauris Eccleſiæ Maguntinenſis ab hinc annos 400. & eo amplius conſcriptus: Inter aureos calices ingentes ponderis anſatos; cruces aureas, grues argenteas, odores impoſitorum in cavo ventre*

thymia-

thymiamatum per rostra, ac collum mira arte exhalantes juxta aram maximam; vestes sacras gemmatas; & reliqua Donaria: Fistulas quoque recenset argenteas sex, in hunc hauriendi sacrosancti Sanguinis usum deputatas. Si quidem & nunc Romanus Pontifex, quoties publicè sacrificat, aureo calamo sugit sanguinem Dominicum è calice cum Diacono, & Subdiacono.

Adverte id clarius in Pontificali sub Silvestro, ubi feruntur Patinæ, seu Patenæ ad 30. libras ponderasse, quia ut Fiscarius in lib. 4. dist. 11. inquit; *Citius labitur Gutta, quam Hostia*: Et Rodulphus Abbas, sancti Trudonis ante annos 460.

Hic tibi cautela fiat, ne presbyter ægris,
Aut sanis tribuat Laicis de Sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,
Quod non sub specie sit JESUS totus utraque.

Hinc ut cautè fieret initio, Zosimus Papa tom. 1. Conciliorum ad annum circiter 418. *Præcepit, ut nullis poculum in publico proponeretur, nisi tantum in cellis fidelium, & maximè Clericorum.*

Quibus concessa utraque species.

Concessium quidem publicè quibusdam, ut Boemis in Concilio Basiliensi, sess. 30. ea tamen lege, ut sub panis specie integrum Christum agnoscerent; sed privilegio exciderunt, cum Regni Primores utramque speciem necessariam prædicarunt: de quo Æneas Sylvius de origine Boemorum cap. 35. Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia. Fertur Galliæ Rex Clementis VI. indulto, quoties libuerit, sub utraque communicare; etsi alii ad binas vices restringant, nempe dum ipse ungitur, & in articulo mortis. Eandem gratiam Imperatori factam vult Augustinus Patricius de adventu Friderici III. sub Paulo II. sicuti etiam de Imperatoribus Constantinopolitanis refert Curopalata cap. 17. num. 44. in ipsorum coronatione Sanguinem sumpsisse, quemadmodum sacerdotes solent. Feruntur & Monachi D. Bernardi tinxisse Hostiam sanguine antequam sumerent, ut nos particulam miscemus: de quo Divus Thomas part. 3. quæst. 83. artic. 5. ad 8. Summus quoque Pontifex, cum solenniter facit, tradit calicem gustandum Cardinali Diacono: imo populo Romæ Martinus V. manu propria impertiit sacrum calicem, ut Henricus Raltisenus Archiepiscopus Nidrosiensis oratione contra Boemos in Concilio Basiliensi habita testatur: & per Orientem, & Aquilonem apud Moschum, Græcos, Armenos, vicinosque Barbaros, licitè, & sine culpa ait Lindanus ubi supra, utraque species est in usu: Refert Viringus de triplici cœna Christi cap. 44. ante finem: & nos infra cap. 19. dicemus de Communione sub unica specie.

CAP. XII.

De Græcorum Errore.

Græci calidam aquam infundunt in Calicem: Cabasila in expositione Liturgiæ cap. 37. *Spiritus sanctus signatur aqua calida in mysteria infusa; hæc enim cùm & aqua sit, & ignis sit particeps, significat Spiritum sanctum, qui etiam*

Aqua dicitur, & tanquam Ignis apparuit in Christi Discipulos illapsus. Præterea sanctus Germanus Constantinopolitanus in Theotia: *Adfertur aqua calidissima ex exiguo lebete, ac ex ea temperat, quæ Divinæ Mensæ proposita sunt Pocula, ut veluti ex vivente procedant Divino latere, utraque calore referta. Ita sanè, & aqua calidissima tempore Communionis injecta, absolutum typum mysterii explet percipientium mammam poculi, quasi ipso vitam porrigente latere contrectato.* Ubi labitur cum Oriente vir sanctus: nec enim Christo vivo latus apertum, sed jam mortuo; & præfatæ ratiunculæ piæ sunt, sed tortæ. Et ulterius Nicetas Pectoratus supponit tantum, quæ probanda ei erant lib. contra Latinos: *Sanguinem calidissimum ejus bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa ejus, mundamur ab omni delicto; serventi replemur spiritu. Calicem enim, ut videtis, velut ex latere Domini calidum bibimus, quia ex viva carne, & calido spiritu Christi calidissimus nobis sanguis, & aqua emanavit.*

Talis siquidem error convincitur mendacio, supponens Christo viventi vulnus lateris inflictum, ut dolores Christi patientis augeret, contra manifestam Scripturam, Joann. 19. & damnatur in Concilio Viennensi de summ. Trinitate, & fid Cathol. ibi: *Declaramus prædictum Apostolum, & Evangelistam Joannem rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse; narrando quia Christo jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit.* Confutantur quoque errores prædicti sic ab Humberto Cardinali: *Peto, an aqua tantum, vel sanguis tantum, vel utrumque simul calebant? si sanguis tantum, quare aquam calefacitis? si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi: si utrumque simul, quare non simul calefacitis? Ac etiam, si aqua lateris Christi caluit, quare aqua Baptismi non calefit? cum præcipue ipsa Baptismum præfiguravit, sicut sanguis redemptionem?*

Nihilominus Innocentius IV. Papa in Bulla ad Legatum Regni Cypri in Regesto Bullarum Pont. sui anno 11. super ritibus Græcorum, qui tolerari vel non tolerari possint, num. 7. inquit: *Porro in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, sive tepidæ, in altaris sacrificio, suam, si velint, consuetudinem Græci sequantur; dummodo credant, & asserant, quod servata canonis forma, conficiatur pariter de utraque.*

CAP. XIII.

Quomodo servari solita Eucharistia?

PUblicè & privatim decenter habebatur. Publicè in templis, & ad eam rem *Hierothecæ, & Columbæ aureæ.* Ex Amphilochio in vita sancti Basilii, cap. 6. discimus beatum Præsulem Hostiam consecratam, elevatamque divisisse *in tres partes: unam quidem suscepit cum timore multo: aliam verò servavit ad consepeliendum sibi: tertiam autem positam super Columbam auream suspendit super altare:* Quo situ annis præteritis similes pendulas ego in Gallia plurimas vidi. Hinc insanire videmus Lutheranos affirmantes, Christi Corpus esse tantummodo in Eucharistia, cum à Christianis sumitur. Certè quanto in errore versentur, & sacræ istæ Columbæ ostendunt; & Optatus Melevitanus lib. 6. contra Parmenionem docet; cum vocat *Altare, Sedem*

Sedem Corporis & Sanguinis Christi. Dubitabitne igitur homo sanus, quin Corpus Domini tamdiu in Eucharistia permaneat, donec species panis, & vini retinentur.

PYXIS. Acta Martyrum Nicomediensium Indæ, & Donnæ apud Metaphrastem 26. Jan. Horum supellectilem Præfectus invenit clavibus eis sublatis.

TABERNACULUM. Clemens II. constitut. cap. 13 *Et post Communionem omnium tum virorum, tum mulierum, sumant Diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum.* Et Hieronymus in cap. 40. Ezechielis, & in 22. Isaiæ meminit de Pastophorio, seu Tabernaculo, seu Thalamo: quod confirmatur ex Concilio Niceno, can. 64. ibi; *Habeant deinde curam loci, in quo sancta Eucharistia servetur.*

Honorato semper loco, & reconditiori, qui venerationi omnibus erat: Chrysostomus in epistola ad Innocentium Papam, de crassatione agens, ibi: *Omnia spectabant intus recondita, sanctissimusque Christi Sanguis in tanto tumultu in militum vestimenta fusus est.*

IN ALTARI verò, si quando locabatur, eximium erat; Concilium Turonense 2. cap. 3. *Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine; sed sub Crucis titulo componatur.*

IN NAVI. D Gregor. 3. dialog. cap. 36. narrat de Maximiano Monasterii sui Præfecto, qui in Adriatico Mari nimia tempestate deprehensus, inusitato miraculo erga se, cunctosque, qui cum eo aderant, Dei omnipotentis, & iram cognovit, & gratiam; postquam Corpus & Sanguinem Redemptoris ibidem acceperunt.

IN SEPULCHRO; ut ex Amphilochio in vita Basilii supra citato, & ex Divo Gregorio lib. 2. dialog. cap. 24. quem refert sanctus Antoninus part. 2. tit. 15. cap. 13. §. 5. ubi sanctus Benedictus sic præcepit: *Ite, atque hoc Dominicum Corpus super pectus ejus, cum magna reverentia ponite, sicque sepulturæ mandate.* Deinde quasi hoc publicè fieret, proscribunt Conc. Carthag. 3. cap. 6. Hipponense can. 5. Constantinopolitan. 3. sive Trullanum: & proscriptionis causam dant, quod Matth. 26. *Accipite, & edite*: Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Hoc etiam refert Baronius ad annum 57. ubi Spondanus num. 47. in fin.

PRIVATIM etiam servabatur Eucharistia in domibus, cum non liceret ad Synaxes accedere, maximè tempore persecutionis: Baron. ad annum 57. ubi Spond. num. 43. Servabatur præsertim in *Arca.* Cyprian. serm. de lapsis: *Cum quadam, arcam, in qua sanctum Domini fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.*

IN ORARIO involutum habebat S. Satyrus, D. Ambrosii frater, & cum illa pendente de collo Naufragus in Oceanum enatavit; sanctus Ambrosius in funere Satyri.

IN PALLA; Acta sancti Byrini Episcopi apud Surium 3. Decembr. Qui creatus ab Honorio Papa Episcopus, & in Angliam prædicandi Evangelii causa missus, ferebat in mari suspensam ad collum pallam sibi à Pontifice traditam, in qua sanctissimi Christi Corpus erat involutum.

Illud

Illud autem certum est; etsi fideles sacrificii tempore olim in Ecclesia sub utraque specie panis, & vini communicarent; tamen cum vel privatim in domibus suis illam servarent; vel aliter extra sacrificii tempus Eucharistiam reciperent; tunc sub una tantum specie panis illos accipere consuevisse: Card. Baron. ad annum 57. ubi Spondan. num. 44.

Advertendum etiam in proposito asservationis sanctissimæ Eucharistiæ, quòd citata bulla Innocentii IV. Papæ anno Pontificatus II. ad Legatum in Regno Cypri, super ritibus Græcorum num. 7. sic inquit: *Sed & Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam, usque ad annum, prætextu infirmorum; ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent. Liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conservare; ne per diuturnam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum; licet veritas, & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate, sed volubilitate temporis evanescat.* Falsò enim quidam crediderunt, quod Eucharistia in die Cœnæ Domini consecrata majoris esset efficaciæ.

CAP. XIV.

Quo Ritu, seu Ceremoniis, & situ, Communio olim percepta?

SIcuti jam Christus invitavit Discipulos, ut de sacrosancto Corpore participarent: sic pariter Christi vice postea Diaconi sancti sunt, qui proclamabant, *Sancta Sanctis*; ut apud Clementem lib. 8. constitut. cap. 13. Pariter in Missa S. Marci Sacerdos proclamat: *Sancta Sanctis*; eaque verba proferri solita Hostia elevata, dum conversus ad populum sacerdos vocat eos, qui participare voluerint; & jubet accedere cum timore Dei, & fide; & tunc Sacerdos ipse præit: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis.* Populus subsequitur, & communicat; postea Sacerdos oratione benedicit: *Serva Deus populum tuum, & benedic hæreditati tuæ.* Et cantu quidem id fiebat. Ita Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ cap. 36. 37. & 40. Unde Cyrillus Catech. 5. ait: *Audistis deinceps divina melodia psallentem, atque ad sacrorum Mysteriorum communionem vos adhortantem: Gustate, & videte quod Christus est Deus.*

Monet etiam Cyprianus in expositione orationis Dominicæ: *Placendum Divinis oculis etiam habitu corporis.* Ideoque Dionysius Alexandrinus can. 2. apud Photium ait: *Ad sancta sanctorum, qui animo & corpore purus non est, accedere prohibetur.*

Reverentia propterea requiritur in situ, & corporis positione. Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 14. ait: *Ipsum omni puritate colamus; hoc est, & spirituali, & corporea, siquidem ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis, Crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis, & labiis, & frontibus, &c.*

&idem

& idem 6. Synodo can. 1. *Eucharistiam percepturus manus in crucis signum figurans accedat, & gratia communionem accipiat*: Idem Dionysius Alexandrin. Epist. 5. ad Pium, Nicephorus lib. 6. hist. cap. 9.

Jejuni, omnino requiritur, ut sint sumentes sanctissimam Eucharistiam; adeo quod celebrantibus etiam priscis temporibus Missam vespertinam, fuit per varia Concilia decretum, quod essent jejuni. Cyprianus epistola 63. Ambrosius sermone 8. in psalmum 118. Walterius Viringus de triplici cœna lib. 3. cap. 12. & diximus supra, ubi de antiquis Missæ ritibus, cap. 9.

Non urget contra universum Ecclesiæ statum, quod refert Matth. cap. 26. *Cœnantibus autem illis accepit Jesus panem, & benedixit.* Cum etiam superius dixisset: *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis: & edentibus illis dixit: Vnus vestrum me traditurus est.* Postea autem tradidit Sacramentum. Ergo quando primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse Jejunos. Respondetur enim, placuisse Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani intraret prius Dominicum corpus, quam exteri cibi; & iste mos per universum orbem servatur. Nec sicut Apostoli pransi aut cœnati, sic accedere debent fideles ad hoc Sacramentum. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad Passionem erat digressurus: & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum; sicut & Paulus 1. Corinth. 11. de hoc Sacramento loquens: *Itaque fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate, &c.* Ita D. Augustinus epistol. 118. ad Januar. cap. 6.

Curam, quam quis adhibere debeat in sumenda sanctissima Eucharistia, docet Cyrillus, cathechesi 5. *Accedens ad sacram Communionem non expansis manibus, neque disjunctis digitis; sed sinistram velut sedem quandam, subjiciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis tam sacri Corporis contactu communica: tum verò post communionem corporis Christi accede, & ad calicem Sanguinis ipsius non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis, dicens, Amen; sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis: & dum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens & oculos, ad frontem, & reliqua sensuum organa consecra: Postremo expleta oratione Deo gratias age, qui te tantis mysteriis dignum reddidit. Retinete has traditiones, & sine ullius offendiculo vosmet servate, atque à communione vos non præcidatis, neque propter inquinamentum peccati sacris hisce spiritualibusque mysteriis vos ipsos privetis.*

Viris hæc dicit Cyrillus, quia fœminæ Christi Corpus Dominicali excipiebant: Augustinus Linteamina vocavit sermone 152. de tempore. *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus; omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Concilium Antisiodorense tempore Gregorii Magni, can. 36. inquit: *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam sumere, nec manum suam*

P *ad pal-*

ad pallas Dominicas mittere. Et idem Concilium Antisiodorense can. 29. *Vnaquaque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat: quod si non habuerit, usque in alium Dominicum non communicet:* Ut refert etiam Baron. in annum 57. num. 42.

Viri ergo suis manibus, sed puris, corpus Christi magna veneratione excipiebant, easque quasi pro consecratis habebant, ut nefas esset eas polluere. Idem Gregorius Nazianzenus oratione prima in Julianum apostatam, quem ut docuit publice, solenniterque à fide descivisse exaggerat: Manibus quibus sacratissimum Christi Corpus acceperat, abusum. *Victimas igitur cæcidit, earumque sanguine sacrum Baptismi signaculum delere se posse credidit; manus easdem abluit, quibus sacram Eucharistiam ori eam admoturus, acceperat.* Illustres manus vocat sanctus Cyprianus sermone quinto de lapsis. *Illustres manus, quæ non nisi divinis operibus assueverant; sacrificiis sacrilegis restiterunt: sanctificata ora cœlestibus cibis post corpus, & Sanguinem Domini, profana contagia, & idolorum reliquias respuerunt.* Suasque manus lavabant ante Communionem, ut puri essent; narrat Dorotheus doctrin. 9. de quodam fratre, & ait: *Vt ergo hunc vidit manus lavantem, & sese ad Communionem percipiendam præparantem; occurrit ad Abbatem &c.* Refert etiam Curopalata de Imperatoribus Constantinopolitanis cap. 17. num. 44. *Quod in ipsorum coronatione Patriarcha, postquam preciosum corpus Domini sumpsit, tradit quoque Imperatori in manus, Dominici corporis particulam; qua sumpta, sumit etiam vivificum Sanguinem.*

In Orientali Ecclesia fuit frequens usus lanceæ, quæ olim in Cruce sacrum latus fudit; sed lancea hæc apud antiquos Cochlear erat, quo sacer sanguis sine effundendi periculo in communicantium ora immittebatur: quod clarè habetur in canone universali, seu Missa Æthiopica.

In fine sumebant aliquid à Communione, ne irreverenter præter mentem cum saliva aliquid de sacro corpore exspueretur; id suasit suis D. Chrysostomus apud Sozomenum lib 8. cap. 17. ibi: *Quod monere ille consueverat, ut post Communionem, aut aquam, aut pastillum degustarent; ne contra voluntatem unà cum saliva, sive pituita, quicquam sacrum excrearent: ipse prius id faciens.* Apud Æthiopes libro de ordine mysteriorum, sive administrationis sacramenti Confirmationis: *Postea sumunt Sacramentum sanctum, & vivificans, spondente sacerdote pro eis, Corpus scilicet sanctum, & Sanguinem venerandum Domini Dei, & Redemptoris nostri Jesu Christi: Diaconus deinde dat eis Lac & Mel, & dicit: Lac & Mel immaculatum in generationes. Amen.*

Locum singulis suum assignavit Toletanum Concilium VI. cap. 18. ibi: *Sacerdos, & Levita ante Altare communicent: in Choro Clerus: ante Chorum populus.*

Mulier velato capite, vir aperto sit capite. Hanc legem imponit Apost. 1. Corinth. cap. 11. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum: Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Et constitutiones Apostolicæ, cùm ordinem servari debere docuissent, etiam hujus memi-

meminerunt lib. 2. cap. 57. *Fiat sacrificium cuncto populo stante, & silentium precante; & oblatione facta quisq; ordo seorsum corpus Domini, & pretiosum Sanguinem sumat: accedentes ordine cum pudore, & reverentia, utpotè ad corpus Regis. Item mulieres operto capite, ut ordinem earum decet, accedant.* Velum autem mulierum non subtile esse debet, cujusmodi virgines utebantur, Tertulliani ævo; quod ipse reprehendit lib. de veland. Virginibus cap. 2. *Quia illex est libidinis, & acuit curiositatem propius videndi subcandicantem sub eo cutem.*

CAP. XV.

Quis porrigere solitus?

EDuensis de Sacramento altaris, cap. 16. inquit: *Cum Dominus discipulis suis dixisset; Accipite, & manducate; Quæritur, si acceperint, & sibi ministraverint? Ad hoc dicamus: quia qui ministrare venit, & non ministrari, & qui consecravit, ipse ministravit; nec est intelligendum, quod ex manibus ejus acciperent, & sibi ministrarent: sed Dominus de manu sua ministravit, & manducare præcepit.*

Fuit tamen antiquorum aliquando consuetudo, quòd etiam laici propriis manibus sumerent Eucharistiam; ut de Basilii ævo apud Anastasium Nicenum, quæst. 7. in Scripturam. *Necesse habere aliquem, si non adsit sacerdos, Communionem propria manu sumere: omnes enim qui sunt in desertis Monachi, ubi non est sacerdos, illic habentes Communionem, ex se ipsis eam sumunt: Alexandriæ autem, & in Ægypto, unusquisque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habet Communionem domi suæ. Nam cum sacerdos semel confecerit Hostiam, & dederit; eam accipiens, & communicans, tanquam à sacerdote sumptam participare se debet credere: etenim in Ecclesia tradit sacerdos particulam, & cum omni potestate eam tenet, qui accipit, & sic sua manu ad eos eam adducit.*

Dum erāt persecutores, diversimode servabatur & tāgebatur Eucharistia.

Advertendum circa ea, quæ diximus supra in Capitulis 13. 14. & præsenti; nempè, quomodo servata sanctissima Eucharistia, & à quibus porrecta; utpotè per manus Laicorum, & similia. Hæc inquam notat B. Basilius ad Cæsarem Patricium scribens, evenisse tempore persequutorum Ecclesiæ; dum priscis fidelibus locus tutus non erat, nec ad sacerdotes accessus; & tunc iisdem permittentibus in propriis domibus retinere particulas consecratas, ad collum easdem deferre, & propriis se communicaret manibus; quamvis Laici & Fœminæ essent: ut ex Tertull. lib. 2. ad uxorem, & Eusebius lib. 5. Histor. cap. 24. & lib. 6. cap. 36. refert de quodam Seraphione, qui à Laico sanctissimam recepit Communionem. Et sanctus Basilius loquitur de Anachoretis remotis ab Ecclesiis, & sacerdotibus, qui deferebant secum sanctissimam Eucharistiam. Sanctus Cyprianus de lapsis, refert de Fœmina, quæ volens aperire fas, in quo recondita erat Eucharistia, ex illo flamma ignis egressa fuit. S. Ambrosius de obitu Satyri fratris inquit, quod in Naufragio, omni humano destitutus auxilio, salvus devenit mediante sanctissima Eucharistia, quam ad collum ferebat: præter alia multa, quæ in hoc adducuntur exempla. Ac etiam

supra cap. 9. vidimus, fuisse permissum priscis temporibus, variis in locis Missam celebrari: quod hodie non licet.

Verùm cùm ex hujusmodi consuetudine varii orirentur abusus, & à multis indecenter servaretur, & tangeretur hoc sacramentum: fuit inde abolita talis consuetudo maxime amotis persequutoribus, & reddita Ecclesiæ pace; quod solum in Ecclesiis custodirentur & servarentur Hostiæ, seu particulæ sacratæ, nomine Eucharistiæ à sanctis Patribus appellatæ; ut post Concilium Lateranens. sub Innocentio III. in cap. statuimus, de Custodia Eucharistiæ; & Honorius III. in cap. sanè, de Celebrat. Missarum. Similiter & in totum prohibetur, quod per aliam manum, quam per sacerdotalem, administretur, nec tangatur; ut Pex Concilio Rhemensi in Can. erevenit, de Consecrat. distinct. 2. his verbis. *Pervenit ad nostram notitiam, quod quidam Presbyteri in tantum parvi pendant Divina mysteria, ut Laico vel fœmina sacrum Domini corpus tradant ad deeferendum infirmis. Igitur interdicit per omnia Synodus, nec talis temeraria præsumptio ulterius fiat; sed omnimodis Presbyter per seipsum communicet infirmum.* Quod idem decretum per Concilium Rhotomagense can. 2. per Toletanum I. cap. 14.

Sacerdos alter alteri, etiam in primitiva Eccesia, administrabat, idque sæpe invicem. Nicephorus lib. 14 cap. 15. *Quo tempore Dominus sacras Antiochena Urbis habenas tenuit, cùm ad Simonem Stilitem venisset, consternatus est, & cum eo, mystico, arcanoque congressu convenire exoptavit; conveneruntque ideo ambo, & sacrificio immaculato, atque incruento peracto, alter alteri mysticam Communionem porrexit.*

Diaconi Presbyteris: sed hoc Ecclesiæ displicuit, vetitumque Nicena Synodo: *Pervenit ad sanctum, magnumque Concilium, quod in locis quibusdam, Presbyteris gratiam sacræ Communionis Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit; ut hi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, iis, qui offerunt, corpus Christi porrigant.*

Aliquando Angeli & Sancti, ac ipse Christus, porrexerunt sanctissimam Eucharistiam piis viris, ut est videre in actis Sanctorum.

CAP. XVI.

De interna dispositione in sumenda sanctissima Eucharistia.

NEc satis ad hoc sacramentum est habita dispositio externa, ut diximus, verum ut quis dignè communicet, attendat gravem admonitionem Apostoli 1. Corinth. 11. *Quicunque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Paschasius Cordubensis lib. de corpore, & sanguine Domini, cap. 6. *Quid manducant homines? ecce omnes indifferenter percipiunt planè; sed alius carnem Christi spiritualiter manducat, & sanguinem bibit, alius*

alius vero non; quamvis buccellam de manu sacerdotis videatur percipere: & quid accipit, cùm una sit consecratio, si Corpus & Sanguinem Christi non accipit? verè quia reus accipit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non probans se prius, nec dijudicans Corpus Domini. Ecce quid manducat peccator, & quid bibit; non utiq, sibi carnem utiliter, & sanguinem, sed judicium: licet videatur cum cæteris sacramentum percipere, & quare? quia non se probat, nec dijudicat corpus Domini, &c. Et D. Augustinus epist. 118 cap. 3. inquit: *Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam; non ut arbitrio suo cùm libet, vel auferat se Communioni, vel reddat.* Et circa hanc præcedentem dispositionem ad recipiendum Eucharisticum Sacramentum, ea nobis demonstratur etiam, ex quo sub figura legitur in cap. 12. Exod. ut Agnus, qui decima die mensis debebat tolli ad immolandum, deberet servari usque ad decimam quartam mensis diem, ad hoc ut cognosceretur per quatuor illos dies, an aliquis esset defectus in Agno illo? Similiter & nos sanctissimam Eucharistiam recepturi per præcedentes dies dispositionem, ad illam curemus: etenim secundum dispositionem, quam invenit in subjecto Christus realiter in hoc Sacramento existens, qui est gratiæ causa universalis, hunc effectum operatur. D. Chrysostom. homil. 27. 1. ad Corinth.c. inquit: *Sicut cibus corporalis, cum corpus invenit malis humoribus occupatum, amplius lædit, & nocet, nec ullum præstat auxilium: sic spiritualis hic cibus, si aliquem invenit malitia inquinatum, magis eum perdit: non sua natura, sed accipientis vitio; tales enim sunt socii Judæ proditoris, in quem post buccellam intravit Satanas.*

Ut autem magis singulatim tractemus de præparatione necessario nobis adhibenda: Requiritur primo humilis confessio: Ut quid possumus nos miseri & infelices, concepti in peccatis, nati in vitiis, calamitatibus subjecti? Præcursor Joannes in utero matris sanctificatus, excellenti innocentia præditus, indignum se putavit, ut solveret corrigiam calceamenti Salvatoris: Angeli creati in gratia, confirmati in gloria, nec oculis Dei mundi satis aut casti apparent. Quid ergo de nobis miseris peccatoribus, qui licet in hoc mille annos expendamus, digni certe non erimus, ut vel semel tremendum Missæ sacrificium immolemus? Id piè confitetur D. Ambros. in orat. Præparat. ad Missam dum inquit: *Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio & verè scio, & hoc ipsum pietative confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias: sed scio veraciter & credo ex toto corde, quia potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus justos facis & sanctos.*

Secundo, ab omni lethali crimine debet purus esse. Aversanus de humanitate Christi. *Indignè sumitur, si in mortiferis peccatis maneat anima* Et ideo Augustinus Sermone 26. in Joann. *Panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.*

Tertio, à Luxuria maximè sit alienus. Petrus Blessensis sermone 38. *Quicunque enim ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta filium Virginis idolum*

 ponit

ponit Veneris: qui sacra illius verba Sacramenti ore immundo profert, in faciem Salvatoris sputt, & cum in os immundum sanctissimam carnem imponit, eam quasi in lutum platearum projicit.

Conjugatis autem refert Isidor. de Eccles. offic. lib. 1. cap. 18. abstinendum à venereo congressu cum uxore, vacantibus orationi antequam ad Christi Corpus ipsi accedant: exemplo Achimelech 1. Reg. cap. 21. qui de panibus Propositionis noluit prius dare David & pueris ejus; nisi ante eos interrogasset utrum mundi essent à mulieribus? non utique ab alienis, sed à propriis conjugibus; & nisi audisset eos ab heri & nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes, quos prius negaverat, concessisset. Et quanta esset differentia inter corpus & umbram, inter imaginem & veritatem: sic inter panes Propositionis, & Corpus Christi.

Quarto, requiritur notitia Sacramenti & fides: Damascen. lib. 4. fidei, c. 14. *Summo cum metu, pura conscientia, fideque haudquaque dubia accedamus, ac profecto sic nobis fiet, quemadmodum firme, ac constanter credimus: ipsum porro omni puritate colamus, hoc est, & spirituali, & corporea, siquidem duplex ipse est.* Et Rabanus Maurus de instit. cleric. lib. 1. cap. 31. inquit: *Sumunt ergo fideles bene, & veraciter Corpus Christi, si Corpus Christi non negligant esse: fiunt Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi.* Quapropter, qui visibiles species panis comedit, & invisibilem Christum à corde suo non credendo repellit; ipsum Christum occidit; quia dentibus suis impiè mordet & laniat sacratissimum Corpus; atque per hoc reus est Corporis & Sanguinis Domini: ut merito Salvator exclamet: *Quæ utilitas in Sanguine meo?*

Excutiamus proinde seriò mentem, quoties hanc Cœnam Agni meditamur; videamus num quid displiciturum lateat. Nihil impuritatis purissima admittit mensa; nihil sordium castissima fercula; nihil macularum, purissimis speciebus panis & vini purissimus obvolutus Agnus, omnium sordium inimicus, omnisque maligni odoris hostis. Quisque ad omnem gravioris delicti afflatum perhorrescat, omnemque nævum detestetur, ac omnem denique sæcularium rerum affectum aversetur: solo casto pectore, humilitatis stola cincto gaudens. In hoc deliciæ illius, epulæque gratæ, amica mensa, torus castus, votivum cubile, animorum nuptiæ, desponsatio casta, sponsi & sponsæ colloquia pura, oscula cœlo nata, cœlo concessa, & donanda cœlo.

CAP. XVII.

De Lætitia ob susceptam Eucharistiam.

APud antiquos tam insignia erant gaudia, quibus ex Eucharistia suscepta complebantur, ut reperti sint, qui ea sumpta, mox ad Martyrium, quasi impotentes lætitiæ ultro se offerrent. Omnibus olim nefas visum, jejuniis, aut aliqua alia anxietate, quam ex ea conceperant, hilaritatem confundere, & quidquid tantillum hanc interturbare posset, penitus illis diebus removebatur. Eadem Religione, atque

ob

ob eandem causam, cum ea reficiendi essent, non genibus nixi, non humo jacentes, sed erecti, & in Cœlum intuentes, preces concipiebant, sicut etiam olim genuflexio prohibita ad orationem diebus Dominicis, & Pascha, usque ad Pentecosten, in lætitiæ signum. Baron. ad annum 58. num. 4. Antequam aris admoverentur, ut hoc Divinum munus haurirent, mutuos inter sese complexus, & oscula impertiebantur. Hi dies, quibus Eucharistiam sumpsissent, vocabantur ab antiquis dies lætitiæ, dies remissionis, dies immunitatis, dies solennes, dies festivi. Albaspinus Episc. Aurelianensf. de veter. Ecclesiæ Ritibus lib.1. observ.12. & 15.

Fuit summopere debita semper hæc lætitia in sumptione sanctissimæ Eucharistiæ: quoniam sicuti Israelis Manna, quo quadraginta annis pasti, in hoc omne desideratorum ciborum delectamentum filii Israel repererunt: cò magis in Eucharistico pane, qui est Christi caro, fideles omnes Cœlestium virtutum omnium delicias invenirent, & invenerunt semper; ut dicere singuli intra se lætantes possent ex Apost. ad Galat. 2. *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.* Cum illum panem & vinum non mortuum manducassent, sed vivum. Et quanquam ante, assum mortuum Paschalem veteris Legis Agnum sumpsissent Hebræi; vivum exinde Fideles novæ Legis sumpserunt; cò feliciores Hebræis isti, quo Lex nova infinitis passibus veterem nobilitate, meritis, præmiis antecedit: & corpus umbræ suæ præstat; & signatum signum suum anteit: & quo Agnus noster quidquid ubique creatum in cœlo, in terra infinitum superat.

Si qui autem ex Eucharistica Communione delicias illas non percipiant, accusent se, non hanc carnem panem. Accidit enim his, quod febri laborantibus, quibus sapidissimi cibi insipidi, omne dulce amarum, mel omne in absynthium versum: non ciborum vitio, sed morbi, & palati à morbo tincti: quod evenit etiam Israelitis illis, qui bene dispositi non fuêre; dum nauseabant super illo Manna, quod erat cibus omnis condimenti & saporis. Proinde magis ac magis nobis ad hanc Eucharisticam mensam magno conatu anhelandum, in qua pascimur Carne & Sanguine Domini, & magno Deo: ut mirum sit, tunc non colliquescere nos totos, & ire in Deum totos, quoties huic cœlesti mensæ accumbimus. O si par cibo huic, & potui amor occupasset hominem: quantis difflueret gaudiis, quanto potiretur paradiso, & quanto extra cœlum potiretur cœlo? quanto dein animorum firmaretur robore? quid in illum caro, mundus, quid inferorum arma possent? quid, inquam, hæc possent in armatum Deo? Hæc dabit mensa illa, si pro dignitate accesserimus; sin secus, audiemus infaustum illud: ***Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.***

Reticere hic non valeo: Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo: Ego cum è Gallia in Angliam, & Hollandiam transissem: ubi quamvis priori sæculo ii populi à vera Christi Religione (proh dolor) aberraverint; nec in publicis illorum templis aliquis catholicus cultus remanserit, abrasis undique sacris imaginibus, combustis omnibus Sanctorum reliquiis, & aliis quibuscunque Catholicæ Ecclesiæ monumentis abolitis: Nihilominus, quoniam gratia Dei nunquam deficit, & illuminat

omnem

omnem hominem venientem in hunc mundum, vidi ego tunc in plurium Catholicorum ædibus, & præsertim Londini in Anglia apud Excellentissimum Dominum Contarenum ibi tunc Venetiarum Oratorem; ac etiam in Hollandia pluribus in ædibus: Vidi, inquam, in illarum altioribus secessibus quotidie Catholicos convenire ad sacram Missam audiendam, ac etiam sacrosanctam Eucharistiam percipiendam; adeo ut in diebus maxime festivis tantus ibi esset fidelium concursus, ut nec locus celebrandi, nec tota posterior pars domus illos caperet, quin etiam in publica via ex iis aliqui magna cordis compunctione extensis manibus, & cum lachrymis, non sine periculo sævientium Principum contra Catholicos, dum Sacrum sursum peragebatur, ipsi adstarent. Unde ego ipse sæpius cogitabam, id ipsum tunc peragi, quod alias sævientibus Tyrannis contra Christianos in nascente Ecclesia fideles ipsi in cryptis & aliis secessibus Sacrum peragebant, quod totum magno nostri rubore contigit, dum in sacris templis nos coram summo Deo negligentes, & irreverentes sumus.

CAP. XVIII.
De frequentia sanctissimæ Communionis, & quibus ministranda.

QUotidie primum ineunte Ecclesia Christiani communicabant, ut Actor. 2. videmus: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis panis.* & infra. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panem.* Cyprian. serm. in orat. Dominicam ait; *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus:* Idem testatur Ambrosius, lib. 4. de sacramentis cap. 6. & legitur in vita S. Anacleti Papæ & Martyris 13. Julii: *Decrevit ut in Missa peracta omnes communicarent*: & in hanc sententiam probabile videtur, Christum in perfecta divinaque oratione Dominicali, cum nil terrenum petere docuerit; de hoc augustissimo Eucharistiæ Sacramento intellexisse per illa verba, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; tanquam rem quotidie nobis singulis necessariam, postulare videamur, ut plurimi ex sanctis Patribus credidere.

Sed nihilominus Christi corpus quamvis quotidie sumere maxime utile sit; non fuit tamen id etiam priscis temporibus necessarium: etenim quater in hebdomada & festis, Basilium ad Cæsaream patritiam: feria quarta & sexta, Epiphanius lib. 3. contra Hæres. Dominico, & Sabbato, B. Onufrius apud Evagrium. Plerasque has dierum observationes recenset Augustinus epist. 118. ad Januar. *Alii quotidie communicant corpori Dominico; alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi & Dominico tantum: &c.*

Fidelibus, cum essent vicini morti, dabatur Communio pro viatico: Paulinus ad August. & auctor in vita Ambrosii, Miranda de Maria Ægyptiaca refert Paulus Diaconus.

Condemnatis per Judicem ad mortem, non denegabatur Communio; Concilium Maguntinum sub Harbano Archiepiscopo cap. 27. Cedrenus in Annalibus anno primo Phocæ.

Quo-

Quoties autem communicandum? fusè hanc controversiam examinant Doctores antiqui, Chrysost. in epist. ad Ephes. ibi; *Sed non oportet festa observare, sed conscientiam mundare, & tunc sanctam & venerandam carnem sumere.* Tamen etiam peccatoribus Eucharistia conferenda, sed cum modo B. Algerius: *Quamvis peccato quis mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus, & confidens de Dei miseratione accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus; sed de illo dico, quem peccata mortalia non gravant,* & paulò post: *Dandus est item Agnus Dei peccatoribus, ut à vastante Angelo protegantur, sed deinde peccatis renunciaturis.*

Melius igitur omnino nos frequentare venerabilem Eucharistiam, quam abstinere etiam reverentiæ prætextu. Cyrillus in Joann. lib. 4. cap. 57. ait: *Si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis in nobis desideramus; ad recipiendam Benedictionem libenter concurramus, caveamusque, ne loco laquei damnatam Religionem nobis Diabolus prætendat.* At August. Epist. 118. *Faciat unusquisque quod secundum fidem suam credit esse faciendum: contemptum non vult cibus, sicut nec manna fastidium.* Ubi plura refert idem August. circa frequentiam hujusmodi.

Frequentia hujus augustissimi Sacramenti maxime est etiam expetenda propter illius utilitatem: quoniam Christo tanquam capiti cuncta membra corporis mystici annectuntur: Caro namque Christi, quæ ante passionem solius erat Caro Verbi Dei, per passionem ita crevit, adeo dilatata est, ita mundum universum implevit; ut omnes electos qui fuerunt ab initio mundi, vel futuri sunt usque ad ultimum electum in fine sæculi, nova conspersione hujus Sacramenti, in unam Ecclesiam faciat Deum, & hominem æternaliter copulari. Caro illa unum erat granum frumenti, quod antequam cadens in terram mortuum fuisset: nunc postquam mortuum est, crescit in altari, fructificat in manibus, & corporibus nostris; & ascendente in cœlum magno & divite Domino messis, terram fructiferam, in qua crevit, secum vehit in horrea Cœli. A nobis igitur frequentia hujus Sacramenti expetenda est, ut in hanc fructiferam terram magis ac magis crescamus; & capiti nostro Christo Jesu per hanc Eucharisticam mensam nos continuò uniamur.

CAP. XIX.

De Communione sub unica specie Panis.

HÆc quæstio, quam Novatores Hæretici maxime exagitant, decisa fuit in sacra Tridentina Synodo sess. 22. cap. 11. De Decreto super petitione concess. calic. Quod pro non celebrantibus concedendus sit Usus calicis rationabilibus causis petenti alicui, vel Nationi, vel Regno, prout sanctissimo Papæ pro tempore videbitur; sicuti etiam in Concilio Basileæ, sess. 30. fuit restitutus Boemis Usus calicis pro bono pacis Ecclesiæ.

Sed ut discutiamus articulum, supponendum nobis est, duo esse, quæ pertinent

ad integritatem Eucharisticæ communionis nempe: *Integritas significationis communionis*; *item*, *integritas substantiæ communionis*. Quod vero spectat ad integritatem substantiæ seu essentiæ communionis, consistit in eo, ut recipiamus Dominum N. Jesum Christum totum integrum, una cum corpore, & sanguine, anima, & Divinitate; & hoc non potest recipere nec dispensationem, nec argumentum: at verò non potest completè fieri absque receptione unius saltem speciei sacramentalis, quamvis compleatur per unam, vel alteram ex illis.

Circa verò finem integritatis significationis comunionis, est in eo, ut memoria teneamus, qualiter hoc corpus & hic sanguis, quæ nos sumimus, fuere divisi in Christi morte supra crucem, secundum Apost. 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducamus panem hunc, & calicem Domini bibimus, mortem Domini annunciamus donec veniat:* Hinc est, quod dum Dominus noster voluit, ut nos sumamus ejus corpus & ejus sanguinem sub velamine sacramenti, hoc pertinet ad integritatem essentiæ communionis, quod non potest recipere dispensationem, nec immutationem.

Quatenus verò dicatur hanc integritatem significationis esse præceptum Christi Salvatoris nostri; Ita respondetur: tale præceptum quo ad non consecrantes, ut communicentur sub utraque specie, non tangit in aliquo integritatem substantiæ, seu essentiæ communionis; nec minus integritatem significationis, quæ servatur in persona consecrantium communicantium sub utraque specie.

Dicimus quoque, quod ex Dominicis præceptis, unum est dispensabile in eo, quod respicit integritatem magis expressam significationis, nempe in sumptione Communicantium sub utraque specie; sufficit enim, ut non consecrantes sumant divisim sacramentum sub una tantum specie, sicuti divisa fuere in morte Christi, quia nihilominus indivisum etiam tunc capiunt sanguinem à corpore, & è contra. Aliud autem præceptum est indispensibile in integritate significationis minus expressæ, respectu non celebrantium, & communicantium sub una tantum specie panis. Dispensatio autem præcepti quo ad non consecrantes, ut communicentur sub una tantum specie, non tangit integritatem significationis, quæ servatur in personis consecrantium, qui communicantur, sed duabus speciebus, sed solum integritatem magis expressam, & particularem significationis, quæ est dispensibilis. Hoc nobis demonstratur, cum ipse Christus Eucharistiæ Sacramentum administraverit in sola panis specie duobus discipulis in Emaus proficiscentibus, cum quibus distribuit; ut explicant Theophilactus & August. ponderantes quod Lucas cap. 24. postquam dixit, *Accepit panem, & benedixit, ac fregit & porrigebat illis:* ne vero quidem facto de benedictione, & distributione calicis, subdit: *& aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis, & ipse evanuit ab oculis eorum.* Eodem modo Eucharistiæ sacramentum fuisse ab Apostolis & aliis administratum, ut in Act. Apost cap. 3. *Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & Orationibus.* Nec ullam facit mentionem de Vino.

Hoc patet ex usu Ecclesiæ primitivæ, quæ multis casibus admisit communionem sub una tantum specie quo ad non consecrantes: nempe pro navigantibus, qui secum Eucha-

Euchariſtiam duxerunt ſub ſola ſpecie panis,ut ſe in periculo communicarent,refert divus Ambroſius de obitu Satyri fratris. Similiter una tantum ſpecies permittebatur iis, qui eam domi ſervabant, ut ſe quotidie communcarent; pariter pro infirmis & abſentibus: Euſebius hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 26. Item pœnitentibus reconciliatis niſi una tantum ſpecies permittebatur; Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium ubi ſupra. Unde fit, quod hoc præceptum Communionis ſub utraque ſpecie non fuerit habitum à patribus primitivæ Eccleſiæ pro neceſſario abſolutè & indiſpenſibili, quoad non conſecrantes, ut reſultaret defectus integritatis eſſentiæ, ſeu ſubſtantiæ: ſed ſolum reddebat integritatem ſignificationis minus expreſſam, & evidentem; ad quod Eccleſia, ut majora inconvenientia evitaret, potuit diſpenſare,ut in aliis,quæ reſpiciunt non integritatem eſſentiæ,ſed ſolum evidentiam ſignificationis ſacramenti; ut quoque in eadem Euchariſtia, quam Dominus Jeſus Chriſtus inſtituit in fine Cœnæ, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 21. ac etiam Apoſtoli in eadem quoque hora celebrarunt; quoniam hæc celebratio erat ſignificativa, quod Euchariſtia erat ſacrificium ultimorum temporum, ac etiam quod lex Evangelica veſperi mundi perveniſſet, ut canit Eccleſia ex divo Ambroſio in primo hymno Adventus Domini: *Vergente mundi veſpere, uti ſponſus de thalamo, egreſſus honeſtiſſima Virginis matris aula.* Quod ſacrificium Euchariſticum jam fuerat prædictum per David Pſalm. 141. *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Et nihilominus Eccleſia ob majorem reverentiam hujus ſacramenti, ne homines aliis cibis repleti eam reciperent; commutavit hanc Evangelicam cœnam, quamvis ſignificativam, & myſticam, in aliam ſumptionem jejunam, & ſacramentalem, ut refert ſanctus Auguſtinus epiſtola 118. & Concilium Conſtantienſ. ſeſſ. 15.

In Baptiſmo fuit immutata immerſio in aſperſionem.

Simile videmus in ſacramento Baptiſmi, quem etſi Dominus N. ordinavit fieri per immerſionem in aquam, & non per aſperſionem, ut ex Matth. 28. ubi verbum; Baptizantes in nomine Patris, in textu Græco idem eſt ac immergentes,& effundentes in aquam; & propterea Joannes Baptiſta, & Apoſtoli conveniebant ad ripam Jordanis volentes baptizare, quos faciebant deſcendere, & totum corpus in flumen immergere; & nihilominus hoc præceptum Salvatoris noſtri de toto corpore immergendo in aquam, tametſi in Baptiſmo pertineret ad integritatem ſignificationis, quatenus hæc immerſio denotavit Chriſti ſepulturam, per quam nos proteſtamur fuiſſe ante cum Chriſto ſepultos; ſed in egreſſu ab aquis, Chriſti reſurrectionem indicabat, ut noſtram quoque regenerationem à morte peccati in gratiam vitæ, ex Paulo ad Rom. 6. & Coloſſenſ. 2. Unde ſi hæc immerſio, quæ à Patribus, ſacramentalis etſi habita,& pertinens ad integritatem ſignificationis Baptiſmi, & à Domino noſtro ordinata, & ab Apoſtolis ſervata, & in Eccleſia primitiva per longum tempus continuata, à qua niſi Infirmi in periculo mortis extremo erant exempti, ſupplendo illis in eo caſu per aſperſionem; & nihilominus etiam dubitabatur, an eſſent verè baptizati, ut refert Cyprianus ad Magnum, epiſt. 76. & modo per tot ſecula non inveniemus in Eccleſia, quod fuerit aliquis per immerſionem baptizatus, ut poſt Tertullianum refert Baſilius, lib. de Spiritu ſancto cap. 15. Et tamen propter

inconvenientiam, & incommoda, quæ progressu temporis ab hac consuetudine redundabant, dum pueri non sine evidenti periculo vitæ immergebantur; & propter erubescentiam in fœminis Catechumenis se dispoliantibus coram hominibus, ut refert Chrysostomus ad Innocentium epistola prima; Et tamen non fuit difficile Ecclesiæ permutare talem usum; quoniam non spectabat ad integritatem essentiæ sacramenti; sed solum ad integritatem ejusdem significationis, supplendo in hoc per aspersionem in capite, uti membrum principale totius corporis, quo fiebat immersio.

Hinc est quod pariter summo jure in Ecclesia fuerit permutatus usus quo ad non consecrantes, se communicandi sub una tantum specie panis, respectu difficultatis, & incommodi resultantis ex laicorum communione sub utraque specie; cum etiam pluribus casibus in specie panis tantum concessere hoc sacramentum non consecrantibus in primitiva Ecclesia, ut diximus.

Addimus prædictis, quod successu temporis multiplicatis fidelibus, dum Catechumeni, & initiati indistinctè admittebantur ad communionem, non potuisset Ecclesia servare consuetudinem unius tantum consecrationis in unaquaque Synaxi, non consecrando nisi unum tantum Calicem in ea, exemplo Christi D. N. juxta eademmet verba Consecrationis, *Hic est calix novi, & æterni &c.* qua obligant ad Consecrationem unius tantum Calicis pro qualibet vice: quæ quantitas sacramentalis sub specie vini, non erat sufficiens ad tantum Populum sic multiplicatum; at quando majus aliud Vas fuisset consecratum, non utique tunc minus congrua fuissent verba consecrationis: *Hic est Calix* &c.

Hinc nos apprehendimus ex antiquo Rituali Romano, ut talis difficultas evitaretur, qualiter illi capiebant magnas hydrias, seu vasa vino repleta, & in eadem effundebant partem vini in Calice consecrati; ex qua mixtione præbebatur populo communio: sed propter periculum effusionis, & irreverentiæ, ac etiam propter difficultatem aliquorum sumendi communionem sub specie vini ex vasis, in quibus alii prius biberant, maxime tempore suspicionis contagii; successit, quod demum sub sola specie panis acquiescerent.

Fuit quoque magna difficultas reperiendi sufficientem vini quantitatem pro omnibus communicantibus in plurimis regionibus, ubi illud non nascitur: & pro servanda ubique æqualitate, & ne supponerentur aliqui solum pro medietate communicati; insurrexit Ecclesiæ usus communionis sub utraque specie in persona solum consecrantis; aliis verò conferendo sub sola specie panis; quæ in essentia continet idem, quod duæ simul species sumptæ; & quo ad significationem id suppletur in consecrante: & talis usus redactus fuit in legem per totam Ecclesiam Catholicam; & hoc potissimum in Concilio Constantiensi, antequam Indiæ Occidentales & Orientales patefactæ nobis essent, quibus impossibile fuisset subministrare sacramentum omnibus communicantibus sub vini specie.

Quatenus autem Æthiopes, seu aliæ nationes ausæ sint administrare sacramentum sub specie alterius liquoris, ob vini defectum procedentem in illis Regionibus ab ex-

ab excessu caloris: hoc impium est habitum, & temerarium, dum extrahunt vinum artificiale ex racemis aridis, & in ardenti aqua decoctis: quæ materia cum non sit apta consecrationi, est quoque destructiva essentiæ sacramenti.

Nec quoque repugnat, quod quamvis Christus Redemptor noster prævideri irreverentiam provenientem ex sumptione hujus sacramenti, non abstinuit propterea ipse ab illa; quin imo hoc ipsum ab Apostolis continuatum fuit. Respondemus enim à Christo Domino fuisse relictum dispositioni Ecclesiæ suæ permutandi talem consuetudinem, quando opportunum tempus judicasset; ut pariter evenisse videmus, quod immersio Baptismi simili facultate relicta Ecclesiæ, fuerit permutata in aquæ aspersionem.

Nec minus refragatur, quod Christus Dominus per Joannem 6. inquit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Quoniam non concludit hoc, quod ad communionem sub utraque specie: comedentes enim corpus Christi sub specie panis, bibunt quoque ejus sanguinem concomitanter, & quoad effectum ex eo, quod corpus Christi immortale, impassibile, incorruptibile, ut est de præsenti, non potest à suo sanguine remanere separatum: & propterea dictio *Et*, non est hic apposita conjunctivè, sed disjunctivè, ut alias in sacro textu: *Qui occiderit patrem & matrem, maledictus sit.*

Præterea Christus Dominus in illis verbis dat nobis præceptum, non autem modum præcepti: Nempe præcipit nobis sumere, ejus Corpus & ejus Sanguinem, absque præciso decreto, si sub duabus, vel sub una ex speciebus ea sumenda sint; quin imo asserendum est eo loco Christi voluntatem indifferentem esse, nempe si sub una, vel duabus ex speciebus sumenda sit communio à non consecrantibus, ut ex sacra Trident. Synodo, sess. 21. cap. 1. Siquidem præcepit Christus apud Joann. cap. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; ex quo textu infertur, necessariam quidem esse Laicis participationem corporis, & sanguinis Christi, sed utramque haberi, ac recipi, etiam sub una panis specie.

Et de his omnibus vide latè Patrem Cottonum Societatis JESU in sua Instructione catholica, Cardinalem Bellarminum in Controversiis, ac potissimum Cardinalem Peronem in sua Replica ad Regem Britanniæ Gallico idiomate, cap. de la communion sous les dous especes, &c.

CAP. XX.

Catechumeni quomodo participarent de Eucharistia, & assisterent Missæ.

Catechumeni non participabant de Eucharistia.

CAtechumeni priscis temporibus, cum essent instar Novitiorum in schola Christi, antequam ipsi reciperentur ad sanctum Baptismum, ut interim apprehenderent fidelium rudimenta, excludebantur ab omni cognitione Eucharistici sacramenti, ex Tertulliano in apolog. cap. 7. S. August. tractatu 86. in Joannem, & in psalmum 80. Quin imo nec minus locum habebant, dum habebatur sermo de hoc

hoc auguſtiſſimo Sacramento, ſicuti Tertullian. in libro de præſcript. & Concilium Valentiæ in Hiſpania ſatis oſtendunt, quod Catechumeni non percipiebant ſermones hujuſmodi fidelium; Et quamvis poſt quintum ſæculum admittebantur ad percipiendos ſermones illos, in iis tamen vel non habebatur mentio de Euchariſtia, vel ſic obſcurè, & ſub involucro verborum, ut non perciperent quicquam de illò. Hinc ſanctus Auguſtinus in Joan. dum loquitur de hoc ſancto Sacramento, inquit: *Fideles bene me intelligunt:* & hoc idem refert ſanctus Chryſoſtomus hom. 40. in 1. ad Corinth. c. Et prædictis ſermonibus non ſolum aſſiſtebant Catechumeni, verum ab Eccleſia tunc etiam repellebantur, ut ex ſancto Dionyſio Areopagita de Eccleſ. Hierarch. cap. 5. iis verbis: *Deinceps à miniſtris ſanctorum librorum lectio ordine recitatur: ea recitata extra templi aditum collocantur Catechumeni, & una cum eis energumeni, atque ii, quos ſuperioris vitæ pœnitet; manent autem ii, qui divinarum rerum & aſpectu digni ſunt, & communione:* & habetur ex Apoſtolicis conſtitutionibus lib. 8. cap. 7. iis verbis. *Poſt hæc Diaconus dicat: Ite Catechumeni in pace.* Quibus addo, quod nec aſpectus eorundem permittebatur, ut Euchariſtiam poſſent reſpicere: ſanctus Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierarch. cap. 5. iis verbis: *Catechumenos autem, & energumenos, quique in pœnitentia ſunt; ſanctæ hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram pſalmorum modulationem, divinamque ſacrarum ſcripturarum recitationem; ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda, non eos convocat, ſed perfectos oculos eorum, qui digni ſunt.*

Quare nō participabant?

Quare autem tam diligenter occultaretur Catechumenis hoc ſacrum myſterium? Prima ratio erat, ne in contemptum verteretur hic pretioſus theſaurus, ſi ille ante rudimenta fidei participaſſent de ſacramento; ſiquidem ante diſpoſitionem præcedentem non potuiſſent induci ad credendum rem tam difficilem. Hinc ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4. cap. 14. refert, quod Chriſtus Dominus noluit Capharnaitis declarare, quomodo ipſe traderet carnem ſuam ad manducandum, quoniam illi nondum erant inſtructi in fide. Secunda fuit ratio, ut hoc diuturnum ſilentium accenderet magis deſiderium Cathechumenorum, ut quanto citiùs ſe baptizari curarent: ſanctus Auguſtinus in tractatu 86. ſuper Joannem, & in ſermone 46. Tertia ratio, ne hoc tremendum, & admirandum myſterium ſalutis noſtræ redderetur familiare Catechumenis, quo forſitan illi indignarentur: de cujus offenſa antiqui Patres, uti diſpenſatores timebant, ſe Deo rationem reddituros. Refert Albaſpinus de ritu antiquo adminiſtrandi Euchariſtiam Gallico idiomate lib. 1. cap. 1.

Quando admittebantur ſtatim ad Euchariſtiam?

Quamvis prioribus ſæculis Catechumeni per aliquot annos non reciperentur ad Baptiſmum, & per conſequens multò minus ad communionem Euchariſtiæ, ut diximus: nihilominus ſi per errorem aliquis Catechumenus, antequam ab Eccleſia egreſſus, remanſiſſet ibi inter fideles, ac etiam de Corpore Chriſti Domini participaſſet; erat incontinenter hic ſolutus à pœnis catechumenatus, ejuſdemque pœnitentia illi remiſſa pro annis remanentibus, & ſtatim baptizabatur, confirmabatur, & illuminabatur per Euchariſtiam, quod comprobatur auctoritate Timothei Patriarchæ Alexandrini, una cum expoſitione Balſamonis in eundem, ac etiam ex ſancti Clemen-

Clementis constitutione lib. 7. cap. 26. Hinc infertur magna virtus Eucharistiæ, quæ in instanti poterat illuminare, & statim conferre speciem contritionis, sicuti pœnitentia, & confestim disponebat, & habiles reddebat Catechumenos ad recipiendum Baptismum, Confirmationem, & Communionem: Quoniam ex interpretatione Balsamonis adducta, cum dictus Catechumenus non per fraudem recepisset Eucharistiam; credebatur à Deo vocatus, nam sicuti sanctus Petrus dixit Cornelio, & iis, qui secum erant, quod essent ipsi baptizandi, eo quod Spiritus sanctus descenderat super illos; ita quoque Catechumenus, qui Eucharistiam ignoranter recepisset, erat etiam baptizandus: Siquidem catechumenatus non ad aliud antiquitus fuit institutus, nisi ut Catechumenis esset dispositio ad recipiendam Eucharistiam; ut inquit S. Augustinus lib. de operibus & fide, ut refert etiam Albaspinus dict. tractat. cap. 4. & 5.

De Missa Catechumenorum

Circa Catechumenorum Missam, antequam illa inchoaretur, mos fuit prioribus sæculis, quod aliquæ fierent orationes: Psalmos etiam canebant, deinde explicabatur sacra Scriptura, ac per Episcopum sermo habebatur, ut ex hoc possent extranei ad Deum converti; quamvis successu temporum post aliquas orationes canebant Evangelium, quod per Episcopum explicabatur non solum fidelibus, verum etiam præsentibus extraneis cujusque conditionis Judæis, Paganis, Schismaticis, Hæreticis, Catechumenis, Energumenis, & pœnitentibus: & hoc probatur ex Concilio IV. Carthaginensi, & Concilio II. Valentiæ in Hispania. Expleto sermone omnes extranei egrediebantur ab Ecclesia, exceptis Catechumenis, & pœnitentibus tertii & quarti ordinis una cum Energumenis: immediatè postea incipiebat Missa, quæ dicitur Catechumenorum, ut sequitur; Diaconus circumibat Ecclesiam, admonendo fideles de eo, in quo deberent orare pro Catechumenis tertii ordinis, quibus eodem tempore imperabatur, ut capita inclinarent ad recipiendas Episcopi orationes; quibus orationibus completis extra Ecclesiam mittebantur; & statim Diaconus admonebat fideles, quomodo deberent effundi preces ad Deum pro Energumenis, qui similiter flectebant capita, ut supra, & ab Ecclesia egrediebantur: & idem subsequebatur de Catechumenis quarti ordinis, & successivè de pœnitentibus: & hæc nominabatur Missa Catechumenorum potius, quam Pœnitentium, vel Energumenorum, quamvis pro iis omnibus oraretur; Quoniam necessarium fuit ibi pro Catechumenis orare; quod non contingebat respectu aliorum, pro quibus etiam orabatur; & præterea, quoniam numerus Catechumenorum erat satis magnus, cum ferè omnes, qui baptizabantur, essent ætate provecti; cæteri vero essent respectivè pauci.

Pro Missa Catechumenorum nominabant dictas ceremonias, eo quia preces solenniter fiebant intra tempus solemnitatis Eucharistiæ, quæ Missa appellabatur; quamvis impropriè prædictæ preces Missa Catechumenorum nominabantur: siquidem in effectu hoc aliunde non proveniebat, nisi quod ipsi assistebant in principio ceremoniarum sancti sacrificii, ac etiam quod dictæ preces fiebant supra illos ante sacrificium.

Oratio-

Orationes prædictæ, ac impositio manuum supra Catechumenos fiebant intra tempus Missæ, vel paulò ante consecrationem, ad hoc, ut purgarentur, & sanctificarentur per Eucharistiam. S. Joann. Chrysostomus homil. 4. de Nat. Dei, inquit, quod paulò ante sacrificium altaris jubebant inclinari Energumenos ad hoc, ut pro illis orarent fideles Christum Dominum, qui immediatè postea in altari debebat præsentari: Et similiter debemus hoc idem asserere de iis, quæ ibidem habebantur pro Energumenis, & Pœnitentibus, ex Albaspino dict. tract. cap. 5.

Catechumeni non participabant de reliquiis panis ad sacrificandum.

Quo ad eminentiam hujus Eucharistici Sacramenti, refert Theophilus Patriarcha Alexandrinus can. 7. quod non permittebatur Catechumenis, ut ipsi manducarent de reliquiis (non inquam de pane consecrato) sed nec etiam de reliquiis panis oblati per populum ad effectum consecrandi, etiam quod tales reliquiæ non essent consecratæ: & hoc idem habetur in constitutione sancti Clementis lib. 8. cap. 39. qualiter dividebantur talia fragmenta inter Ecclesiasticos, quod erat in exclusionem Catechumenorum propter eorundem inhabilitatem: Ac etiam dicta fragmenta ex tali destinatione ad consecrationem contraxerant in se talem sanctificationem, ut non possent in prophanos communicari, ne sequeretur timor contemptus Eucharistiæ; ut ex Balsamone supra dictum canonem.

Catechumenis in tertio vel quarto gradu præbebatur Panis, & Sal sanctificatum; ex D. Augustino de pœna, & remissione peccatorum cap. 26. ac etiam habetur in canone 5. Concilii Carthaginensis III. Nam sicuti Panis benedictus dabatur ad servandam unionem inter fideles, ut refert sanctus Innocentius in epistol. 1. Ita hic panis permittebatur Catechumenis nondum natis intra Ecclesiam, cum non essent adhuc habiles alterius alimenti, quo fruebantur fideles. Dabatur etiam hic panis & sal Catechumenis, ut disponerentur ad credendum Eucharistiæ mirabilia, quæ maximè sunt difficilia humanis sensibus, & consequerentur ex hoc majorem gratiam.

Confirmatio ante Eucharistiam.

Confirmatio conferebatur ante Eucharistiam, ut ex actis Apostolicis cap. 8. ibi: *Miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* & cap. 19. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini JESU, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, &c.* Et Tertullianus lib. de præscript. cap. 36. ponit post Baptismum Confirmationem, ac deinde Eucharistiam. Quare autem conferatur Eucharistia post Confirmationem? Ratio est, quoniam omnia sacramenta, & ministeria à Christo instituta, non ad aliud principalius tendunt, quam ad uniendos realiter homines ipsi Christo: sed Eucharistia cum sit vera Christi caro, & verum ejus corpus, melius, & perfectiùs, quam cætera sacramenta nos Christo conjungit; siquidem cætera nos uniunt per Gratiam, hæc autem per contactum realem: Ac etiam cætera sacramenta sunt dispositiva ad introducendam hanc perfectam formam unionis, quam operatur ac producit Eucharistia. Præterea refert sanctus Dionysius, quod Eucharistia conferat

vim

vim cæteris ſacramentis, ut operentur dictam unionem cum Deo, & absque illa diſpoſitio cæterorum ſacramentorum remaneret imperfecta: & inquit Tertullianus adverſus Praxeam,& alibi,quod per Euchariſtiam acquirimus perpetuitatem, & individuitatem Corporis Chriſti.

Confirmatio non Euchariſtia dicitur perfectio.

Non Euchariſtia, ſed Confirmatio nominatur Perfectio,eo quia perficiat Baptiſmum; ex S. Thom. part.3.quæſt.72.art.7.& in Concilio Eliberitan.can.77. dicitur. *Si quis Diaconus ſine Epiſcopo,vel Presbytero,aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per Benedictionem perficere debebit*: & ſimiliter ibidem canon.38. habetur,quod poſſit in neceſſitate poſitus baptizari; adeo ut ſi ſupervixerit,ab Epiſcopo per manus impoſitionem perfici poſſit,ſanctus Ambroſius lib.3. de Sacram. cap. 2. Et ratio prædictorum eſt, quod quamvis Baptiſmus abſtergat originalia & actualia peccata,ac etiam conferat gratiam juſtificantem: Nihilominus confirmatio perficit, & roborat nativitatem,quam receperunt fideles in Baptiſmo: Gratia enim gratum faciens non ſolum datur ad remiſſionem culpæ,ſed etiam ad augmentum, & firmitatem Juſtitiæ, ex D.Thoma ubi ſupra ad 1.

Oleum ſanctum perficitur cum Euchariſtia.

Oleum ſanctum non poterat perfici absque præſentia Euchariſtiæ, ſanctus Cyprianus epiſtola 12. libr. 1. vel 70. ſecundum Pamelium ibi: *Porro autem Euchariſtia,& unde Baptizati unguntur,oleum in altari ſanctificatur: ſanctificare autem non potuit olei creaturam,qui nec altare habuit, nec Eccleſiam: unde nec unctio ſpiritualis apud hæreticos poteſt eſſe,quia conſtat,oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe.* Item ſanctus Hieronymus contra Luciferianos,inquit: *Hilarius cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens, neque Baptiſma ſine Euchariſtia.* Quoniam in Baptiſmo neceſſaria eſt unctio olei: & in hoc adducitur ratio, quoniam ſicut omnes orationes ad Deum Patrem recipiunt vim ex verbis, *Per Jeſum Chriſtum*,&c. ita in iis, quæ fiebant præſente Euchariſtia, dum vice prædictorum verborum oſtendebatur Deo Patri ipſius dilectus Filius in altari; exhibebat hoc majorem efficaciam, ac energiam; maximè cum nil majus in Eccleſia poſſet cogitari poſt Euchariſtiam, quam ſanctum oleum, quod potens erat, ut Spiritus ſanctus deſcenderet ſuper fideles, ex Tertulliano, & aliis, &c.

CAP. XXI.

Quid apud Antiquos ſit Commnnio, ſeu communicare?

Communio quid eſſet apud priſcos?

QUamvis in præſenti verbum Communio ad ſolam Euchariſtiam ſit reſtrictum,ut vidimus in præcedentibus;Nihilominus quoniam apud Veteres multò latius patebat; Eccleſiæ enim communionem accipere, atque ad eam pœnitentes ſine Euchariſtia etiam poterant admitti; ideo de hac nos inferius dicemus. Communionis ſiquidem jus illud ſitum erat in rerum omnium humanarum & divinarum

participatu, & societate. Ita excommunicati non solum à sacris arcebantur, sed omnes eos abhorrebant, nemo eos salutatione, nemo alloquio, nemo convivio eos dignos judicabat, ut ne Deo quidem cum eis preces adhibere liceat, can. Apost. 10. *Si quis cum excommunicatio, licet in domo preces conjunxerit, iste communione privetur.* can. 33. Laodicensis Concilii. *Non oportet cum hæreticis, & schismaticis orare.* can. 73. Carthaginensis 4. *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, sive Clericus, sive Laicus; excommunicetur.* Similiter can. 2. Antiochenæ synodi 1. quod à conviviis excluderentur. can. 3. Arelatensis 2. can. 15. 16. & 18. Toletani 1. can. 6. & 11. Avernensis: Quin imò, nec panem sumere, aut colloqui cum eis satis tutum videbatur. can. 15. Epaunensis Concilii, & can. 37. Antisiodorensis Concilii. *Si quis presbyter, aut quilibet de Clero, aut de Populo excommunicatum, absque voluntate ipsius, qui eum excommunicavit; sciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquutum habere decreverit; simili sententiæ subjacebit.*

Oblationes in communitatem Ecclesiæ mortui pœnitentis recipiuntur, ut in Concilio Arelatensi 2. can. 12. ibi. *Sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio ejus recipiatur.* Concilio Taurinensi can. 5. Concilio Toletano 1. can. 17. Concilio Carthaginensi 6. can. 10. Carthaginensi 7. can. 5. Concilio Tarraconensi can. 6. Quibus omnibus locis Communio pro Eucharistia nequaquam sumitur.

De communione Ecclesiastica.

Sicuti ab antiquis dividebatur Communio, ut alia Laica diceretur, quæ jus in Christi corpore mystico, & Ecclesia significabat, ut in præcedenti: Altera nominabatur Communio Ecclesiastica, de qua tot erant species, quot sunt ordinum Gradus, & quot modis ab iis gradibus excidere poterant Clerici. At verò cum quis omnimoda depositione (ut ajunt canones) & perpetua puniretur, hoc est cum quis tam à gradus honore, quam functione removeretur, eum jus integrum Communionis Ecclesiasticæ amisisse, & inter laicos fuisse relegatum; sicuti quoties Clerici à Communione secluduntur, si nihil sit additum; id de Ecclesiastica Communione sit intelligendum, quæ etiam Sacerdotalis vocatur; ut in Concilio Arelatensi 2. can. 30. *Secundum instituta seniorum, si à Communione sacerdotali fuerit suspectus Episcopus; hunc non solum à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio, atque convivio placuit excludi,* &c.

De communione Peregrina.

Communio peregrina dicebatur, cum Episcopus, Presbyter, seu alius quivis Clericus, si peregrinando penes se non retinebat Commendatitias litteras, hunc delebant de catalogo, quo recensebant clericos; non quod clerici esse desinerent, sed quod à cæteris clericis semigrarent; id est convictu mutuo, synodis, aut aliis congressibus prohiberentur, & capita cum fidelibus conferre non possent: ut ex canone Apostolorum, &c. Prædictis verò Peregrinis se Christianos profitentibus, in iis, quæ sunt naturæ, & hospitalitatis, exhibebatur humanitas; iidemque ad communes Ecclesiæ preces duntaxat admittebantur; nequaquam verò ad sacramentorum participationem, nisi cum se esse Catholicos fide certa, formatisque litteris docuissent, Baron. in ann. 400. ubi Spondan. num. 11. vide etiam, qui de his latè scripsit Albaspinus de veter. Eccles. ritibus, lib. 1. cap 3.

Con-

Communio Laica est Jus communicandi cum cæteris fidelibus more Laicorum, & ut Laicum, participem esse societatis Christianorum: Quanquam si Clericus, vel Presbyter communicabat laicè propter aliquod delictum, iste accipiebat Eucharistiam more Laicorum, aut extra septa altaris, aut sub una specie, aut sub utraque, prout usus Ecclesiæ obtinebat; & ulterius communio prædicta multa alia complectebatur præter Eucharistiam. Baron. anno 258. ubi etiam Spond. num. 1. & idem Baron. anno 487. ubi Spondan. num. 1. Albaspinus dicto tractatu de veter. Ecclesiæ ritibus, lib. 1. cap. 4.

De Laica Communione.

Oblationes dicebantur, quæ à sacerdotibus in altari paulò ante sacra offerebantur, certisque precibus benedicebantur; quarum postea pars aliqua fidelibus, cætera in sacerdotum, clericorum, & pauperum alimentum erogabantur; Augustin. serm. 213. de tempore, ibi; *Oblationes, quæ in altari consecrentur, offerre; erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicet.* Unde ex prædictis oblationibus particulas, ac buccellas viritim in Ecclesia distributas fuisse, ut hac participatione significarentur omnes fideles sub uno eodemque capite, & de eodem corpore esse. Albaspinus ubi supra, cap. 5. Viringus de triplici cœna part. 3. cap. 55. §. Fermentum per titulos.

De Communione per oblationes.

Communio per Eulogias, id est, per benedictiones, dicitur; cum per vicos, & pagos sparsi, & diffusi, ex eadem non possent sumere Communione, cuperentque semper unionis Christianæ, & Christi corporis speciem quammaximè retinere. Festivis diebus (præter Panem benedictum, qui in unaquaque Ecclesia inter fideles ex oblationibus offerebatur, ut diximus) ex Matrice etiam per Parochias benedictus panis mittebatur; ex cujus perceptione communitas, quæ inter fideles ejusdem Diœcesis intercedere debet, intelligebatur, & repræsentabatur, ut ex can. 14. Laodiceni Concilii, cujus instituti ratio per Innocentium adducitur: *Ut se à nostra Communione maxima illa die non judicent separatos*; per dictum Albaspinum cap. 8. Præterea Formosus Papa Regi Francorum Carolo dirigens admonitionem, qualiter ei sit in Regno agendum, congratulans devotioni, quam idem Rex erga Sedem Apostolicam significaverat; quem petierat benedictum panem pro pignore mittit, apud Frodoardum histor. Rhemensis lib. 4. cap. 2. Similiter à Monasteriis, cum ab Episcopo visitarentur, solebant offerri eulogiæ. can. Non semel §. quod nullis canonicis: causa 18. quæst. 2. & ad Concilia Episcopi eulogias deferebant, quamvis non cogerentur, can. de eulogiis dist. 18. & plura etiam vide apud Viringum de triplici cœna part. 3. cap. 65. vide Glossarium Græco-Barbarum Meursi verbo ἐυλογία.

De Communione per Eulogias.

Primis temporibus nullus unquam pœnitens, aut Catechumenus è vita discedebat, quin ante in fidelium communionem advocaretur, aut corpori Christi Domini, unde distractus fuerat, restitueretur. Quoniam verò contingebat, ex illa multitudine Pœnitentium, & Catechumenorum; ut aliqui ante vitam amitterent, quàm fidelium gregi consociarentur, aut sacro Baptismi fonte abluerentur, aut ablutionem sortirentur; Quidam simplicitate ducti, Baptismum illis, & Eucharistiam post eorum mortem conferebant, ne quis vacuus communione decederet. At verò saniori

De Pœnitentium & Catechumenorum Communione post mortem.

modo solitum fuit, cum quis desiisset pœnitentiæ tempore, nondum absolutione percepta; Ecclesia ad communionem fidelium tunc revocabat, non Eucharistiæ, aut Baptismi quodam beneficio: sed oblationes, quæ eorum causa à cognatis, aut affinibus proponebantur, admittendo comprobabat, ex can.12. Concilii Arelatensis II. ibi: *De iis, qui in pœnitentia positi, vita excesserunt; placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur*: & latè per Albaspinum d.lib.1. cap.9. & 10.

De Communione per Viaticum.

Viaticum generatim sumptum significat communioni fidelium restitui appropinquante necessitate mortis obeundæ: & nil aliud est Viaticum, quam illa ipsa communio, quæ excommunicato redditur, quem brevi moriturum conjicimus. At verò non omne Viaticum dicitur Eucharistia; quoniam Ecclesiæ communio multis aliis modis potest comparari, quàm Eucharistia; nempe Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione in morte collata, ut in canon. 9. Concilii Bercendensis. *Pœnitentia benedictionem, quam Viaticum deputamus, per communionem acceperit*, & can. 39. Concilii Arausicensis I. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare: quod morientis sufficit consolationi, secundum diffinitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter Viaticum nominarunt*: Quamvis sicuti Eucharistia perfectissima est communio, ita perfectissimum est Viaticum, quod suppeditari possit morituris, ut ex Albaspino ubi supra, cap. 11. & nos de illa diffusè supra diximus.

Si quis desperatus, & consequutus Communionem, oblationisque factus particeps iterum convaluerit; sit inter eos qui communicationem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui; Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. Horum vero causa, qui sine Communione sunt defuncti, Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus à Communionis remedio differretur: Nos quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Albinus de divin. offic. cap. de his qui in extremis.

Esset hic dicendum de Communione per Eucharistiam: Verum quia de illa satis ad propositum diximus supra; ad ea Lectorem rejicio.

De Communione per Agapen.

Consuetum fuit Christianis olim synaxin indicere Christi exemplo. Ut enim ille ad cœnam Apostolos vocavit, eosque donavit sacro suo corpore; sic illi sacratæ communioni cœnam submittebant, quam Agapen dicebant ab amore, quo inter se mutuum faciebant, ut patet ex 1. Corinth. 10. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare, unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Sed in eo Apostolus eos non laudat, verum capit. *Unusquisque enim Cœnam suam præsumit*, inquit, ac si diceret: Bene quidem convenitis in unum, Christi imitatione, malè tamen eum sequimini. Primum quoniam præmittitis Agapen sacræ communioni. Ita hunc locum August. Primasius, S. Thomas, Anselmus,

Glossæ

Glossæ interlinearis,& ordinaria interpretantur: prius enim synaxis celebranda fuerat, dein Epulo locus. Chrysost. 1. Corinth. 11. homil. 27. *Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta synaxi post Sacramentorum Communionem inibant Convivium; divitibus quidem cibos offerentibus, pauperibus, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & communiter vescentibus.*

Secundo, peccabant Corinthii, quoniam ut testatur B. Eligius homil. 15. *Solebant in hac die deferre ad Ecclesiam Panem & Vinum, & dabant sacerdoti ad consecrandum, expletisque mysteriis, unusquisque quod dederat, recipiebat: sed & quidam illorum in foribus templi præparabant sibi convivia in conspectu pauperum, nihilque horum eis expectantibus erogabant.* Malo huic ut obviam iretur, eleemosynæ colligebantur in Agapen, quæ tamen liberæ erant, Tertull. in apologetico cap. 39. ibi. *Modicam quisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit, &c.* Interdum Ecclesiæ sumptu fiebat; nisi ea tenuior esset, ideo Gregorius Magnus epist. 54. mandat Petro Diacono, in dedicatione suppleri inopiam Oratorii beatæ Mariæ, cum more majorum Agape instituenda esset pauperibus.

Tertius error fuit excessus in luxuriosis comessationibus, & ebrietatibus, quæ ibidem licitæ putabantur, ut in honorem Martyrum: in quas latè insurgit August. epist. 64.

Quarto, superstitio se immiscuit, & parentalia, August. lib. 6. confess. cap. 2. de matre Monica, ibi: *Ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni Gentilium essent similia, abstinuit se libentissime, &c.* Ut de iis, & similibus tractat Viringus de triplici Cœna lib. 3. cap. 56. De hujusmodi Agape, seu duplici cœna latè etiam Cardin. Baronius in ann. 57. ubi Spondan. in epitom. num. 39. Triplici ex causa inter Christianos Agapes celebrari solitas, nempe in Natalitiis sanctorum Martyrum, in Funeribus, ac etiam in Dedicationibus Ecclesiarum. Baron. d. ann. 57. ubi Spondan. num. 40.

Agape quid esset?

Agape igitur dicebatur, quod diebus Dominicis cœnas de nocte celebrabant; quibus omnes Christiani intererant, & in privatam aliquam domum conveniebant, ubi post fusas ad Deum preces, cœnabant; cœnati manus abluebant, candelas, cereosque accendebant, Deum precabantur, scripturam sacram legebant, mox inter se omnes de rebus divinis sermones faciebant, & pecunias pro viduis, pupillis, & inopibus ibidem colligebant; nec ibi Eucharistia ministrabatur, cum hæc solum de vesperi fierent. Tertull. cap. 34. Apolog. Ac etiam in prædictis conviviis nulli prorsus nisi fideles admittebantur; nam neque Catechumeni, nec pœnitentes ibidem accumbebant, propterea quod jus communionis, & fraternitatis, aut amisissent, aut nondum essent consequuti: Albaspinus d. lib. 1, cap. 17. Vide Glossar. Græco-barbar. Meursi verbo Ἀγάπη.

De Fraterna Charitate.

Fraterna charitas apud primos Christianos erat, quia unum Deum parentem agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, ut consortes fidei, ut spei cohæredes, &c. ex Tertull. & Minutio Felice. Cæterum ut filii Dei, & Jesu Christi nuncuparentur, non nisi à Lavacro proveniebat. S. Cyrillus Hierosolymitanus in præfat.

Unius Matris filii, & filiæ facti estis omnes, quicunque hic nomina dedistis: & in prima catechesi. *Ad ingenuam adoptionis regenerationem pervenire.* D. Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 4. *Ex malo servo factus ex bonus filius.* D. Cyprianus ad Pompejum: *Qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum Patrem, aut Matrem Ecclesiam.*

Hæc amicitia Religionis societate tam fortiter erat conjuncta, ut Gentilibus suspecta esset: quoniam etiam pro altero mori essent parati fideles. Ab hac amicitia non solum Hæretici, & Schismatici arcebantur, sed etiam Pœnitentes, & Catechumeni, qui omnes à cæteris fidelibus fratres non appellabantur, quia scilicet jus ad hæreditatem Christi habere non censerentur; neque salutationem Dominicam, antequam salutaribus aquis purgati essent, recitabant: Indignum enim videbatur, Deum Patrem eos invocare, qui filii tenebrarum adhuc essent. D. Ambros. ibidem. *Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per Filium redemit, & dic, Pater noster.* & item: *Dic ergo & tu per gratiam, Pater noster, ut filius esse merearis.* Quod confirmatur, quoniam Catechumeni ab Ecclesia post primas conciones, & antequam sacrificium celebraretur, extemplo recedebant, ut satis supra abundè diximus: adeo ut nec unquam ante perceperint orationem Dominicam, quæ sacrificio conjuncta erat; & propterea à sancto Augustino homilia 42. in feria secunda Palmarum admonentur Competentes orationem Dominicam ita ediscere, ut etiam memoriter Sabbatho proximo post Baptismum reddere possint, ibi: *Accipite hodie, quomodo invocetur Deus.* & paulò post: *Tenete ergo & orationem hanc, quam reddituri estis die Sabbathi novissimi, quo baptizandi estis.* Ulterius hoc jus Fraternitatis quadam animæ & bonorum societate consistebat, cum unusquisque pro facultate, & modo fortunæ, cæteros libenter juvabat, & pro alendis ægrotis, viduis, captivis, aut iis, qui ad metalla, & arenarias damnati essent, ostiatim mendicabant, sicut pro maritandis puellis, & aliis pietatis officiis.

Communio per litteras.

Erat quoque apud fideles antiquitus Communio per litteras *Formatas*, seu *Communicatorias*, de quibus August. epist. 163. quibus probaretur unitas, ne fraus irreperet: Eædem etiam *Canonicæ*, *Ecclesiasticæ*, *Pacificæ* nominatæ reperiuntur. *Commendatitiæ* verò litteræ concedebantur etiam ab Episcopis, pauperibus peregrinantibus, ad testandam eorum fidem Catholicam, Concil. Chalcedonens. can. 13. can. extraneo clerico, distinct. 71. Erant præterea litteræ *Dimissoriæ*; ac etiam *Memoriales*, seu *Commonitoriæ* dictæ; Itemque *Synodicæ*; *Circulares*, sive *Catholicæ*; Similiter *Decretales*; *Pastorales*; *Confessoriæ*; nec non litteræ *Confessoriæ Captivorum*, ac etiam litteræ *Apostolicæ*, quæ etiam Breves dicuntur, de quibus omnibus vide, quæ refert Card. Baron. in ann. 142. ubi Spondan. in epitom. num. 6. 8. & 9. Vide etiam Franciscum Bernardinum Ferrarium Mediolan. qui de istiusmodi litteris librum edidit.

CAP. XXII.

De antiquissimo Excommunicationis Usu.

SIcuti mos fuit Fidelium nascentis Ecclesiæ tempore, quod diversas Communionum species servarent inter se, ut diximus; ita etiam Usus Excommunicationis non fuit ab iisdem alienus. Hæc, inquam, Excommunicationis censura usque adeo vetus, & antiqua est existimanda, ut à primæva orbis origine ortum habuerit: Lucifer propria voluntate excæcatus cum Angelis suis extra communionem Paradisi positus, anathemate percussus est. Huic proxima sequuta est Excommunicatio, cum omnium Parens extra deliciarum tranquillitatem ejectus est, adjecta etiam terræ Maledicti nota. Fratricida deinde Cain extra hominum commercium positus, & profugus super terram, anathematis argumentum extitit; eomet ipso Cain referente Genes. 4. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua.* Anathematis speciem habet toties repetita maledictio, Deuter. 27. *Maledictus qui fecerit sculptile; qui maledixerit patri, & matri; qui transfert terminum proximi sui, &c.* Hujusmodi execratorios canones promulgavit Josue cap. 8. ibi: *Post hæc legit omnia verba Benedictionis, & Maledictionis, &c.* Perseverasse etiam apud Hebræos hujus genus pœnæ, docet sanctus Joannes cap. 9. *Condixerunt ab illa hora, ut qui confiteretur Christum, extra synagogam fieret.* Notissimus est Evangelicus locus de anathemate ferendo; Matth. 18. *Si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Jure igitur censentur privati usu, & fructu suffragiorum Ecclesiæ excommunicati, quando Christi decreto infelicem subeunt Ethnicorum conditionem; Et ex iis luce clarius apparet, quam temerè sola mentis ignorantia, & Catholicæ Religionis odio, Hæretici nostri temporis asserant excommunicationem esse recens inventum, nec licere Prælatis in quemquam, quantumvis contumacem, sævire excommunicationis gladio.

Similem excommunicationis sententiam in quendam Corinthiorum propter portentosum facinus pronuncians Paulus 1. Corinth. 5. *Tradidit eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Quam quidem pœnam, non modo ut incestuosus ille à Dæmone obsessus miserabiliter cruciaretur, esse intelligendam; sed etiam ut à Communicatione fidelium haberetur abscissus; Patres omnes consentiunt. Tertull. de pudicitia cap. 13. Ambrosius 1. de Pœnit. cap. 14. cum aliis relatis per Baron. in ann. 57. ubi Spondan. num. 4. Et simili excommunicationis modo per traditionem Satanæ usus alibi Paulus adversus Alexandrum, & Hymenæum, qui à fide exciderant; ad Galatas 1. Præ cæteris nominibus, quibus Ecclesiastica illa censura ab auctoribus nominatur, frequentiori usu eadem excommunicatio dici solet, quod, qui ea percellerentur, à Communione sanctissimæ Eucharistiæ, & quocunque fidelium consortio arcerentur. Hilarius in Psalm. 118. *Qui ab Ecclesiæ corpore respuuntur, quæ Christi est corpus, tanquam alieni à Dei corpore dominatui Diaboli tradantur.*

Gravissi-

Gravissimum omnium censuræ pondus considerantes Origenes homilia 9. Hieron. & alii Patres; non nisi ex gravissima, & publica causa, & in contumaces duntaxat adhibendam tradiderunt. Sed quid tunc fiet, si injustè excommunicatio decernatur? Audi Gregorium homilia 26. in Evangel. *Sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ, vel solvere studeant, vel ligare: sed utrum justè, vel injustè obliget pastor: Pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is, qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur, &c.*

Hujusmodi anathematis fulgure percussi sæpius fuere Imperatores, Reges, & alii Principes. Et de Theodosio Imperatore ob cladem Thessalonicensium à sancto Ambrosio ab Ecclesia repulso post Augustinum lib. 5. de Civitate Dei cap. 25. Ambrosius epist. 28. ad Theodosium, referunt Annales Baronii ann. 390. ubi Spondan. num. 1. & 2. & 3. & de Philippo Imperatore, qui post Baptismum deliquit, cum ab Ecclesiæ jure deberet esse extorris: idem facta Exomolegesi publicè in Ecclesia, Fabiano Papa aliter eum ad preces cum reliquis celebrandas postrema vigilia Paschatis admittere recusante, magnæ pietatis exemplo diluit. Eusebius lib. 6. histor. cap. 25. Baron. ann. 246. ubi Spondan. num. 2. in fine. Sicuti etiam Innocentius Papa Arcadium, & Eudoxiam conjugem à communione Ecclesiæ rejecit ob facinora in Joannem perpetrata, ut post Nicephorum, & alios refert Baron. ann. 407. ubi Spondan. num. 7. Ac etiam Anastasius Imperator à Symmacho Papa excommunicatus, ex eodem Baron. ann. 502. num. 3.

Sed iis, & similibus plurimis omissis: horrendum fuit illud anathema, quod Theodorus Papa ad sepulchrum sancti Petri accedens, de sanguine Christi ex calice distillato in atramentum depositionem Pyrrhi, olim Monothelitarum Patriarchæ excommunicati, conscripsit, ex Baronio in annum 648. ubi Spondan. num. 2. ut simile quoque factum legimus apud Græcos in octava Oecumenica Synodo adversus Photium intrusum in Constantinopolitanam Ecclesiam, ex actis ejusdem Synodi, & apud Baron. ann. 869. num. 5.

Sed hæc satis, brevitati inserviens, circa antiquum usum hujusmodi censurarum.

CAP. XXIII.

De Sacramento Confirmationis.

POst Baptismum, & Eucharistiam, quæ sunt præcipua Christianæ Religionis sacramenta; fuit quoque Confirmatio verum Sacramentum, quæ fiebat, ac etiam fit super omnem populum utriusque sexus, illaque Chrismate exercetur. Hoc Chrismatis unguentum Moyses primum, in Exod. cap. 30. jubente Domino composuit & confudit; quo primò Aaron & filii ejus in testimonium sacerdotii, & sanctitatis peruncti sunt; Deinde quoque Reges eodem Chrismate sacrabantur: unde & Christi nuncupabantur, sicut scriptum est in Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos*: eratque eodem tempore in Regibus & Sacerdotibus tantum mystica unctio, qua Christus figura-

figurabatur, unde & ipsum nomen à Chrismate ductum est. Sed postquam Dominus noster, verus Rex & Sacerdos æternus, à Deo Patre cœlesti mystico unguento est delibutus, jam non soli Pontifices & Reges, sed omnis Ecclesia unctione Chrismatis consecratur, pro eo quod membrum est æterni Sacerdotii & Regis. Ergo quia genus regale & sacerdotale sumus; ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur: Ita Isidorus de Ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 25.

Quando hoc Sacramentum institutũ?

Institutum fuit igitur hoc sacramentum Confirmationis, in lege Evangelica, à Christo immediate; ut in Concil. Trident. sess. 7. can. 1. Et hanc institutionem peractam in nocte Cœnæ in qua toties Spiritum sanctum Ecclesiæ suæ promisit; & valde verisimile, tunc etiam docuisse materiam & formam illius sacramenti; & præceptum de eo Apostolis dedisse, ut ex Fabiano Papa epist. 2. cap. 1. his verbis. *In illa die Dominus JESVS postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes; sicuti à sanctissimis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.* Quare ex traditione constat ejusmodi tempus. Inde fortè manavit consuetudo conficiendi Chrisma illo die singulis annis; & est sententia D. Thomæ & aliorum cum Suarez disput. 32. sect. 2. Potest etiam dici, fuisse quadam ratione consummatum & perfectum hoc sacramentum post resurrectionem Joann. 20. quando Christus dixit, *Accipite Spiritum sanctum*: &c. quatenus secundum probabilem opinionem; tunc Apostolos fecit Episcopos; supposita instructione illis tradita in nocte cœnæ. Nam quod alii dicunt, fuisse hoc sacramentum institutum Matth. 19. quando oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & curaret: nullo fundamento nititur; & ad summum fuit adumbratio quædam futuri sacramenti: ut refert Filiuccius Moralium quæst. tract. 3. de Sacram. Confirmat. cap. 1. num. 5. & 6.

A solis Episcopis confertur.

Solis autem Episcopis collatio hujus sacramenti fuit semper assignata, etiam à principio nascentis Ecclesiæ; Rupertus Abb. de divin. offic. lib. 5. cap. 16 & ex Epiphan. hæresi 21. habetur. *Nam cum Philippus Diaconus esset, non habebat potestatem imponendi manus; ut per hoc daret Spiritum sanctum.* Chrysostom. in octavo cap. Actuum Apost. ait; *Vnde mea sententia hic Philippus unus ex septem, erat secundus à Stephano; ideo & baptizans Spiritum sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat: hoc enim donum solum Apostolorum erat*: &c. *Nam virtutem quidem acceperat faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum.* Et ex Innocentio I. circa annum Domini 410. epist. 1. ad Eugubinum cap. 3. habetur. *De consignandis verò Infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere: nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi; ut vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat: verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam Baptizatis traderent Spiritum sanctum. Presbyteri seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant: Chrismate Baptizatos ungere licet; sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Habetur etiam ex gestis Pontificalibus Sylvestrum Papam instituisse, ut à Presbytero ungeretur Neophytus in cerebro

Presbyteri quando & quare conferunt Chrisma.

chrismate ab Episcopo consecrato: Et hoc decretum fuit ob remedium difficultatis Episcopum consequendi ante exitum animæ: etenim si quis decederet sine ornamentis vestis, quæ tribuit Deus menti per manus impositionem (quæ sunt septem dona Spiritus sancti;) periculosum esset, ne in convivio Regis existens, terribilem vocem illam audire mereretur; *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* ut refert Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 27. Rupertus Abbas de divin. offic. lib. 5. cap. 16. Hinc adverte, non mirum, si homo bis eodem chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum ungatur; cum idem Spiritus bis sit ipsis Apostolis datus; nempè post resurrectionem, quando Dominus insufflavit in eos, & dixit, *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata,* &c. & iterum post Ascensionem Domini in die Pentecostes in linguis igneis; ut refert Harbanus Maurus de Institut. Cleric. lib. 1. cap. 30.

Quare bis ungimur?

Materia.

Potest tamen Papa committere collationem hujus sacramenti etiam simplici Sacerdoti: quia quædam quæ sunt superioris ordinis, potest ea etiam committere inferioribus de plenitudine potestatis; ut permisit Gregorius Magnus quibusdam Presbyteris, ut ipse scripsit Januario Episcopo, & refert Micrologus de Ecclesiasticis Observationibus cap. 21. & tradit D. Thomas part 3. quæst. 72. art. 12.

Oleum & Balsamum est materia hujus sacramenti, quibus repræsentatur dignitas Sacerdotalis & Regalis. S. Cyprianus de Unctione Chrismatis inquit. *In sacro Chrismate mixtum oleo balsamum Regiæ, & sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem; quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta:* quod etiam asserit divus Thomas part. 3. quæst. 72. art. 2.

Sed quamvis unctio Chrismatis materia sit hujus sacramenti; obstat tamen textus in Actis Apost. cap. 8. & 9. ubi sola manus impositione Apost confirmabant. Sed ad hoc respondetur, Apostolos sola manus impositione confirmasse: quia cum imponebant manus, etiam ungebant. Ac etiam respondetur & est communior opinio, Apostolos utroque modo confirmasse: & sola manus impositione, quando Spiritus sanctus dabatur visibiliter cum dono linguarum; & præterea unctione, quando cessarunt signa visibilia. D. Thom. quæst. 72. art. 2. ad primum, & art. 4. ad primum, & alii, quos refert Suarez. disput. 33. sect. 4.

Exercebatur Confirmatio Chrismate, & signo Crucis; 2. Corinth. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus sancti in cordibus nostris:* & in ea quam ad Ephesios scripsit idem Apostolus, sic prohibet c. 4. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem Redemptionis.*

Hoc idem sacra Concilia testantur, Elibertin can. 38. *Posse baptizari in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.*

Concilium Arelatens. 2. cap. 17. de Bonosiacis Hæreticis: *Chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Consil. Laodicens. cap. 48. *Oportet Baptizatos sacratissimum Chrisma percipere, & cœlestis Regni participes fieri.* Concil. Aurelianens-

lianensf. apud Gratian. de conſecrat. diſt.5. *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur prius confeſſionem facere, ut mundi donum Spiritus ſancti valeant accipere.* & Concil. Meldenſe apud Gratian. ibidem. *Ut Epiſcopi non niſi jejuni per impoſitionem manuum Spiritum ſanctum tradant.*

Hoc idem communiter aſſerunt ſancti Patres, & ex Græcis Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. cap.2. *Ille divino, ac prorſus Deifico unguento virum ſignat*: & infra. *Perficiens illa unctio facit perfectum.* & cap.4. *Adventum Spiritus ſancti comſummans unguenti inunctio elargitur.*

Quod autem hoc ſacramentum conferat Spiritum ſanctum, conſtat ex Act. Apoſt. ibi: *Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quod accepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum.* Origen. homil. 18. in Levit. *Donum gratiæ Spiritus per olei imaginem deſignatur; ut non ſolum purgationem conſequi poſſit is, qui convertitur à peccato, ſed & Spiritu ſancto repleri.* Et datur in augmentum, & firmamentum juſtitiæ, per quod confertur gratia gratum faciens. D. Thom. part.3. quæſt.72. art.7. & S. Melchiades P. & M. in ſuo Decreto ait: *In Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione augmentum præſtat ad Gratiam: Regeneratio in ſe ſalvat mox in pace beati ſæculi recipiendos: Confirmatio autem armat & inſtituit ad agones mundi hujus, & ad prælia reſervandos.*

Confert Spiritum ſanctum.

At verò Tertullianus paucis verbis declarat omnes ritus ſolitos in hoc ſacramento, nempe; Ungendi, benedicendi, Cruce ſignandi, & manus impoſitionis; ut in cap. 8. de reſurrect. carn. *Caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut & anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.*

Cyprianus Epiſt. 70. ad Januar. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, id eſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.*

Sanctus Ambroſ. de iis, qui initiantur cap. 7. *Repete quia accepiſti ſignaculum ſpirituale, Spiritum Sapientiæ.* & infra. *Serva quod accepiſti: Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.*

Sanctus Hieronymus adverſus Luciferianos. *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut Baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus ſanctus? exigis ubi ſcriptum ſit? in Actis Apoſtolorum. Etenim ſi ſcripturis auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.*

Auguſt. tract. 6. in epiſt. Joannis. *Ergo ſi vis noſſe, quia accepiſti Spiritum ſanctum, interroga cor tuum, ne fortè Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.* Et idem lib 15. de Trinit. cap.6. *Unxit eum Deus Spiritu ſancto, non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo Baptizatos ungit Eccleſia.* Quamvis Chriſtus, & Apoſtoli donaſſent effectum hujus Sacramenti miraculosè, S. Thom. part.3. quæſt.72. art. 4.

De Alapa.

Quod autem Episcopus in conferendo hoc sacramento det Alapam in faciem Confirmatorum: Non aliud indicasse credo, quam post susceptum Spiritum sanctum, dispositi & parati reddantur ii ad suscipiendam omnem ignominiam, verbera, & mortem propter Christum: Non aliter quam Apostoli, qui omnes ante Christi passionem scandalizati sunt, & fugerunt; ex quibus alii etiam Magistrum negarunt, & alii tradiderunt: & tamen iidem in die Pentecostes post receptum Spiritum sanctum, digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati, verbera, & mortem pro eodem ferre, &c. Impingitur etiam alapa Confirmato, ut is recordetur etiam suscepti Sacramenti, quod iterari non potest.

Sacrum Chrisma per singulos annos in Cœna Domini conficitur per Episcopos: sed dum una confectio chrismatis abundat, vetus chrisma debet incendi, & non amplius quam uno anno uti permissum, atque deinceps novo frui. Ut in epist. sancti Fabiani Papæ ad Orientales Episcopos.

CAP. XXIV.

De Pœnitentiæ Sacramento, & auriculari Confessione.

Poenitentiæ Sacramentum, nec non & auricularis Confessio, (à qua indesinenter Hæretici tantum abhorrent) quod semper in usu fuerit à principio nascentis Ecclesiæ; sacris Scripturis, & sanctorum Patrum auctoritatibus indubitanter manifestum patebit.

Etenim non in lege Evangel. solum, verum & in Mosaica, Num. cap. 5. vers. 6. legitur: *Vir, sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint; confitebuntur peccatum suum.* Unde qui in Hebraico idiomate sunt versati, optime norunt verbum, *Hithuadù*, non exponi generaliter confitebuntur, verum particulariter, distinctè, & exactè.

Et de veritate hujus auricularis Confessionis, Scotus in 4. sentent. distinct. quæst. 17. Unica inquit, quod quamvis appareat istam non esse de jure divino promulgato per scripturam Apostolicam, dicendum est tamen, quod sit de jure divino positivo promulgato à Christo Apostolis, sed & Ecclesiæ promulgato per Apostolos absque Domini scriptura, sicuti mandata alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos sibi promulgata sine scriptura: cujus fundamentum est illud Joann 20. *Multa alia signa fecit CHRISTUS JESUS, &c.* & habetur extr. de celebrat. Missarum cap. Cum Marthæ.

Verum videamus, quonam pacto hæc Confessio sit Apostolica traditio, quæ inter Mosaica præcepta reponitur, & postea à Christo tanquam Ecclesiæ Sacramentum ordinata?

Quis autem denegabit filium Dei non dedisse potestatem remittendi peccata, cum dicat Apostolis apud Matth. cap. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis*

super

super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo. & apud Joann. cap. 20. *Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Non enim Apostoli poterant remittere aut retinere peccata aliorum, nisi eorum cognitionem haberent per externam confessionem singulorum peccatorum cum omnibus circumstantiis. Unde sacra Tridentina Synodus sect. 14. cap. 5. deducit hanc necessariam illationem his verbis. *Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, & sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, & si occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur.* Ac etiam collata Apostolis à Christo judiciaria potestate absolvendi à peccatis; exerceri illa non potest nisi audita prius causæ discussione, de qua S. Gregor. homil. 26. in Octav. Paschæ inquit: *Causæ pensandæ sunt, & cum ligandi atque solvendi potestas exercenda, videndum est, quæ culpa ante, quæ sit pœnitentia sequuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam vivificat, illos Pastoris sententia absolvat: tunc enim vera est ablutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis.*

Quod autem hæc auricularis Confessio sit indubitata, constat præter epistolam Canonicam S. Jacobi dum ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra:* quod exponitur *Alius alii,* ac etiam, ex sanctis Patribus, tum Græcis tum Latinis, ut per illos nobis aperta sit consuetudo Ecclesiæ primitivæ.

Origen. homil. 2. in Levit. *Est adhuc septima, licet dura & laboriosa, per Pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator lachrymis stratum suum, & non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, quærere medicinam secundum eum, qui dicit: Dixi pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.*

Et idem homil. 7 in Luc. explicans illud; *Ut revelentur ex cordibus cogitationes; Unde,* inquit, *& nos si peccaverimus, debemus dicere, peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi: Dixi, annunciabo injustitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata nostra, non solum Deo; sed & his, qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis; delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait, Ecce delebo, ut nubem, iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua.*

Sanctus Basil. Interrogat 129. *Ut vitia Corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiunt, sed his tantummodo, qui rationem, qua curanda sunt, teneant; eodem modo etiam peccatorum Confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possunt curare:* & idem Basil. Interrogat. 228. *Necessario iis peccata aperiri debent, quibus est credita dispensatio Mysteriorum Dei: siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam Veteres illos cernimus sequutos fuisse, quando & in Evangelio scriptum est, quod Joanni confitebantur peccata sua.*

Gregor. Nissen. orat. ad eos, qui durius & acerbius alios judicant; *Afflictionis participem, & socium sume Sacerdotem, & Patrem; audacter ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana, tanquam occulta vulnera Medico retege; ipse honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.*

Joann. Chrysostom. homil 20. *Qui hæc fecit, si voluerit (ut decet) uti conscientiæ adjumento ad confessionem facinorum festinare; Medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia; facilè sua peccata emendabit: Confessio enim peccatorum abolitio est etiam delictorum.*

Et idem lib. 2. de Sacerdotio; *Multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant Sacerdotum curationi sese submittere oportere.*

Sed omissis aliis Græcorum Patrum auctoritatibus: transeamus ad Ecclesiæ Latinæ Doctores: ex quibus Tertullian. de Pœnitent. cap. 12. *Cum scias adversus Gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia: cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? mutæ quidem animæ, & irrationales, medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt: Cervus sagitta transfixus, ut ferrum, & irrevocabiles moras ejus de vulnere repellat, scit sibi Dictamno medendum: Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua Chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin, sciens præteribit illam, quæ Babylonem Regem in Regno restituit?*

Sanctus Cyprianus lib. de lapsis. *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum; dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est; dum admitti ejus Confessio potest; dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnitent. cap. 7. *Vult Dominus plurimum posse Discipulos: vult à servulis suis ea fieri in nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris. Denique ait; Et majora his facietis. Dedit ut mortuos suscitarent: Et cum ipse Saulo reddere posset usum videndi, eum tamen ad Ananiam Discipulum suum misit, ut ejus benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiserat.* Et idem paulo post. *Quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? unum in utroque mysterium est.*

Sanctus Hieronymus epist. 65. ad Pammach. contra errores Origenis. *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri.* & idem in 16. Matth. *Sacerdos pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, quis sit ligandus, quisque solvendus.*

Augustin. tom 9. lib. 2. de Visitat. Infirm. cap. 5. *Adstantem coram te Sacerdotem Angelum Dei existima. Labia quidem Sacerdotis, ait Malachias, custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus: Angelus enim Domini exercituum est; & cum qua, & Deum & Angelum ejus decet reverentia Dei Ministrum affare: Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula; conscientiarum tuarum revela repagula: non te pudeat coram uno dicere, quod non puduit forsitan coram multis facere: nam humanum est peccare, Christianum est à peccato desistere, Diabolicum est perseverare.*

Ergo

Ergo quæ mentem gravius exacerbant facinora, Dei Angelo manifesta, nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus obvolvens, nullis circumitionibus, quod verum est operiens: Designanda enim sunt in quibus peccasti loca, si recorderis, & tempora: cum quibus peccasti personis, (non nomina earum) in qua peccasti labilis ætas; quo gradu jam Ecclesiæ inserviebas; utrum semel, an ex consuetudine, vel ex necessitate, an ex voluptate cecidisti. &c.

Et sanctus Gregorius æquiparat confessionem auricularem Lazari resurrectioni, homil. 26. in Evang. *Mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras, &c.*

Bernard. serm. ad Milit. & temp. cap. 12. *Non absolvant etiam compunctum, nisi viderint & confessum.*

Quomodo necessaria Confessio?

Sed omissis innumeris aliis sanctorum Patrum auctoritatibus ad nostrum propositum; Dicimus, quod quamvis hæc auricularis Confessio non fuerit habita de necessitate præcisa ad salutem; nihilominus tamen est necessaria ad salutem de necessitate conditionali, nempè in casu possibilitatis; non absolutè: etenim deficiente possibilitate contritio sola unà cum desiderio confessionis est sufficiens, cujus judicium Deo est reservatum. S. Leo ad Theodorum epist. 91. sic inquit. *Si aliquis quocunque interceptus obstaculo à munere Indulgentiæ exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita, actusque discutere, cum Dominus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ Justitiæ reservaverit; ita potestatem suam timeri volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam negligentibus accidit, nemo non metuat: multum enim utile, & necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur. His autem, qui in tempore necessitatis præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, &c.*

Asseramus igitur absque hæsitatione, quod Pœnitentia sit Sacramentum, quo Sacerdos virtute clavium, hoc est potestatis à Deo receptæ, dimittit peccata à nobis post Baptismum commissa: nec obliviscamur sub pœna ingratitudinis, recognoscere, quam immensa sit Redemptoris nostri misericordia, cum tale, ac promptum, & facile medicamentum infirmitatibus nostris reliquerit. Sicut enim ex peccato non nisi ignominiam peccator haurit; ita ex confessione peccati, & Pœnitentia uberi, gloriæ fructus colligit: quemadmodum Davidi, & aliis quam plurimis obvenisse scimus, suas noxas confitentibus.

Etenim multo honestius, ac facilius est confiteri peccatum secretò Sacerdoti Dei Vicario; quam manifestare, ac propalare in publico consessu fornicationes, adulteria, sacrilegia, homicidia, & alia enormia, quæ pœnitentem diffamant, & Ecclesiæ scandalum irrogabant: ut summo jure fuerit sublata illa confessio Constantinopoli per Nectarium, ut refertur. Et de hujus quoque publicæ Confessionis suppressione circa peccata occulta, D. Chrysost. populo Antiocheno prædicabat, antequam

Episcopus

Episcopus Constantinopolitanus fuisset electus; dum in homil.30. ad populum Antiochenum sic loquitur; *Sufficit tibi soli Deo confiteri, non autem conservo, qui te reprehendat:* Etenim ibidem declarat hoc intelligendum de Confessione satisfactoria, & publica, non autem de auriculari, & secreta, ut per illa verba: *In Theatro coram magna multitudine:* & alia multa similia verba: sicuti quoque paulo post à Magno Leone, qui sedit in Pontificatu anno 450. in epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, Samnii, & Picœni, his verbis. *Illam etiam contra Apostolicam Regulam præsumptionem, quem nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituto, submoveri (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur: dum, aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli: sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Datum pridie nonas Martii, Reumero Coss.*

Et ex his videamus, quantus honos Sacerdoti debeatur, ad cujus genua, & pedes diademata, & sceptra, & omnis nobilior purpura, si exsolvi vinculis velint, accedere debent, seclusa omni publica Confesione. Olim Macedo nodum, quem manibus non poterat, ferro solvit: Sacerdos verò nodos omnes, etiam Angelis ipsis inenodabiles, exsolvit verbo: nil hic opus securibus aut ense: verbo *Absolvo* vincula omnia, etiam Paradiso nata dissolvuntur. Et ut olim *Fiat* verbo steterunt omnia; sic sacerdotali verbo *Absolvo* evinculantur omnia, licet cœlorum compedibus irretita tenerentur.

CAP. XXV.

De Satisfactione pœnæ post remissum peccatum.

EX sacro textu, variis rationibus, Conciliorum & Patrum auctoritatibus fit palam; quod etiam remissa culpa peccati, non propterea pœna semper indulgetur; ut inde satisfaciendum sit divinæ Justitiæ: & hoc virtute meritorum, & satisfactionis Christi.

Etenim ad hoc primum tenemur ex peccato nostri primi Parentis: quod quamvis Christus ex Apostol. ad Coloss. 2. *Delens, quod adversus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci:* Nihilominus remansit adhuc plaga tumens, ut jam minatus est Deus ad Evam, Gen. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios.* Adæ verò dixit: *Male-*

Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.

Præterea Num. 12. *Loquuta est Maria, & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam.* Parcit Deus illis, precibus Moysis; at sibi reservat pœnam in die ultionis, eo quod in terram promissam non fuerint ii ingressi.

Tertio, insurgit populus contra Moysen, & Aaron: indulget Deus, servat tamen sibi pœnam, quoniam nemo ex his terram pro missam ingreditur. Num. 14. *Loquutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron dicens: Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me querelas filiorum Israel? Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus, sicuti loquuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra, &c.*

Quarto, puer, qui natus est ex adulterio David, mortuus est, quamvis orasset pater, cui peccatum fuerat remissum; ac in eundem aliæ calamitates supervenerunt. 2. Regum 12. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.*

Quinto, dixit ad Regem Daniel cap. 4. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Nec de culpa hoc intelligitur, quæ absque contritione non remittitur iis, qui ad usum rationis pervenerunt.

Demum, ut alia multa prætermittam, 1. Corinth. cap. 9. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Sancti Patres similiter secundum scripturam loquuti sunt de Pœnitentia. Ex Græcis Origen. in Exod. homil. 6. *Misericors & Miserator Dominus: & Creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur, & vivat, pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est; dicit enim Propheta, quia si conversus ingemueris, tunc salvus eris.*

Concilium Ancyranum Canon. de iis qui vi sacrificarunt. *Visum est anno audire, tribus autem annis substerni, ac supplices esse, soli autem Orationi duobus annis communicare, & tunc ad id, quod est perfectum, accedere.*

Basil. Homil. 14. quæ est contra ebrietatem & luxum, sic ait; *Medicina magna delicta sedabit: Jejunium ebrietatem curet; Psalmus turpes cantus: Lacryma risum: pro saltatione genua Deo flectantur: pro tripudiis pectus Deo pulsetur: pro vestium sumptu, & ornatu humilitas: in omnibus verò Eleemosyna peccata diluat: redemptio animæ viri divitiæ: In societatem, communionemque orandi Deum, plures admittite eorum qui tribulati sunt, si quo pacto tibi malitia culpæ remittatur.*

Sanctus Chrysost. homil. 41. ad Populum Antiochenum. *A nobis ultionem sumamus, ita placabimus judicem.*

De Ritu, quo in Ecclesia Romana fiebat pœnitentia, Sozomen. Eccles. hist. lib. 1. cap. 16. *Privatim deinde sponte sua, quisque vel jejuniis, vel lotionum, ciborumque abstinentia, vel aliis quibus jussus est, semetipsum affligens, tempus expectat in*

quantum Episcopus constituit: elapso demum præfinito die, pœna jam quasi debito quopiam exsoluta, à peccatis absolvitur, & populo in Ecclesia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ab ipso inde exordio, etiam ad nostram usque memoriam custodiunt.

Theodorus epist. divers. Decret. cap. de pœnitent. *Sunt medicabilia, quæ post Baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem non ut olim per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & jejunium, & laborem facti peccati quantitati commoderatum.*

Cyprianus serm. de lapsis, ante finem. *Confiteantur singuli quæso delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est &c. Agite pœnitentiam plenam, dolentis, lacrymantis & lamentantis animi probate mœstitiam &c.*

Ambrosius lib. 1. de pœnitent. cap. 16. *Cognovi quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper & pallido, mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.*

Hieronymus epist. 22. ad Eustoch. de Custod. Virg. *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum; putabam me Romanis interesse deliciis: sedebam solus, quia amaritudine repletus eram; horrebant sacco membra deformia; & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & si quando somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collıgebam &c.*

Sanctus Augustinus homil. ult. inter Quinquaginta. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciam Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitus, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus Eleemosynis: Beati enim Misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus; non enim dictum est, ut tantùm abstineant à peccatis, sed & de præteritis, inquit, deprecare Dominum, ut tibi dimittantur.*

Nec verum est doctrinam de satisfactionibus pugnare cum doctrina de sufficientia satisfactionis Christi; aut per eam obscurari illius meritum: nam non obscuratur, sed illustratur Christi meritum; dum fatemur illud adeo esse efficax & universale, ut ipse non solum vitam æternam nobis per illud meruerit, sed vires etiam merendi contulerit. Hoc inferunt sancti Patres, è quibus D. Bernardus serm. 1. de Assumptione Domini inquit; *Quod merita sint, gratia Dei est, volentis & statuentis labores nostros digna mercede compensare, licet beneficiis divinis debiti sint.* S. Chrysostomus homil. 1. de Adamo & Heva. *Tanta est benignitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sua sunt dona.* S. Hieron. Dialog. contr. Pelagium par. 1. *Quid coronat in nobis Deus, quod ipse operatus est? voluntatem nostram, quæ obtulit omne quod potuit.* & sanctus Augustinus epist. 115. ad Sixtum. *Deus coronans merita nostra, nihil aliud coronat, nisi munera sua.*

CAP.

CAP. XXVI.

De Sacramento Ordinis.

ORdo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo Spiritualis potestas traditur ordinato, D. Thom. part.3. quæst. 34. art. 2.

Quod autem ordo fuerit habitum unum ex septem Sacramentis novæ legis: hoc Christus testatur apud Johannem cap.20. his verbis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: Ac de manuum impositione legitur in Actis Apost. cap. 6. *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, &c. Et hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Etenim prædicti ab Apostolis in Diaconos constituti fuerunt, sicuti etiam iidem ordinarunt Paulum, & Barnabam, ut in Act. Apost. cap. 13. *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos: tunc jejunantes, & orantes, imponentesque ei manus dimiserunt illos.*

Quod autem impositio manuum conferat gratiam, & cum effectu consistat: Apost. epist 2. ad Timoth. c. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* Et epist. 1. ad Timoth. cap. 1. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

De hoc eodem Ordinis Sacramento loquutus est S. Ignatius in Epist. ad Smirnenses. *Omnes Episcopum sequimini, sicut Christus Deus Patrem, Presbyteros sicut Apostolos, Diaconos autem veneramini, sicut Dei mandato ministrantes*: & infra: *Omnia bene in vobis ordinate, quæ mandata sunt in Christo. Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri*, & in vita S. Anacleti Papæ & Martyr 13. Julii legitur: *Decrevit ut Clerici sacris Ordinibus publicè à proprio Episcopo initiarentur.*

Et de Ordine clericali S. Gregor. Nazianz. in laudem Athanasii inquit; *In magnum hunc Clericorum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum adscribitur; ac sacrosanctæ stationis, & ordinis honore afficitur, cunctisque Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus.*

Unde ex iis inquit Isidorus de Eccles. Offic. lib. 2. cap. 1. Quod omnes qui in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt, generaliter Clerici nominantur: Cleros, vel Clericos hinc appellatos volunt; quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum; & sic omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum Principes ordinabant, sorte eligebant: nam κλῆρος sors interpretatur; unde & Hæreditas Græcè *Cleronomia* appellatur: proinde ergo Clericos vocari ajunt; eò quod in sortem hæreditatis dentur: vel pro eo quod ipse Dominus sors illorum est: sicuti de iis scriptum est loquente Domino Deut. cap. 18. *Ego hæreditas eorum &c.* Unde oportet, ut qui Deum hæreditatem possident, sic vivant, ut congrue illud Ps. 15. dicere possint: *Dominus pars hæreditatis meæ.*

 Ter-

Tertull.exhortat ad Castitatem cap. 7. inquit; *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas & honor per Ordinis consessum sanctificatus: adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus.*

Et Optatus Melevitanus lib. 1. Ministros subjicit Diaconis his verbis: *Certa membra sua habet Ecclesia; Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam fidelium.* Qui turbæ & consessui præerat, communi vocabulo dicebatur Præses, sive Præsidens, & Præpositus.

Et S. Leo epist. 87. ad Episcopos Aphricæ cap. 1. *Quid est citò manus imponere? nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis: & quid est communicare peccatis alienis? nisi talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari.*

Et quod oleum effusum supra caput Saulis, significaverit sacerdotalem unctionem; S. Greg. Magn. ad cap. 10. lib. 1. Regum. *Samuel Saul in Principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit: quia sacrorum ordinum sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interiùs roboramur: virtus verò sacramenti gratia est Spiritus septiformis.*

Hinc autem probatur, quod Ordo sit Sacramentum, ut ex D. Thom. lib. 4. advers. Gentiles cap. 74. *Manifestum est, quòd in collatione spiritualis potestatis quoddam Sacramentum peragitur; quod dicitur Ordinis Sacramentum. Ad divinam autem liberalitatem pertinet, ut cui confertur potestas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea, sine quibus hujusmodi operatio exerceri non potest. Administratio autem Sacramentorum, quæ ordinantur ad spiritualem potestatem, convenienter non fit, nisi aliquis ad hoc divina gratia adjuvetur; & ideo in hoc Sacramento confertur.* Hæc D. Thomas, quæ procedunt, dummodo promotus, ad ordinem obicem non apponat; ut Apost. docuit cum scripsit ad 1. Timoth. cap. 16. Nec ad hanc eximiam dignitatem debet se quispiam extolli, sed à Deo tanquam Aaron vocari; ut ex Ambr. de Dignit. Sacerdot. habetur. *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam.*

CAP. XXVII.

De Ordinum Distinctione, & eorundem Functionibus.

SAnctus Paulus in epistola 1. ad Corinth. c. 1.2. à vers. 4. usq; ad 11. loquitur de gratiis gratuitè datis, de functionibus, & administrationibus, quæ fiunt in Ecclesia. Unde S. Thom. in 4. sentent. distinct. 24. quæst. 2. art. 1. ad 2. inquit: Quidam sumunt sufficientiam Ordinum per quandam adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus habetur 1. Corinth. 12. Dicunt enim, quod sermo *Sapientiæ* competit Episcopo, quia ipse aliorum ordinator est, quod ad Sapientiam pertinet: sermo *Scientiæ* Sacerdoti, quia debet habere claves scientiæ: *Fidei* Diacono, qui prædicet Evangelium: *Opera virtutum* Subdiacono, qui se ad opera perfectionis extendit per votum continentiæ: *Gratia sanitatum* Exorcistis, qui reddunt sanitatem Energumenis.

Inter-

Interpretatio sermonum significat lumen, quod committitur Acolythis. *Alii Prophetia*, qui est Lector. *Aliigenera linguarum*, qui est Cantor: *Discretio spirituum* competit Ostiario, ut discernat fideles ab infidelibus, filios Ecclesiæ & Baptizatos ab excommunicatis, catechumenis, & similibus.

Et de prædictis omnibus loquitur etiam S. Ignatius ad Antiochenos. *Saluto sanctum Presbyterorum Collegium, saluto sacros Diaconos, & saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores.*

Euseb. hist. Eccles. lib. 6. cap. 35. refert, in Ecclesia quadam Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolytos quadraginta duos, Exorcistas, Lectores, cum Ostiariis quadraginta duos.

Concilium Laodicen. can. 24. sic omnibus Ordine insignitis prohibet: *Non oportet sacro ministerio deditos à Presbytero usque ad Diaconos; & deinceps quemlibet Ecclesiastici Ordinis usque ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, cauponam ingredi.*

At distinctio ordinum, & eorundem subordinatio clarè demonstratur in Synodo Romana sub Sylvestro cap. 7. *Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacano Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius in omni loco repræsentet obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ.*

Ritus à collatione ordinum.

A quo tempore autem in usu fuerint Ceremoniæ, quæ servantur hodie in collatione ordinum: Refertur hoc in Concilio Carthag. 4. celebrato anno 395. ubi cap. 2. habetur: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem ejus; & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.*

Et S. Anacletus, ut legitur in ejus vita: *Decrevit ut Episcopus à tribus Episcopis, neque à paucioribus consecretur.*

Et in cap. 3. dicti Carthaginensis habetur: *Presbyter, cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, manum super caput ejus tenente; etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.*

Et cap. 4. *Diaconus, cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.*

Et cap. 5. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit; patenam ab Episcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum: De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.* Ac idem refert Isidorus de Eccles. offic. lib. 2. cap. 10.

Et idem Concil. c. 6. *Acolythus accipiat Ceroferarium cum cereo ab Archidiacono, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: urceolum vacuum ad suggerendum vinum ad Eucharistiam sanguinis Christi.*

Idem cap. 7. *Exorcista accipit de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi; accipiens potestatem imponendi manus super Energumenum.*

Et idem cap. 8. *Lectori tradit Episcopus Codicem, è quo lecturus est.*

Et idem cap. 9. *Ostiario ad suggestionem Archidiaconi tradit Episcopus claves Eccle-*

Ecclesiæ de altari dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Et idem cap. 10. *Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteris officium suscipere cantandi.* Et de prædictis vide Isidorum de Eccles. offic. lib. 2. cap. 6. & seq.

De continentia. Quoad continentiam annexam ordini Subdiaconi, præter supra deducta, Concilium Toletanum primum anno 408. cap. 4. expressè declaravit: *Subdiaconus defuncta uxore si aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, vel Lectores; ita ut Evangelium, vel Epistolam non legat.* Quin immo Concil. Agath. can. 28. inquit: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendæ uxoris licentia non est; etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.*

Et sanctus Leo Primus, epist. 84. cap. 4. inquit: *Nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur &c.*

Ordinum Distinctio quando cœpta. Quomodo autem prædicti Ordines originem habuerint in Ecclesia? Quamvis D. Thomas in supplemento tertiæ partis, quæst. 37. art. 2. velit in primitiva Ecclesia non extitisse explicitè tot distinctiones Ordinum, propter paucitatem ministrorum; sed omnes inferiores ordines erant in Diacono; nam Psalmistatus, seu Cantor erat actus ordini adjunctus, quia toti Choro competebat.

Nihilominus Isidor. Hispalens. de Eccles. offic. lib. 2. cap. 5. inquit, quòd *Sacerdotis initium Aaron fuit, quanquam & Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Jacob; sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate fecerunt, &c.*

Et idem c. 7. inquit, quòd *Presbyterorum ordo exordium sumpsit à filiis Aaron, qui Sacerdotes vocabantur in veteri Testamento; & qui nuncupabantur Principes Sacerdotum, nunc Episcopi nominantur; quibus clericorum ordinatio, & consecratio reservata est.*

Distinctos inter se habebat Ecclesia Episcopum, & Presbyterum, & maximè in ordinatione; & hoc de jure divino, & Apostolica traditione: Hieron. ad Evag. epist. 85. in fin. Beda lib. 3. super Lucam cap. 15. Damasus Epist. de Coëpiscopis. Anacletus in Epist. de Patriarchis & Primatibus. Isidorus in serm. habito in synodo, qui omnes referunt Presbyteros successores Apostolorum: ac etiam tanquam hæreticos damnabant illos, qui similiter distinctionem illam non reputabant. Epiphan. hæresi 75. & August. de Hæresi cap. 53. qui dum Aerii errores enumerarat, hunc inter illos recenset, quòd videlicet Presbyteros pares Episcopis fecerit: & hanc distinctionem latissimè refert Clemens Card. Aracæli in Catholicarum Institutionum Compendio, ubi de Sacramentis cap. 56.

Diaconorum ordo à Levi accepit exordium: Præcepit enim Dominus in lib. Num. cap. 3. & 8. Moysi, ut post ordinationem Aaron sacerdotis, & filiorum ejus; rursus Levi Tribus in divini cultus ministeriis ordinaretur, & consecraretur Domino pro omnibus primogenitis; & servirent coram Aaron, & filiis ejus in Tabernaculo Domini, excubantes in Templo die ac nocte; ipsique gestarent, & Tabernaculum,

culum, & omnia vaſa ejus, & in circuitu Tabernaculi Caſtra ipſi conſtituerent &c. In Evangelio autem primordia eorum leguntur in Actis Apoſt. cap 6.ibi. *Convocantes autem Apoſtoli multitudinem diſcipulorum dixerunt: Non placet nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Convocate ex vobis viros boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus in hanc rem: Nos autem erimus orationi, & miniſterio ſermonis inſtantes. Et placuit hic ſermo coram omni multitudine; & elegerunt Stephanum plenum fide, & Spiritu ſancto, Philippum, & Procorum, & Nicanorem, Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam. Hi omnes ſteterunt ante Apoſtolos, & cum oraſſent, impoſuerunt illis manus, &c.*

Exhinc per omnes Eccleſias ſeptem Diaconi, qui ſublimiore gradu eſſent cæteris, circa Aram Chriſti, quaſi columnæ altaris aſſiſterent, non ſine aliquo ſeptenarii numeri myſterio; ut in Apocalypſ. cap. 1. & 8. & vide latè Iſidor. ubi ſupra cap. 8.

Subdiaconorum, qui apud Græcos Hypodiaconi, in Eſdra lib. 1. cap. 7. inveniuntur; Appellanturque Natinnæi, id eſt in humilitate Deo ſervientes; ex eorum ordine fuit Nathinael. Iſti oblationes in Templo Domini ſuſcipiunt à populis; iſti obediunt officiis Levitarum; iſti quoque vaſa Corporis & Sanguinis Chriſti Diaconis ad altare offerunt. De quibus placuit Patribus, ut quia ſacra myſteria contrectant, caſti ſint, & continentes ab uxoribus, & omni carnali immunditia, juxta quod illis jubetur, dicente Iſaia cap. 52. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*; ut ex Iſidoro, ubi ſupra cap. 10.

Lectorum ordo formam, & initium à Prophetis ſumpſit: ſunt Lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur: *Clama ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam.* Unde, & dudum Lectores *Præcones* & *Proclamatores* vocabantur. Iſidor. ubi ſupra cap. 11.

Pſalmiſtarum, ſive Cantorum Principes, vel auctores, David, ſive Aſaph extiterunt: iſti enim poſt Moyſen primi Pſalmos compoſuerunt, & cantaverunt, 1. Paralip. 6. Mortuo autem Aſaph, filii ejus in hunc ordinem ſubrogati ſunt à David: erantque Pſalmiſtæ per ſucceſſionem generis, ſicut & ordo ſacerdotalis, ipſique ſoli continuis diebus in templo canebant candidis ſtolis, ad vocem unius reſpondente Choro. Ex hoc veteri more Eccleſia ſumpſit exemplum nutriendi Pſalmiſtas, quorum cantibus ad affectum Dei mentes audientium excitantur. Iſidor. ubi ſupra cap. 12.

Exorciſtas, in primo ordine, & miniſterio Eccleſiæ eſſe ſecundum officia, quæ in Templo Salomonis erant diſpoſita, quæque poſtea ab Eſdra diſpertita invenimus; eosque, quos Eſdras Actores memorat Templi, nunc eſſe Exorciſtas in Eccleſia Dei. Fuerunt autem ſub Eſdra dicti *Actores*, qui artium templi totius ſub cura haberent, aut ſacris actionibus deſervirent; ſed longe erant ab officio Altaris Dei: ſicuti nec Pſalmiſtis, nec Oſtiariis attingere licebat munera altaris, niſi tantummodo Levitis. Unde & Exorciſta totius Regni, Domini ſecreta memoriæ commendat de ſcripturarum teſtimoniis. Iſidorus ubi ſupra cap. 13.

Oſtiarii ſunt, qui in veteri Teſtamento, *Janitores Templi* vocabantur, qui præerant portis Templi Hieruſalem, quique ordinati per vices ſuas, omnia interiora Tem-

Templi, vel exteriora custodiebant. Hi denique inter sanctum & iniquum discernentes, eos tantum, qui in Ecclesia sunt fideles, recipiunt. Isidor. ubi supra cap. 14.

Tonsuræ quoque Ecclesiasticæ usus à Nazaræis exortus est, qui prius crine servato, denuo post vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant, & capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur, ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est; ut hi, qui in divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippe ex Ezechiele Propheta cap. 5. jubetur dicente Domino; *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces super caput tuum, & super barbam tuam.* Hoc, & Nazaræos illos Priscillam, & Aquilam in Act. Apost. cap. 18. primos fecisse legimus; sicut & Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi. Est autem Clericalis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur; ut hoc signo vitia resecentur, & criminibus exuamur, ut inde expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, in agnitionem Dei removemur; ut latius etiam Isidor. lib. 2. cap. 4. & alibi etiam de hac Tonsura nos inferius dicemus.

Variæ sedes Episcopatus.

Addimus prædictis, quòd in ordine Episcopatus agnoscebat Ecclesia varias sedes jurisdictionales Juris positivi, nempe Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham, & alium supereminentem gradum Juris divini; & hic summus Pontifex, seu Papa nominabatur, Hieronym. ad Damas. epistola 57. Augustin. contra duas Epist. Pelagii lib. 1. cap. 1. & idem epist. 92. ad Innocentium Papam. Refert Rupertus Abb. De divin. Off. lib. 1. cap. 27. *Postquam duodecim Apostoli per universum mundum dispersi singulis Civitatibus præsiderent, tam ipsi, quam successores eorum, missere per contiguas suis sedibus provincias Prædicatores, quos & Episcopos ordinarunt; ut ubi recepti fuissent, omnia Christianitatis Sacramenta, velut ipsi Apostoli peragerent; ut per urbes comprovinciales Episcopos ordinarent. Et aliorum quidem Apostolorum successores* Patriarchæ *sunt dicti: Petri successor pro excellentia Principis Apostolorum,* Apostolus *nominatur. Qui autem ab eis per provincias missi sunt, tam ipsi, quam successores eorum,* Archiepiscopi *vocantur: & qui ab his per urbes comprovinciales ordinati sunt, & qui illis succedunt, usq; hodie simpliciter* Episcopi *nominantur. Illa autem missio, largitio Pallii est, quod à collo dependens humilitatem Domini significat dicentis* Jo. 28. *Misit me Pater, & ego mitto vos. Et inter cæteros Galliarum Archiepiscopos B. Remigius Rhemensis auctoritate præeminet ab ipso Deo missus: & Ormisda Rom. Pont. à B. Petro 53. dictam ejus missionem approbans, eidem Rhemensi Pontifici vices suas delegavit per totum Francorum Regnum, & Rhemensis Ecclesiæ Primatum adaugens, summa authoritate confirmavit. Trajecti S. Wilibrordus à Sergio Papa missus. Sed & colonia primatum metropolis obtinuit, quia S Crescens Coloniæ quoque Apostolicam verbi Dei visitationem primus intulit. Cantuariæ verò Anglorum metropoli Augustinus à B. Gregorio missus est Pontifex Primus: qui toti Anglorum genti ut Christum cognosceret, strenua prædicationis administratione subvenit:* Ita Rupertus Abb. d. cap. 27.

Adver-

Advertendum quod absq; Papa seu Rom. Pontifice nil poterat decidi de rebus ad Ecclesiam universalem spectantibus; & in defectu illis personæ vel Legatorum ejusdem illicita reddebantur omnia universalia Concilia, Socrates hist. Eccles. lib. 2. cap. 8. Sozom. lib. 3. cap. 10. & infra nos dicemus cap. 76. & cap. 83.

Affirmabat eadem Ecclesia successionem Episcopatus non interruptam post missionem originalem Apostolorum; & hoc ex necessaria, & essentiali Ecclesiæ conditione; & aliter sentientes, uti schismaticos habebat. Cyprianus ad Magnum, epist. 76. Chrysost. ad Epiphan. homil. 11. & de iis omnibus nos latius infra dicemus. cap. 73. & cap. 79.

Diaconorum Functiones.

Quod Diaconi fuerint semper inferiores, & subordinati Presbyteris, & quòd antiquitus non essent illi solum dispensatores eleemosynarum; verum etiam per Episcopum ordinati in obsequium Presbyterorum, ad altare legendo Evangelium, & aliis functionibus assistendo; patet, ex quo sanctus Ignatius ad Heronem Diaconum scribit: *Nihil sine Episcopis facito; Sacerdotes enim sunt: tu vero Sacerdotum Minister: baptizant, sacrificant, eligunt, imponunt manus: tu verò illis ministras, ut sanctus ille Stephanus Jacobo, & Presbyteris, qui erant Hierosolymis,* & idem Epist. ad Trullianos: *Oportet Diaconos Mysteriorum Christi ministris per omnia placere: nec enim ciborum, ac potuum ministri sunt: sed Ecclesiæ Dei administratores.* & infra: *Quid sacerdotium est, quàm sacer cœtus? quid verò Diaconi, quàm ministrantes Episcopo? Imitatores angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent? &c.*

Quod autem maximæ est auctoritatis, ut alias prætermittamus, Concilium Nicenum cap. 14. *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & Civitatibus Prebyteris Diaconi Sacramenta porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem; his qui offerunt, Corpus Christi porrigant. Sed illud innotuit, quòd quidam Diaconi etiam ante Episcopos Sacramenta sumunt. Hæc ergo omnia amputentur, & maneant Diaconi intra propriam mensuram, scientes quia Episcoporum quidem ministri sunt, Presbyteris autem inferiores sunt. Accipiant ergo Eucharistiam secundùm ordinem post Presbyteros ab Episcopo, aut à Presbytero: Quòd si non fuerit in præsenti nec Episcopus, nec Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant: sed nec sedere quidem in medio Presbyterorum liceat Diaconis: extra regulam enim, extra ordinem est, ut hoc fiat.*

Sacerdotis Potentia seu Dignitas.

Magna siquidem est Presbyteri seu Sacerdotis dignitas, potentia magna: Dignitas supra Regiam, potentia supra Angelicam: cum ad Sacerdotis verba, è pane & vino Caro Christi & Sanguis statuuntur in altari: ante enim prolationem verborum Christi panis erat & vinum; ut primum consecratoria verba sacerdos protulit, non jam panis & vinum, Corpus Christi est. Quasi sacerdotis voluntati obsequatur Deus, & se sistat ad imperium ejus.

Demum sanctus Cyprianus epist. 65 quodlibet 3. *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros.*

CAP. XXVIII.

De Potestate exorcizandi Energumenos, & Catechumenos.

NEmo est, qui prætextu aliquo possit dubitare de hac in Ecclesia potestate: quoniam Christus Dominus apud Matth. cap.10. *Convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos & curarent omnem languorem*; ut etiam apud S. Lucam cap.10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*: quam potestatem exercebant Apostoli, ut in actis per eundem Lucam. Etenim cum hæc sit po[...]issima inter alias omnes afflictiones, congruum maximè erat, ut Dei providentia in hoc medicamen apponeret, sicut fecerat in aliis omnibus languoribus; Et propterea Dæmones maximè contremiscunt nomen filii Dei: Justin. dialog. cum Tryphon. ait: *Per nomen siquidem istius filii Dei, & Primogeniti creaturæ omnis, & ex virgine geniti &c. Dæmonium omne adjuratum vincitur.* Et ibidem: *Et hodie quoque illi per nomen Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato adjurati nobis parent.*

Refert Euseb. Cæsariens. lib. 8. cap. 35. quòd Novatus exorcistarum præsidio spiritu illo malo liberatus, cum post tam gravem morbum, ut jam fere mori putaretur, incidisset: in lecto, in quo decumbebat, aqua circumfusus Baptismum accepit.

Concilium primum Constantinopolitanum can. septimo referens ordinem servandum circa Baptizandos, inquit; *Prima quidem die eos Christianos facimus, secundo Catechumenos, tertio verò exorcizamus, & tum in Ecclesia eos perseverare facimus, audire scripturam, & tum demum baptizamus*: & propterea de prædictis catechumenis inquit S. Chrysost. in homil. de Adam & Heva. *Non prius fontem vitæ ingrediuntur, quam exorcismis, & insufflationibus Clericorum, spiritus ab iis immundus abigatur.*

Ac etiam Tertull. in apolog. cap. 23. refert, quomodo ante oculos Gentilium fideles expulerint Dæmones ab Energumenis, his verbis: *Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei, & Christi; ita de contactu, afflatuque nostro excedunt inviti, & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes.*

Et Minutius Felix in Octavio: *Dæmones, vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat.*

Sicuti eleganter quoque refert de Dæmonum protervia Firmian. in cap. 27. lib. 4. *Illi nequissimi spiritus ubi adjurantur, ibi se Dæmones confitentur; ubi coluntur, ibi se Deos mentiuntur.*

Hanc eandem exorcizandi potestatem testatur Concilium Carthaginens. 4. cap. 7. his verbis: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, sive Baptizatum, sive Catachumenum.*

Quod verò in hac potestate exorcizandi aliqua non sit fallacia, inquit sanctus Augustinus de nupt. & concupiscent. lib. 1. cap. 20. *In veritate & non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in parvulis*: & idem sanctus Augustinus contra asse-

afferentes non habere Diabolum poteſtatem ante Baptiſmum lib. 2. cap. 17. 18. 19. *Et ſic accuſat Eccleſiam toto orbe diffuſam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud inſufflantur, niſi ut ab iis Princeps mundi mittatur foras, à quo neceſſe eſt vaſa iræ poſſideantur, cum ex Adam naſcantur.* & idem Auguſtinus lib 1. de peccat. merit. & remiſſion. *Quid in parvulo agit exorciſmus, ſi in familia Diaboli non tenetur?*

Confiteamur igitur, quod alia Eccleſia, quam Catholica uſque in præſens nunquam exercuerit exorciſmos, nec in iis facultatem ullam habuerint aliæ Eccleſiæ in propriis ipſarum functionibus.

CAP. XXIX.

De Diaconiſſis, Presbyteriſſis, & Epiſcopisſis.

APud eccleſiaſticarum rerum ſcriptores, quoniam frequentiſſima habetur mentio de mulieribus Diaconiſſis; quarum etiam aliæ nominantur Presbyteræ, aliæ Epiſcopæ; quamvis eccleſiaſticorum ordinum (de quibus nos ſupra diximus) hujusmodi fœminæ non eſſent ullo modo capaces; nihilominus propter nominis ſimilitudinem, non abſonum forſan erit etiam nos de prædictis hic recenſere, quæ & quales illæ eſſent? ac etiam de munere earundem.

Viduæ porrò, quæ præerant miniſterio quotidiano, nempe, ut menſarum ſervitio Præfectæ; ſeu circa eleemoſynarum diſpenſationem, quæ fiebant quotidie: Iſtas autem poſt Diaconorum electionem conſtat ab eo ſervitio ceſſaſſe; verum & aliis functionibus mancipatas eſſe: de quarum electione agens Paulus 1. Timoth. 5. *Non minus quam ſexaginta annorum viduam eligendam, eamque moribus probatam,* præcipit: quæ communi appellatione Diaconiſſæ ſunt dictæ. Fuit autem illarum munus; ut ſicut foribus, qua ingrederentur viri, Janitores ſeu Oſtiarii Præfecti erant: ita ipſæ portis mulieribus tantum patentibus præeſſent: unde ab Ignatio epiſtola ad Antiochenos dicuntur *ſacrorum Veſtibulorum cuſtodes.* Sicut enim in templo Hieroſolymitano erant fœminarum portæ, & loca orationis à viris ſejuncta: Joſeph de Bello Jud. lib. 6. cap. 6. ſic etiam laudabilem illum morem in Chriſtianorum eccleſias fuiſſe translatum; ita quod viri à mulieribus, atque à nuptis Virgines, Sacerdotes à populo loco eſſent diſtincti, ut latè Cardinalis Baronius in anno 57. ubi Spondanus num. 37.

Inſerviſſe inſuper Diaconiſſas ad mulierum fidelium miniſteria, puta lavacri, aut viſitationis, vel laboris, & ſimilium: quæ à viris ſine pudore, vel aliqua improborum ſuſpicione obiri non poſſent, ut apud Clementem lib. 3. conſtitut. cap. 15. & Epiphan. hæreſ. 79. Cum tamen non eſſent ejuſmodi, ut ſicut Diaconi manus impoſitionem acciperent, vel aliquo ſacramento initiatæ eſſent: nam ſacroſancta Nicæna ſynodus can. 19. easdem inter laicas enumerat.

Verum tamen eſt, prædictas viduas, ſeu Diaconiſſas ad hoc fuiſſe inſtitutas,

 ut eti-

ut etiam in rebus sacris, & religiosis ritibus operam suam præstarent: nempe ut Catechumenas primis fidei rudimentis domi imbuerent, docerent, formarent, cum paulo ante Baptismum essent lavandæ, ungendæ, immergendæ (ne sacerdotum oculi læderentur: quibus omnibus hæ viduæ manus admovebant: difficillimis quoque ecclesiæ temporibus poterant sine suspicione per domos discurrere, Episcoporum mandata deferre, monere, corrigere, preces, jejunia, pervigilia, stationes injungere; ut refert Episcopus Albaspinus de veteribus Ecclesiæ Ritibus, lib. 1. cap. 24.

Sicut Diaconissarum frequens est mentio apud ecclesiasticarum rerum Scriptores, ita etiam apud eosdem sæpe nomen *Presbyteræ*, & aliquando etiam *Episcopæ* reperitur; at non ab aliquo ecclesiastico ministerio, vel quod Diaconissis præessent; sed vel quod ob ætatem viduæ seniores dicerentur Presbyteræ; ut in Concilio Laodicens. cap. ultimo, & apud Athanasium ad Virgines: vel quod ita nuncuparentur à virorum suorum ordine, cum istis in Presbyteros electis, ipsæ interim vitam cælibem gererent; ut in Concilio Turonensi 2. can. 20. & Antisiodorensi can. 21. atque apud Gregorium Papam lib. 4. dialog. cap. 11.

Presbyteræ & Episcopæ.

Sicut autem Presbyteræ, ita & Episcopæ appellatæ reperiuntur apud Concilium Turonense 11. cap. 13. & 14. quarum viri fuissent in Episcopos postea consecrati, ipsæque ab illis divisæ vitam pariter cælibem agerent; eademque denominatione interdum, qua viri ad Diaconatum promoti, Diaconissa nominabatur, ut in dicto Concilio cap. 20. & Subdiaconissa conjux viri illius, qui ad Subdiaconatus ordinem ascitus esset; & de his Baronius anno 34. ubi Spondanus num. 81. & 82.

Quid sit petere maritum ab Episcopo, aut à viduis.

Cum sit nobis sermo de Diaconissis, sese offert locus satis difficilis apud Tertullianum lib. de monogamia his verbis: *Ut igitur in Domino nubas secundum legem, & Apostolum (si tamen id curas) qualis es, id matrimonium postulans, quod eis à quibus id postulas, non licet habere ab Episcopo Monogamo, à Presbyteris, ac Diaconis ejusdem sacramenti, à viduis, quarum in te sectam recusasti.*

Ad cujus intelligentiam sciendum olim in Ecclesia statutum fuisse, ne quisquam uxorem duceret, aut de nuptiis cogitaret, quin prius Ecclesiam, id est Episcopum, Sacerdotes, viduas, cæterumque Clerum consuluisset, eisque conditiones futuri conjugis, statum, religionem, sectam, patriam denique, ac mores & ætatem exposuisset. Hujusce legis causa non alia, quam quod primis illis temporibus omne studium, & diligentiam adhiberent, ne parva manus Christianorum pollueretur, aut eorum quisquam Gentilis conjugio, aut Judæi, vel Hæretici macularetur. Præterea uxor immersa in Gentilis consuetudinem, & ejus amore flagrans, religionis arcana, & sacramenta retulisset; ac eisdem artibus, eisdemque blanditiis, aut minus fidem uxoris facile Gentilis expugnasset. Denique dum conventus suos Christiani clanculum agere cogerentur, cujuslibet mulierculæ indiciis, quæ vitiata, & corrupta esset à marito; omnes simul una intercipi, & opprimi potuissent.

Ob eas igitur causas Ecclesiam olim præcepisse reor, ne quisquam matrimonio jungeretur, quin prius Episcopos, Viduas, & Sacerdotes consilii sui participes fecisset.

Hinc

Hinc est, quod Tertullian. lib. 2. ad uxorem, non modo eam mulierem increpat, quæ Gentili nupserat, verum etiam eos, qui ejusmodi nuptiarum auctores extiterant, ibi; *Miror Consiliariorum prævaricationem.* & eodem lib. laudat nuptias, quæ authoritate Ecclesiæ, & consilio factæ sunt: *Quibus laudibus efferam matrimonium illud, quod Ecclesia conciliat?*

Ex quibus infertur, nil aliud esse, mulieres petere maritum ab Episcopo, aut à viduis, quam eis nubendi consilium, & futuri conjugis vivendi consuetudinem & mores exponere; Ut si honesti, & à lege Christi minimè alieni viderentur, salva fide & religione nubere possent. Nam de nuptiali benedictione verba illa nequeunt explicari, cum de Diaconissis, id est viduis illic fiat mentio, quibus ne quidem in Ecclesia loqui fas esset; ac etiam inter laicas fuisse enumeratas diximus supra: Et de prædictis refert Albaspinus de veteribus Ecclesiæ Ritibus. lib. 1. capit, 14.

CAP. XXX.

De Sacramento Matrimonii.

MAtrimonium fuit habitum semper uti verum, & proprium sacramentum novæ legis, ut inquit Apost. Ephes cap. 5. *Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam,* & infra. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino Quoniam vir caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus: sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Volens Apostolus inferre, quod sacramenti matrimonii efficacia consistat in eo, quod naturaliter repræsentet summum amorem, & charitatem, qua Verbum divinum dilexit humanam naturam, & Ecclesiam suam sponsam.

Quod autem à priscis sanctis Patribus Matrimonium inter Ecclesiæ sacramenta fuerit habitum, Tertullian. lib. de monog cap 5. *Christus unam habens Ecclesiam sponsam secundum Adæ & Hevæ figuram, quam Apostolus in illud magnum Sacramentum interpretatur in Christum, Ecclesiam comperiisse carnali monogamia per spiritualem.*

Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 7. *Et quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.*

Augustinus de nupt. & concupisc. lib. 1. cap. 10. *Quoniam sane non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides: Verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendat fidelibus conjugatis: Unde dicit Apostolus: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Hujus proculdubio sacramenti res est, ut mas & fœmina conjugio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent: nec liceat, excepta causa fornicationis, à conjuge conjugem dirimi; hoc enim custoditur in Christo, & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separentur.* Et idem Augustinus de bono conjug. cap. 4. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi*

eſt, & in fide caſtitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti. De hoc Sacramento inquit Apoſt. ad Epheſ. cap. 1. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, ut ſint duo in carne una:* unde ſanctus Chryſoſtomus homil. 20. ſupra dictam epiſt. ad Epheſ. inquit: *Re vera myſterium eſt magnum, relicto eo qui genuit; & qui aluit etiam ea, quæ peperit, quæ miſerè & cum dolore parturivit; adhærere virum illi, quæ antea neque viſa eſt, atque hanc omnibus præferre; verè myſterium eſt, & parentes cum iſta fiunt, non offenduntur.* Et idem Geneſ. homil. 56. *An non audis Paulum dicentem, quod ſacramentum ſunt Nuptiæ, & imago dilectionis Chriſti, quam ergo Eccleſiam declaravit?*

Indiſſolubile matrimonium etiam poſt divortiũ.

Ex hoc procedit illa inſeparabilitas, & indiſſolubilitas matrimonii; quoniam inter Chriſtianos matrimonium repræſentat inſeparabile ligamen naturæ divinæ cum natura humana; ac etiam inter perſonam Verbi, & ejuſdem Filii Dei cum Eccleſia ſua.

Hinc eſt, quod prætextu adulterii non permittitur alteri ex conjugibus iterum nubere: Etenim apud ſanctum Marcum, cap. 10. interrogantibus Diſcipulis de hoc Chriſtum, ipſe reſpondit: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit; adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Quod idem refert S. Matth. cap. 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Et de hoc intelligimus Apoſtolum, qui Dei arcana ſcrutatur 1. Corinth. cap. 7. dum inquit: *His autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem ne dimittat,* & ad Roman. cap. 7. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.*

Quod idem ſentiunt ſancti Patres; & Clemens Alexandrinus, poſtquam retulerat loca citata, inquit ſecundo Stromat. cap. 12. *Quod conſulat ſcriptura uxorem ducere, & nec à conjugio permittat unquam diſcedere; legem apertè conſtituit: Non dimittat uxorem, præterquàm propter fornicationem: adulterium enim exiſtimat conjungi matrimonio vivo altero, & ſeparato.*

Et quod communione priventur fœminæ, quæ vivente viro alium ducunt, Concil. Eliberit. anno 320 can. 9. *Item fidelis fœmina, quæ adulterum reliquit maritum fidelem, & alterum duxerit; prohibeatur ne ducat: ſi autem duxerit, non prius accipiat Communionem, quam is, quem reliquit, de ſæculo exierit, niſi neceſſitas infirmitatis compulerit.*

Sanctus Auguſtinus de Bono conjugii, cap 7. *Uſque adeo fœdus illud initum nuptiale, cujusdam ſacramenti res eſt; ut nec ipſa ſeparatione irritum fiat; quandoquidem vivente viro, à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit, & ille hujus mali cauſa eſt, qui reliquit.*

Hoc idem decrevit Concil Melevit. can. 17. *Placuit, ut ſecundum Evangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam, neq; dimiſſus ab uxore, neq; dimiſſa a marito alteri conjungatur: Sed ita maneant, ut ſibimet reconcilientur: quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.*

CAP.

CAP. XXXI.
De Impedimentis Matrimonii.

TRia genera cognationum recognoſcit Eccleſia, quæ Matrimonium impediant: nempè cognationem naturalem, legalem & ſpiritualem. Prior à natura propter conſanguinitatem, ſeu affinitatem: Secunda à lege propter adoptionem: Tertia à Sacramentis, nempe Baptiſmi, & Confirmationis ſolummodo.

Et primum de prædicta cognatione ſpirituali, ſacra Concilia, & ſancti Patres fidem Eccleſiæ confirmant. Etenim Concil. Nicen. can. 21. Arab. inquit: *Nemo ſpiritualis fidelium cum patre, aut matre ſpirituali matrimonium contrahat; id eſt cum patrinis, aut matrinis; & qui hoc commiſerit, habeatur tanquam Ethnicus, quouſque ſeparentur, & ſpatio viginti annorum pœnitentiam ſui peccati agat.* Et idem Concil. can. 23. *Neque vir Dei filio ſuo in matrimonium eam, quam uxor ſua tenuit in Baptiſmo: neque mulier det filiam ſuam in matrimonium ei, quam maritus tenuit in Baptiſmo: quia iſti habentur ut fratres, & ſorores ſpirituales, & eorum pater ac mater ſpirituales.*

Cognatio ſpiritualis

Et Synodus Trullen. extendit Decretum uſque ad matrinas & patrinos in caſu viduitatis; eo quia cognatio ſpiritualis major eſt, quam corporalis, ut in can. 53. inquit. *Quoniam ſpiritualis neceſſitudo, ſeu affinitas corporum conjunctione major eſt; In nonnullis autem locis cognovimus quoſdam, qui ex ſancto, & ſalutari Baptiſmate infantes ſuſcipiunt; poſtea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere; Statuimus ut in poſterum nihil fiat ejuſmodi. Si qui autem poſt præſentem Canonem hoc facere deprehenſi furint; ii quidem primo ab hoc illicito, & injuſto matrimonio deſiſtant, deinde, & fornicatorum pœnis ſubjiciantur.*

Quod antiquitas recognoverit pro legitimis impedimentis ad contractum matrimonii gradus conſanguinitatis, & affinitatis: ut propterea contravenientes, eorundemque filii devenirent infames, & inciderent ſub legum maledictione; refert Calixtus Papa; qui vixit anno Domini 218. epiſt. 2. ad Galliæ Epiſcopos, ut cauſ. 35. quæſtione 2. can. 2. his verbis; *Cognationes conſanguineorum fieri prohibete, quando has, & Divinæ & ſeculi prohibent leges. Leges ergo divinæ hoc agentes, & eos, qui ex eis prodeunt, non ſolum ejiciunt; ſed & maledictos appellant: Leges vero ſæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos vero ſequentes Patres noſtros, & eorum veſtigiis inhærentes, infamia eos notamus, & infames eſſe cenſemus, quia infamiæ maculis ſunt aſperſi; nec eos viros, nec accuſationes eorum, quas leges ſæculi rejiciunt, ſuſcipere debemus.*

Sanctus Fabianus Papa, qui paſſus eſt martyrium tempore Decii, refert, quod impedimentum affinitatis ceſſabat in quarto gradu incluſive, ut habetur dicta cauſ. 35. quæſt. 2. can. 3. his verbis. *De propinquis, qui ad affinitatem per virum & uxorem veniunt, defuncta uxore, vel viro, in quinta generatione conjungantur: in quarta ſi inventi fuerint, non ſeparentur: in tertia vero propinquitate non licet uxorem alterius*

alterius accipere post obitum ejus. Æqualiter vir conjungatur in matrimonio eis, quæ sibi consanguineæ sunt, & uxoris suæ consanguineis post mortem suæ uxoris.

Quod autem talia Conjugia abominabilia sint ante Deum; Divus Greg. lib. 12. Regist. epist. 32. ait; *Incestuosus est talis cultus, & abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus: Incestuosos verò nullo conjugij nomine deputandos, à sanctis Patribus, dudum statutum esse legimus.*

Tale impedimentum est ex consanguinitate proveniens extendebat se ad sextum gradum inclusivè, ut apparet ex Isidoro lib. 9. Ethymologiarum cap. 6. ibi. *Ideo usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est: ut sicuti sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur; ita propinquitas generis tot gradibus terminetur*; quod idem refertur in Concil. Lugdunens. 2. ut in caus. 35. quæst. 2. & 3. cap. 19. Nulli: ubi idem asseritur procedere tam circa gradus consanguinitatis, quam affinitatis. Præcipuum autem fundamentum prædictorum graduum erat illos extendere, [ut apparet ex distinct 35. quæst. 5.] ad similitudinem hæreditatis, & successionis juxta Imperiales leges.

Postea autem Generalia Concilia reduxere tale impedimentum ad quartum gradum, ut consanguinitates faciliores reddantur, ex Innocentio III. de consanguinit. & affinit. cap. *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana.* & paulo post: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio naturaliter observari.* Et non est dubium, quod ab Ecclesia potuerint taxari hujusmodi gradus consanguinitatis impedientes matrimonium, Div. Thom. in supplemento, quæst. 54. art. 4. par. 3.

Qualis autem fuerit divina ordinatio in lege scripta circa hoc impedimentum: Hoc latè refertur in Levitico cap. 18. à vers. 6. usque ad vers. 19.

Cognatio Legalis.

De cognatione legali per adoptionem, quando impediat matrimonium, Divus Thom. dict. supplem. quæst. 57. per totam, ac etiam leges Civiles.

CAP. XXXII.

De Sacramento extremæ Unctionis.

QUod hæc extrema Unctio sit verum Sacramentum novæ legis, patet nobis ex verbis epistolæ Catholicæ sancti Jacobi cap. 5. vers. 14. & seqq. his verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit Infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Etenim dictus Apostolus non præcepisset hujusmodi ceremonias, nec sic determinatè promisisset donum gratiæ spiritualis, si non recepisset ipse aliquod præceptum, & à DEO certitudinem; nempe corporis sanitatem cum hypothesi & conditione, si sic expediat Infirmo: alius effectus essentialis est remissio peccatorum per infusionem gratiæ.

& ha-

& habetur ex Divo Thoma in ſupplemento, quæſt. 29. art. 2. quod licet in Evangelio non fiat mentio de hoc Sacramento, Apoſtoli nihilominus illud promulgarunt.

Quod antiqua ſacra Concilia, & priſci ſancti Patres optimè cognoverunt, ut in Concil. Niceno ann. 69. Arab. *Transacto anno debet Sacerdos benedicere aquam, & oleum, non ſicut fit in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma; ſed ſicut oleum Infirmorum.*

Sanctus Ephrem, qui vixit anno 300. de vita ſpirituali, puncto 75. inquit; *Si Charitatis officio perfungens, oleo ægrotantem inungis; fac oculos, manus, linguasque cuſtodias.*

Div. Chryſoſtom. lib. 3. de ſacerdotio, ait; *Sacerdotes non ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea habent poteſtatem indulgendi peccata. Infirmatur quis, inquit Apoſtolus, ex vobis? accerſat presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Hieron. in vita Hilarion. inquit: *Conſtantia ſancta fœmina generum, & filiam Hilarion unctione olei morte liberaverat, &c. Univerſi agricolæ, & paſtores à venenatis animalibus, & ſerpentibus percuſſi ad Hilarionem confugerunt; quo benedicto oleo vulnera tangente, certam ſalutem reſumebant.*

Auguſtin. in tractat. de beatitudine Catholicæ converſationis, inquit; *Qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia confidat, Euchariſtiam cum fide, & devotione accipiat, oleumque benedictum ab Eccleſia petat; unde corpus ſuum ungatur; & ſecundum Apoſtolum oratio ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.*

Et idem S. Auguſtinus lib. 2. de Viſitat. Infirm. inquit; *Effectum hujus ſacramenti exprimit ipſe Jacobus, dum ait: Si in peccatis ſit, dimittentur ei. Materiam deſignavit oleum ſacrum. Quibus dandum ſit ſacramentum, inſinuavit dicens: Infirmatur quis,* & alibi: *Oleum enim viſibile in ſigno eſt, oleum inviſibile in ſacramento eſt. Oleum ſpirituale intus eſt, oleum viſibile exteriùs eſt.* Ac rurſus. *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat: ac inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur; Infirmatur quis in vobis? &c.*

Beda in verba D. Marc. cap. 6. ait; *Unde patet ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctum Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut Energumenus, & alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali conſecrato.* Et quamvis in Evangelio de hoc ſacramento mentio non fiat; nihilominus non poſſe Eccleſiam illud auferre, cum ſit à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolo promulgatum: ut ex ſupplemento part. 3. D. Thom. quæſt. 29. artic. 2.

Quotieſcunque igitur fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum aqua benedicta, cum cereis, ſine incenſo ante oleum ſanctum, & peragunt omnia, ſicut in Sacramentorum libro continetur; ita ut nec ratio pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur. Si autem ægrotus amiſerit vocis officium; per indicia integri ſenſus comprobentur. Quod ſi ita ægritudine fuerit aggravatus, ut quod paulo ante poſcebat, in præſentia ſignificare non poſſit; teſtimonia fidelium prodeſſe debebunt; ut ſimul pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequatur. Albinus de divin. officiis cap. de Infirmis. Et hæc de ſacramento extremæ Unctionis dicta ſufficiant.

Per hæc igitur septem Sacramenta necessariò incedendum est ad cœlestem Hierusalem, in qua Christiani omnes Cives conscripti sunt. Siquidem, ut explicant Theologi, *Baptismus*, & *Pœnitentia* necessaria sunt simpliciter; Baptismus quidem omnibus; Pœnitentia his qui post Baptismum lethaliter deliquerunt. *Eucharistia, Confirmatio, & Extrema Unctio*, necessaria sunt necessitate medii, ut loquuntur Scholastici, ad bene esse. *Ordo* necessarius est non singulis hominibus, sed ipsi Ecclesiæ in universum simpliciter: ipsique Ecclesiæ itidem in universum, non autem singulis hominibus est necessarium *matrimonium* ad bene esse. Quorum explicationem præter supra deducta, diffusè tractant Theologi & Canonistæ.

Serio hic nos quæso perpendamus: Quare sanguis Christi, qui copiosissimus super nos per hæc septem Sacramenta continuò effunditur, perpauci pretio hoc prudenter, & feliciter utantur, imò plurimi in interitum? Neque aliter credo respondendum, nisi tam gravia crimina non fuisse ante fusum Christi sanguinem, quàm post eum. Beneficiorum in nos magnitudo auxit criminum magnitudinem. Apost. ad Rom. 7. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatus est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum.* Nihil nobis melius Christi morte, nihil sanguine illius medicabilius, nihil nobilius; & tamen hæc tanta, tam medica, facta sunt peccanti in mortem majorem, cum in immensum aggravent peccati magnitudinem, & pœnam illi debitam. Crescit enim ingratitudo crescentibus beneficiis: quæ si infinita sunt, & nullo pretio æquanda, nulla etiam pœna reparari ingratitudo tanta potest. Unde perseveranti & occumbenti in peccato, Christi sanguis in graviorem pœnam, quia in delictum gravius, est: quemadmodum pœnitenti & dolenti, antequam iterato lapsu offendat, in gratiam, & gloriam majorem est. Ita uni in salutem, alteri in mortem mors Christi est. Ex se quidem semper in vitam, & hanc æternam. Quantæ prudentiæ, & felicitatis est, medico sanguine illius per hæc sacramenta redanimari, non perire? Contingat hoc nobis, ut inter electos illius annumeremur, inter oves, inter filios, inter hæredes regni illius magni. In manu nostra hoc est. Tantum sequamur vocantem; & consequemur præmiantem. Sequamur moribus, imitemur factis; & ille sequetur gloria.

Diximus in præcedentibus de Sacramentis novæ Legis, quæ sunt fundamentalia in Catholica Ecclesia: modò subsequendum de Ecclesia materiali, ejusdemque supellectilibus, Vestimentis, Sacramentalibus, nec non de aliis plurimis sacris Veterum Ritibus.

PARS

PARS TERTIA.

CAP. XXXIII.

De Ecclesiarum Ædificatione & Consecratione.

SUpponendum autem primo, ut *Ecclesia* vocetur; propriè quod omnes ad se vocet, & in unum congreget. *Catholica* ideo dicitur, quia in universum mundum est constituta: vel quoniam universalis in ea doctrina est ad instructionem hominum de visibilibus, atque invisibilibus rebus cœlestium, ac terrestrium: vel quod hominum omne genus trahat ad se. De *Templo*; quod quasi amplum tectum, vel à tuendo dictum: Quod Moyses Legislator primum Domino condidit in itinere *Tabernaculum*. Exod. cap. 40. nempè quod Tabulis interstantibus, cortinæ desuper tenderentur, ut militum tentoria: Salomon deinde Templum prudentiam petiturus instituit, 3. Reg. cap. 6. *Basilica* verò dicta quasi domus Regia. Nostrorum post hæc temporum fides in toto mundo Christi Atria consecravit. Ita Isidorus de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 1. & seq. VValfridus de reb. Eccl. cap. 6. Joann. Stephanus Durantes, de Ritibus Eccles. lib. 1. cap. 1.

Et si Deus ubique sit, neque alicujus loci ambitu cultus ejus circumscribi debeat, cum in omni loco puras levantes manus exaudiat. Non enim locus, ait Basilius in Exhortat. ad Baptismum & Pœnitentiam; sed affectus & intentio exigitur. Deum medio in mari Moyses exoravit, Job in sterquilinio, Ezechias in lectulo ad misericordiam provocavit, Jeremias in Luto, Jonas in Ceto, Daniel in Lacu, Pueri in camino promeruere, Latro in Cruce, Petrus & Paulus in carcere. Nihilominus sine majestatis suæ imminutione, imo maxima nominis veneratione, in certis quibusdam locis, quæ Templa dicuntur, præcipuo quodam cultu adoratur. Cum & ipse jusserit, & sanctissimi homines id fieri & sermone & exemplo docuerint. Hinc S. August. serm. 215. de Tempor. inquit. *In Ecclesia stantes nolite verbosari, sed Lectiones divinas patienter audite: Qui enim in Ecclesia verbosari voluerit; & pro se, & pro aliis redditurus est rationem: dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit.* Antiquitus ait S. Clemens lib. 8. Const. Apost. cap. 11. Quidam ex Diaconis in templo inambulabant, contemplantes viros & mulieres, ne quis fieret strepitus, ne quis nutus faceret, aut mussitaret, aut dormiret. Vix credi potest, quanto silentio, quanta observantia Turcæ suas orationes perficiant. Habent enim auctore Cuspiniano, de Turcarum Origine & Religione, Accusatores, qui de orationum omissione convictos per urbem circumducentes, ac tabulam cum caudis vulpinis collo appendentes, pecunia mulctant. Quare studiosè in Eccles. erga Deum vigilandum.

Impugnarunt Ecclesiarum, & Altarium ritus antiquiores Hæretici; ut & Julianus Apostata, & Copronymus Impp. quorum exempla sequuntur etiam Sectarii nostri temporis; quamvis Scriptura sacra, sancti Patres, & rationes contrarium nos doceant.

Omnes Gentes erexerunt Templa.

Et præterquam nuſpiam in terris fuit quippiam magis frequens, & neceſſarium, quàm Templa, ut recto rationis lumine inquit Plutarchus adverſ. Colot. *Si terras obeas, invenire poſſis urbes muris, Litteris, Regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes: Urbem Templis, Diisque carentem nemo uſpiam vidit:* Ut propterea ad Templorum frequentiam Gentilium æmulationem proponat nobis S. Clemens lib. 2. Conſtitut. Apoſt. cap. 64. his verbis: *Etenim ſi gentes quotidie cùm è ſomno ſurrexerint, ad Idola properant colenda, & ante opus, actionemque omnem, eis primum preces adhibent: ſi inquam prædictæ gentis ea, quæ nihil eis proſunt, frequentant; Tu quæ excuſatione uteris cum Deo, qui ab Eccleſia ejus abſens es, nec gentes quidem imitaris?*

Item in Lege Naturæ & ſcripta.

In lege Naturæ Patriarchæ Noe, Abraham, & Jacob erexerunt, & conſecrarunt Altaria Domino. Geneſ. cap. 8. verſ. 20. & cap. 12. verſ. 7. & cap. 35. verſ. 1. In lege ſcripta dixit Dominus ad Moyſen Exod. cap. 30. *Facies quoque Altare ad adolendum thymiama de lignis ſetim habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex eo procedent: veſtiesque illud auro puriſſimo, tam craticulam ejus, quàm parietes per circuitum, & cornua; faciesque & coronam auream per girum &c.* Et in 2. Reg. cap. ult. verſ. 18. & ſeq. David ex conſilio Gad erexit Altare Domino in Area Areuna: ſic etiam lib. 3. Reg. cap. 18. verſ. 30. & ſeqq. legitur Altare Heliæ compoſitum duodecim lapidibus, juxta numerum Tribuum filiorum Jacob: ſimiliter lib. 2. Paralipom. cap. 6. in princ. refertur Dedicatio Templi Salomonis: & in 1. lib. Eſdræ cap. 1. deſcribitur renovatio Templi facta per Cyrum: ſicut etiam 1. Machab. cap. 4. verſ. 16. Poſt purgationem Templi dedicarunt, & conſecrarunt Altare diebus octo, quod Græci *Encœnia* appellant: *Et obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris & laudis: & ornaverunt faciem Templi coronis aureis, &c.* Et hæc Feſtivitas ſolennis erat Hieroſolymæ etiam tempore Salvatoris noſtri, ut legitur apud Joann. cap. 10.

Item in Lege Gratia.

At verò in lege Gratiæ evidens eſt Altare fuiſſe, cum Chriſtus præcipiat apud Matth. cap. 5. verſ. 23. & ſeq. *Si frater tuus habet aliquid adverſus te, relinque munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: &c.*

Quod Apoſtoli unà cum fidelibus ad Eccleſias convenirent, D. Paulus 2. Corinth. 2. inquit: *Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio, ſciſſuras eſſe inter vos.* Et ut oſtendatur illarum diverſitas à domibus, ſubdit: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Et idem 1. Corinth. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant: ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Chriſtus crebro Templum ſua præſentia honoravit, graviter ferens Templum converti in ſpeluncam latronum, vel negociationis; illudque appellat domum Patris & orationis, Matth. 21. Petrus, Paulus, & Joannes in Templo frequenter orant. Actuum 1. 3. & 31.

Refert S. Cyrillus Catech. 16. Apoſtolos conſecraſſe in Eccleſiam Cœnaculum, in quo receperunt Spiritum ſanctum: Et S. Clemens lib. 10. recogn. inquit, ſan-

ſanctum Petrum Antiochiæ convertiſſe in Eccleſiam domum Theophili, in qua collocavit ſuam ſanctam Sedem, & Cathedram. Et idem Apoſtolus Romæ in Monte Viminali ſacravit domum Pudentis Senatoris, quæ titulo Paſtoris nominatur, ut refert Pius I. Papa Epiſt. 1. & Card. Baron. ann. Chriſti 57. & 59. Evariſtus Papa diviſit Romæ Eccleſias inter Presbyteros, ex Euſebio l. 6. hiſtor. cap. 35. Cornelio Papa ſedente fuiſſe Romæ Eccleſias 46. inquit Optatus lib. 2. contra Parmen. Ac etiam de conſuetudine priſcorum fidelium conveniendi in Eccleſiam, meminit Juſtinus Martyr Apolog. 2.

Pace autem fidelibus conceſſa; & Templa ab Idolorum ſqualore mundata. Euſebius Orat. de Laudibus Conſtantini circa medium, poſt relationem Eccleſiarum, quas ille ædificaverat Conſtantinopoli, Antiochiæ, & Hieroſolymæ: de Romanis ſic inquit; *In Lateranenſi Palatio Eccleſiam Salvatori dedicavit, & ei continentem Baſilicam nomine S. Ioannis Baptiſtæ condidit eo loco quo ipſe baptizatus à S. Silveſtro, à lepra mundatus eſt: quam idem Pontifex conſecravit V. Idus Novembris; quo die Imago Salvatoris in pariete depicta populo Romano apparuit.*

Item refert: *In Sanctorum numero locorum inprimis ſemper fuit inſignis ea Vaticani pars, quam ſancti Petri Confeſſionem appellant. Illuc Conſtantinus octavo die poſt ſuſceptum Baptiſmum venit, depoſitoque diademate, & humi jacens, vim lachrymarum profudit: mox ſumpto ligone & bidente, terram eruit, indeque duodecim terræ cophinis honoris cauſa Apoſtolorum oblatis, ac loco Baſilicæ Principis Apoſtolorum deſignato, Eccleſiam ædificavit.*

Item etiam ſubdit: *Etſi B. Sylveſter in conſecratione Altaris Principis Apoſtolorum decreverit, ut deinceps non niſi ex lapide Altaria ædificarentur: Tamen Baſilicæ Lateranenſis Altare fuit è ligno erectum. Nam cum à ſancto Petro uſque ad Sylveſtrum, propter perſequutiones neceſſitas compuliſſet, ſive in Cryptas, ſive in Cœmeteria, ſive in Ædes Piorum; ſuper illo Altari ligneo ad arcæ ſimilitudinem concavo ſacra faciebant. Quo Altari S. Sylveſter, reddita Eccleſiæ pace, honoris cauſa Principis Apoſtolorum, qui in illo ſacrificaſſe dicitur, & reliquorum Pontificum, qui uſque ad id tempus ad myſteria conficienda, eo uſi fuerant, in Lateranenſi prima Eccleſia collocato: ſancivit, ne quisquam in eo præter Romanum Pontificem Miſſam deinceps celebraret.*

Ac etiam ſanctus Sylveſter Papa in monte Eſquilino inter antiquitatis monumenta, ubi jam pridem Thermæ Titi, Domitiani & Trajani Impp. extiterant: Eccleſiam conſtruxit nuncupatam Titulus Equitii. Meminit de prædicta Eccleſia Damaſus in lib. Roman. Pont. in Sylveſtro, ac etiam Anaſtaſius Bibliothecarius in eodem Sylveſtro his verbis: *Hic fecit in Urbe Roma Eccleſiam in prædio cujusdam Presbyteri ſui, qui cognominabatur Equitius, juxta Thermas Domitianas; quem titulum Romanum conſtituit, & uſque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitii.* Et idem inferius: *Eisdem temporibus conſtituit B. Sylveſter in urbe Roma juxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ, titulum ſcilicet Sylveſtri.* Ibidem Sylveſter præter Eccleſiam, etiam ſui habitationem & Oratorium antea conſtruxerat; & in eodem loco propriæ reſidentiæ duo generalia Concilia celebravit: nempè

primum Romanum anno 324. interventu 284. Episcoporum, totius Romani Cleri, nec non ipsiusmet Constantini Imp. Matris Helenæ, & Calphurnii Urbis Præfecti; ut gratiæ Deo agerentur pro Christiana Religione palam omnibus facta, quam etiam idem Constantinus Imp. receperat; ut in tom. 1. Concil. part. 1. can. 1. legitur, ut etiam refert Cardinalis Baron. ad ann. 324. Aliud vero Concilium, quod fuit Romanum secundum: anno 325. interventu 275 Episcoporum ibidem etiam adunatum, continet confirmationem Concilii Nicæni, ut in eadem part. 1. Conciliorum, & refert etiam Card. Baron. ad eundem annum.

Annis proximè præteritis idem Titulus Equitii restauratus & ornatus opera, & impensis Rev. P. Joannis Antonii Philippini Carmelitæ Prioris Ecclesiæ & Conventus sancti Martini, de quo per plura anteacta sæcula antiquitatis memoria penè aboleverat.

Et Sozomenus lib. 7. cap 24. refert de Theodosio Imperatore: Quod cum egressus Constantinopoli ad septimum milliare pervenisset, Deo preces nuncupavit in Ecclesia illa, quam in honorem S. Joannis Baptistæ construxerat: & ibidem Sozomenus lib. 8. cap. 1. refert quod Pulcheria Imperatrix ex auro, gemmisque pretiosis admirabile quoddam donarium pro Virginitate sua & Imperio Fratris Ecclesiæ Constantinopolitanæ donavit.

Theodoretus lib. 8. de Curat. Græc. affect. inquit: *Martyrum vero Templa conspicua cernuntur, magnitudinisque præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremque quodammodo pulchritudinis suæ latè fundentia: neque vero huc per annos semel aut bis, aut quinquies adventamus: sed in eis sæpenumero dies festos peragimus; sæpe diebus singulis coram Martyrum Domino laudes, hymnosque cantamus.*

Nazianzenus in laudem Gorgoniæ sororis inquit: *Quid fecerit audite? caput cum pari clamore, uberrimisque lachrymis Altari admovens: nec se ante ab eo discessuram minitans, quàm sanitatem consequuta sit: Et protinus liberam se morbo sensit.*

Templa etiam Sanctis dicantur.

Templa igitur, & Altaria meritò Sanctis etiam dicari probatur: quod si licuit hunc honorem deferre Arcæ alioquin ligneæ, quia eam veluti sedem elegerat Deus; cur non eundem licebit deferre honorem Sanctorum Corporibus? de quibus Apostolus 2. Corinth. 6. *Membra vestra Templum sunt Spiritus sancti.* Unde venerabilis antiquitas plurima erexit Templa in honorem Sanctorum; de quibus Anacletus Epist. 3. docet Ecclesiam à S. Marco Evangelista Petri Apostoli adhuc superstitis nomine, Alexandriæ fuisse dicatam, ut habetur in can. Sacrosancta distinct. 22. Ambros. lib. 1. Epist. 5. ad Felicem. *Ortus est sermo de Basilica, quam condidit Apostolorum nomine dedicanda.* Et Hieron. lib. 1. advers. Vigilant. inquit: *Ingredere Basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis.* Et August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. *Nos autem Martyribus nostris non Templa, sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & nostro sacrificium immolamus.* Et advertendum, quod sacra Templa (quæ nos Ecclesias nuncupamus) soli Deo ea consecrata sint, quamvis deferant nomen Virginis Deiparæ, Apostolorum, Martyrum,

rum, Angelorum, & Sanctorum. Siquidem D. August. lib. de vera Relig. versus finem sic inquit: *Quare honoramus Angelos charitate, non servitute: nec eis Templa construimus: nolunt enim se sic honorari à nobis; quia nos ipsos, cum boni sumus, Templa Dei esse noverunt.* Et infra: *Religit ergo nos Religio uni omnipotenti Deo*: Etiam quod nos diversa Sanctorum nomina habeamus, quæ in Baptismo imposita nobis fuerunt. Et latè Joann. Stephanus Durantes de Ritib. Ecclesiæ lib.1.cap.2. num.3.

Et aliis omissis: Videmus idem in nobis invisibiliter operari, quod visibiliter agitur in Ecclesiis. S. Augustinus serm. 252. de Tempore in Dedicatione anniversarii inquit: *Quotiescunque Altaris vel Templi festivitatem colimus; sed fideliter, ac diligenter attendimus; & sanctè & justè vivimus: quicquid in templis manufactis agitur; totum in nobis spirituali ædificatione completur: non enim mentitus est ille qui dixit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et similiter S. Bernardus in Dedicat. Eccles. serm. 1. *In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt; & si vultis scire: Hæc utique sunt Aspersio, Inscriptio, Illuminatio, Benedictio. Hæc utique in hac visibili domo fecere Pontifices: Hæc & Christus assistens Pontifex futurorum bonorum invisibiliter quotidie operatur in nobis.*

Quod visibiliter fit in Ecclesia, invisibiliter operatur in nobis.

Et præterea, quòd ex sacris Canonibus prohibitum sit alibi celebrare, quam in sacris locis præter tempus necessitatis: Sanctus Felix IV. epist. 1. de Eccles. consecr. & Missæ celebrat. inquit: *Si enim Judæi, qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant; multo magis quibus veritas patefacta est, & gratia, & veritas per Jesum Christum data est; Templa Domino ædificare, & (prout melius possumus) ornare, atque divinis precibus, & sanctis unctionibus, suis cum Altaribus & Vasis, vestibus quoque, & reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devotè ac solenniter sacrare; & non in aliis locis, quam in Domino sacratis ab Episcopis, nisi summa exigente necessitate, Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus.*

Celebrandum in Locis sacris.

Quod vero ad structuram Ecclesiarum pertinet, habetur ex sacris Canonibus ne absque licentia Episcopi Ecclesiæ ædificarentur, sub cujus jurisdictione erant loca construenda in Ecclesias: ut in Chalcedonensi Concilio cap.4. relato in can. quidam, 28. quæst. 2. Ac etiam, quòd ante constructionem Episcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat, publicè atrium designet, & necessaria stipendia ad cultum Divinum assignentur; ex Concilio Aurelianensi relato in Can. Nemo Ecclesiarum, de consecr. dist.1. Quod etiam antiquitus servatum refert Metaphrastes 13. Septembris in vita sancti Silvani, & Justinianus Imperator in Novella 77. cap. 1. & refert Joann. Durantes de Ritib. Eccles. lib.1.cap.2. num.7.

De structura Ecclesiarum

Et in hoc notandum, quod Prisci fideles ante construendam Ecclesiam, Crucem ibi apponebant, ut denotarent fundum ad Dei servitium mancipatum, in hoc Jacob imitantes, qui post mirabilem visionem, Genes. 28. *Surgens itaque Jacob, erexit lapidem in Titulum.* Inde nominabant fideles sacra Templa Tituli nomine, ut ex Card. Baron. sub ann. 112. ubi Spondan. num. 4. & habetur in Epistolis Pii Papæ & Martyris ad Justum: Addentes iidem fideles (ut Cruces distinguerentur) nomen extructoris, seu Domini fundi; ut de Ecclesia Romæ S. Martini ad Montes, quæ

Quare Crux figatur?

Titulus

Titulus Equitii dicebatur, qui extruxit, & Dominus fundi erat; ut etiam Templum sanctorum Nerei & Achillei dicebatur *Titulus Fasciolæ*, eodem respectu: ac etiam *Titulus Vestinæ*, templum S. Vitalis; & sic de aliis. Quæ nomina cum desiissent, nuncupatæ deinde fuerunt Ecclesiæ nomine illius Sancti, ad cujus honorem illæ erant dicatæ.

Materia Ecclesiæ.

Hujus materialis Ecclesiæ constructio fit ex lapidibus expolitis per manus artificis, & diversimodè effigiatis tunsionibus & pressuris, ut etiam canit Ecclesia;

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.

Nec dissimilis est constructio invisibilis Ecclesiæ Catholicæ, quæ non ex mortuis, sed vivis ex lapidibus; qui Martyres sunt, & alii fideles: dum tunsionibus & pressuris, nempè Crucibus, bestiis, forcipibus, craticulis, igne fuerunt isti varie dispositi ad Ecclesiastici ædificii ornatum. Non quòd tormentis hujusmodi, & sanguine delectetur Deus; sed quia nulla præmia sine lucta, labore, victoria veniunt: nec sine victoria palmæ; nec sine sudore victoria. Quid enim cœlum, si Virginum excluseris certamina, Confessorum luctas, Martyrum sanguinem?

Forma Ecclesiarum.

Circa formam Ecclesiarum ad Orientem spectantem, jam pridem disponi solitam usu frequentiori, instar Templi Hierosolymitani. Durantes de Ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 3. num. 3. & nos diximus supra cap. 4 Et quamvis in illarum extructione nil esset præcisè determinatum: continebant tamen Ecclesiæ *Porticum seu Atrium*; ubi essent Catechumeni, pœnitentes, & alii, quibus intra Ecclesiam non pateret accessus. Secundo erat pars Ecclesiæ, quæ *Cella* seu *Navis* nuncupabatur, ad recipiendum populum dum oraret, & cætera ad Dei cultum exerceret. Tertia pars dicebatur *Sancta*, ubi seorsum sederent Sacerdotes à Laicis; ex Concilio Laodicensi, ut in can. Non oportet, distinct. 23. & Concilium Maguntinum, ut in cap. 1. de vita & honestate Clericorum. Erat demum *Sancta Sanctorum*, ad oblationem incruenti sacrificii; ut adhuc intuemur Romæ Ecclesias constructas temporibus Magni Constantini; & ego annis præteritis plurima iisdem similia vidi in Galliarum Regno: de quibus Euseb. lib. 10. Histor. Eccles. & in vita Magni Constantini lib. 3. cap. 34. D. August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 85. Card. Baron. ad ann. 57. ubi Spond. num. 32.

Ecclesiæ in formam Crucis.

Præterea iidem prisci fideles, ut eo magis in Ecclesiis appareret sacrosanctum Crucis signum; sub hac eadem forma & figura Crucis eorum Ecclesias & Oratoria extruere solebant: refert Surius die 12. Septembris in vita S. Sirii Episcopi Papiensis Apostolorum contemporanei, qui Oratorium eadem Crucis forma construxit: & huic simillima Templa jussu impii Diocletiani omnia ferè desolata fuisse, referunt Euseb. lib. 8. cap. 2. Nicephor. lib. 7. cap. 3. quæ dein ex grandi liberalitate Magni Con-

Constantini iterum extructa secundum formam Antiquorum à Diocletiano dirutorum; ut hodie Romæ etiam intuentibus apparet. Similia refert Beda de locis sanctis, fuisse insigniora Templa in Syria. Similem etiam Ecclesiam Gazæ extruxisse Eudoxiam uxorem Arcadii, referunt Metaphrastes & Lippomanus tom. 5. 20. Febr. in vita S. Porphyrii. Hoc autem, ut denotarent illi militantem Ecclesiam, cujus materiale est, symbolum Christi cruci adhærere; ex cujus persona Apostolus ad Galatas cap. 2. *Christo crucifixus sum cruci.* Eandem prorsus formam Ecclesiarum, quam modò descripsimus, tam in Oriente quam in Occidente, ubique locorum observatam scimus testimonio Eusebii Cæsariens. lib. 10. histor. cap. 4. & in vita Constantin. lib. 3. cap. 4. ac etiam Paulini Nolani Epist. 12. & 31. ut quoque refert Card. Baron. ad ann. 401. ubi Spondan. n. 8.

De pluribus Capellis & Altaribus in una Ecclesia.

Erant etiam in dictis Ecclesiis Cubicula quædam, ut inquit idem Paulinus, (quæ *Capellas* dicimus) construi solita orationis causa, posita apud apsidem; in quorum uno asservarentur ornamenta, & alia ad ministerium Ecclesiæ pertinentia; in altero vero Libri sacri. Nec indecens visum, in eadem Ecclesia plurima construi etiam Altaria [ut objiciunt Novatores:] nam cum ea essent sepulchra Martyrum; ubicunque esset Martyr conditus, illic Altare erigi consueverat. & in una Ecclesia de tredecim erectis Altaribus refert Gregor. Magn. lib. 5. Regist. Epist. 150. indict. 14. ut etiam Cardinalis Baronius ad ann. 57. ubi Spondanus n. 32.

Laici à Sacerdotibus distincti.

Laicos præterea à Sacerdotibus distinctos in Sacrario, seu Capellis, ubi celebrabatur cancellis intermediis, ex Concilio Agathen. can. 66. & sexta Synodo can. 44. & legitur in cap. 1. de vit. & honest. Cleric. his verbis: *Ut Laici secus Altare, quando sacra mysteria celebrantur, stare vel sedere inter Clericos non præsumant; sed pars illa, quæ Cancellis ab Altari dividitur, tantum psallentibus pateat Clericis: ad orandum verò & communicandum Laicis & fœminis pateant Sancta Sanctorum.* Quod adeo verum est, ut non oporteat Subdiaconos licentiam habere in Sacrarium sive Secretarium ingrediendi. Concil. Laodicens. can. 21. relatum in distin. 23. can. Non oportet; & Concil. Chalcedon. act. 2. ostendit Principes Imperii, Senatum, & ipsum Imperatorem, extra Cancellos stetisse; quod etiam servavit D. Ambrosius in persona Theodosii Imperatoris, de quo reprehensus respondit Sanctus: *Purpura Imperatores, non Sacerdotes efficit*, ut referunt Nicephorus, Sozomenus, & Theodoretus, & refert Jo. Stephan. Durantes de Ritib. Eccles. lib. 1. cap. 15. n. 13.

Etiam Laici inter se distincti

Non solum Laici à Sacerdotibus in Ecclesia semper erant loco distincti, ut in Templo Hierosolymitano; verum & viri à mulieribus, atque à Nuptiis Virgines, eodem ferme ordine & dispositione fuit in Christianorum Ecclesiis observatum. Et quamvis pauperibus æque, ac cæteris pateret Ecclesia precum causa, nulla habita personarum acceptione: tamen, sicut olim in Templo ad stipem mendicandam ii præ foribus stabant; ita in Ecclesiam ad eleemosynam captandam nefas illis ingredi; ne sacra agentibus, aut orantibus essent molesti: refert Card. Baron. ad ann. 57. ubi Spondan. n. 37.

Dedicatio Ecclesiarũ

Ecclesiæ consecrandi consuetudo ab ipsis Apostolis usque ad nostram manavit ætatem. S. Clemens epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini ait: *Ecclesias præcongrua & utilia facite loca, quæ divinis precibus sacrare oportet, & in singulis sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos statuere.* Can. Ecclesias 16. q. 7. & Can. Ecclesiis, de consecr. dist. 1. & idem Epist. 3. prohibet Missas celebrari, nisi in locis sacratis, idque Apostolos à Domino accepisse, & nobis tradidisse, hæc addit, *Nos docemus, vobisque & omnibus tenere & docere, quibus agendum est, mandamus.* Urbanus Papa 28. Cæciliæ domum consecravit, nomine ejusdem, & illic perpetuo peraguntur sancta Domini mysteria usque in præsens, in memoriam quidem Martyris, & gloriam & laudem magni Dei. Metaphrastes in vita S. Cæciliæ. Marcellus Papa 131. Domum Lucinæ consecravit. Damas. lib. Pontific. cap. 21. Constantinus Imp. Dedicationem sacræ ædis, quæ magnum martyrium dicitur, Hierosolymis celebravit. Euseb. lib. 4. de vita Constantin. cap. 40. Theodoret. lib. 1. cap. 30. & sic de cæteris.

de Ecclesiæ dedicationis Ritibus

Consequens est, ut annectamus præmissis etiam Ritus in ipsa Ecclesiæ Dedicatione, seu Consecratione, ex D. Bernardo serm. 6. de dedicat. Walfrido, Amalario, & Ivone Carnotensi de reb. Eccles. serm. de Sacramentis dedicationis. Durant. de Ritib. Eccles. lib. 1. cap. 24. n. 8. & ex aliis priscis Auctoribus.

Primo igitur Aquam benedicimus, cui & Sal admiscetur: ista enim Aqua ad quandam Baptismi imaginem circumeundo Ecclesiam tunc exterius aspergimus; ubi more baptizatorum fieri non potest trina mersio; necesse est, ut qua possumus Sacramenti similitudine trina fiat aspersio: sal Evangelicam doctrinam denotat ad conservandam vitæ novitatem sapienter componens.

Duodecim Luminaria.

Interim in circuitu dedicandæ Ecclesiæ duodecim sunt accensa Luminaria, quibus significatur, quòd commendanda sit Lucens Apostolica Doctrinâ, quæ in Ecclesiæ ædificatione unanimis, & concors sit prædicanda; & tamen quæque gens suum prædicatorem sortitura.

Ad singulos circuitus accedit Pontifex ad ostium Basilicæ, & percutit superliminare virga pastorali, cantando Antiphonam; *Attollite portas principes vestras &c.* per quam virgam intelligitur potestas Sacerdotalis, quam Dominus suis Discipulis contulit: Et hæc trina percussio denotat, quod Pontifici Cœli & Terræ, & Inferi potestas cedit: & post hanc trinam percussionem Ostium aperitur; quia tali potestati pars adversa resistere non potest.

Aperto verò Ostio intrat Pontifex cum Clero & populo dicens; *Pax huic Domui:* quia populus, qui à Deo discordaverat per peccata, ei reconciliatur per bonorum operum exercitia. Pontifex, dum in novam Ecclesiam, eam sanctificaturus ingreditur, statim ad orationem se confert: typum eorum tenens, qui rudem populum docere incipiunt.

Alphabeti descriptio.

His completis incipit Pontifex de sinistro angulo ab Oriente scribere per pavimentum Alphabetum usque in dextrum angulum Occidentis: atque iterum à dextero angulo Orientis usque in sinistrum angulum occidentalem Basilicæ. Quid autem per Alphabetum, nisi initia & rudimenta doctrinæ sacræ intelligi convenit? Unde

Paulus

Paulus ad Hebræos 5. c. *Rursus indigetis ut vos doceamini, quæ sint elementa sermonum Dei.* Quid vero per talem figuram in pavimento scriptam? nisi quia in tali schemate Crux figuratur, ut doctrinæ Evangelicæ simplices imbuendi sint, & mors Christi principaliter inseratur. Hinc Paulus 1. Corinth. cap. 2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.* Præterea tali figura in unam Crucis Compaginem significatur utriusque populi, Hebræi & Gentilis collectio. Hinc Jacob filiis Joseph benedicens Gen. 48. & cancellatis manibus effigiem Crucis faciens, dexteram manum super Ephraim junioris, sinistram supra caput Manasses majoris posuit; significans, quia populus quondam dexter in sinistrum verteretur, sinisterque in dexterum.

Deinde Pontifex ad altiora conscendit, & stans ante Altare dicit; *Deus in adjutorium meum intende &c.* Pontifex ergo, qui cum subditorum imperitia & contradictione adhuc certat, adjutorium quidem Dei postulat: *Alleluja* nondum cum eis plenè cantat, de quorum salute nondum plenè sperat.

Subsequitur postea benedictio Aquæ, commixto sale, & cinere. Et Aqua quidem populum significari testatur Apocalyps. cap. 17. *Aquæ, populi sunt*: Sal doctrinam verbi divini signat: unde in Levit. cap. 2. præcipitur: *In omni sacrificio sal offeres*; quoniam non placent Deo opera, quæ non condiuntur divina sapientia. Cinis autem memoriam significat Dominicæ Passionis, quam significabat Cinis vitulæ aspersus ad expiationem populi. Fit autem Crux ter super aquam ex sale & cinere; cum fidei divinitatis, & passionis fides additur Trinitatis. Huic ergo mixturæ & vinum additur cum aqua; Quæ duo geminam naturam significant in una persona, divinitatem scilicet, & humanitatem. Hæc secunda interiorum parietum aspersio non est supervacanea: quia quicquid in exteriori sanctificatione agitur, superstitiosum est, nisi in interiore homine compleatur.

Post hæc tingit Sacerdos digitum in aqua, & facit crucem per quatuor cornua Altaris: Altare enim Ecclesiæ figuram præfert, quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mundi Cardines dilatatur; ut ostendatur omnem Ecclesiam esse mundandam à sordibus peccatornm per lavacrum aquæ, & fidei passionem. Inde venit ante Altare, & aspersit illud septem vicibus; quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti; sicuti etiam circumeundo Ecclesiam adspergit parietes illius, & facit hoc idem secundo, & tertio: ut ostendat, eos, qui baptizantur, non solum esse mudandos à peccato cogitationis, sed etiam locutionis & operis. Cantatur interim Psalmus 67. *Exsurgat Deus & dissipentur inimici ejus*: ut viribus destituantur, qui Sacramentis Fidei adversantur. His peractis Pontifex ad orationem se confert, petens ut omnes qui eandem domum oraturi intraverint, exauditos se esse gaudeant; ut ostendat se omnium subditorum curam cum Paulo 2. Corinth. 11. & eorum memoriam se in orationibus suis frequentare.

Completa expiatione Pontifex convertitur ad altare, incipiens Antiphonam cum Psalmo 42. & fundit quod remansit de aqua purificationis ad basin Altaris: Quia sacerdotum est, quidquid possunt, ad utilitatem gregis sibi commissi facere,

 scili-

scil. purgationem subditorum: Quod autem vires suas excedit Domino devotissimè comendare. Sic & Paulus quasi ad basin Altaris aquam fundens, Discipulos Domino commendabat dicens Act. 20. *Et nunc commendo vos Domino, & verbo gratiæ ejus.*

Postea extergitur Altare linteo: linum enim de terra ortum, & magno labore ad candorem productum, Christi carnem significat de terra ortam, & per angustias passionis ad honorem resurrectionis pervenit. Sacerdos autem dum linteo Altare detergit, imitationem Dominicæ passionis auditorum mentibus imprimit: Deinde fit incensum, ut denotetur elevatio cordis per orationem ad Deum, ut psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Reliquiæ sanctorũ. Reliquiæ necessario requiruntur in consecratione Altarium, ex Concilio Africano cap. *Placuit* S. Ambros. epist. 54 85. S. Augustinus serm. 256. Apponuntur autem reliquiæ Sanctorum in Altare, quod est Symbolum Christi, ut denotetur, quod scribit Apostolus ad Coloss. 4. *In eo absconditα est vita & gloria Sanctorum.* Seu quod scripsit Joann. in Apoc. c. 6. *Vidi sub Altare animas interfectorum propter verbum Dei; & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Ut propterea S. Augustinus serm. 11. de Sanctis: *Videte quem locum Martyres apud homines mereantur; qui apud Deum sub Altari meruerunt.* & idem inferius: *Rectè sub altari justorum animæ requiescunt, quia super Altare corpus Domini offertur: nec immeritò illic justi vindictam sanguinis postulant, ubi e iam pro peccatoribus sanguis effunditur:* & S. Hieron. in Vigilantium inquit: *Male facit ergo Romanus Pontifex qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia?*

Chrisma. Præterea Pontifex ex oleo facit crucem in medio Altaris, & super quatuor angulos ejusdem; quia sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte Baptismatis, & postea unctione insignitur per manus Pontificis, ut Spiritus sancti in se mereatur adventum. Chrisma etiam plenitudinem gratiæ significat ex Christi humanitate, in Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quod scribit S. Cyprianus cap. 14. *Antiquitus Sacerdotes sacrabantur, & Reges: & ipsi Altarium lapides delibuti, spiritualem intelligi volebant sacris mysteriis inesse pinguedinem.* Consecrato Altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt Apostolorum, qui & primitias spiritus acceperunt, & crucis mysterium populis & gentibus manifestare studuerunt.

Peracta denique consecratione albis velaminibus cooperitur Altare; quibus & Sacramentum intelligitur novitatis, & prænunciatur; sicut & cum de Baptizatis loqueremur: Unde in psal. 29. qui intitulatur, *In dedicatione domus*; ita continetur: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi &c.* Hic planctus in gaudium vertitur, cùm ad patriam, à qua nunc exulamus, peracta peregrinatione pervenitur.

His tandem atque aliis solennibus peractis, Pontifex missam celebrat ex decreto Vigilii Papæ, ut in Can. de Fabrica, de Consecrat. dist. 1. quamvis ex communi

muni opinione, Missæ consecratio non sit de substantia. S. Antoninus part. 3. tit. 12. cap. 6. in princ.

Dotatio. Hic etiam traditur instrumentum Dotationis, & redditutum pro manutentione ministrorum, & cæterorum. Sanctus Chrysostom. homil. 18. in Act. Apost. inquit: *Quasi dicta uxore, vel sponsa sic erga Ecclesiam affectus sis, dotem inscribe illi; ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur*: & habetur in cap. cum sicut, de Consecrat. & alibi.

Esset hic videndum de Altarium consecratione, & eorundem unctione, tam in veteri lege, quam Evangelica: & qui Ritus in illorum consecratione habendi? ac etiam cognoscendum de Altari portatili. De quibus vide Durantem de Ritibus Eccles. lib. 1. cap. 25.

De festo Dedicationis. Fuit semper in usu solenniter celebrandi dedicationem, seu consecrationem Ecclesiarum, non solum in præciso illius die, verum & singulis annis per octo continuos dies; uti in decreto, can. solennitates, de consecrat. distinct. 1. Quod etiam apud Hebræos servatum, quando consecratum, & erectum fuit Tabernaculum, ut in lib. Numer. cap. 7. & postea in solenni ædificio Templi per Salomonem, idemque consecratum, ut in 2. Paralipom. cap. 7 similiter in reædificatione Templi, quod idem ab Esdra consecratum fuit; ut in 1. Esdræ cap. 6. & à Machabæis post restaurationem iterum consecratum, 1. Machab. cap. 4. vers. 16. & Redemptor noster Christus, ut ostenderet quàm sibi esset grata hæc solennitas, voluit ipsemet divino aspectu suo illam honorare apud Joan. cap. 10. ver 22. Quod in posterum semper servatum, ut de priscis Ecclesiæ fidelibus refert Eusebius lib. 9. cap. 10. his verbis: *Festivitates à nostris frequentissimè gerebantur, cum omni lætitia, & exultatione, per urbes & loca singula Ecclesiarum dedicationibus decantatis.* Et in hujusmodi consecrationibus fuisse magnum Episcoporum concursum, subdit idem Auctor; *Congregabantur in unum sacerdotes, nec pigebat longe positos convenire, quia nullum videbatur spacium charitatis.* Et idem ille testatur etiam in vita Magni Constantini in Consecratione Templi per ipsum Hierosolymæ extructi in Calvario monte: ac etiam de hac eadem solennitate Nazianzenus orat. Domin. inquit: *Encæniis honorandis lex vetus est, eaque præclara instituta.*

Quare inducta consecratio. Quare autem hujusmodi Templorum, Altarium, & similium absque anima, inducta consecratio? Respondetur, quod post consecrationem ita Dei cultui prædicta appropriantur, ut non possint postea ad profanos, seu alios usus inservire, in Levit. cap. ultimo. *Quicquid semel fuerit consecratum Domino, Sanctum sanctorum erit.* Ut etiam in Decreto, can. ligna, & can Altaris palla, de consecrat. dist. 1. & S. Gregor. Nissen. lib. de sancto Baptismo inquit: *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil aliud differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur, nisi quod Dei cultui consecratum & dedicatum est.* Secundò, inducta fuit consecratio, ut denotetur sanctitas requisita in his, qui tractant seu recipiunt Sacramenta. Bern. serm. de Dedicat.

Eccl. *Domus ista per manus Pontificis dedicata est Domino; propter nos sine dubio, qui non solum præsentes sumus, sed & eos, qui usque in finem sæculi Domino sunt in hoc sæculo militaturi.* Tertiò, inducta consecratio propter reverentiam debitam locis sacris, & aliis similibus omnibus; ut Jacob è somno surgens post visionem scalæ, ait Gen. 28. *Quàm terribilis est locus iste: verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Et Deus admonens Moysen in visione Rubi Exod. 3. dixit: *Solve calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Et in Levitico cap. 26. Præcepit Deus, ut cum timore, & reverentia sint ante Tabernaculum, ibi. *Pavete ad sanctuarium meum.* Quartò, processit consecratio Ecclesiarum, ut Dæmones inde expellantur; Refert D. Gregor. in Dialogis, ut in Decreto Can. Arianorum, de consecrat. dist. 1. Demum Dedicatio, seu Consecratio Ecclesiarum præcipue inducta, ut orationes quæ in illis fiunt, facilius exaudiantur; ut ex D. Ambr. in lib. de Exorand. Virgin. & Rex Salomon Deum de hoc exoravit, 3. lib. Reg. cap. 8. his verbis: *Respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus, ut sint oculi tui aperti nocte, ac die super domum, de qua dixisti: Et erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui Israel, quodcunque oraverint in loco isto; & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo; & cùm exaudieris, propitius eris*: ut plenè exaudivit Deus orationem 2. Paralip. cap. 7. his verbis; *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit: elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Quod multò melius verificatur in Ecclesiis legis Evangelicæ adumbratis à Templo Salomonis; quoniam in hoc idem Christus in Eucharistico Sacramento semper realiter permanebit, ut ipse testatur per Matth cap. 8. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quod etiam de sacratissima ejus humanitate & corpore sub speciebus panis & vini, exponunt Chrysost. homil. 91. in Matth. Prosper, primo de vocat. Gent. & Beda in Matth. & alii plurimi.

Quam verò necessaria sit Ecclesiarum seu Altarium consecratio; nobis præter cætera demonstratur ex cœlesti visu, & miraculo patrato; cum S. Apostolus Petrus cuidam Presbytero imperasset, ut Innocentio III. Romano Pontif. significaret, quod in sua Basilica plura altaria consecrarentur, in quibus dissecratis divina mysteria celebrabantur, ut ex annalibus Ecclesiasticis tom. 13. auctore Odorico Rainaldo anno 1598. n. 18.

Quare permittat Deus Templa profanari.

Lubet prædictis, ut hominum infirmitati satisfaciam, cognoscere quoque, quare permittat Deus, ut sacra Templa ejus sancto cultui dicata, ubi adoratur, & colitur, sint aliquando ab inimicis & rebellibus deturpata, & diruta? & propterea contristatus Elias 3. Reg. cap. 19. *Petivit animæ suæ ut moreretur*: quoniam ut inquit, *Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt.* & sanctus David pariter admiratur in Psalm. 73. *Ut quid repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.*

Inter alias, quæ in hoc adducuntur rationes, hæc una est: ut Fides credentium exer-

exerceatur; ficuti permifit Deus in Ecclefia fancta fua, ut à Tyrannis perfequerentur, & occiderentur Martyres, qui viva Dei templa erant, 1. Corinth. 3. *Templum Dei estis vos*. Secundo hoc etiam evenit, ut peccatores & transgreffores Divinæ legis terreantur: quoniam fi propriæ domui non parcitur; nec aliis eo minus: fanctus Petrus epift. 1. cap. 4. *Tempus est, ut judicium incipiat à domo Dei: si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt?*

Sed potiffimum Ecclefiarum defolationem permittit Deus propter fcelera Ecclefiafticorum: Ofeas cap. 9. *Propter malitiam adinventionum eorum de domo mea ejiciam eos*; Quorum avaritia eft magna, de qua Apoft. 1. Timoth. cap. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inferuerunt se doloribus multis:* ut per Prophetam fuit indicatum pfalm. 18. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*: ficuti ex amore proprio hoc etiam procedit: ad Philipp. cap. 2. *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ JESV CHRISTI*. Et ex hoc propter peccata facerdotum filiorum Heli, Arca à Philiftæis capta 1. Reg. cap. 3. & 4. & refert Ruffinus hiftoricus plurimis exemplis, quod propter defectus & peccata miniftrantium Ecclefiis, fuerint perfæpe illæ dirutæ & defolatæ: verfa autem vice prudens zelus, & follicitudo eorundem miniftrorum fervat, & auget divinum cultum: ficuti propter Oniæ fummi Pontificis zelum & pietatem, fuit ab omnibus in veneratione habitum Templum Hierofolymitanum, & legitur 2. Mach. cap. 3. *Vt ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & Templum maximis muneribus illustrarent: ita ut Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.*

Accedunt quoque Laicorum populorum fcelera, ut à Turcis & Hæreticis Fidelium Catholicorum Templa defolentur: & hoc Salomoni minatus eft Deus, 2. Paralip. cap. 7. ibi: *Si autem aversi fueritis, & dereliqueritis justitias meas & præcepta mea, & servieritis Diis alienis; evellam vos de domo mea, quam dedi vobis; & domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam à facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis: & domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic?* & fubdit rationem; *Quia dereliquerunt Dominum Deum, & apprehenderunt Deos alienos, & adoraverunt, & coluerunt eos: idcirco venerunt super eos universa hæc mala.*

Et hæc nimium poftmodum adimpleta fuere, cum decurfu temporis Chaldæi fub Nabucodonofore crudeliffimè deprædati funt, incenderunt & defolarunt Hierofolymam, & infigne Templum; ut legitur in lib. 2. Paralip. cap. 36. Similia deteftanda fcelera propter peccata populorum perpetrata leguntur ab impio Antiocho in eodem Hierofolymæ Templo, à Zorobabele iterum extructo; ut in 2. Machab. cap. 4. ubi ratio per Spiritum fanctum adducitur: *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit; ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum.* Unde cum ex loco facro amplius Dei honor non refulgaret propter fcelera hominum; meritò defolationem ejusdem permifit Deus. Similiter apud

apud Ezechielem cap. 8. & 9. cùm ostendisset Deus abominationes, quæ fiebant in Templo, præcepit ministris, ut occiderentur omnes, & à Sanctuario inciperent: subtrahens ex hóc justitia Dei à populis & fidelibus auxilia ad eorum salutem opportuna, quibus temerè abusi sunt, ut refert Optatus Melevit. lib. 6. contra Parmenionem, ibi: *Cur vota hominum cum ipsis Altaribus confregistis? illic ad aures Dei ascendere populi solebat oratio; cur concidistis precibus viam, & ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet? impia manu quomodo scalam subducere laboratis?* Ad hanc miseram redacti erant conditionem infelices Fideles, qui hodie sub Turcarum & Hæreticorum imperio miserè serviunt; ut de Anglia, Hungaria, & Germania inferiori & superiori, cum similibus; ubi elapsis sæculis floruit Sanctorum numerus unà cum sacro Ecclesiæ cultu; & ibi hodie vix scintilla remansit Catholicæ Religionis, saltem in propatulo; ut de his ego oculatus sum Testis. Quæ & quot passa sunt mala sæculis præteritis Italiæ templa ab Alanis, Herulis, Gothis, Longobardis, & aliis Barbaris Nationibus, propter enormia ejusdem Italiæ scelera; testes adhuc sunt vastationes in urbe; ut etiam est recens memoria Borbonicæ obsidionis, & Templorum desolationis Clemente VII. summo Pontifice sedente, magno Ecclesiasticorum, & Romæ pudore; ut propterea libeat hodie Italiæ, & alteri cuique Catholicæ Regioni exclamare cum Propheta Jeremia cap. 7. *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: Templum Domini: quia non proderit vobis. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego sum, ego vidi, dicit Dominus.* Non pepercit Deus Hierosolymæ Templo, nec aliis provinciis hodie ab Hæresibus obcæcatis; nec minus certè indulgebit his, qui in peccatis adhuc perseverant. Subsequitur idem Jeremias loco citato his verbis: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel*; & quæ sequuntur. Ut etiam ipse Christus apud Matth. cap. 26. minatur; *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Nec Angeli, seu Sancti tutelares, precibus suis divinam justitiam procrastinabunt: sic Deus Jeremiæ, ut in cap. 14. indicavit: *Noli orare pro populo isto in bonum: cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum; & si obtulerint holocausta & victimas, non suscipiam ea,* & infra cap. 15. *Si steterint coram me Moyses & Samuel, non est mens mea ad populum istum.* & S. Chrysostomus in Matth. *Si Moyses, Samuel, si Ezechiel, si Abraham pro nobis in vitiis permanentibus Deum deprecentur; non tamen illorum oratione placabitur.*

Prophanantes punientur.

Summo jure igitur, quamvis permittat Deus prophanari, & desolari Templa & Altaria, non tamen impunitos relinquit tales prophanatores; & quoad animam inferni pœnis, & in hac vita plurimis modis: inquit Apostolus 1. Cor. cap. 3. *Si quis Templum violaverit, disperdet illum Deus.* Similia etenim prophanantium scelera æqualia sunt impietati eorum, qui Christum crucifixerunt ad Hebr. 6. *Rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes*; Novis nimirum post tot prærogativas sceleribus iterum iterumque crucifigentes. Optatus Melevitanus contra Parmen. cap. 3. *Quid est tam sacrilegum, quam Altaria Dei frangere, radere,*

radere, & removere; in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt? Hoc modo Judæos estis imitati; illi injecerunt manus Christi in Crucem: à vobis percussus est in Altari. Etproptereaminatur Deus Chaldæis, Babyloniis, & Principi eorum Nabucodonosori, quod deprædati fuerint, & combusserint sanctum Templum Salomonis; ut per Jeremiam cap. 50. & 51. & apud Danielem cap. 4. *Tibi dicitur Nabucodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum feris, & bestiis erit habitatio tua.* Et infrà: *Fœnum ut bos comedit; & rore Cœli corpus ejus infectum est.*

Nec minus infelix fuit exitus Antiochi post deprædatum Hierosolymæ Templum; cùm in Persiam reversus è curru cadens, omnia ejus ossa, & intestina confracta fuere; ex quibus fœtor magnus, & copia vermium scaturiebant: aliis & sibi molestus, in se reversus moriens, quærebat à Deo misericordiam, inquiens, ut in 2. Machab. cap. 9. *Reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem.* Et infra sacer Textus: *Orabat autem scelestus ille Dominum; & non est misericordiam consequutus.*

Similiter impius Imperator Diocletianus, propter desolata fidelium Templa, coactus deserere Imperium, & vitam privatam ducere usque ad annum undecimum Magni Constantini; permittente hoc Deo, ut videret infelix ille Christianam Religionem non depressam, sed elevatam; & à semetipso ille cruciaretur; ut in Psalm. 111. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit:* Ac demum cùm devenisset cæcus intellectu propter dementiam, ac etiam oculis corporeis, continuis doloribus, viscerum convulsionibus, ac fœtidus, miserè sibi mortem præparavit; ut in perpetuum cruciaretur in Inferno: ex Zonare, & Cedreno.

Non minora fuere flagella, quæ passi sunt duo impii Juliani, ambo propter dirutas Ecclesias, & Martyres occisos: quorum primus Patruus Apostatæ, & Præses in Oriente, crudelissimis viscerum doloribus ex ore proprio excrementa fætida evomebat, ac demum miserrimè obiit absque pœnitentia, quamvis à religiosa uxore illi suggereretur. Alter vero Julianus idem Apostata & Imperator, à proprio exercitu circundatus, ab ultrice & potenti Dei manu, non autem humana ultione, lancea transfixus, summo dolore & ira percitus contra Christum, collecto suis manibus proprio sanguine respiciens Cœlum dixit: *Vicisti Galilæe*: Hæc latè referunt Theodoretus, Socrates, Sozomenus, & alii.

Sed istis & similibus pressuris non minores fuerunt, quibus concussa fuit Ecclesia, post Tyrannos reddita Ecclesiæ pace; cum tot tantique insurrexerint Hæretici, qui eam omnibus modis turpiter lacerarunt: ut Petri navicula in mari quamvis periclitarit: non tamen perierit. Hinc S. Leo: *Non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur: & Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ cadunt singula, multiplicata nascuntur.* Nunquam hoc melius intelligitur, quàm cùm persequutoris gladius sævit, dum furit tyrannus, insultat carnifex, purpuratur securis, debacchantur bestiæ, elucent flammæ, circumaguntur rotæ, stringuntur forcipes, natant sartagines sanguine: tunc crescit terris, cœlisque Ecclesia. Nec

unquam magnus fuisset Martyr, nisi tormenta fecissent magnum, nisi præcessissent dedecorationes, nisi inimica manus è parvo fecisset magnum. Bene D. Hilarius lib. 7. de Trinit. *Ecclesia sancta, dum persecutionem patitur, floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit; dum læditur, vincit; dum arguitur, intelligit; tunc stat, cum superari videtur.*

Timeant tamen, & contremiscant, qui sic Deum ad iracundiam provocarunt dum Ecclesiam ejusdem sponsam impiis eorum conatibus contaminarunt: & pœnitentiam iidem agentes recordentur, quod Deus non irridetur; & horrendum est incidere in manus Dei viventis. Et quamvis aliquando Deus videatur dissimulare pœnam: nihilominus tarditatem supplicii pœnæ gravitate compensat. Etenim, ut legitur 2. Machab. cap. 6. *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere; magni beneficii est indicium.*

Confitebitur quilibet ex prædictis, rationabile esse, distinguere sacra loca à prophanis: quod Deo dicatum est, ab eo quod communiter omnibus est destinatum; Ecclesias ab Aulis; Nisi velimus miscere sacra prophanis, & ea quæ sunt Hierusalem, Belial.

CAP. XXXIV.

De Supellectilibus sacrorum Templorum.

Expletis quæ in proposito de Ecclesiis occurrebant, subsequuntur, quæ de Supellectilibus earundem ad Dei cultum, & Sacramentorum administrationem exercendam erunt dicenda. Excitant hæc ad contemplanda cœlestia, & benedicendum Deum. Etenim homo ex corpore & anima compactus, in sensibilibus intelligibilia percipit, ut inquit S. Gregor. *Ex his quæ novit animus, surgit ad incognita, quæ non novit.* Et Aristot. in 2. de Anima text. 29. *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Et propterea ex hujusmodi sensibilibus ornamentis exultabat Judaicus populus, ut legitur apud Machab. lib. 1. cap. 4. *Ornaverunt faciem Templi coronis aureis; & facta est lætitia magna in populo.*

Præterea, hujusmodi Supellectilium constructio, cum sit actus latriæ, perinde ac ædificare Ecclesias ipsas, ex D. Augustin. l. 3. contr. serm. Arian. & l. 1. contra Marcion. Quoniam hæc pariter omnia ad eundem Dei cultum sunt directa, cujus Majestatem Cœli non capiunt. Et propterea obstupescens Salomon 2. Paralip. cap. 2. inquit: *Quis enim poterit prævalere, ut ei ædificem dignam domum; si Cœlum & Cœli Cœlorum capere eum nequeunt? Quantus ego sum, ut possim ei ædificare Domum?* Quod etiam jam ante induxerat sanctum David, ut congereret tot metalla, tot lapides, & thesauros immensos ad ædificium Templi, & supellectilia ejusdem; ut ille dixerit ad Prophetam Nathan, 2 Reg. cap. 7. *Vides quod ego habitem in domo Cedrina; Arca autem Domini posita est in medio pellium.* Necesse est, ut congruè decoretur locus, in quo realiter Christus sub sanctissima Eucharistia existit, non autem Arca; cujus hæc umbra erat. Hinc S. Felix Pont. & Martyr epist. ad omnes Episc. inquit:

inquit: *Si Judæi, qui umbræ legis deserviebant &c. Quibus verbis patefacta est gratia, & veritas per Jesum Christum data: Templa Domini ædificare, & quanta cum diligentia ornare convenit?* Quin imo eò maximè illustrandæ Ecclesiæ novi Testamenti, quàm Templum veteris, ut per Isaiam cap. 60. ibi: *Domum Majestatis meæ glorificabo, & pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum.* Et propterea à Joanne visa illa Civitas sancta, figura Ecclesiæ hujus novi Testamenti, ut in Apocal. cap. 21. *Vidi Civitatem sanctam Hierusalem novam, descendentem de Cœlo à Deo sicut sponsam ornatam viro suo.*

Tamen, quamvis nobilia Supellectilia maximè conferant ad honorem Majestatis; non tamen absolutè sunt ad id necessaria. S. Acacius apud Surium lib. 3. *Deus noster non eget discis, nec calicibus aureis: quia non manducat neque bibit.* Præferuntur præterea externis Ecclesiarum ornamentis internæ ministrantium & fidelium virtutes; ut in Genes. cap. 4. *Respexit Deus ad Abel*; & dein secundario, *Ad munera ejus.* & in Psalm. 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Hinc ad populum Hebræorum Dei præcepta contemnentem exclamat Jerem. cap. 7. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes Templum Domini est.* Quæ verba exponens S. Hieron. ait: *Præcepit nobis hodie, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratis laqueariis, & vestitis parietibus, marmorum crustis.* Quod ferè idem repetit Hieron. ad Nepotianum scribens.

Necessitas hujusmodi supellectilium vel pauperum præferatur.

Exoritur quæstio inter Doctores agitata; nempe, quando concurrit simul necessitas supellectilium Ecclesiarum, ac pauperum: Quis eorum præferendus? & Respondetur primo, quod si necessitas pauperum sit moraliter magna cum periculo mortalis peccati; ut in mulieribus, quæ propter necessitatem prostituuntur, vel similibus: Tunc pauperes præferuntur. Chrysost. homil. 81. in cap. 26. Matthæi. *Quænam utilitas est, quòd mensa sit aureis calicibus plena; ipse vero pauper fame dispereat?* S. Bernard. ad Abbatem Guilelmum. *O vanitas vanitatum! Fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit!* Et idem Hieron. Epist. 8. ad Demetriadem, & 12. ad Gaudentium. Ratio prædictorum, quoniam de pauperibus inquit Apost. 2. Corinth. cap. 14. *Templum Dei estis vos*: Sicuti etiam Oseas cap. 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*: Et sic declarat D. Ambros. 2. Offic. cap. 28. *Melius fuerat si vasa viventium servares, quàm metallorum; aurum Sacramenta non quærunt; ornatus Sacramentorum redemptio captivorum est.*

Secundo respondetur, quòd dum pauperes sufficienter juxta ipsorum conditionem vivunt, nec urgentem jam dictam habent necessitatem; tunc præferendus ornatus supellectilium in Ecclesiis splendidus & abundans; ut post alios communiter refert Cardin. Bellarmin. de cultu Sanct. lib. 5. Et ratio est patens: Quoniam Dei Majestas, ejusque cultus præferendus est homini. Hinc Christus maxime sibi complacuit in pia & affectuosa unctione sibi facta à ferventi Magdalena, præbens detractoribus non esse hanc postponendam mendicis, ut apud Marcum 14. *Bonum opus operata est in me.* Quod hic exponitur à Theophilacto: *Confundantur hoc loco, qui*

 pauperes

pauperes Christi præferunt. Audiant quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit ut Corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cujus partis sit.

Dei cultui etiam prophana dicantur.

Complacet sibi Deus, quòd consecrentur divino ejus cultui etiam ea, quæ ad prophanos usus servierunt; sicuti de Hebræis legitur in Exod. cap. 12. Quod ii jubente Deo detulerunt secum ex Ægypto vasa aurea, argentea, & vestes pretiosas Ægyptiorum, quæ postea ad usus sacrorum Rituum veri Dei adaptarunt; ut legitur in Sapientia cap. 10. *Justi tulerunt spolia impiorum, & decantarunt laudem tuam Domine:* & in usum Tabernaculi pro sacrificiis, & indumentis sacerdotalibus omnes, & maxime mulieres, spontè, & cum gaudio aurum, argentum & pretiosa quæque offerebant, ut in Exod. cap 35. & tam copiosa erat oblatio, quæ supererat, sicut in Exod. cap. 36. *Unde Artifices venire compulsi dixerunt Moysi; Plus offert populus quàm necessarium est. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari; ne vir, nec mulier quicquam offerat in opere Sanctuarii; sicque cessatum est à muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent, & superabundarent.* Esdras similiter lib. 2 cap. 8. & lib. 3. cap. 7. scribit de donariis hujusmodi à populo, & Principibus collatis in restaurationem Templi, vasorum, & vestium sacerdotalium ad cultum veri Dei. Dum parabat Rex David Thesauros illos magnos in ædificium & ornatum Templi, refert sacer text. 1. Paralip. cap. 29. *Apud quemcunque inventi sunt lapides, dederunt eos in thesauros domus Domini.* Eodem religioso affectu pii Duces, & milites Hebræi sacrabant divino cultui spolia ex victoriis acquisita post devictos Madianitas; & dixerunt Moysi, ut in Numer. cap. 31. *Offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides & armillas, annulos, & dextralia, & murenulas.* Nec ambigendum, præfata omnia in profanos usus; quin imo Ægyptiorum Idololatriæ, antea inservisse; nec minus grata ex hoc postea fuerunt ad pios & religiosos Templorum usus sacrata.

Prisci & recentiores Hæretici; quamvis sacra vasa, & alia supellectilia Ecclesiæ Catholicæ variè rapuerint, & combusserint; ut de Arianis, Donatistis, Albigensibus, & aliis, S. Athanasius in vita S. Antonii, Chrysostomus in Babyla, Optatus Milevitanus lib. 6. Æneas Sylvius de Boemis cap. 38. Illis tamen abominabilior fuit Julianus Patruus Apostatæ, qui ingressus Sacrarium, ex utensilibus pretiosis, quæ Constantinus & Constantius Ecclesiæ donaverant, ut refert Theodoret. lib. 3 histor. cap. 11. irridendo ille dixit: *Ecce quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.*

Vasa pretiosa.

At vero apud fideles Catholicos religiosa pietas, & magnificentia semper resplenduit; cùm in hoc potissimum Principes & inferiores studuerint; ut ex Annalibus Ecclesiasticis passim est videre.

Quàm vero pretiosa essent præfata sacra vasa, quæ offerebantur in ministerium Dei; Damasus in Pontificali scribit. *Sixtus constituit ut ministeria, sive vasa sacrata non tangerentur, nisi à ministris sacratis. Urbanus fecit ministeria omnia sacrata argentea, Patenas argenteas 25. apposuit. Sylvester donavit Ecclesiæ Romanæ patenam argenteam pensantem libras viginti ex dono Augusti Constantini. Donavit autem & scyphos*

phos argenteos duos, qui pensarunt singuli libras duas: Calices ministrales quinque: patenam argenteam chrismalem auro clausam pensantem libras quinque. Et de prædictis vasis pretiosis refert etiam Prudentius in vita S. Laurentii.

Plurima sunt sacrarum ædium vasa & ornamenta, ut scyphi, metretæ, hydriæ, phialæ, pugillares, & alia, quæ enumerat, & interpretatur Onuphrius in Interpretatione vocum obscurarum Ecclesiasticarum. Eorum frequens mentio apud Damasum in Pontificali, & apud Bibliothecarium, & apud Onuphrium: quæ omnia splendore fulgebant & venerabantur à Christianis. S. Chrysostom. homil. 3. ad Ephesios, & 61. ad populum Antiochenum. *Quia perspicis vasorum venerandam illam supellectilem, sic undique tersam, aquis perfusam, & tanto splendore refulgentem. Atque iis par est nobis animas esse puriores, sanctiores, & virtutum ornamentis splendidiores.* Item S. August. in Psalm. 113. Conc. 2. *Sed enim & nos pleraque instrumenta, & vasa ex hujuscemodi materia, vel metallo habemus in usu celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur, in ejus honore, cui pro salute nostra inde servitur*: & postea; *Nunquid eis supplicamus, quia per ea supplicemus Deo?*

Quòd autem sæcularibus prohibitum esset tangere prædicta sacra vasa: Hoc idem præcepit Isaias cap. 52. vers. 11. his verbis: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et in Concilio Laodicensi Can. 21. *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in sacrarium ingredi, & contingere vasa Dominica.* Et in Concilio Romano II. sub Sylvestro Can. 9. *Nullus Lector, vel Ostiarius sacra vasa contingat.* Et Concilium Agathense cap. 66. *Non oportet insacratos ministros licentiam habere in sacrarium ingredi, & contingere vasa Dominica.*

Prohibitum laicis illa tangere.

Refert S. Chrysostom. orat. in Babylam Martyrem, quòd Julianus prædictus, eo quia ausus fuit arripere, & manibus propriis contrectare sacra Ecclesiæ vasa, eaque in terram projicere; statim illius verenda corrupta vermiculos generarunt; ita ut morbum divinitus illatum fuisse constaret.

Gregor. Nazianz. orat. 15. ad Arianos de se ipso inquit: *Quæ vasa ministerio sacro destinata, nec vulgi manibus attrectanda, iniquorum manibus dedisti? nempè vel Nebuzardæ Coquorum Principi, vel Baldazaro, qui malè in sanctis poculis perbacchatus est; atque adeo dignas amentiæ suæ pœnas persolvit.*

Et D. Ambros. 2. offic. cap. 27. inquit: *In necessitate pro redimendis captivis vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet: opus est, ut de Ecclesia mystici poculi forma non exeat; ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur.*

Si sacra Ecclesiæ vasa conculcare impium est, ut diximus; non minus peccatum erit, si quis animabus sibi subjectis, (quæ vasa Dei sunt) debitum non præstabit auxilium: scriptum namque est apud Isaiam cap. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Unde in proposito D. Greg. lib. 1. Reg. cap. 24 inquit: *Domini vasa ferunt, qui proximorum animas ad interna sacrificia perducendas, in conversationis suæ exemplo suscipiunt. Apud semetipsum ergo, quantum debeat mundari, conspiciat: qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ conversationis portat.*

Dicendum aliquid esset magis præcise de supellectilibus, quæ ordinantur pro administrando decenter sacramento Baptismatis; nempe de Baptisterio,& similibus: Quoniam Baptismus est janua aliorum Sacramentorum,& ordine temporis & naturæ alia præcedit. Verùm cùm de his supra in cap. 5. de Baptismo satis dictum, ea modò repetere non expedit.

Et post Baptismi supellectilia, quo redditur homo capax aliorum Sacramentorum, subsequitur de his supellectilibus etiam referre, quæ per excellentiam, & perfectionem finis, ad quem destinantur, debent aliis præferri; ut hæ, quæ immediatè inserviunt personæ Divinæ Christi in sacrosancto Missæ sacrificio. At de his etiam multa diximus supra in cap.8. & 9. *De Cœna Eucharistica*, ubi de *Apparatu mensæ Christi*; Dum maximè fit mentio de calice Christi,ut etiam in cap.11.& 19.

Patena. *Patenæ* subsequuntur Calicibus: sic dictæ, eo quia patent in superficie: Isidorus lib.20. Originum cap. 4. Inserviunt ad portandam Hostiam consecrandam; & post consecratam, ad transferendam illam ex Corporali. Conflantur ex eadem materia, sicut Calices. Cap. Ut vasa, de consecrat. distinct. 1. & propterea quando in usu erant Calices vitrei; sic etiam similes erant Patenæ: VValfrid. de reb. Eccles. cap.14. Quod postea immutatum fuit in Concilio Triburiensi cap.9. Verum longe ante dictum Concilium Patenæ erant etiam ex auro & argento. Urbanus XVIII. Papa fecit ministeria sacra omnia, & Patenas argenteas 25. ex Damaso in Pontificali cap.28. & idem Damasus etiam in Sylvestro. Patenarum usus in Ecclesia primitiva in celebratione Missæ institutus in hunc usque diem perseverat. Illud interest, ait Onuphrius, quòd hodie parvæ, antiquitus magnæ erant ex auro & argento ponderantes. XV. & XXX. librarum, ut eo eodem Damaso: & diximus in cap.11. *De Calicis usu.*

In libro, qui *Ordo Romanus* inscribitur, refertur consecratio Patenæ, ejusque consecratio in Chrismate peragendo. Quoniam Calices & Patenæ immediatè serviunt sacrosancto Missæ sacrificio; ideo ab Episcopis sacra unctione consecrantur: ut in Romano Pontificali &c. Nam quamvis illa non habeant qualitatem recipiendi gratiam, consequuntur tamen virtutem supernaturalem, per quam redduntur habilia ad divinum cultum; ut ex D. Thom. part. 3. quæst. 83. art. 3. ad 3. Et ita Deus præcepit Moysi Exod. cap. 40. *Assumpto Unctionis oleo unges Tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur, &c.*

Custodia. Fuit quoque antiquitus semper in usu aliud vas. *Custodia*, seu *Pixis* communiter nuncupatum: quoniam in ipso custodiuntur particulæ consecratæ ad communicandos fideles; ne quæ putredo in Sacrario inveniatur. Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 12. *Sumant Diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum.* Et Leo Papa ad Michaelem Imp. scribit, Jerosolymis Eucharistiam in pixide pro advenis,ad & quotidie eam sumere volentibus asservari solitam. Et in lib. Pontificali Symmachum Papam altaribus duarum Basilicarum SS. Andreæ,& Sylvestri argentea Ciboria destinasse, quæ quidem Vascula in Sacramenti hujus conservationem habebantur. Loquitur de istis Synodus Turonens. relata à Buccardo, l. 5. cap. 9. his verbis:

Omnis

Omnis Presbyter habeat pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus Domini diligenter recondatur, ad viaticum recedentibus à sæculo. Et infrà: *Semperque sit super altare observata, propter mures, & nefarios homines; & de septimo in septimum diem mutetur: ne fortè diu servata mucida fiat.* Et in Concil. Lateran. sub Innocentio III. cap. 20. statutum, ut in cunctis Ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis, conservaretur, ut in c. 1. de Custod. Eucharist. & in Canon. si per negligentiam, & in Can. Qui bene, de Consecrat. dist. 2. Dicebantur hujusmodi custodiæ *Pastophoria*; ut ex S. Clemente lib. 8. constit. Apost. cap. 13. & lib. 2. cap. 57. Durantes de Ritib. Eccles. lib. 1. cap. 10. n. 8. Appellatur item *Ciborium* à Chrys. homil. 42. in Act. Apostol. sicut etiam *Columba* nuncupatur ab Amphilochio in vita S. Basilii: & hoc quare? Nos diximus supra in cap. 30.

Sub hoc Custodiæ nomine comprehenditur aliud vas forma orbiculari, seu parvæ Turris, quo sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in publicis Orationibus exponitur supra Altare. De hoc loquitur Gregor. Turonens. lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 86. *Accepta Turre Diaconus, in qua Mysterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit; ingressusque Templum, eam Altari supposuit:* Et de simili Turre etiam loquitur Card. Baron. ad ann. 570. Quam ex auro satis speciosam construi fecerit Felix Episcopus Bituricensis. Eucharistiam domum deferendi consuetudo (ut mox fuit tempore persequutionum) fuit antiquata. Durant. de Ritib. Eccles. lib. 1. cap. 16. num. 12.

Corporale.

Corporale quoque fuit in usu apud Priscos fideles ex lino purissimo, cui in Altare extenso superimponitur Calix & Hostia, ante & post consecrationem; ita Alcuinus de Divinis offic. cap. de celebrat. Missæ: sub quo nomine comprehenditur etiam aliud parvum linteolum, quo Calix cooperitur, *Anima* nuncupatum; quoniam includitur sub altero majore, quasi Anima in corpore: Innocentius de Mysterio Missæ lib. 2. cap. 56. Corporalia nuncupantur *Pallæ*. Can. Altaria. Can. Cum nemo, de Consecr. distinct. 1. S. Clemens epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini: sic dictæ à verbo *Pallio*, id est cooperire, quasi quod cooperiant sanctum Missæ sacrificium; ut voluit Guilielmus Durantes. Nec possunt hujusmodi Lintea Missæ inservire nisi ex lino confecta, non autem ex serico, seu ex alia materia, ut ex Concilio Rhemensi cap. 3. relato per Buccard. lib. 3. decret. cap. 99. *Corporale, supra quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior, aut vilior misceatur.* Institutio horum Corporalium ascribitur summis Pontificibus Eusebio & Sylvestro I. ut per Gratianum in Can. Consulto, de Consecrat. distinct. 1. Cujus Canonis hæc sunt verba: *Consulto omnium statuimus, ut sacrificium Altaris non in serico, aut tincto panno quisquam celebrare præsumat; sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto.* Cujus rationem reddit: *Sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in syndone linea & munda sepultum est.* Eandem rationem, quare ex lino conficiantur Corporalia? adducunt Beda in cap. 14. Marci, & 19. Lucæ, ac etiam Isidorus Pelusiota lib. 1. cap. 123. Rursus ex dicto Corporali, seu syndone admonentur Sacerdotes, Ministri & populus, ut

sicut

ſicut illud linteum caſtigatum eſt ab omni naturali viriditate, & humore, ita ſit mens offerentium ab omni carnali cupiditate: & ſicut illud nitet ſuo ſplendore, ita intentio offerentium ſimplicitate niteat coram Deo. Ita Amalarius lib. 3. de Eccleſiaſt. off. cap. 19. & Alcuinus d. cap. de celebrat. Miſſæ. Et ſicut linum per multos ſudores pervenit ad candorem; ita Chriſtus multis affectus paſſionibus, migravit ex hoc ſæculo, & ad candorem Reſurrectionis & Immortalitatis perductus eſt. Similiter qui Corpus Chriſti in ſe recipere deſiderat, per multos bonorum operum labores debet ſe reddere nitidum & candidum. Ita Durantus de Ritibus Eccleſ. lib. 1. cap. 12. num. 5. & 6. Addit Innocent. in cap. 36. lib. 2. de myſter. Miſſæ, quod Corporale majus, ſicut denotat majorem ſyndonem, qua Corpus Domini fuit involutum; ſic etiam parvum Corporale (*Amen* dictum) denotat ſudarium ſuperimpoſitum Capiti Chriſti, ut viderunt Apoſtoli, & notavit Joann. cap. 20. *Et vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſupra caput ejus ſeparatim involutum in unum locum.* Quod idem refert Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 2. cap. 23. Et hæc de Corporali.

Fuerunt etiam ſemper in uſu in Eccleſia *Linteamina*, quæ extenduntur ſuper Altaria in plana ſuperficie, ubi ſacrum offertur ſacrificium; ut quoque ſolita fuere *Pallia*, quibus cooperitur pars anterior Altarium, quæ populo primum apparet.

Linteamina, & Pallia.

Linteamina quoad materiam ex lino ſeu ſimili: munda & alba debent eſſe, ex Amalario lib. 3 de offic. Eccleſ. ut denotetur puritas, qua ſit accedendum ad Altare; & ſic declarat Concilium Rhemenſe relatum à Buccardo cap. 97. *Altaria, in quibus Corpus Dominicum conſecratur, ſanguiſque ejus hauritur, cum omni veneratione honoranda ſunt, & mundiſſimis linteis & palliis cooperienda.* Idem ſcribit Optatus Melevit. lib. 6. contra Parmen. *Quis enim fidelium neſcit, ipſa ligna Altaris linteamine cooperiri?* Et infra, laudans diligentiam quarundam mulierum, ſubdit: *Extendiſtis Pallas; has puriſicare properaſtis; laviſtis procul dubio Pallas.* Etenim hoc nomine ſicuti Corporalia, ſic etiam linteamina Altaris nuncupantur. Clemens Epiſt. 2. ad Jacobum fratrem Domini, in Can. Nemo, de conſecrat. diſtinct. 1. *In linteo nemo per ignorantiam Clericus mortuum obvolvendum credat palla, quæ fuit in Altari.* Et Concilium Lateranenſe cap. 19. reprehendens linteaminum immunditiam, ut etiam in cap. Relinqui, de Cuſtod. Eccleſiaſt. *Pallas Altaris, nec non ipſa Corporalia, tam immunda relinquant, quod aliquibus ſunt horrori.*

Uſus enim ornandi & veſtiendi anteriorem partem Altaris, quæ prius intuentibus apparet: & hanc pannis ſericis & aureis: antiquiſſimus fuit ſemper in Eccleſia, quin imo à Deo præceptus Numer. cap. 4. ibi: *Nec non Altare aureum involvet hyacinthino veſtimento.* Hæc à S. Clemente in d. epiſt. 2. ad Jacobum: appellabantur *Vela*, quaſi quod cooperirent Sancta Sanctorum, ut præceperat Deus ad Moyſem. Gloſſ. in cap. Altaris, de conſecrat. diſtinct. 1. inquit, quòd comprehendantur ſub nomine Pallii, linteamina & Corporalia, quaſi ut cooperiant dictam anteriorem partem Altaris. Ita Concilium Rhemenſe relatum à Buccardo lib. 3. cap. 47. & Concilium Toletanum 13. relatum in Can. Quocunque 26. quæſt. 5. graviter punit expoliantes Altaria eorum Palliis, præterquam die Jovis & Veneris ſancti, in memo-

memoriam quòd Christus tunc fuerit exspoliatus; vel in signum mœstitiæ Passionis ejusdem; ut referunt Alcuinus & Amalarius, Rupertus Abbas de divinis officiis lib. 5. cap. 30.

Quare laventur Altaria. Quare autem Vino & Aqua Altaria jam spoliata lavarentur; ut etiam hodie Romæ in Ecclesia S. Petri in Vaticano servatur in Cœna Domini de sero post matutinum? Et respondetur, ideo illa lavari institutum esse antiquitus; quia Christus, quem Altare significat, de latere suo lancea perforato sanguinem & aquam effudit; quæ prima sunt elementa salutis: sanguine quippè redimimur, aqua abluimur. Vinum enim pro sanguine in sacramento sacrificii ascitum est ipso Domino auctore: Aqua vero fuit Baptismi origo, cujus ipse Christus primus ejus auctor extitit. Et nota, quod rectiùs faciunt hi, & magis est ordini Evangelico congruum, qui feria quinta nudant altaria, & in sequenti die Parasceves lavant: nam feria sexta sanguinem & aquam Christus effudit. Hispidi quoque ramusculi, cum quibus lavantur Altaria, flagella significant, quæ sacratum Christi corpus percusserunt: refert Rupertus Abbas de Divinis officiis lib. 5. cap. 31.

Colores Palliorum Colores prædictorum Palliorum, qui inserviunt ad cooperienda Altaria, sunt communiter quatuor, ut in Rubrica Missalis, de coloribus paramentorum. Color *Albus* in diebus lætitiæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Resurrectionis, Ascensionis, & festis B. Virginis, & sanctarum Virginum, Confessorum, & similium. *Color Rubeus* in diebus Pentecostes, Martyrum &c. Colore *Viridi* utitur Ecclesia ab octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam; & ab octava Pentecostes usque ad Adventum: cùm sit talis color symbolum spei, nec non aliarum virtutum. Color *Violaceus* in diebus mœstitiæ; nempe in Adventu, Quadragesima, & Vigiliis: sicut etiam color *Niger* in die Parasceves, & Missis Defunctorum. Alii vero colores reducuntur ad quatuor expressos.

Tabernaculum. Subsequitur de Tabernaculo aliquid dicere; intra quod servatur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum: De quo Concilium Lateranens. sub Innocentio III. relatum in cap. Statuimus, de Custodia Eucharistica, his verbis: *Statuimus ut in cunctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur.* Nominatur Tabernaculum, cum inserviat instar domicilii, & Tabernaculi, in quo includitur sacratissimum corpus Christi, tanquam Tabernaculum Moysis includens Arcam Testamenti; quæ fuit figura hujus sacrosanctæ Eucharistiæ; ut notarunt Hilar. in Psal. 31. Cyrillus tract. 4. in Joann. c. 28. Greg. in Ezech. homil. 22. & propterea S. Clem. lib. 8. Const. Apost. c. 13. inquit: *Sumant Diaconi reliquias, & inferunt in Tabernaculum.* Idem S. Clem. dict. c. 13. nominat Sacrarium, cùm nil sanctius, & magis sacrum in eo possit includi, quàm Christus Dominus; sicuti appellatur etiam ab eodem Pastophorium; qua voce à S. Hieron. in c. 40. Ezech. significatur habitatio Principum Sacerdotum; utpotè includitur Christus in Tabernaculo, de quo dicitur in Psalm. *Tu es Sacerdos in æternum.* Et D. Chrysost. homil. 42. in Act. Apostolorum nominatur *Ciborium*: quoniam in illo servatur verus cibus spiritualis, de quo idem Christus per Joannem dixit: *Caro mea verè est cibus.*

Circa ſitum, ubi collocandum Tabernaculum, decrevit Synodus Turonenſ. II. ſub Pelagio I. Can. 3. *Ut Corpus Domini in Altari, non in Armario; ſed ſub Crucis titulo componatur*: Quod etiam Card. Baron. ad ann. 570. refert de ſancto Felice Epiſcopo Bituricenſi. Et quamvis ut plurimum fuerit ſolitum collocari ad Altare majus, quod comparatur ad Sancta Sanctorum Moſaici Tabernaculi; nil tamen in hoc decretum. Verum eſt tamen, quod S. Clemens lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 57. præcipit collocandum Tabernaculum in quodam ex his Altaribus, quod ad orientalem partem vertitur, verſus quã conſuevere priſci fideles ſe vertere; ut Deum adorarent; ſed in quocunque Altari in Eccleſia, dummodo decenter, & cum munditia collocatum Tabernaculum; hoc in præſenti ſufficiet: ut decrevit Honorius III. in cap. ſanè, de Celebratione Miſſarum.

Conſueverunt etiam priſci fideles continuò in Eccleſia expoſitam habere ſanctiſſimam Euchariſtiam intra tabernaculum; ut ex decretis relatis à Burcardo lib. 5. ab Ivone part. 2. & à Gratiano de Conſecrat. diſt. 2. Et hoc triplici ratione. Primo, ut frequenter & quotieſcunque ſpiritus impellit, poſſit à fidelibus reverenter recipi; ex Cyrillo epiſt. ad Concilium Carthaginenſ. Ruffin. lib. 10. hiſt. cap. 6. Secundo, ut ſit parata Euchariſtia ad deferendam illam infirmis; ut in Concilio Vormatienſ. relato in Can. Presbyter, de conſecrat. diſt. 2. *Presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam; ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine Communione moriatur.* Tertio, ut quandocunque ibi Chriſtus ſub illis ſpeciebus adoretur, & amor Divinus accendatur ſpe omnem gratiam obtinendi; ut ipſe dixit: *Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.*

Miſſale. Inter etiam Eccleſiæ ſupellectilia magis neceſſaria eſt *Miſſale*, ſine quo non poteſt, nec debet Miſſa celebrari; quoniam in eo præſcriptæ ſunt ceremoniæ ſervandæ in oblatione ſacroſancti ſacrificii: ac etiam continet Orationes, Lectiones, Evangelia, Verſiculos, & alia quæque ab Eccleſia in Miſſa ordinata; à qua hic liber nomen ſumpſit. Hinc adhiberi debet in parte ſecreta & eſſentiali, nempè Canonis immediatè ad conſecrationem ordinati: & mortaliter peccaret, ſi quis deficeret in hoc: ut etiam in Evangelio, Epiſtola, & ſimilibus; Quoniam memoria labilis eſt. Suarez de Sacrificio Miſſæ diſput. 81. ſect. 6. Toletus lib. 2. inſtit. cap. 6. Et in hoc præter obſervantiam ſunt etiam Conſtitutiones ſummorum Pontificum, Pii V. & Clementis VIII. Præterea præcipiunt Concilia Colonienſ. part. 4. cap. 13. & Auguſtanum cap. 18. *Sacerdos Miſſam cum reverenda modeſtia clare & diſtinctè legat uſque ad Canonem; ut qui adſtat, quod legitur intelligat, & ad pietatem excitetur.*

Quoad inſtitutionem Miſſalis: Proculus Conſtantinopolitanus tom. 4. Bibliothecæ ſanctorum Patrum, & S. Iſidorus de offic divin. lib. 1. cap. 15. ſcribunt, Apoſtolum Petrum ejusdem Inſtitutorem fuiſſe, qui verbis conſecrationis eſſentialibus addidit orationes, ceremonias, & ritus particulares, & præciſos in celebratione obſervandos; quos idem commendavit S. Clementi Papæ & Martyri, ut colligitur ex ejusdem Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 7. cap. 25. & lib. 8. cap. 15. quos ritus idem Clemens ſcriptis conſignatos tradidit Romanæ Eccleſiæ: & hæc præfata fuiſſe Miſ-

ſale

ſale Romanum,voluit Card. Baron. ad ann. 102. ubi Spondan.num.9. Quod hodie etiam in uſu,& pluribus ſummis Pontificibus, & à Gelaſio potiſſimum ampliatum; ſed à Magno Gregorio dein reſtrictum & correctum,ut ipſe teſtatur lib.7.Regiſtr. cap.63. ac etiam ſcribit Joannes Diaconus in vita ejusdem Gregorii lib.2. cap. 17. & demum à ſanctæ mem. Pio IV. reformatum, ut refert Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. de indice Miſſalis & Breviarii.

Cæleſtinus Papa hujus nominis Primus decrevit,quòd præter Epiſtolas & Evangelia recitaretur Pſalterium, ut ſcribit Proculus. At ſucceſſores Pontifices ne tædio afficerentur Sacerdos & adſtantes, commutarunt vice Pſalmorum quasdam orationes, Collectas, & verſiculos; ſicuti Introitum, Gradualia, Offertoria,& Poſtcommunionem, & nos diximus ſupra cap. 10. Certum eſt autem nunquam in facultate Sacerdorum fuiſſe recitandi Miſſam ad ipſorum arbitrium, ſicuti nec ſibi ceremonias fingendi; qualem abuſum in Africæ Eccleſiis abolevit D. Auguſtinus ad hoc delegatus à Zoſimo Romano Pontifice. Refert idem Auguſtinus ſerm. 215. de temp & ſerm. 115. de diverſ. S. Cyprian. ſerm. 3. & Epiſt 157. lib.4. Sicut & docet Poſidon. in vita S. Auguſt. cap.14. & ſupra latè dictum cap. 9. Quæ omnes diverſitates accidentales additæ fuere formæ ſubſtantiali inſtitutæ in ultima Cœna à Chriſto Domino.

Refert Rupert. Abb. de divin. offic. lib.2. cap 23. ut codices Evangelici auro, & argento, lapidibusque pretioſis non immerito decorentur, in quibus rutilat aurum cœleſtis ſapientiæ, nitet argentum Fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum pretioſi lapides; quæ manus Chriſti tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis operatæ ſunt.

Pulpitum.

Referam quoque inter ſupellectilia Eccleſiarum etiam de *Pulpito*, in quo prædicatur, & verbum Dei evangelizatur. *Pulpitum* autem ſic nuncupatur à VValfrido de reb. Eccleſ. cap. 6. quaſi in publico oculis adſtantium expoſitum: Dicitur etiam *Ambo* à verbo *Ambio*; quaſi ut Concionator ab adſtantibus ambiatur; ut ex eodem VValfrido, & Gulielmo Durando; & hoc eſt idem quod *Suggeſtus*; ut in Concilio Laodicenſ. cap.15. In eminenti autem Eccleſiæ loco eſſe hic debet erectus, ut Concionator commodè ab adſtantibus exaudiatur. Hinc Iſaias cap.40. *Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam:* Et propterea in aliquibus Eccleſiis mos eſt canere Evangelium in iisdem pulpitis, ſed in ſolennioribus ſolummodo Miſſis ex priſco Eccleſiæ ritu, ut refert Caſſiodor. lib. 10. cap.4. hiſtor. Tripart. Socr. lib. 6. cap. 5. Quin immo etiam hodie in antiquiſſimis Eccleſiis hic Romæ extant duo Pulpiti ex lapidibus pretioſis: in quorum alteri concionabatur, & in altero Evangelium habebatur; ſicuti in Eccleſia S. Clementis, S. Pancratii, S. Laurentii extra Muros &c. Debet in eminenti Eccleſiæ parte conſtitui pulpitus, ex Innocentio de Myſteriis Miſſæ lib.2. cap.43. quoniam Evangelica doctrina omnibus publicè manifeſtari debet, ut Chriſtus apud Matth. cap. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Refert etiam Stephanus Eduenſis de Sacram. Altar. cap.12. Quod

prædicatio Evangelii erigat mentem,ut in Cœlum aſcendamus, & propterea Pulpitus ſit eminens; ut in Pſalm. 83. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: &c.* Amalarius lib. 3. de Offic. Eccleſiæ cap. 18. Hoc idem exhibere eminentiam legis Evangelicæ, ut apud Joann. cap.7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* Hinc eſt, quòd Chriſtus docere volens Diſcipulos aſcendit in montem, apud Matth. cap. 5. *Videns Turbas, aſcendit in Montem: & acceſſerunt Diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos.* Sicuti etiam Eſdras lib.2. cap.8. ſupra Cathedram Moyſis legem docebat. *Stetit autem Eſdras ſupra gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* Et ex his Eminens conſtrui Pulpitus debet.

Sedilia.

Inſerviunt quoque ſacris Templis *Sedilia* pro Miniſtris Eccleſiæ & divina Officia canentibus; ut etiam pro fidelibus adſtantibus; & hæc tali ordine diſpoſita, ut refert S. Clemens lib.2. Conſtit. Apoſtol. cap. 57. his verbis: *Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum; ex utroque ejus latere ſedeant Presbyteri, & adſtent Diaconi ſuccincti & expediti ſine multa veſte.* Et infrà. *Laici in altera parte ordine, decore, & quiete ſedeant.* Quinimo iidem Imperatores poſt Clerum ſedebant extra Cancellos; quod Theodoſius legibus confirmavit, ut ſcribit Sozomen. lib. 7. hiſtor. c.24. Theodoret. lib. 5. cap.17. Nicephor. lib.12. cap.41. Et de Magno Conſtantino narrat Euſeb. lib. 2. cap. 10. & lib. 4. cap.33. De vita Conſtantini, intra populum reſediſſe ad audiendum Verbum Dei; ut etiam dum in Nicena Synodo interfuit, in loco inferiori adſtitiſſe. S. Athanaſius Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, commemorat Arianos thronum, ſubſellia, menſam ligneam, & tabulas Eccleſiæ Alexandrinæ, foras elata combuſſiſſe ante veſtibulum in magna platea. Et referunt Sozomen. lib.5. cap.15. & Nicephor. lib.10. cap.20. Julianum Apoſtatam inſtituiſſe in Idolorum templis & ſubſellia & primarios ſuggeſtus fieri more Chriſtianæ Religionis.

De ornatu Eccleſiarum.

Cùm de ſupellectilibus Eccleſiæ plurima dixerimus; annectam prædictis quòd conſueviſſent priſci fideles Eccleſias variis modis ornare. Refert Hieronym. ad Heliodorum, de morte Nepotiani Epiſt. 3. *Erat ergo ſolitus, ſi niteret Altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi janitor creber in porta, vela ſemper in oſtiis, ſi ſecretarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes cerœmonias pia ſolicitudo diſpoſita. Non minus, non majus negligebat officium: ubicunque eum quæreres, in Eccleſia invenires.* & paulo poſt: *Hoc idem poſſumus de iſto dicere, qui Baſilicas Eccleſiæ & Martyrum, diverſis floribus & arborum ramis, vitiumque pampinis adumbraret; & quicquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione, quàm viſu, Presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.*

Et D. Ambroſ. 2. Offic. cap. 21. *Maxime Sacerdoti hoc convenit, ornare Dei Templum decore congruo; ut etiam hoc cultu Aula Domini reſplendeat.* Et S. Chryſoſtom. homil. 3. in Epiſt. ad Epheſios ſub finem ait: *Quin perſpicis venerandam illam vaſorum ſupellectilem ſic perfuſam aquis, tanto ſplendore interlucentem? atqui noſtras animas par eſt reddi iſtis longe puriores, ſanctiores, ac multo ſplendidiores virtutum ornamentis.*

Pallia

Paſſia vero, quæ ſolenniter appenduntur Templi parietibus, futuram ſanctæ Eccleſiæ gloriam ſignificant in regno Chriſti, quod nobis præſentes ſolennitates memorant; ubi exhibebit ſibi Chriſtus glorioſam ſponſam non habentem maculam, neque rugam Rupert. Abb. de Divin. Offic. lib. 2. cap. 23.

Inferamus ergo ex prædictis, non ſatis eſſe nobis exhibere, & miniſtrare ſummo Deo aureis, & pretioſis Calicibus, ac aliis ſimilibus utenſilibus; verum maximè in munditia & puritate cordis; quoniam, ut inquit D. Chryſoſtom. homil. 51. in Matth. *Non enim auri, vel argenti officina, ſed Angelorum celebritas eſt Eccleſia: Animarum ergo munditia opus eſt, propter quas Deus hæc vaſa recipit.* & idem hom. 14. *Tu es his vaſis ſanctior, & multo ſanctior: cur ego te ipſum polluis, & inquinas?*

CAP. XXXV.

De Veſtibus à ſacris Ritibus decretis ad exercendos Ordines ſacramentales.

IDem religioſus & divinus Cultus, qui ſanctis Templorum ſupellectilibus debetur, præſcribitur etiam in veſtimentis Miniſtrorum & Sacerdotum, maxime ad Uſum ſacrificii; & iis omnino diverſis ab illis, quæ deferuntur extra Templa: quod etiam Gentiles obſervarunt, ut ex Plinio lib. 9. cap. 1. & latè Guillelmus Covullius de Religione Romana. Sic etiam præcepit Deus ad Moyſen Exod. cap. 29. 31. & 40. *Applicabis Aaron & filios ejus; & lotos aqua indue ſacris veſtibus, ut miniſtrent mihi.* Et per Ezechielem cap. 44. *Cum ingredientur Sacerdotes portas Atrii interioris, veſtibus lineis induentur, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.* Hoc etiam decentiùs dein Eccleſia ſancta præcepit, non jam ex Evangelico ſcripto; ſed ex Chriſti, & Apoſtolorum traditione, qui hoc inſtituerunt, ut declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 5. Hæc ſiquidem magis opportuna ſunt in Lege nova, propter Sacrificii excellentiam, quàm in veteri. Rupert. Abb. de Divin. Offic. lib. 1. cap. 18. ut notat etiam Ivo Carnotenſ. Epiſt. 124. Quin imo Veſtes illæ figuræ erant earum, quibus utuntur Sacerdotes Evangelici; & voluit Origen. homil. 11. in cap. 20. Levit. Alcuinus de Divin. Offic. cap. de ſingulis veſtibus. Et propterea Anacletus Papa, Apoſtolis fere contemporaneus, ſupponit ſacra veſtimenta Sacerdotum, & aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum jam antea fuiſſe decreta; ſic præcipiens Epiſcopis, ut in epiſt. 1. de oppreſſ. Epiſc. his verbis: *Epiſcopus ſecum habeat miniſtros ſacris indutos veſtimentis in fronte, & à tergo.* Et Euſeb. lib. 5. Hiſtor. cap. 24. ſcribit, quod ſimilibus utebatur S. Joannes Evangeliſta: Quin imo beatiſſimam Virginem D. Alphonſo quandam ſimilem veſtem donaſſe, ex Surio tom. 1.

Sacræ veſtes quare inductæ?

Hujus ſancti inſtituti tres præcipue afferuntur rationes à Doctoribus: quarum prima, propter reverentiam Deo & Eccleſiis debitam; S. Stephanus Papa epiſt. 1. ad Hilar. *Veſtimenta vero Eccleſiaſtica, quibus cum Domino miniſtratur, cultusque Divinus omni cum honorificentia, & honeſtate à Sacerdotibus, reliquisque Miniſtris celebratur, ſacrata eſſe debent, & honeſta; quibus aliis in uſibus, cùm Deo, ejusque ſervitio conſe-*

consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui, quàm in Ecclesiasticis, Deoque dignis officiis. Quod etiam voluit D. Hieron. in cap. 44. Ezechiel. Innocent. lib. 1. de Myster. Missæ cap. 64.

Secunda ratio, ut denotetur quid mysticè indicent functiones, quæ exercentur, tum etiam sancti mores Ministrorum, qui exercent: Origen. homil. 11. in cap. 20. Levitic. *Vestimenta, sancta dicuntur. Si ergo intueamur, quo sensu hæc omnia sancta vocata sunt; advertemus quomodo etiam nos operam dare debemus, ut sancti esse possimus.* & D. Hieron. in cap. 44. Ezechiel. *Debent Sacerdotes munda conscientia, & virtutum vestibus ornata Domini Sacramenta tractare.* Propterea Innocent. supra citatus inquit: *Attendat ergo Sacerdos studiosè, ut signum sine significato non ferat.*

Additur tertia ratio à D. Thoma part. 3. quæst. 83. art. 3. & secunda secundæ quæst. 102. art. 4. Quòd pius & resplendens apparatus externus excitat, & extollit ad contemplandas res Divinas, & ad obsequium sacrorum Rituum. Hoc Moysi Deus innuisse videtur Exod. 28. *Faciesque vestem sacram Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.*

Hinc Ecclesiæ Præsules ac alii fideles Principes maximè institerunt, ut vestibus Clericalibus & Sacerdotalibus providerent; ut refert Joan. Diaconus lib. 2. de Vita Magni Gregorii cap. 57. qui satis copiosè transmisit in Angliam hujusmodi vestes, quæ ad Catholicam fidem reducebatur. De Magno Constantino refert Theodoretus lib. 2. histor. cap. 27. qui pretiosis hujusmodi vestibus providerat Ecclesias omnes per ipsum extructas. De Carolo Magno Sigebertus refert, quòd abundanter, & splendidè donaverit hujusmodi vestes Ecclesiis.

Vestes sacræ differunt à profanis.

Duo ex prædictis animadversione digna inferuntur. Primum, quòd Ecclesiasticorum habitus, quibus in sacris Ritibus illi utuntur, distinguantur ab his, qui in usu communi eorundem sunt extra Ecclesiam: Et hoc duplici respectu seu forma: quarum una est, mystica figura à sacris Ritibus præscripta; nempe quod stola Sacerdotalis sit stricta circa palmi mensuram; ita ut collum cingat; & deinde usque ad genua tanquam fascia protendatur; & similiter etiam de aliis habitibus. Altera est moralis, nempè quod habitus dicati & affecti sint ad Divinum cultum quadam benedictione, & Ritibus particularibus; ut in Exod. *Cumque tuleris de oleo unctionis, asperget Aaron & vestes ejus, filios, & vestimenta eorum.* Sicuti & S. Stephanus Papa Epist. 1. cap. 3. *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur; sacrata esse debent.* Hæ igitur duæ formæ prædictæ, adeò necessariæ sunt in sacris functionibus; ut nemo Sacerdos in aliis quibuscunque vestibus, quamvis benedictis, valeat absque mortali peccato celebrare; ut refert Suarez post alios de Sacr. Eucharist. disp. 83. sect. 3. Benedictio autem prædicta tunc solum renovatur, quando forma artificialis in totum vel in partem mutatur, sic ut ad usum destinatum inservire non valeret. cap. Quod in duobus, de consecr. Eccles. & tradit Sylvester in verb. Benedictio. q. 6.

Vestimenta sacra non pos-

Infertur secundo ex prædictis, quòd vestimenta semel applicata & dicata ad cultum Dei, non possint in profanum usum inservire, nec iisdem Ecclesiasticos extra

tra Ecclesiam uti, ut per Ezech. cap. 44. *Cum egredientur exterius ad populum, exuent se vestimentis, quibus ministraverant; & reponent ea in Gazophylacio Sanctuarii, & vestient se vestimentis aliis.* Quod etiam præcipitur in Can. Vestimenta, de consecrat. dist. 1.

sunt inservire ad profanos usus.

Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque Divinus à Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur; nemo debet in aliis usibus illis frui, quàm Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis: nec ab aliis debent contingi aut ferri, quàm à sacratis hominibus: ne ultio, quæ Balthassar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes, cadat, & corruere eos faciat ad ima. Idem de Vasis decretum in Agathensi Concilio Can. 66. Ut etiam in Epist. Soteris Papæ ad Episcopos Italiæ sic habetur. *Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & Incensum circa Altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem.* Et infrà: *Quapropter hæc omnia resecare vobis funditus, quanto citius poteritis, censemus, &c.*

Quin etiam hujusmodi res sacras corruptas, & vetustate consumptas, etiamsi ad alium usum utiles sint, & pietatem etiam præseferre videantur, comburendas potius quam prophanandas: imò cineres earum etiam occultandos. Scribit Clemens I. Papa Epist. 2. ad Jacob. Fratrem Domini. *Altaris Palla, Cathedra, Palla, Candelabrum, Velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur. Cineres quoque eorum baptisterio inferantur, ubi nullus transitum habeat; aut in pariete aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.*

Præterea in lavandis & repurgandis sacris vestibus, eam cautionem adhiberi Veteres voluerunt, ne inde prophanatio aliqua sacrorum contingeret; ut in dict. Epist. 2. Clementis ad Jacobum. *Pallas & vela, quæ in sanctuarii sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris juxta sacrarium lavent, non ejicientes foras à sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne fortè pulvis Dominici Corporis malè decidat à syndone foris abluto; & erit hæc operanti peccatum. Idcirco intra sacrarium ministris præcipimus, hæc sancta cum diligentia custodire. Sanè pelvis nova comparetur, & præter hoc nihil aliud tangat, sed nec ipsa pelvis velis apponatur lavandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent, &c.* Item de eadem re Illerdense Concilium, ut refert Gratianus in cap. Omnis Presbyter, de consecrat. dist. 4. inquiens: *Similiter ad Corporale lavandum, & ad pallas Altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat, &c.*

De parva Tunica.

Hæc autem Ecclesiasticorum vestimenta particularia non solùm existunt in insignioribus Divini cultus functionibus, verùm in ordinariis & communioribus simplicium Clericorum; utpotè *Tunica parva* non ultra genua, Italicè *Cotta* nuncupata, inserviens administranti sacramenta quæcunque; Horas canonicas recitanti, &c. qua Tunica induitur etiam, qui ad primam tonsuram admittitur; ut dixit Deus 1. Reg. cap. 2. *Elegi eum portare Ephod coram me.* Construuntur hujusmodi parvæ tunicæ ex lino, vel simili materia, ut maculæ ipsarum lotione abstergi possint, & candor resplendeat; ut præcepit etiam Deus, Exodi cap. 28. *Filiis Aaron*

tunicas

tunicas lineas parabis in gloriam, & decorem. Et in Levitic. cap. 16. prohibetur Sacerdoti; *Ne ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, nisi hac fuerit tunica linea vestitus*; ut etiam legimus, puerum Samuelem Templo inservisse; 1. Reg cap. 2. *Samuel autem ministrabat Domino puer accinctus ephod lineo.*

Quamvis antiqua Lex Mosaica non obliget hodie in illis, quæ recipiunt ceremonias; nihilominus propter rationis congruentiam, satis conformis videtur talis usus Divino ministerio ad excitandam charitatem, justificandam fidem, & instruendum populum; ut inquit Alcuinus de divin. offic. cap 38. Et propterea S. August. quæst. veter. & nov. Testam. quæst. 46. inquit: *Sed hinc videtur sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat ephod: quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi.*

Quæ diximus de hujusmodi Tunicis parvis, idem fere intelligendum de aliis similibus Italicè *Roccheto* nuncupatis; nisi quòd priores latæ & amplæ, posteriores autem strictæ; & quare sic inter se differant? videndus Amalarius Fortunatus, de Eccles. Offic. lib. 1. cap. 18.

Dalmatica.

Dalmaticis induuntur Diaconi, & Subdiaconi; de quibus Alcuinus de Divin. Offic. c. 38. & Amalarius lib. 2. de Eccles. Offic. cap. 22. *Dalmatica* nominatur, eo quod Dalmaticorum esset indumentum. Et quamvis usus Dalmaticarum à B. Sylvestro Papa supponatur institutus; tamen antea Colobiis utebantur. *Colobium* verò erat vestis sine manicis, ut quisque Fidelium exercitatus esse deberet ad bona opera exercenda. Cum ergo nuditas brachiorum culparetur; à beato Sylvestro Dalmaticarum repertus est usus. Est autem vestimentum in modum Crucis, monens indutorem suum crucifixum esse debere mundo, juxta Apostolum; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Largitas brachiorum, largitatem & hilaritatem datoris significat. De hac eadem veste Damasc. in vita S. Sylvestri tom. 1. Concil. inquit: *Et hoc constituit, ut Diaconi Dalmaticis in Ecclesia uterentur; & Palla linostima læva eorum tegeretur.*

Quod Dalmaticam festis diebus induit Diaconus, non autem in diebus mœstitiæ Adventus, Quadragesimæ, aut similium: hoc significat, quod rationem sublimium sacramentorum non nisi postquam glorificatus est Dominus Jesus, & Spiritus sanctus advenit, Discipuli portare potuerunt: nam Tunica illa rationem sublimium significat. Rupert. Abb. de Divin. Offic. lib. 1. cap. 36.

Amictus.

Vestimenta autem communia, & propria omnibus Sacerdotibus Evangelicis, sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, & Casula. *Amictus* est igitur primum vestimentum, quo Collum undique cingimus; & ita per Amictum intelligitur custodia, & castigatio vocis, quæ è collo procedit: in Psalm. *Ut non delinquam in lingua mea, posuisti ori meo custodiam.* Amictu cooperitur caput instar galeæ, ut in ejusdem oratione. *Impone Domine capiti meo galeam salutis &c.* Voluit Durantes lib. 3. Rational. divin. offic. c. 2. quod Amictus indicet velum, quo Christi facies in ejus passione velata fuit; ut inquit S. Lucas: *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Opinati sunt Alcuinus, & Raban. Maurus, Amictum idem ferè fuisse, quod apud Hebræos

Hume-

Humerale; quamvis in materia & coloribus diversificarent. Rupertus Abb. de Divin. offic. lib. 1. cap. 19. voluit Amictum denotare, quod Christus divinitatem suam, quæ est caput, in nostra carne abscondit. Hoc ergo carnis latibulum prima vestis sacerdotis, id est Amictus significat.

Sequitur *Alba*, seu *Camisia* satis larga & longa, ex lino, seu simili materia; & hæc satis conformis sacerdotali Moysis vestimento, de quo in Exod. cap. 28. Et quamvis illa esset stricta, nostra vero Alba sit larga; hoc procedit, quia in veteri Testamento spiritu servitutis erant adstricti: Nos verò, quia Christus liberavit, liberi sumus; nec accepimus spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum; ac ideo sic illorum stricta, nostra larga propter libertatem; ut scribit Amalarius de Eccles. Offic. lib. 2. cap. 17. Albedo hujus vestis Christi Divinitatem denotat: S. Germanus in Theoric. reord. Eccles. *Etenim candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Alii voluere, ut indicet Christi resurrectionem, in qua Angeli induti vestibus albis apparuere: & nobis per Ecclesiastic. præcipitur cap. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Rupertus Abb. de divin. Offic. lib. 1. cap. 20. inquit, quod novam vitam ejus Sacerdotii designet vestis illa tota candida.

Alba.

Deinde sequitur *Zona* seu *Cingulum*, quo restringitur tunica talaris, ne laxè per pedes diffluant. Ex hoc designatur discretio omnium virtutum: virtutes enim sine discretione vitia sunt; Nam virtutes in quodam meditullio consistunt. Alcuinus de divin. Offic. cap. Quid significent vestimenta. Præterea lineas induunt Sacerdotes, ut castitatem habeant; accinguntur Zona, ne ipsa castitas sit remissa & negligens; ne crescente iniquitate refrigescere faciat charitatem ipsorum, ne præpedito virtutum cursu ipsa etiam terrestris concupiscentiæ sordibus polluta vilescat, & auctorem suum ad ruinam superbiendo impellat. Rabanus de institut. Cleric. lib. 1. cap. 17.

Cingulum

Dein Sacerdotes accingunt *Manipulum* Brachio sinistro: Et hoc, ut notat D. Thom. & Stephanus Durant. de Ritu Eccles. lib. 2. cap. 9. substituitur in locum cujusdam Mantilis, quod prisci fideles Sacerdotes dicto brachio apponebant ad abstergendas lacrymas ex oculis, sudorem è fronte, & humiditates ex ore & naribus; dum ipsi Missæ Sacrificium celebrabant. Ac ideo *Mantile*, seu *Sudarium* hoc loco significat studium mundandæ cogitationis, quo naturales & ingenitas nostras delectationes studemus tergere. Portatur in manu sinistra, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui humoris, hoc est carnalis delectationis. Præterea sudarium portatur, ut eo detergamus sudorem, qui fit ex labore proprii corporis: sudor enim est tædium nostro corpori. Et hinc est, ut quando nos tædio aliquo afficimur, ne majori tristitia absorbeamur, in consolationem nostri, quasi quoddam Sudarium, exempla sanctorum Patrum, ad corroborandam patientiam & detergendum tædium, sumamus; ut refert Amalarius de Eccles. Offic. lib. 2. cap. 24.

Manipul.

Stola quamvis apud Scriptores pro quolibet vestimenti genere accipiatur, sicuti Rex Pharao induit Josephum Genes. cap. 41. & 45. *Vestivitque illum stola byssina,* *ut præ-*

Stola.

ut præpositum esse scirent universæ Terræ Ægypti: Apud Catholicos tamen præcisè accipitur pro habitu Sacerdotali, qui collo Sacerdotis apponitur. *Stola* à sacris Canonibus sic appellata, sicuti etiam *Orarium* dicitur, ut in cap. Monacho, 27. quæst. 1. Can. Non oportet. Can. Ministrum, dist. 23. & notat Raban. Maurus, Instit. Cleric. cap 19. *Quintum quoque est, quod Orarium dicitur, licet hoc quidam Stolam vocent.* Dicitur Orarium à verbo *Oro*, inquit Beda collect. de septem ordin. Quoniam in omnibus publicis orationibus eo utuntur; Rabanus Maurus de Institut. Cleric. cap. 19. Alcuinus de divin. Offic. cap. 38. Quid significent vestimenta? ibi, *Orarium, id est, Stola dicitur, eo quod Oratoribus, id est, Prædicatoribus conceditur: & admonet eum, qui illo induitur, ut memor sit, sub jugo Christi, quod leve & suave est, esse se constitutum.*

Utebantur igitur Stola in Ecclesiis Sacerdotes & Diaconi, quamvis differenter: quoniam Diaconi in sinistro tantum humero eam ponebant, ut in Conc. Toletan. 4. cap. 39. *Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat: dexteram autem partem habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotis discurrat.* Sacerdotes autem deferunt stolam æqualiter super utrumque humerum, ex Conc. Bracharen. ut in Can. Ecclesiastica, dist. 23 *Ut omnis Sacerdos cum ordinatur, Oratio utroque humero ambiatur, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat Crucis.* Subdens idem Concilium in hoc rationem; *Ut qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & adversa virtutum, semper ornamento utroque circumseptus appareat humero.* Ac etiam refert idem Conc Bracharens. *Ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat & in oblatione; ut cum Sacerdos ad Missarum solennia accedit, &c.*

Utraque pars ejusdem Stolæ pendens, voluit Rabanus Maurus, quod denotet orationem vocalem & mentalem, quæ simul junctæ placent Deo; ex Apostolo: *Orabo in spiritu*, id est voce: *Orabo & mente*; *psallam spiritu, psallam & mente.* Stephanus Eduensis de sacr. Altaris cap. 10. inquit: *Stola circundata collo ad anteriora descendens significat obedientiam filii Dei, & jugum servitutis, quod pro salute hominum portavit: obedivit Patri usque ad mortem Crucis & subjecit se servituti*, quod etiam voluit Rupertus Abb. de divin. Offic. lib. 1. cap. 21. Denotat denique Stola immortalitatem & vitam gloriæ, ut in oratione Sacerdotis: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, &c.*

Casula Demum inter sacerdotalia indumenta ad celebrandum, *Casula* requiritur: sic dicta per diminutionem à casa, eo quod totum hominem tegat; quasi minor casa: & hinc Græci *Planetam* nominant, ut refert Stephanus Durant. lib. 1. de Rit. cap. 9. propter frequentes & varias ipsius mutationes (instar in cœlo Planetæ) ut vix præsens illius forma ab antiqua agnosci posset. Hæc cum cætera omnia indumenta interiùs per suum munimen regat & servet, potest charitatem denotare, quæ cunctis virtutibus supereminet: Alcuinus de divin. Offic. cap. quid significent vestimenta. Rabanus Maurus lib. 1. Instit. Cleric. cap. 21. cum cæteris. Sicut Apost. ad Coloss. 3. post alias virtu-

virtutes enuntiatas inquit; *Super omnia autem hac charitatem habentes, quæ est vinculum perfectionis.* Et idem Apost 2. Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: major autem horum est Charitas.* Et propterea novum Sacerdotem dum vestit Episcopus, inquit: *Recipe vestem Sacerdotalem, per quam Christus intelligitur.* Duæ partes ipsius Casulæ denotant duo præcepta ejusdem charitatis, utpotè amorem Dei & proximi. *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut te ipsum.* Ita Innocen. de mysterio Missæ lib. 2. cap. 42. Sicuti etiam ex dictis partibus anteriore, & posteriore ipsius Casulæ denotari Ecclesiam veteris Testamenti, ac etiam novam Evangelicam; notarunt Rupert. Abbas lib 1. de divin. Offic. cap. 22. Stephan. Eduen. de Sacram. Altaris cap. 10. Propterea ab Evangelistis Matthæo & Marco advertitur, quòd simili modo Christum venerabantur & adorabant in Hierosolymitano triumpho, & qui præibant, & qui sequebantur, clamantes, Osanna filio David; Nec in alio differebant in illa anterioritate & posterioritate: præterquam Mosayca variis figuris fuit adumbrata, 1. Corinth. 10. *Omnia in figuris contingebant illis*: Evangelica autem clara & aperta extabat apud Lucam cap. 8. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Demum ex oratione in impositione ipsius Casulæ, quam facit Sacerdos, denotatur per ipsam suavitatis jugi ipsius Christi.

Unde infertur, quod cum Apostolus 1. Corinth. 14. in fine dicat: *Omnia autem honestè & secundùm ordinem fiant:* Congruum est etiam, ut res sacræ differant à profanis, Ecclesiasticæ à secularibus; spirituales à temporalibus. Et sicuti videmus differre homines seculares secundum ordinum varietatem: Ita inter se differunt quoque habitu, & cæteris rebus; & propterea, multo magis incedens esset, quòd Ecclesiastici, maximè ministrantes augustissimum Sacramentum, induerentur sicuti seculares: & alia sacra profanis vestibus tractarentur, sicuti clamat Vates: *Procul, procul este profani &c.*

Addimus etiam prædictis, quòd sub vestibus Sacerdotalibus debeat Minister seu Sacerdos deferre habitus, ut in communi usu habent Ecclesiastici, juxta cujusque status conditionem, sive Clericus, sive Sacerdos, sive Episcopus, &c ut in Constitut. Pii V. 106. *Quo primum.* & Constitut. Clementis VIII. *Cum Sanctissimum.*

Caput apertum in celebratione Sacrificii.

Denique summus Pontifex Zacharias in Conc. Rom. prohibet Sacerdotibus capite cooperto celebrare; Sicut & Diaconis eo modo assistere sacrosanctæ Missæ Sacrificio; ut in Can. Nullus, de consecratione distinct. 1. his verbis: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solennia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere; quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia*: Subdens debitam pœnam, *Et qui temerè præsumserit, communione privetur.* Et si aliquo improviso accidenti, seu infirmitate, absque pileolo quis celebrare non posset; at etiam teneretur idem ad celebrandum; & interim si procuraret à summo Pontifice dispensationem, non incurreret pœnam, Sylvester in verbo, Missa 1. quæst. 2. Suarez in 3. part. disput. 83. sec. 3.

De Vestimentis Episcoporum.

Præter sacras Vestes, quibus in Sacrificio Missæ Sacerdotes utuntur: aliæ quoque sunt, Episcoporum propriæ, quæ ab aliis, utpotè Abbatibus, nisi ex privilegio sedis Apostolicæ adhiberi non possunt; quoniam habitus Ministrorum Ecclesiæ Symbolum sunt graduum, & actionum eorundem.

Sandalia Ex his autem secundum induendi ordinem, *Sandalia* primum tenent locum. Denotant autem hæc directionem, & stabilitatem in lege Dei; ut Psalm. 118. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum; & non dominetur mei omnis injustitia*: Seu onus Episcopis impositum sublevandi debiles; ut Job. cap. 4 *Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti*: Et proterea dum his induitur, Episcopus inquit; *Corrobora genua mea debilitatis, ut indefessus valeam per semitam mandatorum tuorum ad te pervenire.* Indicant etiam sandalia in pedibus Pontificis, Christi incarnationem novissimis temporibus: Ad Hebr. 1. *Novissime loquutus est nobis in filio*; ut explicat Stephan. Eduens. de Sacramento altaris cap. 10. *In sandaliis significatur, quia venit ad nos calceata divinitas, sicut scriptum est: In Idumæam extendam Calceamentum meum*: Ac etiam refert Rupert. Abb. de divin. Offic. lib. 1. cap. 24.

Priscis temporibus fuit varietas Sandaliariorum inter Episcopum, & Presbyterum: ea enim quæ erant Episcopi, habebant ligaturam; quæ vero Presbyterorum, non habebant, & quare? Vide Amalarium de Eccles. Offic lib. 1. cap 25. quæ varietas dein desuevit.

Crux Apponunt sibi ad Collum Episcopi parvam *Crucem*; ut etiam simplex Sacerdos stola utrumque humerum premens, signum crucis in suo pectore præferat; ut intelligat ex Apost. 1. Corinth. 2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*: Quoniam in sacrificio crucis oblatum fuit idem Corpus & Sanguis, ut in sacrificio Missæ; quamvis hoc sit incruentum. Etenim Christus, ut ex Epistola ad Hebr. cap. 7. *Hoc fecit semel se offerendo.* Innocent. lib 1. de Mysterio Missæ cap. 53. Crucem in pectore summi Pontificis potissimum respondere laminæ aureæ in fronte Aaron; ita ut in corde deferat Mysterium, quod Mosaycus sacerdos, licet sub figura, ferebat in fronte; ut ad Roman. cap. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Rupert. Abb. de divin. Offic. lib. 1. cap. 26.

Dalmaticæ. Induitur quoque Episcopus duabus *Dalmaticis*: & præter supra adducta: retinent hæ manicas latiores, quam dum his induuntur Diaconi: mysticè admonentes Prælatos, ex Innocent. de myster. Missæ lib. 1. cap. 56. quam debeant ipsi soliciti esse de Ecclesia sibi commissa; ut ipse Apost 2. Corinth. cap. 11. *Instantia mea, quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum*: Sicut etiam liberales, & non avari, ut instat Apost. cap. 20. *Beatius est magis dare, quàm accipere.*

Chirothecæ. Subsequuntur *Chirothecæ*, quæ sicut cooperiunt manus, ita eleemosynæ & alia bona opera Prælatorum non debent dirigi, ut solum extrinsecus appareant; ex In-

ex Innocentio citato cap. 57. & propterea Christus apud Matth. cap. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videant opera vestra; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Dummodo non obliget nos proximi exemplum. *Luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona.* Et in hoc intentio recta, ad Dei & animarum salutem respicienda. D. Greg. homil. 11. in Evang. *Compellor dicere, ut bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis; ne per hoc, quod à vobis recte geritur, favor aut gratia humana requiratur: & ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede evacuatur.*

Mitra utuntur Episcopi, quam præcepit etiam Deus Pontificibus veteris Testamenti, ut in Exod. cap. 29. loquens de Aaron; *Pones tiaram in capite ejus.* Et de aliis omnibus: *Pones eis Mitras*; quarum forma à nostris satis diversa: illæ siquidem instar pilei erant; quæ autem nostrorum Pontificum, in duas partes planas divisæ in acumen terminantur. Hæc autem divisio duo Testamenta indicat, D. Thom. in cap. 13. Apoc. ad eandem Catholicam fidem directa; & ambo divinitus revelata: disjuncta vero propter varietatem rituum & ceremoniarum: subdit Innocent. ut duæ fasciolæ ex mitra pendentes supra humeros indicent duos sensus; nempe literalem, & mysticum, quibus Scripturæ sacræ exponuntur. Voluit etiam Innocent. lib. 2. cap. 44. per mitram intelligi supremum honorem debitum Christo respectu unionis hypostaticæ, de qua in Psalm. 111. *Gloria & honore coronasti eum Domine.* Alii dicunt hanc esse symbolum spei tanquam galeam, 1. Thessal. cap. 6. *Induti galeam spem salutis* &c. Et tali mitræ ornamento pretioso, & maximi pretii in signum Sacerdotis usos Petrum, Jacobum, & alios Apostolos; dum sacra peragerent; ut etiam alios priscos Episcopos; refert latè Card. Baron. sub anno 34. ubi Spondanus n. 85. & seq.

Mitra

Usus mitræ permissus aliquando aliquibus Abbatibus; ut in Annalibus Ecclesiast. tom. 13. Auctore Raynaldo an. 1236. n. 56. & anno 1240. n. 24. Mitris etiam uti permissum Decano, Archidiaconis, Magistro Scholarum, atq; ærarii Præfecto Ecclesiæ Toletanæ, ut in dicto tom. 13 anno 1217. n. 84. Paulus Secundus ad Pontificatum assumptus, Cardinalibus, qui sacris induti vestibus à Prælatis inferiorum ordinum non noscebantur, usum mitræ sericeæ Damascini operis indulsit, quibus Romani Antistites antea soli utebantur: refert Card. Papiensis lib. 2. Commentariorum.

Summus Romanus Pontifex, præter mitram intextam ex auro, & margaritis, deferre solet etiam Coronam Imperialem, & hanc ductam triplici ordine *Regnum* nuncupatam, ut scribit Josephus 3. Antiq. cap. 8. fuisse etiam illam summi Sacerdotis Hebræorum, in qua erat insculptum nomen Dei ineffabile, ut in Exod. cap. 28. & 29. ibi *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere celatoris sanctum Domino, & erit super tiaram.* Hanc sicut in veteri Testamento summus Sacerdos duntaxat ferebat; ita in novo solus Romanus Pont. tanquam unicus Christi Vicarius in terris, in quo simul hæ duæ supremæ potestates conjunctæ sunt, Sacerdotalis & Regia; ut in proposito refert Epiphan. hæres. 29. & 78. figuratum fuisse in Melchisedeh, Rege simul & Sacerdote, ut in Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secun-*

ſecundum ordinem Melchiſedech: Quamvis ſpiritualis præcedat, & latius extendatur, quàm temporalis & Regia; ut exponit Innocentius III. in ſerm. in feſto S. Sylveſtri. *In ſignum Imperii Pontifex utitur Regno: in ſignum Pontificis utitur Mitra; ſed Mitra ſemper & ubique: Regno nec ubique, nec ſemper; quia Pontificalis auctoritas, & prior eſt, dignior, & diffuſior quam Imperialis: Sacerdotium enim Imperium praceſſit.* Quod etiam idem Pontifex refert in alio ſermone ſuæ conſecrationis, reddens cauſam, ob quam ſolus Rom. Pontifex defert Regnum: quod eſt, eſſe caput plenarium & abſolutum omnium fidelium: non autem alii Epiſcopi.

Unde autem proceſſerit uſus hujus Regni? Alii volunt, Clodovæo Francorum Regi ad Catholicam fidem à ſancto Remigio converſo, ab Anaſtaſio Imperatore coronam auream pretioſiſſimam fuiſſe transmiſſam; quam ipſe Hormiſdæ Romano Pontifici dono dedit in ſignum obſequii, quod ille Romanæ Apoſtolicæ Sedi profitebatur; & exinde Hormiſda cœpit illo uti, ut exhiberet quàm gratus ſibi eſſet affectus, & devotio Chriſtianiſſimi Principis: ita Anaſtaſius in Hormiſda. Surius 13. Januar. in vita S. Remigii, Sigibert. ſub anno 550. Quamvis Innocentius III. ſerm. 1. de S. Sylveſtro, & alii velint: Conſtantinum Imp. affectu pietatis erga ſanctum Sylveſtrum inductum, ei coronam Imperialem magni valoris dediſſe; ex qua dein Regnum compoſitum, quo ſummi Romani Pontifices ſucceſſores uſi fuere; ut etiam deducitur ex adductis per Card. Baronium ſub anno 34. ubi Spondan. num. 8c. & ſeq.

Lubet hic etiam referre, conſueviſſe ſummos Pontifices, dum ſolenniter cum Regno ſuper ſellam delati procedebant ad celebrandam Miſſam, ante ingreſſum Eccleſiæ in porticu ejusdem deponere Regnum; aſſumentes Mitram aurifriſiatam; ut etiam, completa Miſſa, in eodem loco depoſita Mitra recipiebant Regnum; ut ex Rituario Cencii Camerarii, & aliis antiquis ceremonialibus. Cujus rationem ſuppono: Quoniam Regnum eſt in ſignum Imperii temporalis; Mitra vero Regni ſpiritualis.

Nec prætereundum, quod refert Card. Papienſis lib. 2. Commentariorum. Ut Paulus II. Rom Pont. conquiſitis undique gemmis, lapillisque pretioſiſſimis; Mitram, quæ tribus educta Coronis *Regnum* appellatur, atque à Pontificibus multis ante ſæculis deſitam geſtari: novam confecerit, atque adhibuerit; cujus licitantium opinionibus, amplius centum & viginti millium erat æſtimatio.

Annulus. *Annulus* ponitur Epiſcopo, tanquam ſymbolum nobilitatis ipſius; ſicuti etiam Pharao Rex Ægypti dedit Joſepho, Gen. 41. *Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus*: ut etiam S. Jacobus in ſua epiſt. cap. 2. Hinc olim Cives Romani omnes ferebant annulos aureos: & legimus apud Livium, poſt prælium Cannis Annibalem effundi feciſſe in veſtibulo curiæ Carthaginis tria modia annulorum, ut oſtenderet ex numero illorum, quot millia Romanorum Civium obiiſſent illa die: & non ambigendum, Epiſcopos in magnam nobilitatem adſcriptos, de quibus inquit S. Petrus epiſt. 1. cap. 2. *Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis.* Propterea decrevit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. quod

quod Ecclesiastici non deferant annulos, nisi quibus competit ex officio, seu dignitate; ut in cap. Clerici 2. de Vita & Honest. Cleric. ibi: *Clerici non ferant annulos, nisi quibus competit ex officio*: Nempè Episcopis & similibus: Permissus tamen usus Annuli aliquibus Abbatibus; ut in Annal. Eccl. tom. 13. Raynaldo auctore anno 1199. num. 72.

Annulus est quoque Symbolum non solum charitatis & amoris; verùm fidelitatis, & servandæ promissionis. S. Isidorus de divin. Offic. Rupertus Abb. de divin. Offic. lib. 1. cap. 25. Quin imo inter Romanos antiquitus, & inter fideles dabantur annuli in signum arrhæ & inviolabilis Matrimonii; ut in Can. Nostrates, & Can. fœminæ 30. quæst. 5. & in cap. Illud quoque, de præsumpt. Ac etiam Christianos & Hebræos ad fidem matrimonii tradidisse annulos scalptos conjunctæ simul dexteræ, tradit post alios Baron. in ann. 57. ubi Spond. num. 17. Et ex his Pontificalis annulus admonet Episcopos de servanda & promovenda Catholica fide, non autem de propriis bonis augendis; ex Ezechiele cap. 34. *Væ Pastoribus, qui pascebant semetipsos.*

Denotat etiam Annulus discretionem & prudentiam, qua debet Episcopus uti, ut in oratione, dum traditur Episcopo idem Annulus: *Accipe Annulum discretionis & honoris, fidei signum; ut quæ signanda sunt, signes; & quæ aperienda sunt, prodas, & quæ liganda, liges, & quæ solvenda sunt, solvas.*

Baculus.

Baculo etiam Pastorali utuntur Episcopi ad similitudinem Pastorum in dirigendo Grege, quo etiam baculo puer David Goliam invasit: & traditur sanctum Martialem, qui primus in Galliam ad prædicandum Evangelium profectus est, mortuum suscitasse, admoto ei baculo sancti Petri, quem ab eo sibi datum Romæ acceperat; ac etiam in præsens servatur Burdegalæ dictus baculus. Cujus historiæ meminit Innocentius III. de mysterio Missæ lib. 1. cap. 62. & Cardin. Baron. sub ann. 74. ubi Spondan. num. 7. Et sicuti D. Petrus tradidit proprium baculum D. Martiali, ita Romanus Pontifex illo non utitur, sed aliis Episcopis tradit, cum ipse solus tanquam Christi Vicarius præemineat, & superintendat toti fidelium Gregi, ubique terrarum existat, & ab iisdem fidelibus idem tanquam supremus agnoscatur. Est igitur iste baculus symbolum Auctoritatis spiritualis, sed in Episcopis limitatæ, ut notat Stephanus Durantes, nempe in dirigendo, corrigendo, & puniendo, ut ex Innocent. d. cap. 62. Et S. Antoninus part. 3. tit. 20. cap. 2. §. 19. Ex forma dicti Baculi pastoralis in calce acuti, in medio recti, in summitate curvi, sic inquit, *Ideo acutus in fine, rectus in medio, retortus in summo: quia Pontifex debet per eum pungere pigros, regere debiles & colligere vagos*; Sed hæc omnia cum lenitate, ut voluit Greg. Magnus. *Sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens*: Et hæc omnia in salutem & consolationem animarum, ut in Proverb. c. 23. & Psalm. 21. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*: Et propterea habetur oratio, dum traditur baculus Episcopo. *Accipe baculum Pastoralis Officii, ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus Auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.*

Præter

Præter habitus præfatos omnibus Epiſcopis communes: *Pallium* quoque remanet Patriarcharum & Archiepiſcoporum proprium: cum ſit plenitudinis Pontificalis inſigne, ut in cap. Antiqua, de Privileg. & docet Alcuinus, de divinis officiis cap. quid ſignificent veſtimenta & Raban. Inſtitut. Cleric. cap. 23. Card. Baron. ſub anno 336. ubi Spondan. num. 17. Quamvis aliquando ſimplici Epiſcopo ex privilegio concedatur à Pontifice Romano, ut Gregorius II. epiſt. 2. Bonifacio conceſſit. Et non niſi à Romanis Pontificibus Pallium Archiepiſcopis fuiſſe ſolitum impartiri, & nunquam ab Imperatoribus, tradit Baron. ad annum 432. ubi Spondan. num. 10.

Pallium eſt inſtar faſciæ ex alba agnorum lana. Ita Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 36. plurimis crucis ſignis purpureo colore deſuper contextis: & antequam tradatur, ponitur per noctem ſuper Altare Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ, ut in antiquo Romano Ceremoniali, & ex pluribus epiſtolis ſancti Gregorii Magni, & habetur in cap. ſignificaſti, de elect.

Referam hic in propoſito quod habetur in antiquo m. ſ. tempore Eugenii Papæ III. cui Titulus: Vaticanæ Baſilicæ Deſcriptio, auctore Romano, ejusdem Baſilicæ Canonico: & ibi cap. 3. *Quod in B. Petri Baſilica tantum vigilantur Pallia, quæ Dominus Papa mittit Archiepiſcopis.* Hæc inter alia verba habentur: Acceptis de Altari faculis, & cereis ad legendas lectiones & orationes Vigiliarum, nec non incenſo: Circa ſero conveniunt Canonici ad Altare S. Leonis Papæ: & Presbyter hebdomadarius accipit ipſos pannos complicatos, & involutos in ſyndone, præcedentibus tam Manſionariis cum incenſo & faculis accenſis, quam Canonicis: intrat ad corpus B. Petri, & ponit eos ſupra Altare, & faculæ ante Altare ponuntur. Tunc Chorus, cujus eſt cantus, incipit Antiphonam; *Si diligis me Simon Petre &c.* cum ſuis Pſalmis verſic. *Tu es paſtor ovium.* Tres lectiones leguntur in libro Stationali: *Petrus & Joannes aſcendebant in templum*: & cantatis duobus reſponſoriis, quæ volvuntur de ſancto Petro, deinde ſequitur: *Te decet laus*: & Oratio: *Deus, qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus &c.* ſic reportantur, ſicut allata fuerunt: ſi altero die cantatur Miſſa ſuper majori Altare, ponantur ibi: & poſt completam Miſſam tollantur. Sin autem, reddantur Miſſo Domini Papæ. Et dantur Canonicis, quoties has Vigilias celebrant, tres ſolidi provinienſes pro claretto: faculæ vero Camerario Canonicorum remanent. Sic vidi tempore Domini Cæleſtini III. Papæ fieri: ſic ſcio factum per ſocios & Dominos meos tempore Domini Clementis Papæ III. &c. & hæc habentut in dicto m. ſ.

In traditione verò Pallii pronunciantur hæc verba per ſummum Rom. Pontificem. *Ad honorem Dei, & ſanctæ Mariæ Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque commiſſæ tibi Eccleſiæ: tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri ſumptum, plenitudinem ſcilicet Pontificialis officii: ut utaris intra Eccleſiam certis diebus, qui nominantur in privilegiis ab Apoſtolica ſede conceſſis, & in eo poteſtatem habeas conſecrandi Epiſcopos, & celebrandi Concilia; ut ex dicto Ceremoniali.*

Uſus hujus Pallii eſt à primordiis Eccleſiæ: ſiquidem Rupertus Abb. de divin. Offic.

Offic. lib. 1. cap. 27. refert Treveris servari pallium sancti Materni, quem Petrus Apostolus Episcopum ordinavit: Anastasius Bibliothecarius refert fuisse concessum à sancto Marco Rom. Pontifice sub Constantino Imperatore, Episcopo Ostiensi, ut etiam Baron. sub anno 336. ubi Spondan. num. 17. Et nota quod quando Apostoli, seu successores eorundem mittebant Prædicatores per Provincias, iis Archiepiscopi nominabantur; & illa missio largitio pallii erat, quod à collo dependens humilitatem Domini significat, dicentis Joan. 28. *Misit me Pater, & ego mitto vos.* Rupert. Abb. de divin. Offic. lib. 1. cap. 27. ut etiam qui ad particulares civitates destinabantur, Episcopi dicebantur.

His tantum personis, quibus est traditum Pallium, competit ejusdem usus, nec permissum est alteri, etiam successori, illud accommodare, cap. ad hæc, de auctorit. & usu Pallii: sed cum illo sunt sepeliendi, qui illud receperunt; volunt Canonistæ in cap. ad hæc, & cap. gratum, de postulat. Prælat. Solum in Missis Pontificalibus, non autem in Processionibus extra Ecclesiam, nisi in solennioribus ex privilegio. D. Greg. regist. epist. 51. lib. 4. epist 76. lib. 7. Nec extra jurisdictionem utitur Pallio Archiepiscopus, nisi ex privilegio speciali, seu de licentia illius, cui competit jurisdictio cap. cum super, & cap. ex tuarum, de auctor. & usu Pallii.

Alcuinus de divin. Offic. cap. Quid significent vestimenta? inquit; *Pallium Archiepiscoporum super omnia indumenta est, ut lamina in fronte Pontificis; sicuti est discretio inter Archiepiscopum, & in ejus Suffraganeos.* Ac etiam significat Torquem, quem solebant legitimè, certantes accipere. Amalarius vult etiam indicare excellentiam omnium virtutum, & maxime pastoralem vigilantiam, quæ in Archiepiscopis clarescere debent, ut in Proverb. cap. 1. *Audi disciplinam Patris, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo,* & de hoc D. Greg. lib. 7. regist. epist. 112. can. rationis ordo dist. 100.

Signaculum Crucis purpureo colore in Pallio expressum sensit Rabanus Maurus de Instit. Cleric. lib. 1. cap. 23. Quod indutus Pontifex à tergo & pectore Crucem habeat, suaque mente piè & dignè de passione Redemptoris cogitet; ac populo, pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suæ signaculum demonstret; ut cum Apostolo possit dicere: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri JESV CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Demum Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 136. ad Hermin. quem refert Baronius ad ann. 336. ubi Spondan num. 17. in fine, inquit, Pallium ex lana, non ex lino contextum esse, & Pontificum humeris imponi solitum; quoniam ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designet, Episcopum enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungi, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendere, se boni ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Faldistorium. Functionibus episcopalibus inservit etiam *Faldistorium*, nempè sedes portatilis & amovibilis; dum suam auctoritatem & ordinem exercent; symbolum est dominii

& dignitatis, ex S. Epiphan. contra hæreses. Rupertus Abbas in cap. 12. Apoc. Hinc S. Petrus epist. 1. inquit, *Regale Sacerdotium*; promissum David sub figura filii Salomonis, ut in Ps. 88. *Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam.*

Denotat quoque Sedes obsequium debitum à subditis erga Prælatos: hinc Job cap. 39. *In platea parabant cathedram mihi.* & in Ecclesiast. cap. 7. *Noli quærere Cathedram honoris*: & propterea, nisi dignos ad hujusmodi gradus esse promovendos, psalm. 106. *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudent eum.* Indicant præterea Sedes auctoritatem judicandi, Matth. cap. 14. *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Et idem Salvator noster indicans supremam suam potestatem in extremo judicio ex Matth. cap. 25. *Sedebit super sedem majestatis suæ.* Nec minus absque mysterio est, quòd hæc Episcoporum sedes non habeat ab ullo latere fulcimentum aliquod; cùm inde inferatur, totalem dependentiam ecclesiasticæ jurisdictionis non ab humana auctoritate, sed solum à Christi divina; cui absolutum universi Imperium collatum fuit, ex Matth. 26. *Data est mihi potestas in cœlo, & in terra*: quam postea Petro, & successoribus omnibus communicavit, ut his verbis; *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis &c.* Quamvis Episcopis limitatè in propria tantum Diœcesi, ut in cap. præcipimus 16. quæst. 1. & cap. licet quæst. 3. Ulterius Cathedra indicat doctrinam sacram, & legis divinæ cognitionem, ut voluit Divus Greg. epist. 24. lib. 1. & Rupertus Abbas in cap. 8. Joan. Et propterea dixit Christus in cap. 23. apud Matth. *Super Cathedram Moysis sedebunt Scribæ & Pharsæi, quæcunque dixerint vobis, servate & facite.* Cujus desiderio æstuans David in Psalm. inquit: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

Flabella

Addimus etiam inter Episcoporum supellectilia etiam *Flabella*, quibus modo inter Latinos solum Romanus Pontifex utitur, quæ adhibebant priscis temporibus omnes Episcopi, & Græci potissimum, ut in Missa S. Basilii scribunt sanctus Germanus in Theoria, Genebrard. tom. 6. Bibliæ SS. Patrum & S. Clemens Constit. Apost. lib. 8. cap. 18. vult ea instituta fuisse à S. Jacobo Apost. his verbis; *Duo Diaconi ex utraque parte Altaris teneant flabella ex tenuissimis membranis, aut ex pennis Pavonis, aut ex linteo; ut parva animalia volantia abigant, ne in calicem incidant.* D. Hieron. epist. 7. ad Marcellum vult illa Continentiam indicare ibi. *Quod offertis muscaria parvis animalibus eventilandis; elegans significatio est, debere luxuriam cito restringere.* S. Idelbertus Episcopus Cœnomanensis; vult ut per ea expellantur è corde celebrantis omnes cogitationes vanæ his verbis. *Dum flabello descendentes super sacrificia muscas abegeris, à sacrificantis mente supervenientium incursus tentationum Catholicæ fidei ventilabro exturbare oportebit. Mille sunt occursantium panthasmata cogitationum, mille Diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animarum*, & infra. *Talium portenta muscarum Patriarcha Abraham propulsanda præsignavit, cum à Sacrificiis aves abegit incursantes.* Demum, quo ad ea flabella, quæ realem Christi præsentiam cooperiunt in sacrificio sub speciebus panis & vini: vult S. Germanus, ea esse symbola alarum Cherubim, quibus cooperiebant faci-

faciem, & pedes majestatis Dei apud Isaiam c. 6. *Seraphim stabant: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.*

Non absonum etiam loqui de indumento, quo utuntur Episcopi, ac etiam Canonici in Choro, processionibus, & aliis functionibus, quod Itali nominant *Cappa*, colore violaceo ut plurimum, & pelle alba; quæ eminentem Sacerdotis dignitatem denotat, ut advertit Rupertus Abbas in cap. 1. Apoc. ubi Christus tanquam Sacerdos simili veste Joanni apparuit. Prolixitas ejus vestis denotat permanentem Sacerdotis auctoritatem in Ecclesia militante usque ad finem mundi; ut in Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Defertur hæc vestis Episcoporum cincta & implicata circa brachium, ad indicandum quod jurisdictio Ecclesiastica non propaletur nisi in necessitatibus ad Dei honorem, & animarum salutem: Siquidem in scripturis sacris pro Brachio auctoritas Sacerdotalis intelligitur, ut apud Malach. cap. 2. *Ecce ego projiciam à vobis brachium.* Et Heli Sacerdoti dixit Deus 1. Reg. cap. 2. *Præcidam brachium tuum*; & advertit Origen. Hom. 3. in Levit.

De Cappa

Pelles in dicta Cappa circa collum & pectus Episcopi indicant Sacerdotibus quamvis supremis, etiam se peccatores esse, & peccatis subditos; ut advertit D. August. contra Mendac. cap. 10. quoniam ex pellibus peccata denotantur, quibus Jacob collum & manus cooperuit, quando simulavit se esse Esau fratrem suum primogenitum. Indicant & pelles Episcopo, se mortalem esse, ut voluit Origen. siquidem in Genes. cap. 3. Primi parentes post peccatum à Deo hujusmodi pellibus mortuorum animalium induti, ut memores mortis essent; ut inquit Apost. ad Hebr. cap. 7. *Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere:* Et ex his vana Prælatorum existimatio deprimitur.

Alter habitus, quo Sacerdotes & Episcopi potissimum in publicis Ecclesiæ functionibus utuntur, quod simile videtur habitui Pontificio legis Mosaicæ, nempè Superhumerali Aaronis, quod præceptorum observantiam denotat: unde D. Hieron. ad Fabiolam. *Ante Superhumerale, post Rationale: prius facimus, postea docemus:* Similis est etiam Rationali. Unde Origen. monens Pontifices de præcepto prædicandi verbum Dei, inquit. *Imposuit super eum Rationale, quia non sufficit Pontificem habere scientiam, scire omnem rationem, nisi possit populo manifestare quod novit, & respondere poscenti se de fide, & veritate.* Assimilatur etiam vesti hyacinthinæ, quæ denotat Episcopo excellentiam doctrinæ cum exercitio virtutum; hinc Hieron. ad Fabiolam inquit: *In tunica hyacinthina tanta debet esse Pontificis scientia, ut quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit: nec sine tintinnabulis, coloribus diversis, gemmis, floribus virtutum; nec in Ecclesiam ingredietur, nec Pontifex est.*

Pluviale.

Ejus nominis *Pluvialis* Etymologia ex Arnob. in Psal 146. & Ambros. serm 38. videtur indicare, quod sicut pluviæ denotant passiones, & dolores Christi, ac etiam Ecclesiæ persecutiones, quibus completis, canit Ecclesia in cap. 2. Cant. *Jam hyems transiit, imber abiit & recessit,* &c. Sic quoque Pluviale instar Grabati significat sufferentiam pluviarum & tempestatum, ac etiam tentationibus resistit, ex Apost. 2. Cor. 6

In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, &c.

CAP. XXXVI.

De Aqua benedicta, ac etiam de Pane benedicto.

Religiosum hunc Ritum aquæ benedictæ manifestavit Deus in Exod. cap. 30. his verbis; *Lavabunt Aaron & filii ejus manus suas & pedes, quando ingressuri sunt Tabernaculum testamenti, & quando accessuri sunt ad altare.* Legimus præterea in Numer. cap. 19. vers. 9. ritum, quem Deus tradidit Moysi, ut aqua ad purificationem inserviret, & quamvis substantia illius mysterii principaliter referatur ad sanguinem Agni immaculati, & ad effectus Passionis ejusdem: respiciebant etiam ritus & ceremoniæ prædictæ purificationis aquam benedictam, quæ locum illius habet, ut videtur indicare Apostolus ibi: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & sanguis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi?* Etenim sicut populus ille prior legalibus institutis deserviens sanguine lustrabatur, ut in libro Exod. cap. 12. & 14. Ita novus Christianorum populus Baptismi sacramento renatus, dignè aqua benedicta aspergitur; ut sicut sanguis Agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ita Mysterium Aquæ corpora & loca muniat renatorum. Ita Walfridus de reb. Eccles. cap. 29.

De Aqua benedictione.

Cujus elementi benedictionem S. Basilius retulit tacitæ cuidam traditioni, ut in libr. de Spiritu sancto cap. 27. ibi: *Consecramus aquam Baptismatis, & Oleum unctionis, ex quibus scriptis? nonne à tacita secretaque traditione?* & S. Clemens constit. Apost. lib. 7. cap. 43. refert formam illius benedictionis his verbis. *Ipsum igitur nunc quoque invocet Sacerdos à Baptismo, & dicat: Descende de cœlo, & sanctifica hanc aquam, da ei gratiam, & virtutem; ut qui baptizatur secundum mandatum Christi tui, cum eo crucifigatur, &c.* Quàm aquam deinde Alexander I. Rom. Pont. solenniter præcepit benedici; ut in epist. ad omnes orthodoxos, & refert Gratianus de consecrat. distinct. 3. can. Aquam, his verbis; *Aquam conspersam sale benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur: quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis Vitulæ spersus sanguine populum sanctificabat atque mundabat; multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat &c.* Quem ritum etiam inquit Concilium Moguntinum cap. 39. *Veterem morem in Ecclesia sequimur, dum Sal, Aquam, & cæteras quasdam res in usum fidelium præparamus: quem morem præcipimus observari.* Et quod omnes Parochiani Missarum solennia tenerentur singulis diebus Dominicis hanc aquam benedicere, Burcard. lib. 2. cap. 12. refert Canonem Concilii Nanettensis his verbis: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur.* Quod etiam innuit antiquum Sacerdotale Romanum p. c. cap. 2. ut etiam explicat Micrologus de Eccles. observat. cap. 46.

Sal additur Aquæ, quòd à Gentilibus etiam servatum in eorum superstitiosis ritibus, ex Cicer. de Divinat. Plin. lib 12. cap. 18. Ovid. Metamorph. lib. 9. Virg. Eclog. 8. quod clarius præcepit Deus in lege Moysis Levitic. cap. 2. *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies: in omni oblatione tua offeres Sal.* Et in Numer. cap. 18. *Pactum salis est sempiternum.* Et propterea Apostoli & prædicatores Evangelici denotantur per sal: ut eorum doctrina Præserventur homines ab Idololatria, & à tenebris ignorantiæ divinarum rerum: & hinc Christus Dominus inquit; *Vos estis sal terræ.* Denotat etiam gratiam Spiritus sancti apud Marc. cap. 9. *Habetis in vobis sal*: & ad Coloss. cap. 4. *Sermo vester sale sit conditus.*

Hæc igitur aqua sale mista benedicitur orationibus præscriptis per sacros Ritus: quæ benedictio uti forma confert sanctitatem, efficaciam, & divinam virtutem materiæ prædictæ, ut docet Ambros. de his qui initiantur cap. 31. *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est, cum vero fuerit salutaris Crucis Mysterio consecrata; tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris poculi temperatur. Sicuti ergo in illum fontem Mara Moyses misit lignum: ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ Crucis misit, & aqua fit dulcis per gratiam.* & D. August. in lib. Homiliar. 50. homil. 27. inquit: *Qui Baptismus, id est salutis aqua, non est salutis, nisi nomine Christi consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit; Cruce ipsius aqua signatur.* Etenim hæc benedictio, sicuti & omnes aliæ, Crucis signo & rationibus præcisis formantur, ut in Epist. 1. ad Timoth. cap. 4. *Omnis creatura sanctificatur per Verbum Dei.* Quamvis Ecclesia sancta non intendat tam arctè in prolatione dictorum verborum astringere, ut sanctificationem impediat D. August lib. 6. de Baptismo contra Donatist. c. 25. ibi; *Si non sanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effudit; multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam &c. Multorum enim preces emendantur quotidie, si doctioribus fuerint recitatæ.* Sic etiam docet D. Thom. in 3. p. quæst. 78. ad 2. & 5. Alensis & alii.

Priscis temporibus hæc aquæ benedictio ab Episcopis, & in eorundem absentia à Sacerdotibus fieri solebat; dein per Alexandrum Papam & Concilium Nanettense omnibus Sacerdotibus permissa hæc benedictio; excepta tamen aqua Baptismali, ac illa, quæ in consecrandis, & reconciliandis Ecclesiis est solita; quæ benedicuntur habitibus, & ceremoniis Pontificalibus, ut in cap. aqua, de consecrat. Eccles. & ibi notatur per Canonistas.

Minister

Usus hujus aquæ benedictæ est circa ferè alias omnes benedictiones, & maximè in his directis ad divinum cultum, utpotè Vestibus, Corporalibus, Candelis, Ramis Olivarum, ut etiam benedicuntur Domus, Armenta, Pascua, Cibaria, & similia; & propterea in privatis domibus ad omne beneplacitum servatur. Ut decrevit Concilium Nanettense his verbis; *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat, & atrium ejusdem Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret; & qui voluerit in vasculis suis, accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones,*

De usu aquæ benedictæ.

& agros & vineas super pecora quoque, atq; super pabula eorum, nec non super cibos, & potum suum aspergat. In quorum usibus consuevere etiam prisci fideles uti aqua baptismali, ante tamen quàm sacrum Chrisma infunderetur, ut in can. in sabbato, de consecrat. dist. 4. & legitur in Capitularibus Caroli Magni, Ludovici, & Lotharii Imp. lib. 6. cap. 77. ibi. *In sabato sancto Paschæ, vel Pentecostes, si quis velit aquam consecratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante Chrismatis infusionem accipiat.*

Qua ratione usu venit, ut aqua sanctificata in ipso ingressu Ecclesiarum ad levium sordium expiationem è fidelibus sit exposita, sicuti etiam in privatis domibus ponebatur, ut refert Card. Baron. ad ann. 57. ubi Spond. n. 33. & idem Baron. an. 132. ubi Spondan. n. 2. Quod etiam fit manifestum, quoniam in Templo Hierosolymitano etiam ad emundationem positum fuit labrum æneum, quo Sacerdotes manus, pedesque ante ingressum lavarent. Ita etiam præ Ecclesiarum foribus construi solitos fontes aquæ communis ad purificationem, & ad manus, ac facies quorumcunque abluendas, sordesque corporis abstergendas: quoniam naturalis quidam instinctus docet, non nisi puros ad Deum homines accedere debere: & inde evenit, quod non solum Christiani & Judæi, sed & ipsi quoque Gentiles ante adorationem se aqua mundarent, ut refert Gyraldus de Diis gentium Syntagm. 17. Cælius Rodigin. lib. 2. lect. Antiq. cap. 1. ex Baron. & Spond. supra citatis. Et hoc indicabat Lex illa 12. Tabul. *Ad divos caste adeunto.* Hinc Tullius 1. de legibus. *Aspersione aquæ corpoream labem tolli, castimoniamque præstari.* Et de hoc Gentilium ritu refert Ovid. lib. 9. Metamorph. Alcmæonem se aqua purgasse. Item Virgil. 6. Æneid.

Usus apud Ethnicos.

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis Olivæ.

Hanc eandem aquæ lotionem maximè apud Turcas consuetam antè execrandas eorum preces pseudo-Prophetæ Maometho.

Quid denotet hæc aspersio?

Ex hac Aquæ lotione seu aspersione indicatur fideli Christi servo, qualis debeat esse cor ejus in conspectu Domini, ut per Isaiam cap. 1. *Lava à malitia cor meum.* Quod sacramento pœnitentiæ, vel saltem contritione offensarum peragitur; & talis est hyssopus amara herba, qua David orat se purgari in ps. 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* De quo maximè Sacerdotes, & ministri Ecclesiæ admonentur per Isaiam cap. 52. vers. 12. *Mundamini qui fertis vasa Domini:* Et in eorundem persona Apost. 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omnibus inquinamentis nostris.* Et quod aqua Baptismi per virtutem sanguinis Christi mundaverit nos Deus, ut per Ezechielem: *Lavi aqua, & mundavi.* Et hoc idem refert Ivo Carnotensis de rebus Eccles. serm. de Benedictione. Et in V. Testam. sicuti nisi lotus Templum quis ingrediebatur, Exod. 30. sic nos ne illota mente in Ecclesiam introeamus: & si sordida mens aut conscientia fuerit, valde timeamus.

Effectus

Inter effectus hujus sancti Instituti, Primus est, ut anima mundetur à maculis venialium peccatorum, ut declarat Alexander Pont. in can. aquam, de consecr. distinct. 3. ubi Canonistæ. Et quamvis multi velint hoc contingere ex opere operantis; est quoq; satis probata opinio, id fieri ex opere operato, & relatis per Gregor. de Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 4. Secun-

Secundo inservit ad effugandos Dæmones, & incantationes, ut in dicto cap. aquam, de consecr. distinct. 3. Epiphan. Hæres. 30. Theodoret. hist. Eccles. l. 5. c. 21. ibi. *Quare confecta Dæmon aquæ aspersa vim non ferens penitus aufugit.* Et Greg. Magnus scribit Augustino in Anglia Episcopo lib. 9. Regist. cap 27. *Ne fana idolorum destruantur, sed aqua benedicta aspergantur.* & Cyprian. Arelatens. in vita Cæsarei cap. 19. ibi: *Orat igitur sanctum Cæsareum, ut suis precibus eas mali Dæmonis injurias à se avertat. Venit ad ejus domum vir beatus, eamque sanctificaturus, benedicta aqua conspergitur; moxque adeo omnis illa vexatio profligata est, ut deinceps nil hujusmodi acciderit.*

Inservit etiam aqua benedicta corporis sanitati, & ad alia similia incidentia, ut de tali effectu exoratur Deus in illius benedictione à sacris Ritibus instituta; quod plurimis miraculis confirmatur, & D. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 10. refert de quodam Gotho, qui aqua sancta aspersus à B. Fortunato, statim ab incurabili, & gravi infirmitate sanatus, & S. Bernard. in vita S. Malachiæ testatur fœminam ab illo hac benedicta aqua sanatam ex ulcere in mammilla: ac etiam ab eodem alteram fœminam morti proximam difficultatem pariendi, statim eadem aqua partum edidisse. D. S. Brigida, ut in ejus vita lib. 4. cap. 4. eodem medicamine pluribus leprosis, & paralyticis sanitatem reddidisse: Ac etiam refert Card. Baron. in anno 944. ubi Spondan. n. 5. de igneis globis in Germania per aerem volitantibus, qui crucibus appositis cum benedictione & aqua benedicta repellebantur: & apud Japones, & in aliis Regnis Indorum, etiam hodiernis temporibus utuntur fideles hac eadem aqua ad omnes infirmitates, & maximè pro antidoto contra venena.

Ex prædictis asseramus, quod aqua uti elementum non purget animas nostras à sordibus; immo in sanguine Christi (in quo est nostra salus) easdem emundari hac benedicta aqua, de qua etiam loquebatur Christus ad Samaritanam, sicuti nec etiam Diabolus reformidat elementum uti tale, sed benedictionem & preces Ecclesiæ, quas recipit Deus, dum illi supplicatur, ut deleat peccatum, & liberet à malis, quia illa benedicta aqua irrigantur: unde Tertullian. lib. de Baptism. cap. 4. inquit. *Supervenit enim Spiritus sanctus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Inde etiam observandum, hanc aquam benedictam non esse sacramentum, sed quid sacramentale contra Dæmones, & peccata venialia; ex D. Thom. ad 4. sentent. dist. 12. & 3. p. quæst. 65. art. 1. ad 6. & quæst. 71. art. 2. ad 3. & quæst. 87. art. 3. & plenè Turrecremata de aqua benedicta cap. 5. 6. & 7.

De Pane benedicto.

Quod vero ad Panem benedictum attinet, quem Græci appellant Eulogia, & de quo nos diximus supra cap. 21. de Communione per Eulogias: fuit talis usus satis frequens apud priscos fideles; Præbebatur enim ille Catechumenis, qui non participabant de Eucharistica mensa: Postea etiam Baptizatis conferebatur, qui ad communionem Dominicam non essent dispositi; cum hoc esset symbolum fraternæ charitatis. Propterea Ecclesia unicum solum panem facere solebat, ut denotaret unicum corpus mysticum à Christo unico capite dependens, ut ad communionem spiritualem

invi-

invitarentur: & ad Sacramentalem disponerentur, ut diserte exprimitur à D. Augustino lib. 2. de peccatorum merit. & remiss. ubi docet quod benedictus panis quamvis non sit corpus Christi, sanctus est tamen, sanctior quam cibi, quibus alimur; & sacramentale sanctificatum per verbum Dei, ut inquit Apostolus 1. Timoth. cap. 4. ibi; *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Ad quæ verba etiam refertur sanctificatio olei, & consecratio Chrismatis, ut refert S. Cyrillus Hierosolym. Catechesf. 33. Hierarchicæ instructionis: & de quibus nos infra. Et de prædicto pane benedicto præter cæteros latè refert Durant. de Ritibus Eccles. lib. 2. cap. 58. per totum.

CAP. XXXVII.

De Benedictione, & usu Olei sanctissimi Chrismatis.

Sacerdotes & reges uncti in lege scripta.

QUamvis antiqui, & recentiores Hæretici abhorreant ab usu hujus sanctæ unctionis: hic tamen Ritus primo desumptus à pristina unctione, qua ungi in Sacerdotium & regnum Prisci solebant: unde ex Dei præcepto ad Moysen Exod. cap. 30. *Aaron, & filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi: filiis quoque Israel dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras: caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compositionem ejus non facies aliud, quia sanctificatum est.*

Oleum, quo ungebantur Reges per Prophetas, ut Regni gubernacula tenerent, non erat sanctum; & tamen legitur 1. Reg. cap. 10. *Tulit enim Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus* [nempe Saulis] *& deosculatus est eum, ut ait; Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem*: & infra idem Propheta imperante Deo unxit David, ut in cap. 16. *Surge & unge eum, ipse est enim: tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus est Spiritus Domini à die illa in David.*

Unctio olei in lege gratiæ.

Et apud Marcum cap. 6. fit mentio de oleo, quo Apostoli ungebant ægrotos, & energumenos, qui sanabantur, & S. Jacobus in sua epist. loquitur de sacro Oleo Infirmorum, de quo nos supra cap. 32. quod inservit saluti animæ & corporis.

Circa prædictam olei unctionem in Concilio Meldens. cap. 1. apud Bruchar. lib. 4. cap. 75. & Ivonem parte I. cap. 268. constitutum est tres ampullas à Presbytero quinta feria in cœna Domini deferri; unam ad oleum Catechumenorum, alteram ad Chrisma, tertiam ad oleum Infirmorum. Duplex quippe erat oleum: alterum, quod oleo & balsamo etiam nunc conficitur, idque Principale appellatur. Eo autem unguntur qui baptizantur in vertice: Illi etiam qui confirmantur in fronte: denique qui ordinantur. Alterum vero est simplex oleum ab Episcopo consecratum, quo unguntur Catechumeni in pectore, & scapulis, & in fronte antequam abluantur: infirmi quoque & energumeni eodem oleo unguntur. Planè etsi χρῖσμα apud Græcos unctionem generaliter, seu quodlibet unguenti genus significet, ut docent

docent August. tractat. 33. in Joann. & serm. 47. de Verbis Domini. Raban. Maur. lib. 1. Institut. Clericorum cap. 30. Unde Christus à Chrismate, vel potius Chrisma à Christo; Nihilominus sancti Patres communi consuetudine ad illam unctionem, quæ ex oleo, & Balsamo solenni Episcopi consecratione conficitur, accommodarunt: illudque Chrisma Principale appellat Ordo Romanus. Chrisma Principale conficitur ex oleo & balsamo; quibus Regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, ut refert S. Cyprianus: & nos diximus supra in cap. 23. Ut etiam de oleo Extremæ unctionis vidimus plura in cap. 32.

De prædicto Chrismatis oleo, seu quia refertur ad benedictionem, seu ad usum ejusdem: Clemens Romanus Constit. Apostol. lib. 7. c. 23. inquit; *Unges eum prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremo consignabis unguento: ut unctio sit participatio Spiritus, aqua sit symbolum mortis, unguentum sigillum pactionum: sin autem non fuerit oleum, neque unguentum Chrismatis, satis erit aqua ad unctionem, tum ad sigillum.* Et D. Dionys. Eccles. Hierarch. cap. 2. latè refert de unctione, quæ præcedebat ablutionem, ac de ritu benedicendi precibus aquam Baptisterii.

S. Justinus in Dialog. contra Triphonem ait: Chrisma est oleum exultationis, quo Filius Dei fuit unctus secundum Prophetam, ut his verbis: *Non minus quoque Chrisma, & unguentum omne sive olei, sive aloes, sive aliarum ex unguentorum compositione unctionum, hujus fuisse itidem ostendimus: Verbo dicente; Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis supra consortes tuos.* Et idem Justinus in respons. quæst. 137. refert nos Chrismate Christianos appellatos, & per hanc unctionem nos attestari sepulturam peccati, cui nos morimur in Baptismo his verbis; *Cæterum veteri oleo inungimur, ut Christi utique fiamus: unguento autem ad recordationem ejus, qui unctionem sepulturam suam reputavit.*

Et S. Cyrillus Hierosolym. mysticè instruens baptizatos Catechef. Mystag. initio inquit; *Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Jesu Christi: excisi enim estis ex oleastro, in oleam fructiferam inserti estis, & pinguedinis illius oleæ quisque vestrum particeps effectus. Illud ergo exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quod omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit.*

Et Tertullian. lib. de Baptism. cap. 7. postquam ostendisset antiquitatem unctionis per Sacerdotem, & Levitas; sicut & verbum Christus, hoc est unctus, ex quo Deus Pater unxerat eum in qualitate regis & sacerdotis: addit, quod unctio sit Corporalis, sed effectus spiritualis, his verbis; *Sic in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur: spiritualis effectus, quod delictis liberemur:* Ut etiam idem refert lib. de resurrect. Carnis cap. 8. *Sed & caro abluitur, ut & anima emaculetur: caro ungitur, ut & anima consecretur: caro signatur, ut & anima muniatur.* & habetur in Annal. Eccles. tom. 13. Raynaldo auctore ann. 1204. n. 39.

Unctio corporalis effectus spiritualis

Et S. Augustin. tractat. 3. in 1. cap. Joann. inquit; *Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* & paulo post: *Unctionis Sacramentum*

tum est virtus ipsa invisibilis: unctio visibilis Spiritus sanctus. Etenim dum unctio carnaliter fit, spiritualiter etiam proficit: quomodo & ipsa Baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergimur; sed spiritualis effectus, quod à peccatis mundemur.

Olei natura operationem Spiritus sancti repræsentat. Quod autem olei natura Spiritus sancti in nobis operationem repræsentet: etenim ut illud ardens illuminat, & medicans sanat, & aquis infusum proficuas illas reddit: hoc bene gratiam Spiritus sancti demonstrat. Ipse enim flamma charitatis, & splendor sapientiæ animas illustrat. Ipse medicamine clementiæ suæ per veniam peccatorum vulnera sanat. Ipse admixtione virtutis suæ aquas Baptismi ad effugandas peccatorum tenebras veraciter illustrat, ut latè Rabanus Maurus de instit. Cleric. cap. 30. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 5. cap. 16.

Uncti ad luctandū. S. Cyprianus Epist. 70. quæ est 12. lib. 1. inquit: *Accipis autem mysterium, hoc est, unguentum supra caput, quia sensus sapientiæ in capite ejus, ut Salomon ait.* Conficitur etiam Chrisma ex oleo, & balsamo mystica ratione: quoniam per oleum nitor conscientiæ designatur, ut in decem virginibus cum lampadibus: per Balsamum exprimitur odor famæ: ut dicitur: *Sicut Balsamum aromatizans odorem dedi.* ut in Annal. Eccles. tom. 13. Raynaldo auctore ann. 1204. n. 40.

S. August. tract. 33. in Joannem refert Christum sic appellatum ab unctione: & quod nos simus uncti ad luctandum cum Dæmone his verbis. *Christi nomen à Chrismate dictum est, Latinè unctio nuncupatur: Ideo autem nos unxit Christus, quia luctatores contra Diabolum fecit.* Et idem tract. 3. in 1. Ioan. *Unctio spiritualis ipse Spiritus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* & paulo post: *Unctionis sacramentum est virtus ipsa invisibilis, unctio visibilis Spiritus sanctus.*

Et in eodem themate, quod hæc unctio applicetur iis, qui recepturi sunt Baptismum, ut cum inimico valeant luctare, S. Chrysost. hom. 6. cap. 2. ad Coloss. his verbis: *Inungitur Baptizandus more Athletarum, qui stadium jam ingressuri sunt.*

Hoc ipsum refert etiam Ambrosius lib. 1 de Sacram. cap. 2. *Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina.*

Unctionum discrimina & mysteria. Chrismate ungi debet Episcopus non tam in corpore, quam in corde; ut & interius habeat nitorem conscientiæ quo ad Deum, & exterius habeat odorem famæ quantum ad proximum. Hoc unguento caput, & manus Episcopi consecratur: per caput enim mens intelligitur: per manus opera designantur. Caput etiam injungitur propter auctoritatem & dignitatem, manus propter ministerium & officium.

In veteri Testamento non solum ungebatur Sacerdos, sed & Rex & Propheta; ut in 1. Regum præcepit Deus. Principis unctio à capite ad brachium deinde est translata, vel in humero seu armo, in quibus principatus est rectè designatus: ut legitur: *Factus est principatus super humerum ejus.* In capite vero Pontificis sacramentalis est delibutio conservata, quia personam capitis in Pontificali officio repræsentat. Unde ostenditur differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis potestatem.

Unguntur

Unguntur etiam omnes Christiani bis ante Baptismum, sed oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas: & bis post Baptismum, sed Chrismate sacro, primum in vertice, demum in fronte. In pectore namque ungitur Baptizandus, ut per Spiritus sancti donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia *Justus ex fide vivit*: Inter scapulas Baptizandus inungitur, ut per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides sine operibus mortua est: & per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis. In vertice Baptizatus inungitur, ut sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem; quia in vertice, qui est suprema pars capitis, intelligitur ratio. In fronte ungitur Baptizatus, ut liberè confiteatur quod credit, quia *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Ante Baptismum inungitur oleo benedicto, post Baptismum Chrismate sacro, Chrisma soli competit Christiano, quia à Christo Christiani dicuntur, tanquam uncti derivantur ab uncto.

Per Frontis Chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur: unde cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quoniam vicarii sunt Episcopi) quod per manus impositionem dabant Spiritum sanctum: ut legitur in Actibus Apostolorum; cujus adventus per unctionis mysterium designatur.

Unguntur præterea ex Ritu Ecclesiæ, cum consecratur Altare, cum dedicatur Templum, & cum benedicitur Calix, non solum ex mandato legis divinæ, verum etiam exemplo beati Sylvestri, qui cùm consecrabat Altare, illud perungebat Chrismate. Unde non judaizat Ecclesia, cum unctionis celebrat sacramentum, sicuti aliqui mentiuntur, qui neque scripturas, neque Dei novere virtutem. De his omnibus latè ex Diplomate Innocentii III. ut in Annalibus Ecclesiasticis tom.13. ann. 1204. n.39. 40. 41. & 42. Raynaldo auctore.

Apostoli, & viri Apostolici hac unctione usi.

Apostoli oleo utebantur in redintegrationem Infirmorum, ut diximus. Apostolici viri consignatione Neophytorum; quapropter non sine peccato potest à nobis dimitti, quod eorum auctoritas consecravit, refert Amalar. de Eccles. offic. lib. 1. cap.12. & quod Hæretici ad gremium Eccl. redeuntes sacro Chrismate ungerentur, quoniam in Baptismo non fuissent uncti. Theodoret. lib.3. Hæretic. fabul. de Novato, inquit. *Quocirca etiam eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.* Oleo Presbyterorum manus unguntur, ut mundæ sint ad offerendam hostiam, & largæ ad cætera officia pietatis, Amalarius lib.2. c.13. Sicuti etiam eodem oleo caput Episcoporum perfunditur, ut per gratiam Spiritus sancti consecratio perficiatur, & majus auxilium tribuatur à Domino, ubi quis majorem conscenderit gradum, vel plurimorum fuerit regimini prælatus, ut late refert idem Amalarius lib.2.c.14. Ac etiam Episcopos & Presbyteros Bulgarorum, cum nondum uncti Romam venissent, Innocentius III. Papa inungi imperavit: ut ex Diplomate dicti Innocentii in Annal. Eccles. tom.13. Raynaldo auctore ann.1204. num.34.

Ritus Unctionis etiam ex traditione.

Plurimos ex prædictis ritibus hujus sanctissimi olei, quamvis ex sacro textu scriptos non habemus; ex Apostolica tamen traditione eosdem retinemus. B. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. inquit: *Consecramus autem aquam Baptismatis, & oleum unctionis, præterea ipsum, qui Baptismum accipit: ex quibus scripturis? non ne à tacita, secretaque traditione? ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit?*

Expediret in proposito loqui de Cruce circa ritus hujus unctionis: sed quoniam satis amplè in principio operis diximus de hoc signo, sat erit solum addere D. August. tract. 18. in Joannem his verbis; *Postremò quid est, quod omnes noverunt signum Christi? nisi Crux Christi; quod signum, nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur: nihil eorum ritè perficitur.*

Cum tanta sit dignitas & præcellentia sanctissimæ unctionis, nil mirum si suo diplomate Honorius III. Papa decreverit: Honoris gratia non excipiendos Principes instructo agmine religioso, seu processionaliter; nisi consecrati existant. Neve lecto Evangelio liber exosculandus deferatur iisdem, nisi sacro oleo inunctis. Ac ne sacris ordinibus initiati Tabellionis munus obeant: ut ex Annalibus Ecclesf. tom. 13. auctore Raynaldo ann. 1221. num. 27. in fin. & seq.

Concludamus ergo ex prædictis, quod seu Catholica Ecclesia erravit, sancti Patres usque in præsens defecerunt à veritate (quod dicendum non est) seu approbanda est prisca institutio, & usus hujus sacræ Unctionis.

CAP. XXXVIII.
De Reliquiis & intercessione Sanctorum.

EX his, quæ maximè in materiali Ecclesia servantur, & venerantur, sunt Reliquiæ Sanctorum: merito postquam de Ecclesia, & aliis ejusdem supellectilibus diximus: De Reliquiis, & Sanctorum intercessione etiam subsequemur.

Veneratio igitur, quæ erga Sanctorum Reliquias debetur, ex sacro textu, & ex sanctis Patribus Græcis, & Latinis nobis demonstratur. Etenim discessurus ex Ægypto Moyses habetur in Exod. cap. 13. vers. 29. *Tulit ergo Moyses ossa Joseph secum, &c.* quæ postea sepelivit in terra Sichem. De Christi sepulchro prædixit Isaias cap. 2. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum*: quod exponit Hieron. de concursu & veneratione fidelium erga illud, ut in epist 17.

De Vestimentis Redemptoris nostri habemus apud S. Marcum cap. 25. vers. 26. Mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim: cum audisset de JESU, venit retro, & tetigit vestimentum ejus; & confestim siccatus est fons sanguinis ejus.

De Umbra Petri in Actis Apostolorum cap 5. vers. 15. habemus, quod in plateas ejicerent Infirmos & ponerent in lectulis & grabatis: *Ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Et in eisdem actis Apostolorum de Paulo refertur cap. 19. vers. 12. *Ut super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicintia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.*

De

De admirabili virtute Reliquiarum testatur Justinus Martyr. quæst.28. his verbis; *Abominationi Græcorum subdita esse sanctorum Corpora, & sepulchra Martyrum, quæ & Dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanitatem.*

Eusebius lib.7. histor. refert honorem, quem Astyrius Romanus Vir Consularis defert corpori sancti Marini Martyris, quod splendida, & pretiosa obtegit veste, atque humeris impositum inde deportat; & cum sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulchro condidit.

Hieron. in vita Pauli Heremitæ tom.1. in fine refert honorem delatum ab Antonio vesti dicti Pauli, ibi. *Tunicam ejus sibi vindicavit, quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat: ac sic ad Monasterium reversus, discipulis cuncta ex ordine replicavit; diebusque solennibus Pascha, & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.*

Sanctus Basil. homil. in Psalm 115. habet. *Pro legis Mosaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi: contra, mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur Reliquiæ Sanctorum ejus, &c.*

Veneratio, quæ debetur corporibus Sanctorum, eadem quoque debetur minimæ eorundem particulæ. Nazianzen. adversf. Julianum Apostatam orat. 3. circa medium sic inquit. *Tu post Pilatum Christicida, post Judæos Dei hostis: non Victimas pro Christo cæsas veritus es? &c. quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa idem possunt, quod Corpora: hæc non colis, sed contemnis? &c.* Quoniam ut habetur in Psalm. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur.*

Et sanctus Chrysostomus præfert honorem, quem Roma reportavit ex Reliquiis Apostolorum, aliis quibuscunque triumphis, & similibus; ut in homil 32. in cap.20. ad Rom. inquit; *Ego & Romam propterea diligo; tametsi aliunde queam illam laudare, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à divitiis, & à rebus in bello fortiter gestis: sed relictis istis omnibus, ob id illam beatam prædico; quod erga illos Paulus dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, coram disseruit, & postremo apud eos vitam finivit. Unde, & Civitas ista hinc facta est insignis, plus quam à reliquis omnibus.* & paulò post. *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli? affigi sepulchro, videre pulverem Corporis illius? &c. Oris hujus pulverem videre vellem, per quod Christus magnalia, & ineffabilia loquutus est: non solum autem oris, sed & cordis illius pulverem videre vellem, &c. Videre vellem rursus pulverem manuum illius, quæ in vinculis fuerunt, &c. Pulverem videre vellem oculorum bene excæcatorum, deinde ad orbis salutem respicientium, qui & Christum in corpore videre meruerunt. Vellem & pedum illorum videre pulverem, qui per orbem currentes laborarunt: Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia; tunc vero cum in hac vita essent, emortua.*

De miraculo Reliquiarum, S. Ambrof. epist.51. quæ est prima lib.7. & serm. in festo sanctorum Gervasii, & Protasii: *Severus &c. ut contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacræ Reliquiæ vestiuntur, clamat, sibi restitutum lumen*; & idem testatur S. Augustinus lib.9. confess. cap.7.

Ac de obsequio erga Sanctorum reliquias, S. Hieron. in vita S. Hilarionis ait; *Postquam Palestinæ sanctus vir Hesychius Hilarionem mortuum, & sepultum audivit, perrexit ad Cyprum; & simulans se velle habitare in eodem hortulo, ut diligentis custodiæ suspicionem Accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo corpus ejus furatus est; quod Majonam deferens, totis Monachorum, & Oppidorum turbis prospicientibus, in antiquo monasterio condidit, illæsa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viveret, integro, tantisque flagrante odoribus, ut delibutum unguento putares.*

Et sanctus Augustinus epist. 103. ad Quintianum, inquit: *Portant sanè reliquias beatissimi, & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.*

Et idem Augustinus lib. 1. de Civitate Dei cap. 13. ait: *Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes major extitit affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius, atque conjunctius, quam qualibet indumenta gestamus.*

Non dedignati sunt Reges & Imperatores hujusmodi reliquias venerari. Augustin. epist. 42. ad Maudarenses inquit; *Videtis Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum Piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Et S. Chrysost. in lib. Quod Christus sit Jesus: ait, *Romæ Urbium est regalissima, relictis omnibus ad sepulchra Piscatoris & Pellionis currunt Reges, & Præsides, & milites.*

Complacuit quoque sibi Deus, ut Martyrum corporibus sepulchra Angelorum manibus erigerentur: ut de corpore sanctæ Catharinæ Martyris in monte Sinæ per sanctos Angelos mirabiliter collocato, ex Metaphraste in ejus vita, & refert Card. Baron. sub ann. 307. sicut etiam de corpore S. Clementis Romani Pont. in eodem mare, quo fuit submersus; dedit illi Deus habitaculum Angelicis manibus præparatum, de quo refert Gregor. Turonens. & singulis annis in die illius Martyris, aquæ sic retrahebantur ab eo sacrato loco, ut quisque siccis pedibus posset illum invisere.

Ac proinde Patres ipsi ad Sanctorum invocationem nos enixè invitant: sic enim August. quæst. 148. in Exod. inquit: *Cum merita nostra nos gravant, ut diligamur à Deo, non dubitemus relevari apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Eoque confidentius illos deprecatores nostræ infirmitatis adeundos, dicit Ambrosius lib. de Viduis: Quia etiam infirmitatem corporis dum viverent, cognoverunt, & S. Basilius orat. XL. Martyr. inquit: *Beneficium hoc, fratres, ex Deo obtinemus, ut paratum sit nobis & Ecclesiæ per hos Martyres auxilium: ubi enim sunt isti, quis dubitet, Deum esse præsentem? Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: Qui rursus lætatur, hoc oret; hic ut malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hos orans mulier pro filiis auditur: Peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti salutem implorat. Cum his ergo Martyribus nostras effundamus preces.* Et ut digna sane peroratione probationem hanc concludamus; S. Bernard. orat. 2. super Evang. Missus, inquit: *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat ab ore, non recedat à corde; & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias: Ipsam rogans non desperas: Ipsam cogitans non erras: Ipsa tenente*

tenente non corruis. Ipsa pro te stante non metuis. Ipsa duce non fatigaris. Ipsa propitia pervenis, & sic in te ipso compereris, quam meritò dictum sit : Et nomen virginis Mariæ.

Et quantus honor ubique, & ab omnibus gentibus fuerit habitus erga Sanctorum reliquias : etiam à Græcorum Imperatoribus Tabulam auro & gemmis pretiosissimam multorum Sanctorum reliquiis ornatam, diebus maxime festis aurea catena alligatam in pectore præferri fuit consuetum, ut ex Annal. Ecclesiast. tom. 13. Raynaldo auctore ann. 1205. n. 41.

Effectus venerationis reliquiarum.

Inferamus ex prædictis, quod dum nos veneramur Martyrum, & Sanctorum reliquias, hoc peragimus, ut adoremus eum, cujus illi fuerunt fideles servi; ut refert D. Hieronym. epist. 53. ad Riparium, ibi: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus; & ut veneremur eos, qui templum Spiritus sancti fuere.* Ac etiam, quoniam ipsis reservata est gloria Resurrectionis, & Immortalitatis, & ut consolemur in absentia animarum ipsorum; dum memoramur eorum labores, luctas, & triumphos; & excitemur ad imitationem eorum, quorum corpora corruptioni erant subjecta, ut nostra; ut de his, & similibus refert Damascen. histor. de Barlaam, & Josaphat cap. 22. & 23. ibi: *Hæc pura & sancta ossa idcirco circumferimus, ut admirabilium virorum, quorum ipsa sunt, desiderium utcunque leniamus, eorumque religiosam exercitationem, Deoque caram vitam nobis in memoriam revocemus, atque ad ejusdem vitæ studium nos ipsos mutuo acuamus, &c. Quoniam mortis memoriam, quæ permagnam utilitatem affert, atque ad religiosæ vitæ certamina promptos nos, ac velut pennatos reddit, nobis hinc comparamus, ac præterea ex eorum contactu sanctitatem haurimus.*

Ac etiam Sanctorum sepulchra veneramur; quoniam ex his virtutes eorum apprehendimus. S. Ambros. serm. 92. *Honoro ergo in carne exceptas pro Christo cicatrices, honoro perennitatem virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres; honoro corpus, quod me propter Dominum docuit mortem non timere.* Addit S. Chrysostom. Orat. SS. Juventis & Maximi, ut eorum intercessionibus exaudiamur à Deo, dum inquit: *Sanctorum tumulos adoremus, magna fide contingamus, ut benedictiones consequamur; etenim quæ volunt apud Cœlorum regem, impetrare possunt : proinde magna promptitudine huc veniamus, quo inde magnos thesauros undequaque colligamus.* Et idem Chrysostom. orat. in S. Ignatium inquit; *Ob eam causam reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, ut nos ad se eorum imitatione perducat; & sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium eorum malorum, quæ quotidie nos affligunt.* Siquidem propugnacula illi sunt contra inimicos. S. Basil. homil. in XL. Martyres ait; *Hi sunt quasi quædam turres contra adversariorum incursus.* Denique coluntur Sanctorum Reliquiæ, ne memoriæ illorum sint sine honore, qui etiam hominibus aliter insignioribus confertur. Clemens 6. stromat. cap. 30. *Eorum, qui cum Deo vivunt, Reliquiæ sine honore manere non debent.*

Reliquiæ cũ honore delatæ.

Quanto honore delatæ ab antiquis Reliquiæ: habemus ex Socrate lib. 3. cap. 13. Theodoret. lib. 3. cap. 9. Sozomen. lib. 5. cap. 18. Illic leges concurrisse Christianos, cum

cum essent (Juliano Apostata imperante) sanctæ Babilæ ossa à Daphne suburbio Antiochiam deferenda; & loculum transtulisse. *Una cum mulieribus, ac pueris exultantes gaudio, psalmosque canentes.* Imo, *Omnes ad unum antecedentes psaltare cœpisse.* Scribit Evagrius lib. 1. cap. 16. S. Ignatii ossa, Theodosii Magni jussu summo honore Antiochiam fuisse translata. *Qua de causa*, inquit, *Festum celebre, & lætitia communis ad nostram usque ætatem peragitur:* Nempe quod ejus annuam memoriam coli placuerit. Apud S. Hieronymum adversus Vigilantium, suo ævo ossa Prophetæ Samuelis è Palæstina Constantinopolim jussu Archadii delata, inquit: *Illas reliquias omnes Episcopi in serico, & vase aureo portarunt.* Addit, *Omnes Ecclesiarum populos occurrisse sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem, viventemque prophetam cernerent, suscepisse; ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent.* Sancti vero Chrysostomi ossa trigesimo quinto postquam obierat anno, Constantinopolim Theodosii Junioris jussu translata, quo cultu excepta sint, habes apud illius sæculi virum Theodoretum Ecclesiast. histor. lib. 5. cap. 36. *Fidelis hominum cætus, pelagus navigiorum multitudine, velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuere.*

Miracula ex reliquiis.

Dum in Deum ut authorem referebantur hujusmodi venerationis ritus, miraculis Deus hæc etiam efferebat: & de Corporibus Martyrum Gervasii & Protasii August. lib. 9. Confess. cap. 7. inquit: *Cum enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem Dæmonibus sanabantur; verum etiam quidam plures annos cæcus civis, civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsivisset, atque audisset, exiluit: eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quò perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum: quod ubi fecit, & admovit oculis, confestim aperti sunt.* Et idem simile etiam refert de Reliquiis S. Stephani lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. ac etiam idem August. epist. 137. ad clerum & plebem Ecclesiæ Hipponensis inquit: *Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur; furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurejurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.*

Sanctos videre & audire.

Quod autem impius Calvinus scurriliter effudit, Sanctis eousque longas aures non esse, & oculos tam perspicaces, ut ad nostras porrigantur preces, & nostris advigilent necessitatibus. Quoniam sanctus Gregor. Magn. lib. 12. Moral. cap. 13. docet Sanctos, qui Dei charitate fruuntur, omnia in Deo tanquam in lucidissimo speculo adspicere, & spectare quæ ad nos pertinent. & S. Ambros. inquit: *Isti sunt Dei Martyres, nostri Præsules, & speculatores vitæ, actuumque nostrorum.* Et per Hieremiam Prophetam dicit Dominus cap. 15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad Populum istum.* Omitto quod dicitur 2. Machab. c. 15. Hieremiam, & Oniam mortuos tunc usque viros; *Orare pro omni populo Judæorum.* Et tota Apocalypsi refertur Angelos atq; Sanctos in ista terrestria Dei virtute inspicere: sed & Raphael (Tob. 12.) orationes Tobiæ Deo offerebat: ergo eos proculdubio audiebant.

Referam

Referam hic obiter de Angelo Tutelari, quem unicuiq; Deus custodem apposuit: & quamvis ex Sectariis plurimi velint; ejusmodi commentum esse à domesticis Diis, Laribusque Gentilium: asserimus indubitanter nos ex scripturis illam fidem, non Gentium nugis: Nam & populis atque provinciis Angelos suos esse, qui res eorum curent, habes ex Daniele cap. 10 ubi & Michael dicitur Princeps populi Judæorum, & Angelus alius Princeps esse Persarum, aliusque Græcorum: Et singulis hominibus ejusmodi spiritus dari docemur apud Matth. cap. 8. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est.* In quem locum D. Hieronym. Comment. in Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Et idem de obitu Paulæ, *Testor Jesum, & Sanctos ejus, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit, & comes admirabilis fœminæ: me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui.*

De Angelo tutelari

Objiciunt etiam Sectarii, invocationes Sanctorum esse blasphemias contra Christum, ex eo solvitur; quod nemo Catholicus non profitetur Christum esse solum immediatum mediatorem apud Deum: reliquos omnes mediatos per Christum: unde etiam D. Bernardus serm. de beata Virgine incip. Signum magnum apparuit, &c. inquit; *Opus est mediatore ad mediatorem: nec alter nobis utilior, quam Maria, &c.*

Acriter etiam insurgunt Sectarii contra nos; quod multitudo Reliquiarum cuique Sancto sit attributa. Respondemus primo hoc processisse, quoniam plurimi Sancti ejusdem nominis sunt nuncupati, ut ex Menologiis Græcis, & Martyrologiis Latinis; unde sæpe quod est unius Sancti, alteri fuit attributum. Secundò, cum pietas populorum exardesceret erga Martyres, & alios Sanctos, ac exoptarent illi obtinere spolia eorundem, ut multiplici devotioni satisfieret; necesse fuit dividere prædicta Sanctorum corpora, & inter plurimos distribui; ut inquit in proposito sanctus Basilius homil. in XL. Martyr. *Non uno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornaverunt.* Et cum singulæ partes retinerent nomen illius Sancti, unde fuerunt extractæ, produxerunt multiplicationem corporum: assumpta parte pro toto. Quod etiam processit cum Altaria antiquitus essent sepulchra Sanctorum (quæ Memoriæ nuncupabantur) postea decrevit Concilium Carthaginens. sub Pontificibus Bonifacio, & Cœlestino Can. 14. tom. 1. ibi: *Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* Et ex his cum fuerit necessario divisio prædictorum corporum, non mirum, si inde contigit æquivocatio, sumendo particulam Reliquiarum pro toto Corpore. Quæ divisio etiam processit, ut singula particularia loca retinerent in tutelam illum, cujus Reliquias possent consequi; ex sancto Ambrosio lib. 5. in Lucam, & idem lib. 1. de Abraham cap. 5. in fin. ibi: *Unde discimus, quantus sit murus Patriæ vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis, nec temere derogare; illorum enim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit: Sodoma quoque, si habuisset viros decem justos, potuit non perire.*

CAP. XXXIX.

De Peregrinationibus, quæ fiunt ad Reliquias Sanctorum, & alia sacra loca.

DIximus supra de Ecclesiis, Altaribus, ac de Sanctorum Reliquiis. Et quoniam ad ea loca prisci fideles peregrinationes suscipiebant; de istis nos modo dicamus; Quamvis etiam ab Hæreticis eædem impugnentur; ex sacro textu, & sanctis Patribus easdem nos comprobabimus.

Habetur in 1. Reg. cap. 1. vers. 3. quod Elcana Pater Samuel ascendebat de Civitate sua statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo, & in 2. Regum cap. 15. vers. 7. dixit Absalon ad Regem David; *Vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* & apud Lucam cap. 2. vers. 41. *Ibat Iesus cum Maria matre ejus, ac Ioseph per singulos annos in Hierusalem in die solenni Paschæ.* Venerunt quoque Gentiles, ut adorarent, Joann. cap. 12. vers. 20. ibi. *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Et in Paulo legitur in Act. Apost. cap. 20. vers. 16. *Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis.* Quæ loca adducit S. Hieron. ad Marcellam, ut ad peregrinandum Hierosolymam illa excitetur, dum in epistola 18. inquit. *Si post passionem Christi hic detestabilis locus est, quid sibi voluit Paulus Hierosolymam festinare, ut ibi faceret Pentecosten?*

Hujusmodi quoque peregrinationes à sanctis Patribus comprobantur: & sanctus Basilius reprehendit nundinas, & similia in locis sanctis, ad quæ fiebant peregrinationes: interrogat 44. inquiens: *Peregrinandi quidem potestatem ei permittito, qui in peregrinatione sine animæ suæ detrimento, & cum utilitate eorum, quibuscum congrediatur, possit versari, &c. Illud enim hoc loco intelligendum est, nundinationes, & quæstus illos, omnes, qui caupones attingunt, fratrum conventus longissimè fugere debere.*

Et sanctus Chrysostomus homil. 32. in epist. ad Roman. ostendit ardens desiderium, quod ipse habebat, ut inviseret Reliquias Romæ. & idem homilia 8. in epistola ad Ephes. exaltat catenas Petri his verbis; *Nihil est illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula; & merito viros illos admirarer propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem, & horrent Dæmones, reverentur autem Angeli.*

Cui subscribit August. in Psalm. 88. dicens: *Olim Principes sæculi ad urbem Romam venerunt, non ad Templum Imperatoris, sed ad memoriam Piscatoris.*

Peregrinationum etiam ad sancta Hierosolymorum loca frequentiam sic testatur Hieronym. in epist. 13. ad Paulam. *De toto huc orbe concurritur: Plena est Civitas universi generis hominum: & tanta utriusque sexus constipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere cogaris.* ac rursus epist. 17. ad Marcell. *Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum,*

qui

Qui Martyrum, qui eloquentium in Doctrina Ecclesiastica virorum venerunt Hierosolymam, putantes minus se Religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, in quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.

Socrates lib. 7. cap. 46. inquit. *Theodosius Imp. Eudociam conjugem Hierosolymam misit, quique pollicitus erat illam hoc votum persoluturum, si filiam in matrimonio collocatam cerneret.*

Theodoret. serm. 8. Græcor. affectio, de Martyr. inquit; *Vespasianus quoque & Adrianus sibi templa ingentia excitarunt; verum, & vitali simul cura, & impio honore privati sunt. Martyrum vero templa conspicua cernuntur, magnitudineque, præstantia, omni præterea ornatus genere variata, &c. Neque vero hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies adventamus, sed in eis sæpe numero dies festos peragimus, sæpè diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes, hymnosque cantamus. Quique homines prospera sunt valetudine, conservari eam sibi à Martyribus petunt; qui vero ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt; insuper, & steriles viri, & mulieres dari sibi filios petunt: qui vero parentes sunt, integra sibi, & propria custodiri, quæ consequuti sunt dona, &c. Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres tanquam Divinos homines, intercessoresque sibi eos apud Deum advocent, & precentur. Piè verò, fideliterque precatos ea maxime consequi, quæ desiderant; testantur illa, quæ votorum Dei dona persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia.*

Ex his patet, priscos fideles non solum iter fecisse ad loca Martyrum, eosque exorasse non pro salute spirituali tantum, verum etiam pro sanitate temporali ipsorum; eorundemque familiæ, ut etiam refert sanctus August. de Civitate Dei lib. 22. cap. 8. Infantes, & ægrota animalia ad eosdem portabant pro obtinenda sanitate, Gregor. Nissen. & Theodoret.

At quando eorum intercessionibus gratiam obtinuerant, eorum templis, & altaribus, in signum tributi, & consequuti voti appendebant aureas, & argenteas imagines particularium corporum, quæ sanitatem recuperaverant. Theodor. supra adductus, & Paulinus Nolanus in Felice. Et de hoc ritu antiquissimo in Ecclesia late Baron. ad ann. 57. ubi Spondan. num. 51. ubi hoc etiam refert apud Gentiles in usu.

Præterea non solum Reliquias Sanctorum venerabantur. Hieronym. ad Marcell. epist. 17. sed eas etiam osculabantur, idem Hieronym. contra Vigilant. Floribus eas spargebant, Augustinus de Civitate Dei lib. 22. cap. 8. Portabant illa in sericis linteis, & aureis vasis. Hieronym. contra Vigilant. Ante eorum thecas cilicio induti jacebant, Rufin. hist. Eccles. lib. 2. cap. 33. Chrysost. 2. Corinth. homil. 26. offerebant Deo sacrificia supra eorum sepulchra, & Reliquias, Hieron. contra Vigilant.

Addimus ulterius: quamvis Deus sit ubique, & veri Adoratores serviant ei in veritate, & penetralia cordis præcipue ipse respiciat; negari tamen non potest, quod miracula potius in uno loco, quam in alio operetur Deus; cum sit hoc de arcanis

judiciorum ejus, ut legimus apud Lucam cap. 4. Christum in carne fecisse miracula in Cafarnaum, non autem in patria sua: ac etiam de umbra Petri habetur, inter alias omnes privilegiatam fuisse in sanandis quibuscunque infirmitatibus: & hoc Hierosolymis solummodo, refert Divus August. epist. 137. ad Clerum, populumque Hipponensem tom. 2. ibi: *Ubique quidem Deus est, & nullo continetur, vel includitur loco: qui condidit omnia; & eum à veris adoratoribus in spiritu, & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet, & coronet: veruntamen ad ista, quæ visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent, quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest, quicquid in eorum aliquo fuerit divinitus propalatum.*

Inferamus igitur ex prædictis: quamvis Deus existat in omnibus locis, & præcipuè intra corda nostra sint vera Dei templa, & Spiritus sancti habitacula; ac etiam quamvis ex peregrinationibus persæpe deficiat devotio, & pietas; ut propterea D. Hieronymus dissuadens Paulino iter in Palæstinam, initio epist. 13. tom. 1. dicat: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est.*

Nihilominus ibi exorandus est Deus, ubi complacet speciali assistentia se manifestare, & gratias concedere. Cumque etiam Reliquiarum præsentia inserviat ad excitandam in nobis devotionem, ut faciliores reddantur influentiæ miserentis Dei, qui ubique est per essentiam, per præsentiam, & potentiam; sicuti etiam est in anima justi per gratiam, in spiritibus Damnatorum per justitiam, & super omnes creaturas per providentiam, & in peccatoribus, qui ingemiscunt, per misericordiam: similiter credendum est, quod in quibusdam locis speciali protectione, ac affectu existat.

Nec prædictis repugnant verba Domini. *Tu cum oraveris, intra in cubiculum tuum.* Ex quibus inferunt adversarii, Homini non esse peregrinandum, ut Deum adoret & colat. Quoniam non sunt illa intelligenda de cubiculo materiali, sed, ut explicat Chrysostomus homil. 76. ad populum, de cubiculo cordis; ne alioquin Dominus sibi contradicat apud Matth. 16. ubi ait; *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in Cœlis est.* Itemque illi adversetur Apost. 1. Timoth 6. dicens; *Volo, viros orare in omni loco.* Unde idem Chrysost. sic concludit. *Quando ergo sic oramus, ut non quæramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus, sive alioqui simus in Ecclesia, sive in montibus, sive etiam in ipso foro. Quando autem intramus cubiculum ad orandum, & cupimus videri; tunc sanè extra cubiculum orare dicimur.* Et propterea Sanctorum corpora, & præcipue Martyrum, perinde ac Christi membra honoranda, & Basilicas eorum nomine appellatas, velut loca sancta, Divino cultui mancipata affectu pio, & devotione frequentandas.

CAP.

CAP. XL.

De Procesſionibus, & Rogationibus ſeu Litaniis

USus Proceſſionum conſiſtit in publicis precibus, ſeu quod populus fidelis ordine incedat, & coram Deo aſſiſtat, ad implorandum auxilium: Etenim Tribus filiorum Iſrael profectæ de monte Domini, Arcaque fœderis Domini præcedebat eos per diem, cum incederent; cumque elevaretur Arca, dicebat Moyſes, ut in Numer. cap. 10. verſ. 33. & ſeq. *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua.* Redduntur etiam gratiæ Deo in proceſſionibus, ut in 2. Paralip. cap. 20. Joſaphat, & habitatores Hieruſalem cum lætitia magna, eo quod dediſſet eis Dominus gaudium de inimicis ſuis, ingreſſi ſunt Hieruſalem cum pſalteriis, & citharis, & tubis in domum Domini, &c. Sicuti etiam fiunt quoque preces ad avertendam Dei iram. Joel. 2. verſ. 15. *Canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate parvulos, &c.* Ac etiam quandoque Deo gratulamur, ut apud Matth. 21. *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos, &c. & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* Et ſicuti cum Arca à ſacerdotibus portabatur, ſequebatur populus cum reverentia, & devotione; hoc etiam fit de præſenti, cùm ſanctiſſima Euchariſtia in Arca figurata, Reliquiæ Sanctorum, ſeu Crucis ſignum proceſſionaliter deferuntur.

Ad quid proficiunt.

Cœpit uſus Proceſſionum in Eccleſia à Conſtantini temporibus, cum vidiſſet in ſomnis ſignum Crucis in Cœlo ſplendidè collocatum, dictumq; ſibi fuiſſet: O Conſtantine, *In hoc vince*: Juſſit viros eruditos ex auro & lapidibus pretioſis in vexillum ſanctæ Crucis transformare ſignum, quod Labarum vocabatur. Hoc enim ſignum bellicum inter alia pretioſius erat; eo quod Imperatorem præcedere, & adorari illud à militibus moris eſſet. Rupert. Abb. de Divin. Offic. lib. 9. cap. 5.

Quando cœperint.

Quod autem uſus Proceſsionum ab exordio Eccleſiæ habuerit originem, de eiſdem Tertull. lib. de præſcript. adverſ. hæreſ. cap. 43. loquitur. *Et proceſſio modeſta, & Eccleſia unica.* Et D. Hieron. ad Euſtochium de cuſtodia Virgin. epiſtola 12. *Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo; nunquam deerit cauſa procedendi, ſi ſemper quando neceſſe erit, proceſſura ſis.* Et in Concilio Bracharenſ. 3. cap. 5. habetur, qualiter Reliquiæ ab Epiſcopo, ſeu Levitis deferendæ ſint in proceſsionibus; ut etiam refert S. Auguſt. de Civitate Dei, lib. 22. cap. 8. Theodoret. de Martiano Imperatore, qui pedibus, in proceſſionibus incedebat, una cum Epiſcopo Anatolio. lib. 1. Collectan. ex hiſtoria, ſic inquit: *Martianus ad ſupplicationes, quæ in campo fiebant, pedes egreſſus multa largitus eſt egenis.* Sozomen. refert reliquias Martyris Meletii ſolenniter in proceſsione Antiochiam fuiſſe translatas, ut in lib. 7. cap. 10. ibi: *Alternatis Pſalmorum cantibus &c.* Similiter teſtatur Socrates in translatione Reliquiarum martyris Babylæ lib. 1. cap. 16. quod Dæmon, qui in delubro Apollinis Daphne habitabat, cum nullum Imperatori reſponſum daret, vicinum Martyrem reformidans: Imperator cauſa intellecta, loculum Martyris, quem celerrime inde transferri jubet, &c.

Rufin. hist. lib. 2. cap.33. quod Magnus Theodosius Imperator, antequam Eugenio bellum indiceret; *Cum Sacerdotibus, & populo omnium orationum loca rediens, ante Martyrum, & Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.* Imperator Theodosius Juvenis fecit processionem relatam per Nicephorum lib. 14. cap. 3. hist. Eccles. ibi. *Litania instituta est: supplicantes processere, atque una concors Ecclesia civitas tota, & ipse medius Theodosius hymnis canendis praiit, habitu privato incedens. Minimè verò eum opinio fefellit: statim enim cœlum aerem turbidum serenitate commutavit, & frumenti non mediocrem inopiam quadam frugum copia, & ubertas est consequuta.*

Et S. August. de Civit. Dei lib. 22 cap. 8. inquit: *Memorati memoriam Martyris Stephani, qua posita est in Castello Synicensi, ejusdem loci Lucillus Episcopus populo pracedente, atq; sequente portabat: fistula, cujus molestia jamdiu laboraverat, illius pia sarcina vectatione repentè sanata est; nam deinceps eam in suo corpore non invenit.*

Ac Imperator Justinianus in auth. 123. de sanctiss. Episcopis cap. 31. *Si hæc sacra mysteria conturbaverit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur: hoc ipso in Litaniis, in quibus Episcopi, & Clerici reperiuntur, custodiendo, &c.*

Crux præcedebat.

In hujusmodi processionibus etiam priscis temporibus Cruces deferebantur sequentibus Ecclesiasticis, & aliis fidelibus: & hunc ritum antiquissimum in Ecclesia referunt Cassiodorus Tripart. lib. 2. cap. 8. Socrates lib. 6. cap. 8. Niceph. lib. 13. cap 8. Card. Baron. ad annum 401. ubi Spond. num. 8. & legitur in vita S. Porphyrii apud Surium tom. 1. Durant. de Ritib. Eccles. lib. 2. cap. 10. num. 9.

Ex hoc sancto ritu reducitur primum nobis ad memoriam; qualiter piæ turbæ sequebantur Christum, ut audirent ejus sancta verba, & miracula viderent; referunt Matth. cap. 14. Lucas & Marc. 5 Joan. 6. Alliciuntur præterea fideles ex hoc ritu, ut Christum sequantur, & quisque sua propria cruce Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Addimus: quod crux in processionibus, tanquam vexillum crucis Christi deferatur: quoniam ut inquit Job. 6. *Militia est vita hominis super terram:* cujus arma spiritualia sunt 2. Corinth. cap. 10. *Non secundum carnem militamus:* Cujus adversarii fortes sunt Diabolus, mundus & caro: ex Apostolo ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Et S. Petrus Epist. 1. cap. 2. *Obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant adversus carnem:* & propterea nos ipsos abnegantes, & crucem deferentes, strenuè militemus contra dictos adversarios, ex Apost. 1. Timoth. cap. 1. *Commendo tibi fili Timothee, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam.*

Non prætereibo in proposito, quod habetur in M. S. tempore Eugenii III. Rom. Pont. cui titulus, *Vaticanæ Basilicæ Descriptio.* Auctore Romano Canonico ejusdem Basilicæ: ubi habetur: Quod Crux Dominica Romæ Quadragesimali tempore sumebatur de sanctissimo B. Petri altari, quæ præcedebat populum pœnitentem per totam Quadragesimam ad stationes euntem: & quod in majori Litania, seu generali processi-

cessione B. Petri Basilica ductrix & rectrix cæterorum præambula esset: ut denotetur B. Petrus Vexilliferus, & totius Ecclesiæ præductor. Cui determinationi in prædictæ Vaticanæ Basilicæ favorem, quantum hodie Canonici Lateranenses acquiescant, me remitto; certum est autem, ut habetur ex diplomate Innocentii III. Papæ, de hac Basilica Lateranensi, his verbis: *Sanè multæ congregaverunt divitias, & auxerunt honores, sed hæc Basilica supergressa est universas; cum sit mater omnium & multas filias habeat de latere consurgentes, dantes Domino laudem, &c.* ut latius habetur in tom. 13. Annal. Ecclesf. ann. 1216. n. 46. & Pius V. Papa in constitutione, quæ incipit; *Infirma ævi conditio.* confirmat, quæ declaraverat Gregor. XI. circa superioritatem Lateranensis Ecclesiæ. *Etiam super Basilicam Princ. Apost. de Urbe: ut in constit. Super universas.*

Hinc nos videmus Processiones indictas in modum cujusdam cœlestis exercitus de Christi gloria, & triumpho exultantis, Crucis signa, & vexilla in aera sustollentis, ad significandam aereæ potestatis expugnationem.

Deferebantur etiam in hujusmodi processionibus cerei & lumina. S. Bernard. serm. 2. in Purificatione B. Mariæ, inquit: *Processuri sumus bini & bini, candelas habentes in manibus, ipsasque succensas*: & infra, *Merito sanè bini & bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos à Salvatore discipulos sacra Evangelia testantur.*

Ac etiam cantantes & psallentes cum immensæ multitudinis choris procedebant in processionibus: refert post alios Durant. de Ritibus Ecclesf. lib. 2. cap. 10. n. 9.

Amplius in processionibus incedebant non pretiosis vestibus, sed etiam discalceati, cinere & cilicio induti, nisi impediret infirmitas. Concil. Maguntin. Can. 34. Quibus accedit quod refert D. Antoninus Florentinus part. 3. histor. tit. 22. c. 3. §. 32. his verbis. Per hæc ipsa tempora ann. 1388. mirabilis factus est populorum motus, omnis quippè multitudo vestes exteriores induit albas, lineas tamen ad pedes usque protensas, cum capitiis ad modum capparum religiosorum, quibus facies velabant, ad oculos tantum foraminibus ad videndum relictis: omnes mares, & fœminæ, laici, clerici, & religiosi cujusque ordinis, grandes, parvuli, similibus vestibus incedebant, incredibilique devotionis ardore, longa horum dealbatorum agmina ad vicinas urbes commeabant, processionaliter bini pergentia, pacem, & misericordiam supplici clamore sæpe clamantia; ac laudes & hymnos in Latino, vel vulgari decantantia, præcipuè sequentiam illam, quam dicunt, D. Gregorium edidisse, *Stabat mater dolorosa, &c.* Ac etiam in illa peregrinatione novem & decem dierum, jejunantibus plurimis, qui poterant, in pane & aqua, Confessiones & Communiones frequentabantur cum aliis piis operibus, ut subdit ibidem.

Quoniam processiones, ut plurimum indicuntur occasione Rogationum, seu Litaniarum publicarum; non incongruum erit hic aliquid annectere de Rogationibus, seu Litaniis.

Litaniæ seu Rogationes.

Litaniæ Græco nomine nuncupantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter litanias vero & exomologesin hoc differt; quod exomologesis ex sola confessione peccatorum agitur: Litaniæ vero propter rogandum Dominum, & impetrandam aliquam ejus misericordiam; refert Rabanus Maurus de Instit. Clericor. c. 15.

Lita-

Qualiter instituta? Litanias, id est, Rogationes publicas (quas Majores vocamus) Romani una die denominata; id est VII. Calendas Maji annuatim facere solent: quas Gregorius Magnus initio ordinationis suæ instituit: dum post aquarum inundationem insolitam, & inguinariam luem, Pelagio I. Papa extincto, populum vastaret Romanum: propterea tunc eo modo septenam ordinavit Litaniam; sicut Paulus Diaconus commemorat in Imperatore Mauritio, ut Dominum precaturos in septem turmas, seu processiones distribueret; quo pietatem Domini multiplicius implorarent. In primo choro fuit Clerus; in secundo Abbates omnes cum Monachis suis; in tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis; in quarto omnes Pueri; in quinto omnes Laici; in sexto omnes Viduæ; in septimo omnes mulieres conjugatæ; ut latius in sermone, quem habuit idem sanctus Gregorius in Ecclesia S. Sabinæ IV. Kalend. Septembris, ut ex registro epist. lib. 11. cap. 2. ac etiam VValfridus de rebus Ecclesiæ cap. 28.

Refert Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. 4. cap. 24. & Albinus de divinis officiis cap. de Litania Majore: Hoc institutum adhuc hodie servari; quia tunc omnia in profectu sunt: messes pullulant, fructus, Vineæ, & Olivæ prodeunt, & erumpunt; ita petendum, ut à Domino conserventur etiam.

Triduanæ autem Litaniæ, quæ proximis diebus antè Ascensionem Domini annuè celebrantur; in Galliis sunt constitutæ temporibus Clodovæi Francorum Regis, scilicet vigesimo Imperii Zenonis anno, dum Civitas Viennensium crebro terræmotu subverteretur, & bestiarum desolaretur incursu; S. Mamertus ejusdem Civitatis Episcopus eas legitur pro malis, quæ præmisimus, ordinasse: quas Aurelianensis Synodus ex eo tempore jussit fieri. De quibus Sydonius Apollinaris lib. 5. epist. 14. inquit: *Quicquid enim illud est, quod vel otio vel negotio vacas; in Urbem tamen Rogationum contemplatione revocabere, quarum nobis solennitatem primus Mamertus pater, & Pontifex reverendissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit.* De iisdem refert etiam Amalarius, de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 37. & VValfridus dicto cap. 28. Rupert. Abbas, de divinis offic. lib. 9. cap. 5. subdentes, quod Hispani, & aliæ nationes in alia tempora easdem transtulerunt: quæ consuetudo apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus devotissimè recolitur, inquit Albinus de divinis officiis cap. de diebus Rogationum: Has autem Rogationes fieri solennes ante diem Dominicæ Ascensionis instituit dictus Mamertus, ut tanquam abeunti in cœlum Domino ac dicenti; *Petite, & accipietis*, humanæ miseriæ commemoratio triduanis supplicationibus ambitiosius ingeretur: & ut rememorata sponsoris potentia, fide petentium spes roboretur; in eisdem processionibus triumphatoris cœlos ascendentis insignia, scilicet Cruces atque vexilla præferuntur. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 9. cap. 5. Et quod ejusmodi processiones, Litaniæ, seu Rogationes tam in Occidente quam in Oriente, expiationis causa, urgente aliqua necessitate indici, quandocunque etiam ante præfata tempora consuescerent, extat Concilium Laodicens. cap. 17. & refert Card. Baron. sub ann. 158. ubi Spond. num. 45.

Litaniæ

Litaniæ quoque institutæ à Sergio Papa, *in festo Purificationis* sanctæ Mariæ: & hæ ab Ecclesia sancti Adriani, usque ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris, deferentes omnes cereum, quod de manibus summi Pontificis acceperant similiter etiam institutæ in aliis festivitatibus beatæ Virginis. Albinus de Ecclesiast. offic. cap. de Purificatione sanctæ Mariæ, de quibus loquitur etiam Rabanus Maurus, & alii.

Consueverunt etiam Litaniæ, seu Processiones in *Dominica in Ramis Palmarum.* Alcuinus de divinis offic. Hugo de sancto Victore lib. 4. Erudit. Theologic. cap. 14. ut nos infra dicemus cap. 26. ubi de hac eadem Dominica.

Fuerunt quoque Litaniæ in *Sabbato sancto*, post Baptismum ante Altare, quæ septenæ, quintenæ, ternæ dicuntur: de quibus Alcuinus de divin. offic. cap. de Sabbato sancto, & Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. p. cap. 28.

De processione in Resurrect. & Dominicis.

Fuit etiam annalis & præcipua Processio in die *sanctæ Resurrectionis*, de qua Rupert. Abb. lib. 7. de divin. offic. cap. 21. ubi refert, quod processio ista agatur ex mystica Evangelici auctoritate: ubi Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes: Ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: & ipse Dominus occurrens illis exeuntibus à monumento, cum tenuissent pedes ejus, & adorassent eum: Ite, inquit, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ubi me videbunt. Et inde merito in primi hujus mandati commemorationem: quod statim ut visus est Christus Dominus post resurrectionem, inquit: *Nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ubi me videbunt*; Nos Processionem agimus solennem, nosque & nostra loca aspergimus aqua benedicta, in honorem ejus diei, quo jussi sumus baptizati, in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Ex ea Processione etiam fluxisse eam, quæ *singulis diebus Dominicis* fieri solet, docet Rupert. Abb. lib. 7. cap. 20. Cujus institutionis auctor creditur Agapetus Papa auctore Martino Polono. Ejusque meminisse videtur S. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Eustochium. *Die tantùm Dominico ad Ecclesiam procedebant; ex cujus habitabant latere, & unumquodque agmen matrem propriam sequebatur atque inde pariter revertentes &c.* Ut de his refert etiam Durantes de Rebus Eccles. l. 2. c. 10. n. 5.

Miracula.

Processionum Ritus miraculis comprobatur: ut supra retuli de miraculo in Processione cum Reliquiis S. Stephani ex D. August. de Civit. Dei l 22. c. 8. Præterea refert Nicephor. lib. 14. cap. 46. & Cedrenus in Theodosio, ut cum Constantinopolis gravi & diuturno motu terræ concuteretur: indictis Litaniis & supplicationibus: subito inspectantibus omnibus, divina quadam vi, puer in aërem sublimis ad cœlestem usque tractum sublatus, divinas Angelorum voces audivit. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & immortalis miserere nostri:* Quo audito Theodosius, ut per orbem Hymnus ille concineretur, decrevit. Et alia multa miracula refert in proposito Durantes de Ritib. Eccles. lib. 2. cap. 10. n. 7.

Ex dictis Processionibus sunt aliæ Tristes, cum nos tribulationes patimur: & alias Lætas dicimus ad gratiarum actiones, ob res bene & feliciter gestas: Durant. dict. cap. 10. n. 8.

Verum quoniam Processiones solenniter aliquando indicuntur ad occurrendum

Prælatis vel similibus: Decrevit Honor. Papa III. in suo Diplomate: Ne cui Principi nisi sacro oleo unctus esset, religioso instructo agmine honoris gratia obviam iretur, ut ex Annal. Ecclesiast. Raynaldo auctore tom. 13. an. 1221. num 27. in fin. & seq.

De ordine procedēdi. Notandum hic obiter, ut Mendicantes inter se præcedentia contendentes, aut confratres confraternitatem, inter quos ortæ fuerint lites hujusmodi occasione: Qui in quasi possessione Juris præcedendi sunt, hi in processionibus publicis & privatis debent præcedere. Et quando non constat de quasi possessione præcedentiæ inter Fratres quidem Mendicantes, qui antiquiores in loco controversiæ habent domicilium: Inter confratres verò inter se litigantes ii, qui prius sacris usi sunt in processionibus. Nec in hoc derogatur quo ad præcedentias, quæ propriis Ordinibus debentur, præterquam in processionibus prædictis debentur Fratribus Cappuccinis, qui in processionibus sub cruce conventualium sancti Francisci, aut Conventualium de observantia incedere solent. Ut in Bulla Gregorii XIII. anno 1583. 15. Julii, quæ incipit. Exposuit: Impressa apud Quarantam in summa Bullarum, in verbo, Præcedentia.

Controversiæ, similiter si sint quæ inter Regulares, oriri solent super eorum præcedentia in processionibus, & cæteris actionibus tam publicis, quam privatis: illud observandum, quod in urbe Roma omnium Magistra observatur non obstante Constitutione prædicta & aliis contrariis, ut ex resolut. Cardinalium super Episcopis, & Regularib. 26. Augusti anno 1593.

Controversiæ de præcedentia inter Ecclesiasticas personas tam Seculares, quam Regulares, tam in processionibus, & aliis similibus actibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat. Concilium Trident. Sess. 25. cap. 13. de Regul. Quamvis hoc procedat in controversiis vertentibus inter personas Ecclesiasticas: secus si ex una parte sint seculares personæ, & ex alia Ecclesiasticæ. Ut ex declarat. Congreg. Cardinalium supra dicto cap. 13.

In Processionibus de jure debent omnes simul convenire in Cathedrali, & unicam processionem facere: Quod si ob locorum distantiam non possent in Cathedrali convenire; debent saltem in unum convenire in Ecclesia baptismali. Ut fuit resolutum in Rota Romana in Calaganitana præeminentiarum anno 1567. inter impressas Card. Seraphini in ord. 13. & 15.

In materia Præcedentiæ membra non separantur à capite Can. prim. 12. distin. Adeo ut Episcopus in processionibus debeat incedere cum suo Capitulo; alias ammitmittet distributiones, potest sibi eligere locum ubi maluerit. Ex declarat. Congregat. Concilii Trident. super Sess. 8. cap. 5. de Reform. Item quod præfata membra præcedant omnes, quos antecedit eorum Caput. Felinus in cap. Non licet sub n. 2. vers. Gusta bene. De præscript. & fuit resolutum in Rota Romana coram Gregor. XV. in Calaganitana præeminentiarum 18. Decemb. 1606. quod Ecclesia vel Capitulum existens in potestate Cathedralis præcedat Capitulum, quod est in statu Collegiatæ.

Nec prætermittam in præsenti referre ardentem pietatem summorum Pontificum in præcedentibus sæculis, qui in processionibus, seu Litaniis, antequàm solenniter Missam celebrarent, nempè diebus Purificationis, & Annuntiationis gloriosæ Vir-

Virginis, ab Ecclesia S. Hadriani usque ad sanctam Mariam Majorem: & feria quarta Cinerum ab Ecclesia sanctæ Anastasiæ usque ad Ecclesiam sanctæ Sabinæ: similiter in Litania majori in festo S. Marci à Basilica Lateranensi usque ad Basilicam sancti Petri in Vaticano; & aliis festivis diebus: summus Pont. Episcopi, & Cardinales discalceati tam longis itineribus pedibus nudis incederent. Cum autem ipse Dominus Papa ad Ecclesiam venisset, ubi Missa erat celebranda, Primicerius cum schola Cantorum in introitu ipsius Ecclesiæ cantantes, *Te Deum laudamus*: & deinde ipse Dominus Papa intrans sacrarium deponebat Planetam, ubi schola Cubiculariorum habebat aquam calidam paratam ad abluendos pedes Domini Papæ: quibus ablutis calceans caligas cum Sandaliis pro Missa cantanda; induens Planetam & Mitram aurifrisiatam, ita cum processione incedebat ad Altare majus; & ibi celebrabatur Missa de more. Hæc deduxi ex Rituario Cencii Camerarii, & aliis antiquis Ceremonialibus.

Exempti omnes tam Clerici Seculares, quam Regulares, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compelluntur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt. Concil Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 13. Quod procedit in omnibus processionibus publicis, & consuetis, vel indictis pro bono publico, & honore, ut resolvit Congregatio Concilii 12. Januar. 1598. Si Monachi vel Regulares ferè ultra medium milliare à civitate distent, non esse utique compellendos accedere ad processiones, non obstante dicto decreto, ut resolvit Congreg. Concilii, & refert Quaranta in summa Bullarii in verbo *Præcedentia*. Nec comprehenduntur Sacerdotes nullum officium, seu beneficium Ecclesiasticum in civitate, seu Diœcesi obtinentes: ut etiam resolvit dicta congregatio Concilii 9. Maji, 1597. secus si haberent beneficium etiam simplex; quia nunc posset compelli ab Episcopo ad processiones. Riccius in Collect. decis. part. 4. Collect. 882. in princ. Nec potest Episcopos compellere censuris Ecclesiasticis, ut accedant ad processiones, sed tantum pœna pecuniaria. Sanch. de Matrim. lib. 7. dub. 33. Quaranta in dicto verbo *Præcedentia*, in fine; & pluries resolvit Congreg. Concilii. Nec minus potest Episcopus compellere Confraternitates Laicorum, ut ad dictas processiones accedant, ut ex resolutione dictæ Congreg. refert Quaranta in dicto verbo *Præcedentia*.

In Processionibus, seu in progressu, quamvis pars dextra dicatur nobilior: tamen in consessu dicitur præcedere is, qui sedet in parte sinistra, ut dixi supra in cap. 2. pag. 19. litt. B.

Litania sanctorũ

Notandum quoque, Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ; sed etiam cuncta, quæ supplicationibus fiunt, Rogationes appellari. Litania autem Sanctorum nominum postea creditur in usum assumpta, quam Hieronymus per anni circulum conscripsit, rogatus quia Theodosius religiosus Imp. in Concilio Episcoporum laudavit Gregorium Cordubensem Episcopum, quod omni die Missas explicans, eorum Martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret, ut refert Walfrid. de Reb. Ecclesiast. cap. 28. Posset hic etiam referri consuevisse etiam Gentiles

hujuſmodi ſupplicationes in uſu habere; de quibus eruditè & curioſe Briſſonius lib. 2. de Formulis.

Inferamus ex prædictis, quod ſi in privato permiſſum eſt Deum precari, quanto magis hoc laudabile, & proficuum erit in publico multiplicatis interceſſoribus; ut in prædictis proceſſionibus, & publicis rogationibus, ſeu Litaniis; dummodo ebrietates, crapulæ, & alia illicita non intercedant; ut refert D. Apollinaris, de quo ſupra. Hæc ut effugiamus, in prædictis rogationibus humili, & contrito corde ad Deum converſi; ipſum ut peccatorum remiſſionem concedat, & alia mala nobis miſericorditer avertat, precemur. Rogandus eſt igitur Deus, qui & rogantes exaudiet: ſed ita demum, ſi ad pœnitentiæ lamenta confugerimus; ſi prævenerimus faciem ejus in confeſſione: & ſi levaverimus corda noſtra cum manibus ad Deum; id eſt, ſi orationis noſtræ ſtudium cum merito bonæ operationis erexerimus, in ipſius verbo confiſi, qui dicit; *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Item, *Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me.* Eſt autem aſſiduè invocandus, & importunis etiam fletibus inſiſtendum. Nam quæ hominibus ingrata ſolet eſſe importunitas, Judici veritatis placet; quia pius, & miſericors Deus: & à ſe vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult iraſci.

CAP. XLI.

De Incenſo, ſeu Thymiamate, & Thuribulo.

SUpponendum in præſenti, quod inter Eccleſiæ ſupellectilia reperiatur etiam vas, quo Incenſum comburitur; & nominatur à ſacris ritibus Thuribulum à thure, quod Incenſum ſignificat; ſicuti actus incenſandi Incenſorium nominatur à D. Ambroſio lib. 4. de Sacerdot. ac etiam Thymiamaterium, ut in 2. Paralipom. cap. 4. *Fecitque Salomon Thymiamaterium:* & hoc ex Thymiamate confecto è Thymo magni odoris, ut in 4. Georg. *Redolentque Thymo fragrantia mella:* ſeu quod idem ſit Thymiama Græco ſermone, quod Incenſum Latinè, ut ſcribit Beda in 1. Corinth. cap. 1. Hinc altare ad offerendum Thymiama, Exod. cap. 30. in princ. *Facies altare ad adolendum Thymiama:* De quo etiam S. Lucas cap. 1. ubi aſſiſtebat Zacharias ab Angelo admonitus de Nativitate Filii præcurſoris Joannis *Stans à dextris altaris incenſi:* quod in lib. Numer. cap. 17. Thymiama nominatur: *Tolle Thuribulum, mitte incenſum deſuper, & perges cito ad populum, & roges pro eis. Quod cùm feciſſet Aaron, obtulit Thymiama.*

Advertendum hic eſt, fuiſſe etiam mixturam quandam fragrantem ex variis odoribus præter incenſum, propriè Thymiama nuncupatam, quam præceperat Deus, Exod. 30. qua uti non licebat in alios uſus, ibi: *Sanctum ſanctorum erit vobis Thymiama: talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* Nec offerebatur à Sacerdotibus inferioribus ſuper Altare incenſi, ibi: *Non offeretis ſuper eo Thymiama compoſitionis:* cum à ſummo Sacerdote in Sancta Sanctorum fieret. *Loquere ad Aaron, aſſumpto Thuribulo: hauriens manu compoſitum Thymiama, ultra velum intrabit in ſancta:* & ſic, eſto Thymiama incenſum, & alium odo-

odorem generaliter significet; proprie tamen in scripturis compositionem jam dictam denotat.

Idololatræ in Occidente, & Romani potissimum, non utebantur primum Incenso in ipsorum superstitiosis Idolorum cultibus, propter distantem Regionem Arabiæ felicis, ubi illud oritur: at dein eorum Imperio & commercio ad Orientem delato; etiam illo ad adolendum uti consuevere. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 13. Plinius lib. 12. cap. 14. Gyraldus Syntagm. 17. hinc Ovid.

Qualiter usus institutus.

Templa tibi statuam, solvam tibi Thuris odores.

Et sic ab omnibus etiam barbaris nationibus dein semper servatum: cum crediderint aliqui sacrificium incensi à legibus universalibus omnium gentium stabilitum. Hieron. cap. 8. in Ezechielem: quamvis non ab aliis prius in usu, quam à Moyse, & Aaron, Dei præcepto Exod. 29. & Levitic. cap. 4. *Offeres incensum super altare. Crema super altare incensum.* Quòd ab Apostolis traditum cæteris Fidelibus, cum Evangelio fidei non repugnet. D. Leo serm. initio septimi mensis. *Vt quæ fuerant dudum consuetudinis Judaicæ, fierent observantiæ Christianæ.*

Notandum tamen, in Ecclesia sancta non esse usum Incensi tanquam Mosaicum præceptum, seu sacrificium, ut in veteri lege: quoniam in nova & Evangelica Lege unicum est tantum sacrificium; quod est Corpus, & Sanguis Christi verus in Missa oblatus: sed talis usus incensi est tanquam ceremonia directa ad ipsum sacrificium, & tanquam Ecclesiæ statutum: ex D. Thom. p. 3. quæst. 83. art. 1. & præter alia Concilia, etiam Trident. Sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 1. & 5.

Thurificatio est ceremonia

Et propterea hic ritus offerendi Incensum semper in Christianorum Ecclesia, tam à principio ejusdem servatus fuit; ut legitur in Liturgia sancti Petri, quando Thurificatio peragitur his verbis; *Sicut Zachariæ suffitum Thymiamatis suscepisti; sic de manibus nostris peccatorum hanc suscipe Thurificationem in odorem suavitatis.* Et in Missa sancti Jacobi: *Præsentem hunc ex nobis inutilibus servis tuis suffitum recipe in odorem suavitatis.* Et sanctus Basilius in Missa. *Diaconus accipiens Thuribulum, & Incensum, dicit Sacerdos: Incensum istud tibi offerimus Christe Deus in odorem suavitatis spiritualis; mitte nobis gratiam Spiritus sancti nunc, & semper. Amen.*

Semper apud Christianos in usu.

De hoc ritu Incensi legitur in Can. Apostol. juxta veterem editionem; *Offerre non liceat aliquid ad Altare præter novas Spicas, & Vvas, & oleum ad luminaria, & Thymiama; id est, Incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.*

Hippolytus Martyr. orat. de Antichristo sub medium. *Lugebunt etiam Ecclesiæ luctum magnum; quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus.*

D. Ambrosius in cap. 1. Lucæ. *Atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria, ac Sacrificium deferentibus assistat Angelus, imo præbeat se videndum; non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur.*

Evagrius in histor. Ecclesiast. lib. 4. cap. 7. de Zosimo ait; *Thuribulum postulat, & toto choro, in quo simul constiterunt, thuris incensi nitore profuso se prosternit humi precibus, & orationibus Deum placaturus.* & idem lib. 5. histor. cap. 21.

 refert

refert visionem, quam habuit Mauritius tunc, quando offerebat Incensum in Deiparæ Ecclesia; ex qua Gregorius Episcopus intellexit, illique etiam prædixit elationem in Imperium.

Damasus in vita sancti Soteris docuit, quod ille prohibuit: *Vt nulla Monacha pallam sacram contingeret, nec Incensum poneret in sancta.* & idem in vita Magni Constantini scribit, quod ille *Thymiatoria duo fecit ex auro purissimo pensantia libras* 30. *Donum aromaticum ante Altaria singulis annis libras* 50.

Germanus Constantinopolitanus in Rerum Ecclesiast. Theoria inquit; *Thuribulum subindicat humanitatem Christi, Ignis Divinitatem, & fragrans fumus indicat illum bonum odorem Spiritus Sancti præcedentem: Nam Thymiama est fragrantissima lætitia, si interpretari velis.*

Ex combustione Incensi in sacris Templis, infertur etiam ad usum Thuribuli, quo ad institutionem & finem; & multa ex his à Deo Moysi ordinata Exod. cap. 25. & 37. *Parabis & Thuribula.* & infra, *Fecit & Thuribula ex auro puro.* Ex quibus etiam 2. Regum cap. 7. *Fecitque Salomon Thuribula ex auro purissimo.*

Quid mysticè denotet.

Quid autem mysticè denotet Incensum? Primò est symbolum pœnitentiæ, & contritionis, qua Dei ira placatur; sicut odor Incensi suavis est, ut advertit Arias Montanus in Apocal. cap. 5. ex Ecclesiast. cap. 45. *Ipsum elegit Dominus offerre sacrificium, Incensum, & bonum odorem in memoriam placationis pro populo suo.* & in Sapient. cap. 18. *Et per incensum deprecationem allegans restitit Iræ.* Secundo denotat Evangelicam prædicationem; hinc Apostolus tanquam Thuriferarius, 2. Corinth. cap. 2. *Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco.* Intelliguntur etiam per Incensum ferventes fidelium orationes, ex Ugone de sancto Victore serm. 36. ut in Psal. 140. *Dirigatur oratio mea, sicut Incensum in conspectu tuo*: & in Apocal. cap. 5. 8. 24. *Habentes seniores singuli phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* & alibi: *Data sunt illi Incensa multa de orationibus Sanctorum.* Significat etiam Incensum varias Sanctorum virtutes, & bona opera; & in hoc assimulatur beata Virgo, & Ecclesia sancta per Spiritum sanctum in Cantic. cap. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi, ex aromatibus Myrrhæ, & Thuris &c.* Denique suffitus, seu thurificatio ad fugandos Dæmones efficax est: Innocentius III. lib. 2. de mysterio Missæ cap. 17. Guglielmus Durantes lib. 4. Rational. cap. 10. cum præsertim thus & thuribulum benedicantur.

Amplius Thuribulum, Christi corpus significat, S. August. homil. 6. in Apocal. *Thuribulum aureum corpus Christi sanctum interpretatur. Ipse enim Dominus factus est Thuribulum, ex quo Deus odorem suavitatis accepit, & propitius factus est mundo, quia obtulit se ipsum in odorem suavitatis.* Idem August. serm. 98. de tempore. *Vade quomodo verus Pontifex Jesus Christus assumpto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne Altaris, adjecto etiam Incenso, qui est spiritus immaculatus, &c.*

Ex præfatis, & aliis de causis, prisci fideles curarunt, ut similibus odoramentis, & thuribulis decenter ornarentur Ecclesiæ: refert Damasus de Magno Constantino in vita sancti Sylvestri. Metaphrastes de sancto Nicolao Episcopo. Anastasius Biblio-

bliothecarius in actis Sergii summi Pont. his verbis. *Hic fecit Thymiamatorium aureum majus cum columnis, & cooperculo, quod suspendit ante Imagines tres aureas sancti Petri Apostoli, in quo Incensum & odor suavitatis festis diebus cum Missarum solennia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur.* Et propterea non mirum quod D. Ambrosius testatur, id summopere Deo gratum esse, his verbis: *Nobis adolentibus Altaria, assistit Angelus, ut prabeat se videndum.*

Asseramus igitur, quod oblatio Thymiamatis, sicut & quilibet alius actus, qui reverentiam excitare valet, & pietatem debitam erga Deum; sit actus Latriæ, differens tamen ab eo qui redditur Reliquiis & imaginibus Sanctorum; etenim non animo supremi cultus istis exhibetur, ut ipsi Deo; sed in honorem pium & religiosum; excedentem tamen illum cultum consuetum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis offerendi Incensum erga Prælatos, & Canonicos, & populum; præfato namque ritu admonentur isti, ut vitam ipsorum sic dirigant, ut sit in exemplum secundum Apostolum 2. Corinth. cap. 1. *Christi odor bonus sumus Deo.* Præterea exhibetur Deo cultus Thymiamatis, seu Incensi, ad denotandum effectum nostrarum precum; ut inquit Psalmista: *Dirigatur Domine oratio mea, sicut Incensum in conspectu tuo.*

Qualis cultus Incensus.

Et eodem prætextu Orationum, & bonorum operum, quæ fecere Defuncti; eorum cadaveribus, & sepulchris præstantur Incensa; sicut etiam denotant orationes, & bona opera, quæ pro animabus illorum faciunt fideles: ac etiam talis ritus Incensi erga Defunctos forsan institutus loco aromatum, & aliorum odoramentorum, quibus mos erat priscis temporibus corpora condire, antequam sepelirentur; ut de Patriarcha Jacob Genes. cap. 50. & de Christo Domino Marc. cap. 16. Luc. 22. Joann. 19.

Quare erga defunctos

Hæretici hujus sæculi Thurificationes in sacris irrident, respuendasque contendunt. Primum ex cap. 1. Isaiæ ibi: *Incensum est abominatio mihi.* Deinde ex Arnobio lib. 7. adversus gentes, ubi pluribus thuris usum in sacris, & novum, & vanum docet. Verum hæc levia sunt. Nec enim purè Deus apud Isaiam thuris Incensum aspernatur, ac respuit, quemadmodum nec sabbata, nec neomenias; sed tum demum, cum ab impiis indignè incensum offertur: Atque ita hunc locum explicat Greg. Nazian. Orat. 3. advers. Julianum Imp. Arnobius verò suffitum, & thuris Incensum in honorem Deorum improbat, non autem in honorem Dei vivi; cui & thus, & cætera, quæ pura mente à piis, & religiosis offeruntur, grata & accepta sunt: maxime thus, quod, ut diximus supra, Deo afferri solet, & Divinitatem denotat. Accedat in simili S. Augus. Censura epist. 99. ad Deogratum his verbis; *Quapropter qui Christianas litteras utriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacra legis ritibus; Paganorum quod instituant Templa, & Sacerdotia, & faciant sacrificia; sed quod hac Idolis, & Dæmoniis exhibeant.* Quare ait Synodus 7. act. 4. *Ne quempiam offendat, quod ante Sanctorum Imagines lumina, suaveolentia Thymiamata accenduntur.* Quod & Sphilateus Patriarcha probat in lib. Qui ordo instituendi Diaconum, his verbis; *Ista fiunt in honorem illorum, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit.* Hoc istum testante D. Basilio. *Quod erga conservos bonos, honor*

Ad Hæreticos respondetur.

erga

erga ipſum Dominum, commune benevolentiæ ſignum exhibet. Senſibilia enim lumina ſymbolum ſunt immaterialis illius, & à Deo dati luminis. Aromatum autem incenſio, & totum ſancti Spiritus afflatum, & ſinceram repletionem ſignificat.

CAP. XLII.

De Lucernis Chriſtianorum & aliis Luminibus.





QUoniam priſci fideles ſæpiſſimè Lucernis utebantur, quarum inter alias duas habeo penes me ex ære cum ſigno X. quod P. interſecat, ut in figura, quibus litteris crucem, & Chriſtum fuiſſe denotatum ſupra cap. 1. demonſtravimus; ut ſimiliter hoc idem denotat aliud non ſatis diſſimile ſignum, quod in rectam crucis figuram divertit etiam in altera mea Lucerna fictili; Et hæc ſymbola congruè lucernis fidelium appoſita; cum ipſe Chriſtus teſtetur de ſe: *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*: & in pſalmo; *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.*

In altera Lucerna, in qua eſt impreſſus Chriſtus, portans in humeris ovem; ejuſdem charitas ardens præſefertur, cum ipſe Chriſtus teſtetur; quod pro ovibus ſuis ponit animam ſuam.

Num.13.

Eſt alia in Columbæ forma, quæ cum ſit ſymbolum Spiritus ſancti, ut diximus, ignis conſumens eſt; & ut inquit Chryſoſt. homil. in Matth. *Ideo à Spiritu ſancto ſpeciem Columbæ ſuſceptam, quoniam præ omnibus animantibus hæc cultrix eſt charitatis.*

Similiter altera, in qua Palmæ ſunt expreſſæ, & hæc ad Martyrum ſepulchra conſueverat apponi, ut in Apocalypſi: *Palmæ in manibus eorum*: ut etiam ſimiles parum expreſſæ apparent in ſacris Cœmeteriis.

Demum altera, in qua Cervus eſt effigiatus, denotat ſitim animæ fidelis ad Chriſtum, per Pſalmiſtam. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontem aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Quamvis ab Hæreticis etiam repellantur Luminaria in ſacris Ritibus: nos ut ſolemus, de iiſdem videbimus ex ſacro textu, ac etiam ex ſanctis Patribus. In Exod. cap. 25. verſ. 3. habetur. *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo.* & verſ. 37. *Facies & Lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo*; ac etiam in Exod. cap. 27. verſ. 20. & 21. ibi. *Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de arboribus Olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.* Et in Levit. cap. 6. verſ. 12. habetur. *Ignis autem in altari ſemper ardebit.*

Quibus & aliis locis Lucernæ ſeptem fieri jubentur, ut appareat Lucernas diſtinctas fuiſſe à candelabro. Lucernæ vero erant lampades aureæ, quæ ſuper extremitates brachiorum, & haſtilis candelabri ponebantur. Porro candelabrum aureum ſolidum, quandoq; Legem, quandoq; Eccleſiam ſignificat. S. Hieron. ad c. 4 Zachariæ. Quandoque Evangelicam converſationem, in qua Chriſtus lucernæ modo virtutes ſplendere præcipit. Iſichius in Levit. cap. 7. Septem vero lucernas ſuper candelabrum, ſancti Patres ſeptem gratias Spiritus ſancti interpretantur. Gregor. Niſſen. in

vita

vita Moysis. S. Hieron. ad cap. 4. Zachar. Candelabrorum usum Ecclesia Christianorum perpetuò retinuit: quod ex S. Clemente in Epist 2. ad Jacobum fratrem Domini, & aliis Patribus etiam colligere licet.

Habetur tom. I. Conciliorum in vita sancti Sylvestri, ubi agit de Magnificentia Constantini, quod inter dona, quæ fecit Imp. Reliquiis SS. Petri, & Pauli, & S. Laurentii, ac etiam Ecclesiæ S. Crucis; erat numerus magnus candelabrorum, & lampadum magni pretii, quæ ardere perpetuò debebant ex Balsamo, & aliis oleis pretiosis.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitan. orat. de occursu Domini inquit: *Læti hodie lampades ornemus, tanquam filii lucis: ceras veræ lucis Christo offeramus, quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit: ideo lumina ex lumine supra nivem resplendeamus, supra lac dealbati, supra sapphirum illuminati, supra immaculatas columbas in cœlo evolantes, ita in nubibus ad Dei occursum occurramus.*

Et sanctus Gregorius Magnus assignat fundum pro luminibus in Ecclesia sancti Pauli, lib. 2. Regist. epist. 9. *Utile judicavimus eandem massam, quæ ad aquas Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis luminaribus deputare*: & idem lib. I. Dialogorum de Constantio Mansionario Ecclesiæ sancti Stephani, ait: *Quadam vero die dum in eadem Ecclesia oleum deesset, prædictus Dei famulus lampades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit; quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in lampadibus, ac si oleum fuisset.*

Sanctus August. serm. 17. in Dedicat. Ecclesiæ ad finem tom. 10. docet Candelabrorum mysticum intellectum, nec non Candelabra benedici consuevisse his verbis: *In illo, scilicet Christo, ædificatur Ecclesia, quæ abscondi non potest; neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super Candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.*

Judæos & Gentiles lumina accendisse.

Quantumlibet ad tenebras noctis expellendas lampades fuisse collocatas, quisque jure possit dicere: tamen exploratissimum est consuevisse quoque Judæos lætitiæ causa etiam lucernas accendere, cum celebritatem aliquam agerent, ut docet Persius satyr. 5. dum agit de Natali Herodis Regis, quem Judæi celebrant, ibi:

. . . . at cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere Lucernæ
Portantes violas.

Nec lætitiæ tantum, sed etiam Religionis ergo idem factitari solitum (ut prætermittamus de Candelabro prædicto aureo septem infusoria habente) locuples est testis Josephus lib. 18. antiquit. cap. 6. dum asserit ad Stolam Pontificiam in Turre Antonia quotidie solitum accendi lucernam.

Gentiles quoque honoris ergo oleum, & lumina in æde sacra ponebant. Textus in l. si sponsus §. proinde ff. de Donat. inter vir. & uxorem. Quod sancti Apostoli Can. 70. diligenter vetant, his verbis: *Si quis Christianus oleum tulerit ad sacra*

Gentilium, vel Synagogam Judæorum festis ipsorum diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur. Nam velut ea, quæ sunt Judæorum aut Gentilium honorans; oleum offert, & lampades accendit.

Luminibus usos Christianos.

Hunc autem usum antiquitus in Ecclesiam demanasse, Baron. in ann. 51. ubi Spondan. num. 20. cum etiam ordinem Ceroferariorum, seu Acolythorum Clericorum, quorum munus erat ferre accensos cereos; & licet aliquando nocte, ut in vigiliis, tamen etiam clara diei luce peragi consuevisse certissimum fit, Cardinal. Baron. in ann. 58. ubi Spondan. num. 26. Nam & per totas Orientis Ecclesias, quando legendum esset Evangelium, accendi solita luminaria jam Sole rutilante, quæ denotant gaudium spirituale in nobis ex Verbo Dei, ac per illud tenebræ infidelitatis, & ignorantiæ sint expulsæ: Hieron. contra Vigilant. cap. 3. Idemque ad Martyrum reliquias in iisdem Orientis partibus fieri solitum, Epiphanius in epistola ad Joannem Hierosolymorum Episcopum; ac pariter Athanasius in epistola ad omnes Orthodoxos ex persecutione Arianorum deplorat Cereos à Fidelibus oblatos, ab Arianis sublatos, & in eorum Templis accensos.

De mystico luminum sensu.

Quod etiam in Ecclesiis Occidentis à Fidelibus quoque exhiberi solitum, Hieron. adversus Vigilant. in epist. 58. ad Ripar. multa docet: tum de re ipsa, quæ fieret; tum de luminum mystico sensu; & non ea ad Martyres illuminandos (ut exprobrat Vigilant.) tanquam ipsi eo lumine egerent, accendi; sed ad pium Religionis cultum, ex Augustin. serm. 215. de tempore, & aliis. Etenim, ut inquit Molanus in histor. SS. Imaginum lib. 2. cap. 41. quod nos protestemur Sanctos illos, ante quorum imagines cereos accendimus, luxisse, dum viverent in medio nationis perversæ, velut luminaria in hoc mundo; nunc vero ex isto loco caliginoso eosdem pervenisse ad locum claritatis æternæ, ubi Agnus, qui in medio throni est, eos illuminat; ut in Psalmo, *Lux orta est justo; & rectis corde lætitia.*

Præterea hæc luminum accensio indicat Mysteria, quæ in se retinet: & primo, quia lumen est stimulus ad virtutes, & pia opera, ex Apostolo ad Ephes. cap. 5. *Ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate, justitia, & veritate.* de quo admonemur in Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* S. Hieronym. epist. 20. ad Marcellam inquit, per hæc lumina significari vigilantiam, & solicitudinem in bonis & sanctis operibus, ut Christo Domino, tanquam sponso; sicut Virgines prudentes cum lampadibus occurramus. Guglielm. Durant. Rational. Divinor. Offic. cap. 3. assimilatur Fidei divinæ & infusæ, qua fideles illuminantur, ad Ephes. cap. 5. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sapiens cap. 7. per lumina Sapientiam divinam intelligit: *Proposui illam habere, quoniam inextinguibile est lumen.* Et in Proverb. *Diligite lumen Sapientiæ.* S. Joann. epist. 1. voluit per lumen significatum ipsum Deum. *Deus lux est; & tenebræ in eo non sunt ullæ:* quin imo immensam ejus gloriam nuncupatam ab Apostolo lucem inaccessibilem. 1. Timoth. cap. 6. *Lucem habitat inaccessibilem.* Et idem Salvator dicitur Lumen. Luc. cap. 2. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel:* quod ipsemet testatur per Joannem cap. 8. *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat.*

lat in tenebris. Et propterea de luminibus ad Divinum cultum dicere possumus, quod in Psalm. 36. *In lumine tuo videbimus lumen*: Quoniam hoc lumen externum in Ecclesiis auget nobis illud mentis: etenim sensibilia lumina: ia symbola sunt immaterialis illius, & à Deo dati luminis, ut David in Psalm. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in tabernacula tua.* Hinc Apostoli summo jure decrevere lumina in Ecclesiis in signum obsequii erga Deum & Sanctos ejus; ut fideles excitentur: declarat Tridentina synodus sess. 22 cap. 5. his verbis; *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ceremonias adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quò mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur.*

Propterea Cerei Paschalis benedictio, & usus in Ecclesia antiquissimus; & ut singulis Parochiis incenderetur, statuit Zosimus Papa, ut refert Baron. ad ann. 418. Spondan. num. 8. Causa benedictionis cerei in vigilia Resurrectionis Domini exprimitur in Concilio Toletan. 4. Can. 8. *Lucerna & Cereus in vigilia sacra Resurrectionis propter gloriosum noctis ipsius sacramentum solenniter benedicatur; ut sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus noctis votivè advenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus.*

Cereus paschalis.

Cereus iste, qui in Sabbato sancto benedicitur, Christi humanitatem designat: unanimitatem autem vult habere cereus iste cum Columna Ignis, quæ illuminabat populum Israel in nocte: unde dicitur in consecratione hujus Cerei: *Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras Columnæ illuminatione purgavit.* & infra: *Columnæ hujus præconia novimus, quam in honore Dei rutilans ignis accendit*: Unde Columna illa Christum præfigurabat, de qua Hieronymus, & alii. Lumen vero Cerei lumen Christi significat, quia Humanitas Christi postquam assumpta est à Divinitate, semper fuit illuminata: & eodem lumine præsens nox illuminatur gratia Resurrectionis, seu ejusdem Christi doctrinam designat, qui fons est omnis sapientiæ: & illo Catechumenorum tenebræ expulsæ sunt; etenim Christi humanitas, splendor & gaudium Resurrectionis rememoratur in hoc cereo; refert Rupertus Abbas de Divin. Offic. lib. 6. cap. 28. & 29. Qui cereus ideo novo igne accenditur, ut designet Christi doctrinam novam, quæ est in novo Testamento; refert Amalarius Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 18. & 20.

Præterea accensio trium Candelarum hac eadem die Sabbati, circumeunte per Ecclesiam Clero, hoc indicat, quod fides Christiana ab Evangelicis ministris in tres mundi partes fuerit delata: seu dicamus, quod sanctissima Trinitas per eosdem in omni loco cognoscitur.

Tria lumina.

Quindecim candelæ, quæ in vigiliis trium noctium majoris hebdomadæ extinguuntur, denotat, quod mortuo Domino tenebræ factæ sunt super universam terram: ac etiam significant excæcationem Judæorum, qui Christum occiderunt. Rupert. Abbas de divin. Offic. lib. 5. cap. 26. Volunt etiam quod duodecim Apostoli, & tres

Candelæ in officio majoris Hebdomadæ.

Mariæ denotentur per quindecim candelas, qui omnes unus post alium fidem perdiderunt: vel etiam postrema illa candela; quæ per breve spatium occultatur, denotat Christum tribus diebus mortuum quo ad humanitatem, non autem quo ad Divinitatem; qui resurgens deinde manifestum se fecit; ut etiam sacris officiis absolutis candela prædicta propalatur.

Candela in Purificatione. In Purificatione B. V. MARIÆ candelas portamus; ut felici gaudio justi Simeonis aliquatenus participemus, qui Christum infantem gestans in ulnis, agnovit, & confessus est, *Paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium.* Ejus igitur visibile signum portamus omnes in manibus; quem jam visibiliter portare, sicut Simeon, nec necesse habemus, nec possumus. Bene autem sacrati Cereoli id quod visibile erat Christi, nobis significant: nam sicut Apes ceram cum melle virginali producit opere: sic Maria Virgo Christum Deum & hominem salva uteri sui genuit integritate. Apes namque, nec ullo concubitu miscentur, neque libidine solvuntur, nullis partus doloribus concutiuntur, & subito magnum filiorum examen emittunt: de foliis & floribus ore suo prolem legentes. Convenienti igitur ratione deferunt Candelas Fideles in prædicto Purificationis die.

Convenienti etiam signo vectationem infantis Christi, prout possumus, imaginamur. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 3. cap. 25.

In funeribus. Non præteribo usum cereorum, qui in funeribus Christianorum accenduntur; nam eo quanquam veteres Ethnici utebantur in suis funeribus; Christianis tamen is familiaris fuit; id quod ut aliis locis supersedeam, in orat. sanct. Gregor. Nissen. in beatam Mariam, dum inquit: *Ex utraque autem parte præcedebat non exiguus Diaconorum, Ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes accensos cereos manibus gestabant.*

Et Nazianzenus in orat. funebri Cæsarei fratris refert de eorum communi matre procedente in funere, his verbis; *Matre accensas faces gestante*; & idem Nazianzenus orat. 2. in Julian. inquit: *Nocturnis cantionibus, & cereorum ignibus nos Christiani pium è vita discessum ornandum existimamus.* Ac etiam refert eundem ritum in alia oratione in funere sororis Gorgoniæ, Patris Gregorii, & Basilii Magni. Euseb. in vita Magni Constantini, cap. 66. inquit; *Milites arreptum cadaver* (Constantini) *aurea capsa includunt, & undique purpurea veste contectum Constantinopolim perducunt: ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus celso, atque edito loco deponunt, luminibusque circumfusis aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant; & sanè ejusmodi, quale nunquam in terris ullum à condito mundo sub Sole visum est.* Et talis ritus merito inductus, ut ostendamus Defunctos mediante fide & observantia Evangelica, quæ est vera lux, ipsos pervenisse ad æternum splendorem gloriæ.

Præterea, quod Lucernariæ preces ab ipso Ecclesiæ exordio dicerentur, diximus nos supra cap. 4.

Lucerna & vasa luminum Addimus etiam, quod candelabra in templis per modum coronarum posita, aut pendentia, non sint nupera, sed vetustissimi usus, dicente Paulino Natali 3.

Clara

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Nocte, dieque micant.

& idem alib. Natal. 9.

- - - - - Tectoque supernè
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus.

Sed quam sumptuosa esse solerent vasa aurea, vel argentea, aut alterius metalli affabrè facta ad lumina accendenda composita, in quibus non oleum, vel cera solum, sed intertum Opobalsamum, aut Nardinum oleum in honorem Dei, & Sanctorum incenderetur; extat in libello de Munificentia Magni Constantini, tom. 1. Conciliorum, in Sylvestrum. Quod non sub Christianis Imperatoribus solummodo, sed urgente adhuc persequutione Diocletiani, præter alia vasa aurea, & argentea, Ecclesiæ uti consueverunt argenteis Lucernis, quibus lumina incenderentur; ex D. August. epist. 165. & contra Crescon. lib. 3. cap. 29. Baron. ann. 57. & ibidem Spond. num. 36.

Luminum usum feliciter in Ecclesias introductum multoties à Deo stupendis signis editis confirmatum esse; innumera sunt apud auctores exempla: quin imo ipso etiam oleo lampadum, nec non cera è candelabris sumpta, complura peragi consuevisse miracula, cum morbos pellerent, Dæmones abigerent, mortuos resuscitarent; ex Augustin. de Civitate Dei lib. 22. cap. 8. Theodor. in histor. sanctorum Patrum cap. 21. Stephanus Durantes de Ritibus Ecclesiast. lib. 1. cap. 8. num. 4. Baron. in ann. 58. & ibidem Spondan. num. 30. & ann. 371. ubi Spondan. num. 9. & ann. 412. ubi Spondan. num. 15. Et præter cætera miracula refertur in proposito de lampadibus extinctis, jubare divino reaccendi solitis quotannis diebus Passionis Domini in Ecclesia Hierosolymitana, ex Baronio ann. 326. num. 6. & Romæ ex Cereis oblatis ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris, qui tota die Assumptionis sanctissimæ Virginis ibidem ardebant, & non fuisse consumptos; referunt Petrus Venerabilis lib. 2. de miraculis cap. 30. Ac etiam Igne fides probata adversus Hæreticos, Baron. ann. 471. num. 2. sicuti & posterioribus sæculis permulta edita miracula ex cereis illis acceptis ex Cereo Paschali, quæ sacro Chrismate delibutæ, & Benedictione sanctificatæ Agnus Dei nominantur, Baron. in ann. 58. ubi Spondanus num. 30. & nos etiam inferius dicemus.

Miracula propter lumina.

Licet autem Gentiles lætitiæ, & Religionis causa eundem luminum usum interdiu usurpare consuevissent: Juvenalis satyr. 12. ibi;

Cuncta nitent, longos erexit jannua ramos,
Et matutinis operitur festa Lucernis.

Sueton. in Cajo cap. 13. Ammianus lib. 21. Servius in 5. Æneid. adeo ut etiam Græcis Imperatoribus faces ardentes præferrentur: Herodian. lib. 1. ut etiam in ultimo nostro Capitulo videbimus. Tamen cum illum ipsum æquæ Judæi observarent, ut diximus; non potius à Judæis, sicut & pleraque alia, quam à Gentilibus (ut

Ritus Christianorum etiam à Gẽtilibus processisse.

(ut calumniatur Vigilantius) Ecclesiam eam mutuatam esse dixerimus? Si vero concesserimus id acceptum etiam à Gentilibus esse: quid absurdum, si quæ olim in cultum Idolorum fierent, eadem postea in honorem Martyrum conversa fuerint? ex Hieronymo adversus Vigilantium. Vel quia in Natalitiis, & aliis Principum celebritatibus factitari solerent, eadem ad Natalitia, & celebritates Martyrum translata? si quæ diebus Sabbatis Lucernæ accenderentur in templis; non quod, ut inquit Seneca, Dii egerent Lumine epist. 66. eædem in Dei Genetricis honorem sint commutatæ? si qui in Saturnalibus cerei erogabantur: Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 7. in solennitate occursus Domini, & sanctissimæ ejus Genetricis fuerint conversi? Nam quoniam consuetudo Romanis fuit, ut Februario mense (qui erat Februo, id est Plutoni consecratus, qui lustrationum potens credebatur) accensis facibus totam urbem lustrarent, atque solennes hostias offerentes, jura Diis manibus solverent: Hanc superstitionem, & lustrandi consuetudinem, quando in totum evelli non potuit, Christiana Religio in meliorem usum commutavit: statuens ut in festivitate Purificationis Mariæ, quæ in eundem mensem incidit, Litaniæ fierent, & universa plebs cum Sacerdotibus hymnos canentibus: cunctique datos à Pontifice Cereos in manibus gestarent ardentes: & juxta parabolam lucentibus bonorum actuum lampadibus obviam sponso, & Regi suo venientes, mox cum eo ad nuptias supernæ civitatis intrabunt. Præterea si Ægyptiorum anniversaria solennitas dicta accensio lucernarum, quas noctu circa domos suas frequenter accendere consueverunt, Herodotus lib. 2. fol. mihi 142. Eædem in festivitatem Ascensionis Dominicæ fuerint permutatæ? Beda de locis sanctis cap. 7. Quin imo Tertullian. de Idolis cap. 14. exprobrat plures inveniri Ethnicorum fores sine lucernis, quàm Christianorum, ne more Gentilium hæc illi præstando in Idololatriam inciderent: Datur intelligi, quàm necessario, & piè consultum fuerit, ut luminum sacer usus à superstitione Gentilium vindicatus, veri Dei cultui fuerit consecratus: & de iis vide Baronium ann. 58. ubi Spond. num. 28. & seq.

Misticus sensus.

Ex prædictis infertur, lumina deferri, ad denotandum, quod tenebræ infidelitatis, & ignorantiæ evanuerint; & per lumen corporale declaretur, quod legimus in Psalm. 118. vers. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Deferimus etiam lumina in Processione, in Funeribus, & Baptismate ad profitendam fidem, quæ nos illuminat in medio tenebrarum hujus mundi; ut ex D. Hieron. adversus Vigilant. habetur: *Et quicunque accendunt cereos secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: unusquisque in suo sensu abundet:* sicuti etiam ex dictis luminibus denotamus spem, quam habemus fruendi aliquando meliore vita, gratia, & meritis illius, qui dixit: *Ego sum Lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Advertendum tamen ex sacra Trident. synodo sess. 22. in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ; Quod candelarum certus numerus, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeatur.

Nec valet quod objiciunt Sectarii, hunc actum Accensionis Luminum erga Reliquias,

Reliquias,& Imagines Sanctorum esse cultum Latriæ, qui soli Deo debetur: Quoniam respondemus hunc esse solum cultum Hyperduliæ erga beatam Virginem, ac etiam Duliæ erga alios Sanctos; etenim in hac luminum accensione ante Sanctos etiam Christus honoratur: ex D. Hieron. lib. 1. epist. 2. ibi; *Non offendat quempiam quod ante Sanctorum Imagines Lucernaria suaveolentia, Thymiamata accendantur, quoniam honor ad Christum recurrit.* Quod etiam scribit Epiphan. epist. ad Joann. Episcop. Beda de locis sanctis cap. 7.

Non præteribo hic aliquid recensere de aliquibus lucernis perpetuis, repertis accensis, non solùm sæculis præteritis, verum etiam temporibus nostris in catacumbis, seu cryptis Sanctorum in urbe, ac etiam & in aliis prophanis locis: ut de simili reperta in Phano Veneris, D. August. de Civitate Dei lib. 21. cap. 6. dicens id potuisse succedere, vel arte Dæmoniaca; vel quod in lucerna illa mechanicum aliquod de lapide Asbesto, seu Carbasio ars humana molita sit; & huic postremæ opinioni subscribunt Albertus Magnus de Mineralibus cum aliis, quos refert & sequitur Licetus de reconditis antiquorum Lucernis lib. 1. cap. 9. asserentes omnes unanimi consensu, Asbeston esse lapidem, qui semel accensus, est inextinguibilis.

De lucernis perpetuis.

Refert etiam Frater Leander: *Nella descrittione d' Italia cap. della Campagna di Roma*; tempore Pontificatus Alexandri VI. fuisse repertum in arca marmorea cadaver cujusdam puellæ infusum intra liquorem aromatum, nec aliqua vicissitudine temporum offensum, & in eodem sepulchro lucernam accensam, quæ statim extincta fuit.

Diebus præteritis cum ego sermonem habuissem de hujusmodi perpetuis lucernis, una cum Julio Favera, qui optimam habet de urbis cœmeteriis, seu catacumbis cognitionem, propter assiduam, & longam illarum invisionem: attestatus est ille mihi annis præteritis in cœmeterio Callixti se unam ex dictis perpetuis lucernis reperisse accensam, sed illam lumine satis lento resplenduisse: ita ut apparente alio lumine dicta lucerna non agnosceretur. Tandem dictus Julius è muro, cui illa erat affixa, cum eam eruisset, extincta est; ac in ea lucerna non aliquem se vidisse liquorem, sed solum quandam rasinam: Et ego quoque habeo in meo Musæo lucernam ex ære, tenacissima simili rasina repletam instar lapidis; quam etiam ex prædicto Asbesto ad hujusmodi perpetuum lumen potuisse inservire, probatissimum est.

CAP. XLIII.

De Ære Campano, seu Campanis.

Campanæ nomen ex Campania Italiæ provincia desumptum, ibi primum eædem fieri cœperunt: & quæ grandiores essent, Campanæ dicebantur: minores autem, quæ à sono tintinnabula vocantur, Nolas appellant, à Nola ejusdem Civitatis Campaniæ, ubi eadem vasa commentata sunt, ut refert VValfridus Strabo de rebus Eccles. cap. 5. ac etiam Baron. in ann. 57. ubi Spond. num. 41. Esto quod plerique auctores prædictarum inventionum tribuant S. Paulino dictæ Civitatis Episcopo; nihilominus Polydorus de Rerum Inventione lib. 6. cap. 12. & Panvinius in epith.

summ.

ſumm. Pontt. volunt Papam Sabinianum inveniſſe : & forſan hic quoque exemplo urbis extendit hunc uſum ad reliquos fideles.

Quamvis earum uſum ſatis antiquiſſimum ex Dei præcepto ad Moyſen, Exod. 28. verſ. 33. ut in infima Pontificiæ veſtis parte apponerentur mala punica, & tintinnabula, ibi: *Mixtis in medio tintinnabulis; ita ut tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum, &c.* quæ indicabant populo adventum ipſius Pontificis, ut à negociis ii ſuperſederent. Ac etiam præcepit Deus ad Moyſen, ut legitur in Numer. cap. 10. in princ. *Loquutus eſt ad Moyſen dicens: Fac tibi duas Tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra.* & paulò poſt verſ. 10. ait; *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis; ut ſint vobis in recordationem Dei veſtri: Ego Dominus Deus veſter.* Quos textus etiam ad comprobandum uſum campanarum adducunt Alcuinus de divin. offic. cap. 28. & VValfridius Strabo de rebus Eccleſiaſt. cap. 5.

Campana apud Ethnicos.

Non ſolum apud Chriſtianos & Hebræos, verum & apud Ethnicos fuit etiam uſus campanæ ſeu tintinnabuli; ut ex Strabon. lib. 14. Geograph. Sueton. in Auguſt. Dio lib. 5. cap. 4. & de turribus, ubi affixæ erant campanæ, refert Plinius lib. 3. cap. 13. his verbis: *Pyramides ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus, & petaſus uſus omnibus ſit impoſitus; ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ longè ſonitum referrent.* Utebantur campanis Romani in Thermis, ſeu Balneis; ut apud Martialem lib. 14. epigram. his verbis.

Redde pilam, ſonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus obire domum?

Id intelligens Martialis de Aqua Virgine, cujus fontes adhuc Romæ copiosè emanant.

Zonaras deſcribens triumphum Dictatoris M. Furii Camilli refert, quod è curru Triumphantis pendebat tintinnabulum; ut forſan populus de illius adventu admoneretur: refert etiam Lucianus uſum Tintinnabuli, ut denotaretur ſonitus horarum in Horologiis: ſicuti etiam conſueverunt Romani uti ære campano ad eorum ſuperſtitioſos Religionis ritus.

Etenim præ cæteris metallis ad res divinas adhiberi ſolitum Æs; teſtatur Macrobius lib. 5. Saturnal. quod etiam innuit Sextus Pompejus; ſicuti etiam Euſebius Cæſarienſ. referens de Matre Deorum lib. 2. de præparat. Evangel. cap. 10. ait: *Sacerdos autem utriusque ſexus vir, & fœmina conſecrat; & urbem ut ſolent, tibiarum & tympanorum ſonitu perluſtrant.*

Etiam apud primos Chriſtianos.

Et quo ad ſacros Chriſtianorum ritus, etiam apud priſcos Fideles mos fuit convocandi populum diverſis ſignis.

Sanctus Ephrem, qui vixit de anno 370. meminit etiam cujusdam ſigni, quod ſuo tempore dabatur ad Synaxin; ut in parænesi 43. ibi: *Signo ad Synaxin, & officio dato, omnium ultimus tunc frater occurrit, & ante omnes è congregatione exire conatur.*

Et

Et sanctus Gregorius Turonens. qui floruit anno 580. idem refert in vitis Patrum cap. 4. agens de Gregorio Lingonensi Episcopo ibi: *Observatores ostium baptisterij obseratum invenientes, clave sua solida operiebant: commotoque signo Sanctus Dei, sicut reliqui omnes, ad officium Dominicum consurgebant.*

Æris campani, seu campanæ, usum deducam ab anno 600. [de grandiusculis loquor cogendi Christiani populi ad divina officia] quia tunc vixit auctor Ordinis Romani, quia titulo de Sabbato sancto sic ait; *Jussi incipiunt in Ecclesia Litaniam, Tertiam & Campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Missam.* Et idem auctor Ordinis Romani, in ordine processionis, cum Episcopus festivis diebus Missam celebrare voluerit. *Cum tintinnabulum ad Tertiam sonuerit, omnes simul fratres in Chorum ordinatim convenire debent*: & idem refert Cardinalis Baronius ad ann. 614. ex actis sancti Lupi, & ex eo tempore talis usus ad omnes transivit ætates.

Quo tempore à Christianis inventæ?

Audœnus, qui scripsit vitam sancti Eligii anno 650. nominat expresse Campanas lib. 2. cap. 21. dum inquit; *Sed ut ejus temeritas reprimeretur, Campana rationis expers beato viro obtemperans, nullum sonum reddidit: perstitit ille restim trahendæ campanæ, sed sonum exprimere non potuit.*

Et Ven. Beda, qui scribebat historias Anglorum anno 700. nobis demonstravit, quod tunc temporis etiam sonabant campanæ speciali quodam sono, cum quis è vita exisset; ut in lib. 2. histor. cap. 23. ibi; *Hæc in dormitorio sororum pausans audivit subito in aere notum campanæ sonum, quod ad orationem convocari, vel excitari solebant, cum quis eorum de sæculo fuisset evocatus.* Et talis ritus etiam de præsenti servatur in Anglia; ut cum quis decessit, statim campana propriæ illius parochiæ speciali quodam modo sonet per aliquod temporis spatium: [ut ego annis præteritis cum essem Londini in Anglia, annotavi ex continuo tali sonitu per urbem, ac etiam ex relatione civium, & incolarum] quamvis regnum illud jamdiu à vera Christi Religione apostataverit, ac etiam ipsi Angli negent modo orationes, & suffragia Defunctis proficua; non aliam tamen in hoc ab illis rationem potui percipere, quam quod talis sonus sit ritus antiquæ Ecclesiæ Anglicanæ, etenim etiam hodie in illo regno, ut in Hollandia ego quoque vidi, unam tantum campanam pro qualibet parochia inservit; & non plures, nec alibi.

Præterea circa talem campanarum sonitum, refert etiam Carolus Magnus de ritibus veteris Ecclesiæ, ibi: *His finitis pulsantur signa ad Missam publicam*: Similiter earundem originem tradit Guilbertus Tornacus, cap. 16. de offic. Episc. *Signa, quæ pulsantur in Missæ principio, Tubas argenteas signant, & ductiles, quibus convocabatur populus in veteri Testamento.*

Advertendum tamen est, prædicta de primo campanarum usu ad solam Ecclesiam Latinam referenda esse; Nam Græcis multo post, nimirum anno Christi nati 865. illæ usui esse cœperunt, cum à Duce Venetiarum Urso Patriciaco ad Michaelem Imperatorem Missæ fuissent, ut ex Venetiarum historiis, asserente hoc idem Baronio in dicto anno 865. ubi etiam Spondanus num. 7. Et hoc verisimilius, quia anno 830.

quo vixit Amalarius Fortunatus, meminit ipse lib. 4. de Eccles. offic. cap. 21. Lignorum soni, qui Constantinopoli in usu erat; Junioris Romæ nomine vocata. Præterea Anastasii Martyris sæculo nondum fuisse usum campanarum in Græcia, sed lignorum, legimus in septima Synodo, act. 4.

Rursus observa. Monachos non nisi anno 740. campanis uti cœpisse, cum Zacharias Papa, qui in ea tempora incidit, concesserit privilegium Cassinensibus, quod in diurnis, & nocturnis Ecclesiæ officiis signum in Ecclesia pulsarent.

Turcæ dissidentes à Christianis, odio forsan, quod ipsi prius campanas adhibuerint, propterea illi campanis non utuntur; vocant enim populum suum ad templa, ope ministrorum, quos præcones vocant, Gloss. in Clem. 1. de Judæis, & Sarac. Iidemque, nec usum Campanarum permittunt Christianis, qui sub eorum ditione vivunt, ut refert Cuspinianus de illorum religione. Quos imitantur Hæretici hujus sæculi, qui Campanis bellum indixerunt, dum eas frangunt, & comminuunt.

Campanæ originem duxerunt ex Tubis Hebræorum, ut diximus supra, quibus populus convocari solebat. Albinus de divin. offic. cap. quid significent vestimenta, &c. ibi; *Signorum usus à V. Testamento sumptus est in lib. Num. Dixit Dominus Moysi: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem*; Voce signorum campanas intelligens. Iisdem ferè verbis, idem refert Fortunatus de Eccles. offic. lib. 3. cap. 1. nec aliter sentit Guilbertus Tornacus de offic. Episc. cap. 15.

Quid denotent campanæ.

Quare autem æs campanum pulsetur ad officia sacra prænuncianda, refert Albinus de divin. offic. cap. 100. *Campanæ enim significant Concionatores*: etenim Prædicator perfectus hujusce signi quadam similitudine formatur; siquidem duritiam metalli fortitudine mentis; plectrumque ferreum, quo sonus cliditur, constantia sermonis imitatur: Ac enim ut Campana pendet de Turri; ita & Concionator sursum cor suspendit, cujus conversatio in cœlis est. Campana ligno alligata nunquam desistit personare; Ita & Concionator ligno crucis inhærendo, & charitate colligatus, non desistat die ac nocte os suum dilatare, instans opportunè, improtunè, arguendo, increpando, obsecrando &c. ut latè Rupertus Abb. de divin. offic. lib. 1. cap. 16.

Diverso æris campani sono ad Missam, reliquosque Ecclesiasticos Conventus olim convocabantur Fideles. Tornacus cap. 25. de offic. Episc. ibi. *Et quod distinguebatur antiquitus in clangore tubarum, & differentia sonituum; cum aliter in convocationibus faciendis, & aliter etiam pro mortuis.* & idem ab auctore Ordinis Romani de feria 5. in Cœna Domini ibi: *Ipso die sonentur Campanæ ad Missam, & cæteras horas, sicuti mos est diebus solennibus.*

Quare nō sonent in hebdomada sancta.

Inolevit antiquitus mos, ut diebus aliquot Hebdomadæ sanctioris Campanæ non pulsarentur, sed in earum locum sufficeretur è ligno sonus. Prioris causa fuit, quia campanæ divinam prædicationem significant; tunc autem Apōstoli, qui ante de rebus divinis incredibili animi ardore disserebant, obmutuere. Albinus de divin. offic. cap. de Cœna Domini ibi: *Quia ordo Prædicatorum tempore Passionis siluit, reticetur sonus signorum Campanarum.* & idem latius refert Joannes Beletus de divin. offic. cap. 100. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 5. cap. 14.

E li-

E ligno vero ſonus in locum campanarum ſuffectus, quia illud ſignificabat Chriſtum, qui pendens ex ligno crucis, Patrem precatus eſt, ut ſuæ mortis miniſtris ignoſceret; ſolusque dum pateretur, cœleſtem doctrinam prædicare non deſtitit, ex dicto Beleto ibidem his verbis; *Magnus tamen è ligno editur ſonus. Tabula lignea Chriſtum ſignificat, qui in ligno clamabat, prædicabat, orabat, dicens: Pater, dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt. Pulſatur igitur lignum, quia tum ſolus Chriſtus extitit concionator.* Præterea ligni pulſandi tribus hebdomadæ ſanctioris diebus eſt indicium humilitatis Chriſti, eumque à nobis intimis ſenſibus colendum. Fortunatus lib. 1. de Eccleſ. offic. cap. 12. & ibidem lib. 4. cap. 21.

Additur etiam tertia ratio, ut recoleretur memoria veteris ritus, cum Fideles in occultis locis deliteſcentes ligneis tabulis uterentur: Fortunatus ibidem ait; *Poteſt in hoc humilior uſus Romanæ Eccleſiæ deſignari antiquis temporibus, quando latitabat per cryptas propter perſecutores: nam adhuc Junior Roma, quæ antiquis temporibus ſub uno Domino cum antiqua Roma regebatur, uſum lignorum tenens, non propter æris penuriam, ſed propter vetuſtatem.*

Quomodo convocarentur fideles in primitiva Eccleſia.

Triplici modo in principio naſcentis Eccleſiæ Conventus Fidelium indicebantur. Nonnullos ſcilicet ſolo Pietatis, & Religionis ſtudio ad ſtatas horarias preces conveniſſe: Alios Prænuntiationibus publicis invitatos eſſe: Quoſdam verò in præcedenti ſolennitate ſubſequuturam didiciſſe, ut ex Walfrid. Strabone, de Reb. Eccleſ. cap. 5. Verum hoc contigiſſe, dum Gentilium perſecutio in Chriſtianos defecit; at poſt Magni Conſtantini tempora, quando res Chriſtiana melius haberi cœpit, nec dum cœptus uſus æris campani, certo homines huc, illucque mittebant Chriſtiani, ad conventus indicendos. S. Hieron. epiſt. 22. ad Euſtoch. ibi: *Cum ad Agapen vocaverit Præco, conducitur.* Sicuti etiam ſonus ligni ad convocandos Fideles fuit in uſu maximè, cum in cryptis fideles latitabant, ut ex Fortunato dict. cap. 21. refert Metaphraſtes in vita S. Theodoſii Cœnobitæ, & in vita S. Joannis Chryſoſtomi: Et præterea etiam Monachos, & Moniales ad Miſſam, reliquosque Eccleſiarum Conventus voce Alleluja vocatos eſſe. S. Hieron. epiſt. 23. ad Marcell. ibi. *Nunc adorandum feſtinat, conſurgit, & tinnula voce cæteris Alleluja præcipiens, prior incipit laudare Dominum ſuum,* & epiſt. 27. ad Euſtoch. *Poſt Alleluja cantatum, quo ſigno vocabantur ad Collectam, nulli reſidere licitum erat.* Refert etiam Card. Baron. ad annum 58. ubi Spondan. num. 40.

Benedictio campanæ.

Addimus prædictis, Campanas in Eccleſia tunc primum benedici ſolitas, & nomine impoſito Deo conſecrari: quando Joannes XIII. ſummus Pontifex, cum in Urbem rediiſſet, contigit primariam Lateranenſis Eccleſiæ Campanam miræ magnitudinis, recens ære fuſam ſuper Campanile elevari: quam priùs idem Pontifex ſacris ritibus Deo conſecravit, atque Joannes nomine [cujus Eccleſiæ eſſet uſui] nuncupavit. Qui ſacer ritus in Eccleſia perſeveravit, ut eo modo campanæ in Eccleſiis collocandæ, Deo, primum impoſito eis nomine, dicarentur; quod teſtantur veteres Codices Rituales: licet errore vulgi pro arbitrio utentis vocibus, dicantur baptizari Campanæ, cum ejuſmodi benedictionem, & nomen (ſicut in Baptiſmo nomen infantibus

imponitur) ab Episcopo accipiunt; refert Baronius in anno 968. ubi Spondanus num. 4. quod etiam refert Durantes de Ritib. Eccles. lib. 2. cap. 22. num. 6.

Hujus æris campani effectus præcipuus, ut certiores fiant de tempore, quo in Ecclesiam ad officia sacra convenire debeant: & propterea *Signa* nominantur à priscis Patribus, de quibus supra, & habetur in cap. solent, de consecrat. dist. 1. & clarius his versibus, de quibus in Gloss. Extravag. de officio Custod. cap. 1.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Redditur Deo honor, & gloria sonitu Campanæ, primum in elevatione sacrificii Missæ, ex instituto Gregorii IX. ut populus ad tantum mysterium excitetur, refert Petrus Messia par. 4. cap 9. & Platina in vita ejusdem Pontificis. Secundò, ad sonitum salutationis Angelicæ admonentur fideles, ut tribus vicibus in die flectant genua. Et quamvis tribuant hoc Urbano II. ut fideles Deum orarent pro exercitu transmisso ad recuperationem terræ sanctæ: Platina tamen, & Ciacconus hoc tribuunt Calisto III. ut oratio fieret pro Exercitu cruciatæ contra Turcas anno 1455. & hic triplicatus sonus in die respondet ritui, de quo in psalmo 54. *Vespere, & mane, meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* In quem psalm. Hieron. & August. exponunt: *Vespere cum passionem suscepit, manè cum resurrexit, meridie cum cœlos ascendit.* Convocatur etiam populus, & Clerus ad divina officia; & in hoc etiam Deus laudatur, ut in psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, juxta septem horas Canonicas: Sicut etiam ad alias Ecclesiæ functiones pulsantur Campanæ, maxime in exequiis Defunctorum, ut fideles excitentur ad orandum Deum pro animabus illis, quæ abierunt: ac etiam ut viventes recordentur eorundem proximi decessus; sicuti ut comitentur etiam Defunctum ad sepulturam juxta ritus Ecclesiæ, ex Nazianzeno Orat. 2. in Jul. *Nocturnis cantionibus, & cereorum ignibus nos Christiani pium è vita discessum ornandum existimamus.* & S. Chrysost. Orat. 4. ad populum. *Defunctos tanquam athletas comitamur.* Inservit etiam sonus campanæ ad placandos turbines, & aeris agitationes, ut in orationibus ad hoc ab Ecclesia institutis: & quoniam prædicta à Dæmonibus commoventur, propterea verba sacra apponuntur supra hujusmodi Campanas, nempè *Ave Maria gratia plena*: seu etiam *Verbum Caro factum est*; quæ tremenda sunt Dæmonibus.

Multa possent referri miracula, quæ fecit Deus ad sonitum Campanæ, ut videre est apud scribentes, & maxime apud Petrum Cluniacensem lib. 1. de Miracul. cap. 13.

Pulsantur etiam Campanæ ad alios usus etiam prophanos, nempe lætitiæ, & mœstitiæ, ut in hoc vario sonitus genere notant Canonistæ in cap. unico, Extravag. de offic. Custod.

Matricis Ecclesiæ honor.

Ut debitus honor Ecclesiæ Matrici seu Cathedrali reddatur, decrevit Concilium Lateranens. sess. 11. tom. 5. Concil. *Tam ipsi fratres, quam ipsi Clerici seculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die sabbati sancti majoris hebdomadæ antequam Campana cathedralis seu matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanas in Ecclesiis pulsare minime possint: contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.*

Quo-

Quoniam fuit alias contentio inter Clerum Secularem, & Regulares circa numerum campanarum, quas ipsi haberent: decrevit summus Pont. Joannes XXII. anno 1320. ut in Extravag. unica, de offic. custod. quod Religiosi ordinum Mendicantium in nullo conventu seu loco plures campanas habeant: *Sed una tantum pro loco quolibet sint contenti*, & hoc forsan propter eorum paupertatem, quam professi sunt. Et quamvis in hoc derogaverit communis usus: utinam renovaretur in parte tale decretum: siquidem aliqui ex Religiosis eo devenerunt continuo campanarum sonitu diu noctuque, ut potius sæpe fideles ad impatientiam, & iracundiam, quam ad pietatem inde provocentur: & plurimi aliquando infirmi, seu in eorum secessu studentes hoc satis experiuntur.

Numerus campanarum.

Denique hoc addam, morem esse (ut ego vidi) in tota Germania superiore & inferiore, nec non in Gallia, & Anglia; ut in omnibus campanarum Turribus apponatur in summitate effigies Galli ex metallo, ad Prælatorum & Curionum alliciendam atque excitandam vigilantiam, ut hoc idem in Emblemate Alciatus & refert Durantes de ritibus Eccles. lib. 1. cap. 23. n. 8.

CAP. XLIV.

De Cantu in Ecclesia antiquissimo: & aliis musicis Instrumentis.

MOs semper fuit laudare Deum in psalmis, & cantibus; ut de David psallente, dum Saul à malo spiritu obsidebatur, 1. Reg. cap. 19. vers. 4. & 10. habetur: *Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam. Porrò David psallebat manu sua, &c.* & idem Psalmista David sæpius hortatur ad magnificandum Deum in Tympano, & Choro, & Organo, Cymbalis, & Cithara, Psalterio decem chordarum, Tubis ductilibus, & voce Tubæ, ut in Psalm. 9. vers. 12. & psalm. 12. 21. & 70. 22. & 97. 4. & 146. 7. & 149. 1. 3.

Canendi formam à priscis fidelibus majoribus nostris accepimus, Apostoli monitu edoctis, qui ad Ephes. 5. inquit; *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus: cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Et hujusmodi religiosis, modestis modulationibus ad rerum æternarum studium sese erigebant, Christi & Apostolorum exemplo; refert August. epist. 119. cap. 18. ibi; *De hymnis & psalmis canendis, ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, exempla, & præcepta: de hac re tam utili ad movendum pie animum, & accendendum munire dilectionis affectum, varia consuetudo est.*

Musica igitur ex his in Ecclesia retinenda; quoniam hæc tædium tollit, auget charitatem, & amorem, in Deum nos trahit: propterea inquit Lanctantius Divin. instit. lib. 6. cap. 21. *Si voluptas est audire cantus, & carmina: Dei laudes canere, & audire jucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes, & socia virtutis est: Hæc*

eſt non caduca & brevis, ut illæ, quas appetunt, qui corpori ut pecudes ſerviunt, ſed perpetua & ſine ulla intermiſſione delectans. & S. Chryſoſt. hom. in Pſalm. 4. inquit; *Ne Dæmones laſcivia meretricia cantica introducentes, omnia everterent; pſalmos Deus conſtruxit, ut ex ea re ſimul caperetur voluptas, & utilitas.*

Adeo frequens fuit priſcis Fidelibus pſalmorum cantus, ut eo etiam in conviviis & ruri creberrimè uterentur. Hinc S. Cyprianus ad Donatum. *Nec ſit vel hora convivij gratiæ cœleſtis immunis: ſonet pſalmos convivium ſobrium.* Tertull. in Apolog. cap. 39. *Poſtquam aquam manualem, & lumina, ut quisque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* Et S. Hieron. epiſt. 17. ad Marcellam, inquit: *In Chriſti villula præter pſalmos ſilentium eſt: quouſque te vertis, Arator ſtivam tenens. Alleluja decantat, ſudans meſſor pſalmis ſe evocat: & curva attollens vitem falce vinator aliquid Davidicum canit. Hæc ſunt in provincia noſtra carmina: hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones: hic Paſtorum ſibilus: hæc arma culturæ.*

Et quamvis Auguſt. in pſalm. 31. Concord. 1. nolit ea, quibus Gentilitas in ſuis ritibus uti conſueverit, Chriſtianis eſſe communia: tamen ſi rectè pieque eadem, ut Chriſtianam modeſtiam decet, exerceantur, non prohibet, ſed liberaliter indulget, his verbis: *Et ſi ad lyram, vel citharam canere, & pſallere noveris; nulla in te cadet reprehenſio; Hebræum juſtum Regem imitaberis, qui Deo eſt gratus & acceptus: Exultate juſti in Domino; rectos decet collaudatio: Confitemini Domino in Cithara, & pſalterio decachordo ei pſallite.* Et nemo jure poteſt carpere, quòd in Eccleſia adhibeantur organa, & ſimilia inſtrumenta, quæ omnem in ſono proferunt cum gravitate, & ſuavitate modeſtiam: quod ſecus erat forſan ab initio naſcentis Eccleſiæ, cum eadem eſſent proſcripta; eò quia communia erant Gentilibus, ut dixi: & refert Card. Baron. ſub anno 60. ubi Spodan.

Quatenus quis in Eccleſia muſicam, & pſalmorum cantum impugnare audeat; impugnabit & ipſe quoque libros Exodi, & Regum, in quibus Moyſes, & alii Deo devoti laudes Domino decantandas præſcripſerunt: cumque ipſemet David non ſolum plurimos compoſuerit pſalmos, & choros inſtituerit cantorum, ſed etiam hortetur, ut inſtrumentis muſicis Deum laudemus. Quibus accedunt cantica Zachariæ, Simeonis, & ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis; itemque Angelorum exempla, de quibus nato Domino refert Lucas c. 2. *Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quæ verba canticum Angelorum nuncupari docet Walfr. Strabo lib. de Eccleſ. offic. c. 22. Præterea Apoſtoli Cœna facta etiam hymnum cantarunt apud Matth. cap. 26. ibi: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Quod autem etiam Apoſtoli hymnum cantarent, non eſt ambigendum, alias non fuiſſet hymnus, ut docet S. Auguſt. in pſal. 72. his verbis; *Hymni laudes ſunt Dei cum cantico: hymni cantus ſunt continentes laudes Dei: ſi ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus: ſi ſit laus, & Dei laus, & non cantetur, non eſt hymnus. Oportet ergo, ut ſi ſit hymnus, habeat hæc tria: & laudem: & Dei: & canticum.*

Hujus

Hujus ecclesiastici cantus quantum sibi complaceat Deus: miraculis etiam comprobatur: Dum Suburbiorum Carcassonæ expugnatio facta canente Clero, ut in Annalib. Ecclesiast. Raynaldo auctore tom.13. anno 1209. num.23. Ac etiam Sacerdotum cantu territi Hæretici: in iisdem Annal. anno 1211. num.15. Ut quoque propulsati, in iisdem Annal. anno 1212. num.12. *Miracula.*

De hoc ritu Ecclesiastici cantus in Ecclesia, qui plurimis jam in locis ab initio nascentis Ecclesiæ erat in usu, S. Damasus Rom. Pont. ut legitur in ejus vita 11. Decembris, & in libro de Romanis Pontif. decrevit ut per omnes Ecclesias canerentur psalmi die noctuque ab alternis; & in fine cujusque psalmi diceretur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Quod probabile est etiam, emendatum à S. Hieron. Psalterium septuaginta Interpretum, canendum Occidentalibus præceperit idem Damasus, de quo Hieron. in Apolog. adversus Rufinum inquit: *Psalterium quoque certè emendatissimum juxta septuaginta Interpretes nostrò labore dudum Roma suscepit.* Similiter ordinem cantilenæ diurnis, seu nocturnis horis dicendæ, B. Gregorius Magnus plenaria creditur ordinatione distribuisse; cum multi ante sive post eum Orationes, Antiphonas, vel Responsoria composuerint. Walfridius de reb. Eccles. c.28. Ac etiam sanctus Leo II. Rom. Pont. cum ipse musicis esset eruditus, sacros hymnos & psalterium reduxit ad meliorem concertum, ut legitur in vita ejusdem Leonis 28. Junij.

Organorum usus, de quibus sæpius in Davidicis psalmis fit mentio, in Ecclesia pariter antiquissimus: & quamvis Vitaliano Rom. Pont. illa in Ecclesia fuisse recepta, referant Mart. Polonus, Platina, & alii ex Pontificali Damasi Papæ; Organa primum missa Pipino Regi à Constantino Imper. Græco, auctor est Marianus Scotus in Pipino, & Aymon Monachus lib. 4. de Gestis Francorum. cap. 113. affirmat, Organa more Græorum primum in Francia composita industria cujusdam, cui nomen Gregorius, Imperante Ludovico Pio, ejusque sumptibus: quamvis longe inferius eorundem inventum referat Navarr. lib. de Orat. & horis Canon. cap. 16. Et quanquam in capella summi Romani Pontificis organa non sint admissa, sicuti nec alia instrumenta; non propterea hæc omnino respuenda, sed & consulenda est prudentia, quænam illorum locorum sanctitas deceat? ut refert Sotus de Just. & Jur. lib. 10. quæst.5. art. 2. Plenè Democares de observanda Missarum Celebrat. cap. 14. Organorum usum Ecclesia, ait, Synodus Senonens. cap. 17. ad cultum, & servitium Divinum recepit: modo nihil præter hymnos divinos, & cantica spiritualia organa repræsentent. Item in Concilio Coloniensi, & in Synodo Tridentina sess. 22. De observandis & evitandis in Celebrat. Missæ, & refert etiam Durantus de Ritib. Eccles. lib.1. c.13. *Organorũ origo.*

Prædictis etiam annectam de loco, ubi in Ecclesia canebatur, ut dicunt sanctus Augustin. in psalm. 149. & S. Isidor. lib.6. Orig. qui *Chorus* dicebatur: quæ vox non aliud denotat, quam concentum, & multitudinem simul canentium; ita choros Moyses post transitum maris rubri instituit, utrumque sexum distinctis classibus, se, ac sorore præeunte, canere Domino in choris carmen triumphale, perdocuit. Præterea in sacro textu refertur de mulieribus in triumpho David de morte Goliæ 1. Reg. c.18. *De choro.*

Egressæ

Egressæ sunt mulieres in occursum cantantes, choros ducentes. Et lib. 2. Esdræ cap. 12. *Steterunt duo chori laudantium.* Et in psalm. 150. dicitur: *Laudate nomen ejus in choro.* Dicitur enim chorus, ut voluit Amalarius lib. 9. cap. 3. & Rabanus Maurus de Institut. Cleric. lib. 1. cap. 33. Quia si in choro cantamus, corde cantamus: vel etiam dictus chorus, quod initio in modum coronæ circa Aras starent canentes, & ita psallerent: unde in Ecclesiast. cap. 50. habetur. *Stans Sacerdos ante Aram, & in circuitu ejus corona fratrum,* ut etiam ad præsens in Collegiatis Ecclesiis, & similibus est in usu. Proprie autem chorus dicitur locus ille, ubi Ecclesiastici canunt in Ecclesiis & psallunt à populo intermediis cancellis, aut alio modo distinctis; ut in Concilio Turonens. 2. can. 3. ubi: *Pars illa, quæ à cancellis versus altare dividitur, chorus tantum psallentium pateat Clericorum.* Et in Concilio Toletan. 4. can. 17. *Vt Sacerdotes & Levitæ ante Altare communicent, in choro Clericus, extra chorum populus.* Et S. Clemens lib. 2. Constitut. Apostol. cap. 57. dum loquitur de sedibus Ecclesiasticorum in choro psallentium, quorum in medio vult esse positam sedem Episcopi, seu alterius Prælati; loquitur his verbis: *Sit solius Episcopi in medio positum, & in utroque ejus latere sedeant Presbyteri, & adstent Diaconi.*

Vnde cantus alternatim in Ecclesia.

Quomodo autem in Ecclesia cœperit consuetudo alternatim canendi? Hoc processisse ex visione, quam habuit sanctus Ignatius, ut refert Socrates hist. Ecclesiast. lib. 6. cap. 8. his verbis: *Jam vero dicamus, unde consuetudo hymnorum, qui in Ecclesia alternis decantantur, initium sumpserit? Ignatius Antiochiæ, quæ est in Syria, tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis versatus est, visionem vidit Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis, collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochiæ tradidit: unde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est;* Et talis usus alternatim canendi ab initio in Ecclesia, peculiare indicium fuit, quod prisci Christiani ad Imperatores deferrentur, ut ex Luciano in Philopatro, & ex Plinio epistola 97. lib. 10. ibi; *Affirmabant hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carnemque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere &c.*

De hoc eodem antiquissimo ritu psalmorum, & hymnorum in Ecclesia alternatim ex Apostolica traditione, & divinis visionibus, itemque frequentatissimo, tradit Card. Baronius in anno 60. ubi Spondanus num. 12. & hujus cantus Ecclesiastici ritus alternatim, Euseb. Cæsariens. in histor. Eccles. cap. 17. refert Philonem Hebræum describentem Cantus Christianorum his verbis; *Vnus ex omnibus consurgens in medio psalmum honestis modulis concinebat, & præcinente eo unum versiculum, omnis multitudo respondebat.* Loquitur de eodem ritu etiam Justinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium, apud Clementem Alexand. in orat. ad Gentiles. Sanctus Cyprianus in oratione Dominicali, ac præcipuè sanctus Basilius in Epistola 63. refert ad Hæreticos sui temporis, ut non retrahantur à Psalmodia, quoniam hæc ubique terrarum est in usu, ut his verbis; *Illucescente jam die pariter omnes velut ore uno confessionis psalmum Deo offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitetur.* & paulo post:

Et ut

Et ut semel dicam, omnes, apud quos vigiliæ, ac preces, communesque psalmodiæ in pretio sunt, &c. Et ideo talis vocum sonus in Ecclesia resonabat, ut sanctus Hieronymus in præfatione epistolæ ad Galatas lib. 2. dicat: *Ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat.* Unde ex hoc, ut confusio tolleretur, decrevit Laodicenum Concilium Can. 15. *Non licere præter Canonicos psallentes, id est eos, qui regulariter Cantores existunt, quique Pulpitum ascendunt; & de codice legunt; alium quemlibet in Ecclesia psallere:* Ac etiam quamvis Laicis olim fuisset commune canere in Ecclesia; postea tamen ob eorum inconcinnitatem solis Clericis id reservatum fuisse, prout queritur pluribus, cum populum de ea re objurgat S. Chrysost. homil. 1. in Isaiam cap. 8. & refert Baron. ad ann. 51. ubi Spondan. num. 20. & idem Baron. ann. 60. ubi Spondan. num. 13. & seq.

Populus canere vetitus.

Diximus supra ex Apostolica traditione, ac etiam ex divinis visionibus cœpisse in Ecclesia ritum alternatim canendi: Addimus hic quoque ex Apostolica traditione inductum in Ecclesiam hymnum glorificationis, ac etiam secundum postea traditam in Nicena Synodo formulam, hymnos à Catholicis compositos esse, & decantari solitos: nimirum cum Ariani, sicuti Baptismi formam, ita quoque glorificationis hymnum corrupissent, ut diceretur; *Gloria Patri per Filium, & Spiritui sancto.* Catholici contra tunc ex antiqua consuetudine eundem ipsum glorificationis hymnum rite canere perrexerunt; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Quem ritum deinde Damasus Papa, ita consulente B. Hieronymo, in Ecclesia Romana, & aliis omnibus Ecclesiis servandum præcepit, de quo Hieronymus ad Damasum sic inquit; *Precatur cliens tuus, ut vox ista psallentium, in sede tua Romana die noctuque canatur, & in fine psalmi cujuslibet sive matutinis, sive vespertinis horis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto &c. ut fides 318. Episcoporum Niceni Concilii in vestro ore pari consortio declaretur.* Et S. Ambrosius refert, se in odium Arianæ Hæresis in hymnis recens à se editis, & in Ecclesia canendis populis traditis, ad finem cujusque addidisse eandem conglorificationem sanctissimæ Trinitatis.

De hymno Glorificationis.

Post verò Nicenum Concilium, cum glorificationis hymnus ubique occineretur, licet diverso ritu, nova occasione recens accepit additamentum: nimirum ut contra blasphemiam Arianorum dicentium Filium à Patre in tempore factum, communi consensu Ecclesia ubique orientalis ad antiquum glorificationis hymnum Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, addiderit Appendicem: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Quod etiam testatum habetur in Concilio Vasensi, ut refert Baron. in ann. 325. ubi Spondan. num. 46. & seq.

Quare autem hymnus glorificationis remittatur à Dominica Passionis, & sequenti hebdomada luctus? Dicimus, quia ex tunc mandatum dederant Pontifices, & Pharisæi, ut si quis cognoverit, ubi sit Jesus, indicet, ut apprehendant eum: & quia jam non palam ipse ambulabat apud Judæos; nos quoque cum illo quodammodo secedimus, dum vocem lætitiæ, & laudis aliquantulum supprimimus. Nam de Responsoriis Gloria Patri subtrahimus, & ad Missas quoque cum Introitu non dicitur. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 5. c. 2.

De Trisagion.

Consequens est etiam, ut hic de *Trisagion* ab Angelis etiam decantato aliqua breviter dicamus. Etenim anno 446. cum ingenti terræmotu per loca varia imminente, plurimæ urbes, & muri Constantinopoli corruissent; ac fames, & aeris pestifer odor multa millia hominum, jumentorumque delevisset: Accidit mirandum illud Constantinopoli, ut cum Theodosius Imp. una cum Proculo Episcopo, universoque populo, præ metu ruinarum ædificiorum, extra urbem in loco, qui diceba-tur Campus, habitarent, ac die quadam motu eo vehementius grassante, cuncti simul ex intimo corde cum multis gemitibus misericordiam divinam implorarent; superna repentè vi puer spectantibus omnibus de media turba in sublime extra visum hominum raptus, rursusque priore per aerem via in eundem locum dimissus: Patriarchæ, Imperatori, universæque multitudini Litaniis, & supplicationibus, operam dantibus, retulerit dictus Puer ab Angelis se divinum Trisagion in hunc modum decantatum audivisse, *Sanctus Deus: sanctus Fortis: sanctus, & immortalis: miserere nobis.* & ut ipsi eodem modo concinerent, monuerit: moxque ipse animam efflaverit. Ubi verò populus jubente Proclo Trisagion ad eum modum decantare cœpit, terræmotus omnino quieverit. Quam pridem rem adeo ingentem; non solum Nicephorus lib. 14. cap. 46. ex antiquissimis auctoribus exactè descripsit (qui & addit Theodosium Imperat. una cum sorore Pulcheria Augusta edita constitutione decrevisse, ut per totum orbem hymnus iste divinus concineretur) sed & consecratam Græci habent in tabulis Ecclesiasticis die 24. Septembris, confirmantque hoc idem plurimi Episcopi, atque ipse Felix III. Papa epistolis suis adversus Petr. Fullonem Episcopum Antiochenum, eundem hymnum additione impia (*Qui crucifixus es pro nobis*) corrumpentem, ut in tom. 3. Conciliorum in Felice III. idque ipsum egregiè explicavit Damasc. in Comment. de Trisagion. & in lib. de fide orthodoxa cap. 10. ut etiam comprobatur in Concilio Chalcedonens. quando damnatus est Dioscorus. Magna porrò divina providentia tunc factum videtur, ut cum Eutyches in secreto cubiculo, & penetralibus Monasterii adversus Divinitatem pugnaturus arma fabricaret, quam sicuti Humanitatem passam esse dixit; adversus ipsum Deus præpararit canticum, quo Divinitatis Immortalitas, ubique gentium caneretur, & per ipsum offensi Numinis conciliatio imploraretur: sic enim planè divinæ providentiæ est, prius parare arma, quam instet prælium, medicamenta conficere, antequam venenum irrepat in præcordia, & ante venturam famem horrea frumento replere; ut refert de his Baronius in ann. 446. ubi Spondan. num. 2 & 3. Quare autem Græcè apud Latinos in Parasceve Trisagion cantetur, vide eundem Baronium in ann. 492. ubi Spondan. num. 3.

Alleluja.

Est quoque Cantus *Alleluja*, quæ dictio Hebraica in Latinum versa, sonat *Laudate Dominum:* & est de decem nominibus Dei, quæ apud Hebræos habentur. Est Alleluja cantus lætitiæ, quem Ecclesia in festivitate Paschatis, ac Dominicis diebus frequentat, ad significandum gaudium nostrum, quod ex Resurrectione Domini concipimus: & significat actionem nostram futuram non esse, nisi laudare Deum, ut in Psalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.*

& rectè

& rectè ex Concilio Toletano 4. definitur, quod in diebus Quadragesimæ & mœroris non canatur Alleluja: ut refert Brunus de Ceremoniis lib. 5. cap. 2.

Advertendum ex his, solitam in prisca Ecclesia fuisse Musicam, dummodo non delectationem tantum, sed & amorem excitaret in Deum; ut propterea sacros hymnos, & laudes Dei canere non esset usus; quando ab infidelibus & malè feriatis hominibus tunc non habebantur in honore; unde Regius Propheta ex persona Judaici populi in Babylonica obsidione Psalm. 136. inquit: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Quod faciunt similiter hi, qui sacros hymnos, & psalmos ita decantant, ut carnalem aurium voluptatem solum, aut præcipuè quærant; quique audientium carnales aures delectare variis vocum inflexionibus satagunt: cantica enim sacra instituta sunt ad mentem erigendam in Deum; & spiritum potius, quam corpus recreandum: Contra autem nonnulli sunt, qui canticum Babyloniæ in domum Dei, & sanctam Sion inducunt; illi videlicet, qui verba sacra modulis prophanis ita vestiunt; ut qui audiunt, non tam verba considerent, quam prophanam modulationem attendant: refert Card. Bellarminus in explicat. dict. Psalm. 136. vers. 5.

Qualis musica usus.

Hinc est quod irascitur S. Hieron. in epist. ad Ephes. (istum locum expendens) Adolescentibus quibusdam, qui ut suaviorem ederent sonum, dulci medicamine fauces emolliebant, his verbis: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est: Deo non voce, sed corde canendum; nec in tragœdorum morem, guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica; sed in timore, & opere, in scientia scripturarum &c.* & paulo post. *Sic cantet servus Christi; ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur; ut spiritus malus, qui erat in Saule, ejiciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de domo Dei scenam fecere populorum.* Hæc ille. Si adolescentulos, qui dulci medicamine fauces collinire solebant, non tulit vir sanctissimus: Ferretnè illos, qui ut hominum aures permulceant, vocesque suas carius locent, divino humanoque jure neglecto, sese exsecari patiuntur? ut prohibent Can. 22. Apostol. & l. 1. C. de Eunuch. & l. 3. & 6. D. ad legem Cornel. de Sicariis: ferretnè illos, qui adeo spiritum malum canendo non abigunt, ut eum de industria suis auditoribus insinuare videantur? Quorsum enim modulationes istæ in lupanari natæ, ac non jam timide in sacras ædes irrepentes, sed procaciter irrumpentes, & bacchantium in morem lascivientes tendunt; nisi, ut qui audiant, lymphati efficiantur?

Musica corruptela

Hujusmodi corruptelas utique non ferret gravissimus censor Hieronymus; sed cum ipse, tum quivis alius, cui esset cor, exclamaret Christianæ Reipublicæ multum interesse funditus eas extolli, priscamque canendi formam reduci; etenim inquit Cicero lib. 2. de legibus: *Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem; nam & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit.* Ac testatur idem Cicero multarum Civitatum mores in mollitiem lapsos, esse immutatos cum cantibus, & hac dulcedine corruptelaque depravatos, his verbis: *Si Civitatum hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vo-*

cum servare modum, quarum mores lapsi ad mollitiem, sunt pariter immutati cum cantibus. Quidni hoc ipsum intersit Christianarum Civitatum? Siquidem primis temporibus omnino ab Ecclesiæ modulatione proscripta erat etiam cithara, ut ex August. in Psalm. 32. concord. 1. & refert Card. Baron. ann. 60. ubi Spondan. num. 16.

Faxit Deus ut musica theatrali, mollibusque & effœminatis cantoribus, qui ut ait Gregor. Magn. lib. 4. Registr. epist. 44. *Deum moribus stimulant, cum populum vocibus delectant*, à sacro ministerio expulsis; de bene illa morata musica instauranda talis tandem aliquando sanciatur lex, qualem à Joanne XX. Pont. Max. sancitam fuisse scimus, ut in Extravag. dicta sanctorum Patrum: de vita & honestat. Clericocorum. Faxit Deus ut graves, & viriles illi moduli, à quibus olim sanctus August. in Ecclesia Mediolanensi ad fletum se adductum narrat lib. 9. Confess. cap. 6. veluti postliminio in patriam suam redeant. *Quantum flevi* (ajebat sanctus ille vir) *in hymnis & canticis tuis suavis sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & corruebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Utinam Deus Catholicis Principibus talem mentem instillet; ita enim non Ecclesiæ tantum dedecori, non morum tantum corruptelæ; sed legum etiam Imperiique mutationi, quam profectò (si Platoni lib. 4. Politicorum credimus) novi, mollesque cantus inducere solent, obviam ibitur; ut è contra diversorum sonorum rationabilis, & moderatus concentus concordi varietate compactus, bene ordinatæ Civitatis significat unitatem, inquit Amalarius de Ecclesiast. offic lib. 3. cap. 3. Et hæc de Cantu, & Musica.

CAP. XLV.

De Horis Canonicis.

DIximus in præcedenti de Cantu, subsequitur modo de horis Canonicis, quæ cantu ut plurimum pronunciantur, ut Christus, & Apostoli fecere, Matth. 26. & Paulus ad idem nos hortatur, Ephes. cap. 5.

Septem Canonicas horas dici non licere à quoquam, qui in conspectu Dei vacuus & ingratus apparere nolit, negligenter præteriri. Hæ siquidem Creatori nostro deferunt laudes pro certis, & magnis ejus beneficiis, quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Sol namque verus & dies æternus Christus has septem horas temporaliter currentes clarissimis misericordiæ suæ radiis illustravit, atque dedicavit. Singularum rationes de thesauris Scripturarum proferemus. Ad quas septem horas Regius Propheta, quamvis urgentibus detentus curis, de se ipso dixit in Psalm. 118. vers. 164. *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.* Et quatuor tempora legendi, & adorandi, de quibus in lib. 2. Esdræ, cap. 9. vers. 3. ibi; *Legerunt in volumine legis Domini Dei tui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* Ac etiam tria tempora apud Danielem cap. 6 vers. 10. ibi; *Tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturque coram Deo:* & hæc interpretantur à Cypriano serm. 8. & Hieron. in commentar. Danielis de prædictis horis Canonicis.

Præterea

Præterea in sacro textu datur exemplum de quaque ex septem horis in specie. Etenim de Matutino circa mediam noctem in Psalm. 118. dicitur: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* & infra in eodem Psalmo. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* & in cap. 16. Actuum Apostol. fit etiam mentio de simili oratione Pauli, & Silo in carceribus. Cassianus dicit, Matutinæ solennitatis officium novo tempore Gratiæ adhuc institutum, primum in Bethleem monasterio, ubi JESUS CHRISTUS pro Redemptione nostra ex Virgine nasci dignatus est; sicque ex illo per universum mundum invaluit consuetudo, & idem refert Isidorus de Ecclesiast. Offic. lib. 1. cap. 23. De Laudibus, quæ dicuntur post matutinum ante diem, fit mentio in Psalm. 72. *Sic memor fui tui super stratum meum*; & Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine:* & de prima hora, quæ est primo mane, dicitur in Psalm. 91. vers. 2. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam*: & alibi dicitur in Psalmo; *Domine mane exaudies vocem meam.* De Tertia in actis Apost. cap. 2. habetur: Cum essent Apostoli simul congregati, & descendisset Spiritus sanctus, dixit Petrus ad illos, qui irridebant Apostolos: *Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei Tertia.* De hora Sexta habetur in iisdem Actis cap. 10. quod *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam Sextam.* Ac etiam de hora Nona cap. 3. in princ. eorundem actuum dicitur: *Petrus autem, & Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis Nonam.* Et de Vespere in Psalm. 54. vers. 18. *Vespere, & Mane, & Meridie narrabo, & annunciabo; & exaudiet vocem meam*: & in Psalm. 140. *Elevatio manuum mearum sacrificium Vespertinum.* In novo quoque Testamento; eo tempore Salvator noster cœnantibus Apostolis, mysterium sui Corporis, & Sanguinis initio tradidit; ut tempus ipsum sacrificii Vesperum ostenderet sæculi. Isidor. de Eccles. offic. lib. 1. cap. 20. de Completoriis etiam celebrandis, David Propheta in Psalm. 131. *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Quis non stupeat, ut somnum sibi penitus interdixerit? ipse Rex David somnum recipere noluit, donec locum, ac templum Domino fabricandum in pectore suo reperiret; & propterea nos si templum Dei cupimus haberi, exempla Sanctorum imitemur; ne de nobis dicatur, quod legitur in Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Ita Isidorus ubi supra c. 21. Hinc S. Basilius in Reg. quæst. 37. inquit: *Officium initio tenebrarum pro quiete nocturna capienda:* id est Completorium.

S. Clemens Roman. Constit. Apost. lib. 8. c. 34 inquit: *Precationes facite Mane, Tertia hora, ac Sexta, & Nona, atque ad Galli cantum:* Et immediatè, ad quem finem singulæ horæ sint directæ; sic subdit; Mane gratias agentes, quod illuminarit nos nocte sublata, & reddito die: Tertia, quod ea hora Pilatus judicium adversus Dominum pronunciavit: Sexta, quod ea hora in Crucem actus est: Nona, quod omnia mota, & tremefacta sunt Domino crucifixo; quia horrerent audaciam impiorum Judæorum, & contumeliam Domini ferre non possent; Vespere, quod noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus; Ad Galli cantum, quod ea hora annuntient adventum diei ad facienda opera lucis.

Et Joannes Cassianus referens vigilantiam Monachorum lib. 2. sic inquit; *Sunt quibus in ipsis quoque diuturnis orationum Officiis, id est Tertia, Sexta, Nona, id visum est, ut secundum horarum modum, in quibus hæc Domino redduntur obsequia, Psalmorum etiam, & orationum putarent numerum coæquandum: nonnullis placuit senarium numerum singulis diei conventibus deputari.*

Tertullianus referens de Christianis in Apolog. cap. 2. ex Plinio secundo ad Trajanum Imperatorem, sic inquit; *Nihil aliud se ex sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo, & Deo, & ad confœderandam disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, &c. scelera prohibentes: Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.*

Divus Hieronymus etiam inter alios in hoc egregiè se habet in epistola 2. ad Eustoch. de Custodia Virg. cap. 16. dum inquit: *Quanquam Apostolus orare nos semper jubeat, & Sanctis etiam ipse sit somnus oratio; tamen divisas orandi horas debemus habere: ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat: Horum Tertiam, Sextam, & Nonam, diluculum quisque, & Vesperam, nemo est, qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa; nec recedatur à mensa, nisi referatur Creatori gratia.*

Et idem Hieronym. ad cap. 6. Danielis sic inquit; *Tria sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: Tertiam horam, Sextam, & Nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique Tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in Cœnaculum. Nona Petrus, & Joannes pergebat ad Templum.*

Quare preces in horis prædictis indicantur?

Sanctus Augustinus hortatur suos ad horas prædictas, ut in serm. 55. de Tempore in his verbis; *Ad vigilias maturiùs surgite: ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite: nullus se à sancto opere subtrahat; nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa, aut grandis necessitas tenuerit occupatum.*

Plures deducuntur rationes ad declarandas preces in horis prædictis; quarum una est redditio gratiarum pro complemento creationis in septimo die, cum totidem sint horæ Canonicæ. Secundo, preces fiunt in prædictis horis in memoriam nostræ Redemptionis, quam pro nobis operatus est Dei Filius: etenim hora Vespertina (qua incipit officium Ecclesiasticum) Dominus noster Christus comedit Agnum Paschalem cum Apostolis, iisque lavit pedes, & sanctissimam Eucharistiam instituit. Hora Completorii, cum transisset Torrentem Cedron, oravit in agonia, sanguinem sudans, ac dein ligatus ducitur ad Annam, & Caipham. Hora Matutini, circa mediam noctem habetur Concilium penes Caipham, ubi interrogatus, dignus morte reputatur. Hora Prima ad Pilatum ductus, dein ad Herodem, & iterum ad Pilatum. Tertia Hora Barabbæ postpositus, ad columnam flagellatus, spinis coronatus, & populo exhibitus. Hora Sexta portans Crucem, eidemque in Calvario affixus, septem verba pronunciavit, & magnum sacrificium de se ipso redemptione mundi fecit Deo Patri. Hora Nona expiravit, descendit ad Inferos, & Regnum Diaboli destruxit. Iterum Hora Vesperi è Cruce depositus, & à sanctissima Matre receptus, reconditus est

eſt in ſepulchro à Joſeph ab Arimathia. Hora Completorii Cuſtodes appoſiti ad ſepulchrum: & in Matutino Chriſtus Dei filius glorioſus reſurgens &c. ut hæc fuſius meditantur circa prædictas Horas Canonicas ſancti Athanaſius, Baſilius, Caſſianus, & alii.

Non eſt igitur modo ullatenus ambigendum de hoc ſanctiſſimo, & veteri in Eccleſia ritu circa Horas Canonicas. Etenim Joannes Caſſianus lib. 2. de Inſtit. Cœnobitarum refert. *Non ſolum humano, ſed Angelico etiam miniſterio, & magiſterio, Canonicarum Horarum ordinem eſſe conſtitutum.* Et Ado Trevirenſis id Martyrologio ad nonum diem Januarii ait: Tempore perſecutionis Diocletiani auditam fuiſſe, circa Sanctorum reliquias cœleſtem pſalmodiam Mane, & Veſpere; & rurſus Hora Tertia, Sexta, & Nona. Quem laudabilem ritum invidens Chriſtianis Julianus Apoſtata, ut refert Sozomenus lib. 5. cap. 15. de Juliano Imperatore his verbis? *Inſtituit animo delubra Gentilium, tum apparatu, tum ordine Religionis Chriſtianæ adorare: ſubſelliis præterea, & primariis ſedibus: Doctoribus, Lectoribus Gentilis doctrinæ, & exhortationum, quin etiam precibus in certas horas, dieſque præſcriptis, &c.*

Demum qui ad recitationem precum Canonicarum obſtringantur? Quibus ex cauſis à precum Canonicarum recitatione Clerici, vel Beneficiarii excuſentur? Item quæ exigantur ad recitationem precum Canonicarum? Ac etiam de pœnis non recitantium horas Canonicas. Vide quæ latè refert Durant. de Ritibus Eccleſiæ lib. 3. cap. 22. 23. 24. & 25.

Quamvis videatur Canoniſtarum opinio, quod ad celebrationem Miſſæ non requiratur Matutinale officium fuiſſe ante recitatum: In contrarium tamen extat diploma Innocentii IV. Papæ, de quo in Annal. Eccleſ. tom. 13. Raynaldo auctore ann. 1254. num. 8.

CAP. XLVI.

De Breviario, & ejuſdem antiquitate.

Breviarium eſt Epitome, ſeu compendium publicarum precum, in quo Divinum officium, & maximè Horæ Canonicæ, de quibus ſupra, continentur. Retinet autem in ſe hoc Breviarium Pſalmos, Hymnos, Lectiones, Reſponſoria, Antiphonas, Capitula, Collectas, Symbola, & Confeſſiones.

Supponendum igitur, in principio cujuslibet horæ Canonicæ dici ſolitum verſiculum divina protectione plenam erga nos, *Deus in adjutorium meum intende.* Ut in Pſalm. 69. Abulenſis inquit hoc ſanctum Eccleſiæ inſtitutum habuiſſe originem ex lib. Numer. cap. 10. *Cumque elevaretur Arca, dicebat Moyſes: Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua; cum autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael:* Tanta etenim erat ſpes, quam populus Judaicus præſente Arca habebat. Ivo Carnotenſ. de Reb. Eccleſiaſt. refert, quod dictus verſiculus, *Deus in adjutorium meum &c.* ſit vox in hac vita laborantium, & contra hoſtes viſibiles & inviſibiles colluctantium; & ideo Deum in ſuum adjutorium invocantium. Caſſian. collat. 10. cap. 9. fuſiſſimè

pro-

prosequitur utilitatem, & virtutem hujus versiculi, & petitur in eo auxilium Dei magnum, & velox.

De Psalmis igitur, seu Canticis, cum sint extracti ex sacro textu, non est de his difficultas; cum primi fideles in eorum conventibus psallere consueverint; ex Apostolo epist. 1. Corinth. 14. *Quid ergo est fratres? cum convenitis unusquisque vestrum, psalmum habet, doctrinam habet, &c.* Et similiter Tertullian. de velandis Virginibus inquit: *Quantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter psalmos, vel in quacunque Dei mentione retentæ perseverant.* Quod etiam constat ex Can. 15. & 17. Concilii Laodiceni sub Sylvestro.

Canticum ergo Moyses tunc primum invexit, quando percussa Ægypto decem plagis, & Pharaone submerso, cum populus per insueta maris itinera ad desertum gratulabundus egressus est, dicens, ut in Exod. cap. 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, &c.* Deinde Debora in lib. Judic. cap. 5. hoc ministerio functa reperitur. Postea multi non solum viri, sed etiam fœminæ Spiritu divino repletæ, Dei cecinere mysteria. Psallere usum esse primum post Moysen Davidem Prophetam in magno mysterio, prodidit Ecclesia: Hic enim à pueritia in hoc munus specialiter à Deo electus, & Cantorum princeps, psalmorumque thesaurus esse promeruit: Cujus psalterium cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur; ut jam notavit Augusť. lib. 10. Confess. cap. 35. quamvis Ecclesia primitiva ita psalleret, ut ex modico flexu vocis faceret psallentem resonare; ita ut pronuncianti esset vicinior, quam canenti, ut ex D. Isidoro de Eccles. offic. lib. 1. cap. 4. & 5.

Te Deum, quamvis non sit ex Canticis sacræ Scripturæ desumptum, divinitus tamen institutum, & generaliter in Ecclesia receptum: quoniam sanctus Dacius Episcopus Mediolanensis, Justino seniore imperante, refert in sua Chronica, cap. 10. lib. 1. fuisse Canticum compositum per sanctos Ambrosium, & Augustinum, alter alteri alternatim respondens, statim ac idem Augustinus à sancto Ambrosio ann. 385. Baptismum recepit: & subdit idem Dacius, ex tunc fuisse dictum canticum in Ecclesia receptum: quod etiam confirmatur ex antiquis Regulis sancti Benedicti, in quibus præcepit, quod Te Deum post Lectiones recitetur.

De Hymnis docet Apostolus, ut simul cum psalmis cantentur, ad Ephes. cap. 5. vers. 19. *Loquentes vobismetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus:* & ad Coloss. 3. v. 16. *Commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus.* Quos hymnos prisci illi fideles ab initio etiam Ecclesiæ, in Christi honorem componebant, ut de Philone Euseb. lib. 2. histor. cap. 16. inquit: *Philo de novis psalmis, qui ab illis contexuntur, sic iterum scribit: Ita planè non contemplationi solum se dedunt, sed etiam cantiones, & hymnos variis metris, & carminum cujusque modi, & numeri graviter fusis, aptè, & convenienter ad Dei honorem, & laudem conficiunt.* Sicuti & Dionys. Areopagita cap. 4. de Divinis Nominibus expresè meminit de hymnis beati Hierothei: Et talis ritus retentus est in Ecclesia, ut ex Concilio Toletan. 4. habito supra mille annos, in quo cap. 12. de hymnis canendis, Salvatoris, & Apostolorum exemplo,

exemplo, ut apud Matth. 26. & ad Ephes. 5. subjungit. *Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos, compositi esse noscuntur: sicuti & quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt.* & paulo post: *Sicuti ergo orationes, ita hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrum ulterius improbet, sed pari modo in Gallia, Hispaniaque celebrent: excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerunt ausi.* S. Hilarius Gallus Episcopus Pictaviensis Hymnorum carmine floruit primus; post quem Ambrosius Episcopus Mediolanens. copiosius in hujusmodi carmine floruit, & ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt; cujus devotio deinde per totius Occidentis Ecclesias fuit servata. Carmina autem quæcunque in laudem Dei Hymni vocantur: Ita Isidor. de Eccles. offic. lib. 1. cap. 6.

Lectiones pronunciare antiquæ institutionis esse, Judæorum traditio est: nam & ipsi legitimis præfinitisque diebus ex Lege, & Prophetis Lectione in synagogis utuntur. Oportet cum psallitur, psallatur ab omnibus; cum oratur, oretur ab omnibus; cum lectio legitur, facto silentio, audiatur à cunctis: nam & si tunc superveniat quisque cum lectio legitur, adoret tantum Deum, & præsignata fronte aurem solicitè accommodet. Isidorus ubi supra cap. 10.

Lectiones præcipuè leguntur in officio nocturno, & propterea appellantur Primum, Secundum, & Tertium Nocturni, juxta tres præcipuas noctis vigilias, in quas dividebatur ad clepsydram nox apud Veteres. Quoniam impossibile videbatur in speculis vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes divisæ vigiliæ, non amplius quam tribus horis nocturnis necesse erat vigilare. Vegetius de re milit. lib. 3. cap. 8. Sunt autem in præsens, ut plurimum lectiones novem, quarum in quolibet Nocturno tres recitantur: Priores tres desumptæ ex sacra Scriptura: Secundæ ex vita, morte & martyrio Sancti: Tertiæ, & postremæ, ex homiliis sanctorum Patrum: & de hoc antiquo ritu, ut refert Justinus Martyr (qui scripsit annis 150. à Christo Domino) in Apolog. 2. pro Christianis sub finem ibi: *Solis qui dicitur, die omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum quoad tempus fert, legantur.* Concil. Laodicenum supra 1200. annos decrevit cap. 17. *Quod in conventu Fidelium nequaquam psalmos continuare conveniat; sed per intervallum, id est per psalmos singulos recenseri debeant lectiones.* Et in Conc. Carthag. 3. habetur can. 47. *Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii eorum dies celebrantur.* Et quod scripta sancti Ephrem etiam recitarentur, de suo tempore refert D. Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. ibi: *Ephrem ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem scripturarum, publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitarentur.*

Lectiones erant duodecim, juxta numerum psalmorum. Jo. Cassiani temporibus, ut in cap. 5. Instit. Cœnobitarum, Gelasius Papa jam supra mille annos redegit illas in ordine: donec post plurimas innovationes in Breviario, Gregorius Papa VII. in Generali Concilio redegit ad antiquam formam, ut refert Gratianus de Consecrat. distinct. 5. Can. 15. incipit; *In die Resurrectionis Domini usque ad*

 Sab-

Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes usque ad Sabbatum ejusdem, tres tantum psalmos nocturnos, tresque lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, si festivitas est, novem psalmos, & novem lectiones dicimus. Aliis vero diebus duodecim psalmos, & tres Lectiones recitamus. In Dominicis diebus 18. psalmos (excepto die Paschæ, & Pentecostes) & novem lectiones dicimus. Quod etiam confirmatum à sanct. mem. Pio V. & Clem. VIII. summis Pontificibus.

Quare tres psalmi, & tres lectiones in primis diebus Paschatis.

Nota quod in nocte Paschali non plus quam tres lectiones Romanus ordo habere decrevit: Quoniam Prædicatores, sancti scilicet Apostoli, & numero pauci, & metu Judæorum muti, & de morte Domini mœsti, timentes, videri fugiebant, & audiri metuebant. Nec solum illa nocte, sed exinde quoque usque ad Pentecosten, causam eandem in paucitate lectionum considerat: quando Prædicatores sancti, & numero plures, & fervore Spiritus sancti facundi devenerunt. Rupertus Abb. de divinis offic. lib. 1. cap. 10.

Lectiones Oratione Dominicali prævenimus, ut Dominus adaperiat cor nostrum in lege sua & præceptis suis, ne semen verbi Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia petræ supplantet. Rupertus ubi supra num. 11.

Lecturus vero Benedictionem petens, hoc significat, quod nemo nisi missus aut permissus officium prædicandi debeat usurpare: *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* inquit Apost. Rom. 10.

Quod in fine dicit, *Tu autem Domine miserere nostri*: hoc inquit, ne ipsum quidem bonum officium prædicandi sine alicujus vel levioris culpæ pulvere posse peragi: idcirco misericordia Dei indiget, ut in hac parte lavetur, etiamsi mundus sit totus. Dicitur *Deo gratias* in fine Lectionis; Quoniam doctrinæ suæ panem Deus nobis frangere dignatur, ne fame audiendi verbum Dei pereamus. Rupertus Abbas d. lib. 1. cap. 11. 12. 13. & seq.

Responsoria sic nuncupata, quoniam cum unus ex Chronistis cœperit, cæteri sequuntur: Isidorus lib. 1. de divin. offic. cap 8. & Rabanus lib. 2. institut. Cleric. volunt. ex Italia ea deduxisse principium. Walfrid. ea præcipuè sancto Ambrosio, cum essent in usu tempore S. Benedicti. Responsoria nobis innuunt sanctis monitis Dei, factis nos respondere debere. Dicuntur à respondendo: Tristia namque tristibus, & læta lætis debemus succinere lectionibus. Rupertus Abb. de divin. offic. lib. 1. c. 15.

Precibus Deum deprecandi Christus nobis constituit modum, cum de eo supplicarent Apostoli. Luc. 11. Ex hoc producta est consuetudo Ecclesiæ Dominum precibus exposcendi contra ægritudines animæ, quas primum Græci cœperunt componere, quibus Domino supplicaretur. Isidorus de Ecclesiast. officiis lib. 1. capit. 9.

Capitula non aliud sunt quam parvæ lectiones, seu sententiæ ex Scriptura desumptæ ut Ecclesiastici, & populus instruantur; de quibus habetur mentio in Concilio Agat. ut in decret. dist. 5. de consecrat. can. 13. incipit, convenit, ibi: *Post Hymnos Capitula de psalmis dicantur.*

Colle-

Collectæ sunt orationes, quæ repræsentant Deo necessaria pro Ecclesia universali, ac pro quolibet particulari: cujus formam tradit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam, & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Hoc idem servasse priscos fideles refert Justin. Martyr lib. 2. Apolog. & Tertull. in Apolog. cap. 39. inquit; *Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, ac Potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Et propterea nuncupantur Collectæ, quarum conclusio semper ferè est: *Per Christum Dominum nostrum.*

Additur *Amen*, quod significat, Verè, Fideliter, seu Credo, vel Fiat: nempe ut petita compleantur, cujus verbi *Amen*, antiquitatem tradit Apost. 1. Corinth. 14. *Cæterum, si benedixeris spiritui, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen?* Et D. Hieron. refert, quod tale verbum alta voce proferebatur, in Prolog. lib. 1. ad Galat. *Ubi alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesiam, & ad Martyrum sepulchra concurritur, ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, & vacua Idolorum Templa quatiuntur*: & idem refert S. Augustinus epist. 107. ad Vitalem.

Quo vero ad hymnum *Glorificationis*, seu Gloria Patri, diximus in præcedenti capitulo 44.

Antiphonæ denotant vocem reciprocam: & idem est canere per Antiphonas quod psallere alternatim, refert enim Amalarius lib. 4. de offic. Ecclesiast. cap. 7. quod debeant cani psalmi juxta tonum antiphonarum, quod conjungit duos choros in fine psalmorum. Quarum antiquitatem refert Tertullian. lib. 2. ad uxorem. Quamvis B. Isidorus de Ecclesiast. lib. 1. cap. 7. velit Antiphonas primum à Græcis compositas, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim, ut apud Isaiam cap. 6. Duo quoque testamenta sibi invicem conclamantia. Apud Latinos autem primus beatissimus Ambrosius Antiphonas constituit, Græcorum exemplum imitatus: & ex hinc in cunctis occiduis Regionibus earum usus increbuit.

Et hæc dicta sufficiant de Breviario Religionis Catholicæ.

CAP. XLVIII.

De Usu incognitæ Linguæ in servitio Ecclesiæ.

Magnum solamen est pro Romana Ecclesia, quod hæc accusatio incognitæ linguæ sibi ab impostoribus Hæreticis, communis quoque sit non solum cum Græca præsenti Ecclesia, quæ quamvis etiam extendatur in plures provincias, nulla tamen ex iis utitur idiomate vulgari, & intelligibili pro populo; sed ulterius quoque Ecclesiæ Syriacæ, Æthiopicæ, Armenicæ, Ægyptiacæ, in aliis omnibus exhibetur servitium in lingua non vulgari. Etenim Idioma, quo celebratur in Ecclesiis Æthiopum, cum sit illud Chaldaicum satis affine Hebraico, hoc inquam, nulli de populo Æthiopum est cognitum: Armenum Idioma, quo in Ecclesiis exhibetur servitium, minimè quoque Idiotis est notum, nominaturque ab iisdem quasi Armenicum Latinum: Ægyptiacum Ecclesiæ Idioma. quod characteribus scribitur, &

maximè conforme Græcis litteris; nullam affinitatem habet cum vulgaribus: Syriacum quoque Ecclesiæ minimè commune est cum Idiotis, qui natura Arabicè loquuntur, & magno studio apprehendunt Syriacum pro servitio Ecclesiæ.

Hæc accusatio non modo nobis est communis cum omnibus Christianis Ecclesiis per totum orbem; verum cum Judæorum Synagogis, qui in suo servitio utuntur Hebraico Idiomate, quod nec vulgare, nec cognitum fœminis, vel pueris, sed solum iis, qui studio id apprehendunt. Quod non de hodiernis solum Judæorum Synagogis, verum & de antiquis etiam; quoniam ex Theodoret. quæst. 60. in Genes. apprehendimus Hebraicum idioma nullatenus fuisset vulgare: & nos quoque scimus tempore Christi Domini, ejusdemque Apostolorum, idioma Hebraicum, quo reddebatur servitium in templo, & Synagogis, minime cognitum fuisse Idiotis, qui aliud prorsus, quam Syriacum non intelligebant, quod penitus ab Hebraico idiomate differebat. Hinc in lib. 2. Esdræ cap. 8. habetur, quod volens Esdras, ut populus post reditum è Babylonia juraret legem, legendo illam, eandem interpretabatur; quoniam non amplius intelligebat populus legem, sicuti fuerat scripta: & non solum testatur Eusebius de Demonstr. Evangel. lib. 3. cap. 7. quod Apostoli non aliud callebant idioma, quam Syriacum; verum sapientiores inter Hebræos, nempe Philon, minimè sciebant Hebraicum idioma, cum ejus intelligentia reservata fuisset Presbyteris & Scribis eam studio apprehendentibus; nihilominus Dominus noster, ejusdemque Apostoli nunquam abstinuerunt interesse in Templo servitio Judæorum, quanquam illud incognito idiomate celebraretur, nec unquam id damnarunt, nec de aliquo defectu reprehenderunt.

Addimus quoque, quod usus incogniti Idiomatis communis sit nobis cum Religionibus quoque falsis per orbem diffusis. Nam præter Turcas & Persas, qui idiomate Arabico Grammaticali reddunt suum servitium, Idiotis penitus ignoto; Refert quoque Quintilianus lib. 1. Institut. cap. 6. quod in Romanorum Republica, ***Carmina Saliorum***, quibus reddebatur servitium, ***vix Sacerdotibus suis satis intellecta, sed quæ mutari vetat religio***, & propterea naturalis est inquam necessitas, qua omnium religionum servitium idiomate incognito, habitum quoque sit populo simplici, & idiotæ.

Etenim sicuti rerum humanarum fert vicissitudo, ut quoque idiomata aliquando varientur, & quod vulgare idioma progressu sæculorum cesset esse vulgare: Et è contra, cum constans majestas, & dignitas rerum divinarum, ac reverentia ejusdem debita, requirat, ut unquam non mutetur, propter timorem, ne alteratio litteræ, seu syllabæ afferat præjudicium rebus Religionis, præter antiquitatis reverentiam, quæ perditur ex innovatione; cum ejusdem Ecclesiæ Fundator Christus fuerit testatus, quod portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.

Hinc est, cum Ecclesia Romana reprehendatur servavisse antiquum suum idioma, in quo Apostoli, ejusdemque discipuli fundarunt Ecclesiam occidentalem tam in Aphrica, quam in Europa; Hoc inquam commune est etiam cum Ecclesia Judaica, in qua Dominus noster, & ejus Apostoli communicarunt; sicuti quoque cum aliis omnibus orbis Ecclesiis, & Religionibus veris & falsis.

Ac

Ac præterea, licet ſimplices, Idiotæ, fœminæ, ac pueri non poſſint immediatè intelligere de verbo ad verbum Preces, Laudes, Gratiarum actiones, quæ Deo fiunt; nihilominus qui voluere apprehendere intelligentiam verborum ſervitii Eccleſiæ, non carent fructu, & fine, pro quo tale hoc publicum ſervitium eſt inſtitutum. Finis enim, pro quo eſt introductum publicum ſervitium, quod fit in Synaxibus, & Liturgiis Eccleſiæ, ſatis differt à privatis orationibus, quæ domi fiunt: Cum ſit hoc publicum ſervitium Homagium Laudum, Precum, & Gratiarum actionum publicè Deo debitum. Secundò, ut fideles particulares per ipſorum aſſiſtentiam huic divino ſervitio proteſtarentur, & exercerent exteriores actus ſuæ Religionis cum Eccleſiæ ſocietate, ubique repræſentata per ſynaxes, & conventus Eccleſiæ. Tertio, ut quiſque fidelium ipſemet conſenſum præſtaret orationibus, laudibus, & gratiarum actionibus publicè habitis, & quaſi prædictis idem ſubſignaret: modò Miniſtri, & animarum Paſtores intelligentiam particularem retineant de eo, quod dicitur: ſupplendo in hoc auctoritate Eccleſiæ, quod idiotæ perſonæ in prædictis actibus valeant reſpondere. Etenim propter communionem Eccleſiæ, quamvis prædicti omnia verba præcisè non intelligant, cum poſſint ſic participare in communi de fructibus, & plenitudine gratiarum; tamen ſatisfaciunt muneri ſuo; alias hinc ſequeretur, quod ſurdi, & alii, qui de proximo adeſſe non poſſunt celebranti, non reciperent dictum fructum; Et ſic pariter Galli, & Alemanni Proteſtantes, dum aſſiſtunt Liturgiis Anglicanis, perderent fructum aſſiſtentiæ ipſorum, juxta tale ſuppoſitum; ſicut quoque ſimplices Judæi proficiſcentes olim tempore Chriſti Domini in Templum, & Synagogas, non intelligentes verborum ſenſum, caruiſſent fructu talis communionis, & aſſiſtentiæ publicis precibus. Inſuper etiam dum ſummus Sacerdos ſolus in Templi ſeceſſu orabat, ad quem quoniam populus ut in Levit. cap. 16. non habebat acceſſum, ſed extra remanebat; non potuiſſet idem tunc particeps fuiſſe de ſacrificantis orationibus, quas non poterat audire.

Sed eſtò, ſimplices, & imbecilles non recreentur intelligentia verborum, ſed ſolum adhæreant fidei, & cautioni Eccleſiæ: Atqui talis defectus compenſatur non ſolum per meritum, & exercitium ferventioris fidei in prædictis ſimplicibus aſtantibus; verum ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 7. Præcipitur *Parochis*, *ut inter Miſſarum ſolennia, aut divinorum celebrationem, ſacra eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis explanent*. Unde reſultat, quod ſimplex populus apprehendat intelligentiam currentis Evangelii, Epiſtolæ, & aliorum actuum ipſius ſacrificii. Quatenus autem aliqui ex Curatis animarum ab hoc ipſorum munere propter ignorantiam, & deſidiam deficiant; talis inquam defectus eſt eorum illos ordinantium, non autem Eccleſiæ: negligentibus illis quod præcipitur, ut conqueritur Jerem. Thren. 4. *Parvuli quæſierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

At quando etiam ſequeretur ſuppoſitum, quod non poſſit quis intereſſe ſervitio, quod non intelligit; quis non videt confuſionem Babel hac idiomatum multiplicitate, & ſervitium communionis Eccleſiaſticæ penitus dilaceratum? dum Angli privantur communicare cum Gallis, Galli cum Germanis, Germani cum Polonis, &c.

Quin imo nec idem populus conveniet integer totus in eodem idiomate; nempe in Gallia Piccardus Idiota non intelliget Provinciale, nec minus Vasco Burgundum &c. Sicuti nec etiam in Italia Veneti non percipiunt Januensem, nec Januenses Neapolitanum, &c. & in Anglia refert Ven. Beda suo tempore fuisse ibidem quatuor vulgaria idiomata penitus diversa, & sub Æthiopum Rege habent relatores, esse quadraginta diversa idiomata.

Habetur ulterius successiva alteratio, & variatio idiomatum in plerisque Regionibus; ita ut necesse esset singulis quibusque sæculis ordinare novam translationem idiomatum circa Ecclesiæ servitium, sicut idioma mutatur; alias idioma, quod erat in servitio Ecclesiæ, duobus vel tribus elapsis sæculis, esset idem in opprobrium, & derisum. & refert Polybius lib. 3. historiæ, quod tempore secundi belli Punici non potuere Romani quasi amplius intelligere, contractus habitos durante bello primo. Vide Romanorum vulgare idioma, quam brevi tempore mutatum fuerat.

Consideremus etiam, quod quando Ecclesiæ servitium originaliter institutum ob varias translationes fuisset perditum, omnis media celebrandi Concilia universalia, & habendi certitudinem in rebus fidei, fuissent è nobis aliena; cum non possimus nobismetipsis promittere de vero sensu scripturarum ex nostra particulari inspiratione, & interpretatione: Quoniam Ecclesia occidentalis non habet idioma, in quo Episcopi omnes ejus jurisdictiones valeant convenire, sicut in Latino idiomate. Nec orientalis Ecclesia olim existens Catholica minus habuit idioma commune inter omnes Episcopos, sicuti Græcum. Hinc in antiquis Conciliis simul in Oriente congregatis, omnes Episcopi Græci, ac in Occidente Episcopi Latini conferebant, deinde simul decreta utriusque conventus interventu hominum, qui callerent idiomata Latina, & Græca: & ex iis de omnibus idiomatibus per orbem diffusis non devenere ad nostram notitiam, nisi quæ incorporata fuere in Ecclesiarum servitio.

At si dicatur, quod Latino idiomate remoto, ab Ecclesiæ servitio, servaretur etiam illud in scholis. Respondeo idiomata, ut alia omnia, esse subjecta sæculorum revolutionibus propter barbaras incursiones, & Dominantium diversas successiones, inter quas solum exercitium religionis remanet fixum, & immobile; Nec in hoc supplerent originarii Codices ex Latino, qui requirentes novam eorum impressionem ad tempus, ii pariter cessarent deficiente Religionis communicatione.

Sed ulterius non solum excluderentur amplius universalia Concilia; sed sequeretur etiam, quod omnes actus, & canones antiquorum Conciliorum, omnes Ecclesiæ historiæ, omnia scripta sanctorum Patrum ad sacræ Scripturæ intelligentiam, omnes Hæreticorum confutationes, & demum omnes antiquitatis Thesauri, & monumenta omnia sancto Spiritu afflata, quoad Ecclesiæ regimen, post tot secula remanerent sepulta intra profundam oblivionis abyssum; sacrificium acceptissimum Principi tenebrarum.

Insuper omnes originarij codices sacrarum Scripturarum, ad quos ob talem ac tantam varietatem traductionum oporteret in omni casu confugere ad illos verificandos, ij pariter fuissent deperditi, & ab usu & hominum intelligentia elapsi. Hebraicum

ricum quippe idioma, nisi fuisset servatum in Synagogis Judaicis, & Græcum in Ecclesiæ servitio, cum utrumque illorum cessaverit esse vulgare; ea omnia profecto ab hominum memoria evanuissent. Hinc Spiritus sancti providentia apparet in sanctæ Ecclesiæ regimine, ut conservatione originalium idiomatum universalia mala evanuerint, cum cætera alia omnia particularia mala non sic intensè Ecclesiæ statum tetigissent.

Nec prædictis repugnat, quod usus incogniti idiomatis in Ecclesiæ servitio sit contra præceptum Apostoli, 1. Corinth. 12. ibi; *Vnicuique autem datur manifestatio spiritus, &c. alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii GENERA LINGVARVM, alii interpretatio sermonum, &c.* Quoniam hoc nec formaliter, nec per consequens repugnat usui Ecclesiæ in servando originali idiomate, quoad servitium Ecclesiasticæ Liturgiæ. Apostolus enim ibi loquitur de idiomatibus originaliter, & universaliter incognitis Ecclesiæ; & non aliter de idiomatibus, in quibus fuit similiter institutum servitium, quod decursu temporis factum est incognitum non integro corpori, sed simplicibus personis, & idiotis Ecclesiæ: Nec loquitur minus de idiomatibus incognitis apprehensis, & acquisitis studio naturali, quæ animarum Pastores, & non omnino indocti possent intelligere ad hoc, ut simplex populus respondere possit Amen; sed de idiomatibus miraculosè, & supernaturaliter, ac per Spiritum sanctum infusis, ut dicto textu, 1. Corinth. 12. Hæc autem omnia operatur unus & idem Spiritus dividens singulis prout vult; quæ discerni non valent, an à bono, vel malo spiritu sint, nisi per intelligentiam: & si aliter intellexisset Apost. sequeretur, quod nec Dominus noster, nec Apostoli interfuissent servitio Judaicæ Ecclesiæ, quod reddebatur Hebraico idiomate, quod incognitum erat simplici populo, sicuti & Apostolis non intelligentibus aliud idioma, quam Syriacum ante donum linguarum in die Pentecostes.

Nec aliquis asserat, quod præsens usus incogniti idiomatis contrarius sit consuetudini Ecclesiæ primitivæ: Quoniam scimus non alium tunc solitum fuisse in orientali Ecclesia, quam usus Græci idiomatis, sicuti Latini in occidentali: quippe clarum est Liturgiam sancti Basilii communem fuisse Orienti universo, ut ex Petro Diacono ad Fulgent. Quod autem Liturgia sancti Basilii fuisset Græcè scripta, patet ex Concilio Trullens. cap. 2. & ex Concilio II. Niceno, & ex Damascen. Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 14. & nihilominus, quod omnibus illis populis non fuisset vulgare Græcum idioma, præsertim Cappadocibus, Galatis, Licaonibus, Ægyptiis, Syris: nam eæ omnes Orientis Provinciæ linguam propriam, & separatam habebant, ut constat ex c. 2. Actuum Apost. præter sanctorum Patrum auctoritates.

Similiter quoque in tota Occidentis Ecclesia, nempè Aphrica, & Europa, reddebatur servitium in solo Latino idiomate, ut ex verbis; *Sursum corda: Habemus ad Dominum: Gratias agamus Domino Deo nostro: Dignum & justum est, &c.* Similia ex Patribus, & maximè D. August. de Dono perseverantiæ lib. 2. cap. 13. & idem testatur sanctus Cyprianus in serm. Orat. Dominicalis; & Albinus de divin. offic. & Amalarius de offic. Eccles. (qui vivebant anno 800.) & testantur, quod non solum in Gal-

in Gallia, sed per totum Occidentem celebrabatur officium divinum Latino idiomate, ut etiam decrevit Concilium Toletanum IV. can. 2. & 12. Et nihilominus Clarum est, quod Latinum idioma non erat in parte aliqua vulgare extra Italiam, & Romanorum Colonias per Imperium diffusas; utpotè erat Carthago in Aphrica, ubi Latinum Idioma erat vulgare; cum D. August. uti talis dixerit lib. 1. Confess. cap. 14. illud se apprehendisse ex nutricum blanditiis: & pariter Latinum idioma in toto Occidenti, cum illud particulare fuisset in Judiciorum curiis, nec non in supremis negotiis, ac Literatorum idiomate apprehenso, & intellecto à cunctis hominibus non vulgaribus, & qui utrumque callebant idioma; nec propterea cognitum erat rudioribus rusticis, nec qui unicum, & maternum retinebant idioma.

Concludamus igitur, quod sicut idioma Latinum semper retentum est in servitio occidentalis Ecclesiæ, in qua Apostoli illud instituerunt, quod in hoc gravissimè quippe errant Novatores, non idem servando.

Declarando tamen prædicta omnia esse intelligenda de precibus, & rationibus publicis, in quibus publico & communi idiomate omnes uti debent, quamvis ab eruditioribus solummodo tale idioma intelligatur; cùm sit sufficiens eo casu, ut Idiotæ & populus respondeant *Amen*. Præterea si Ecclesia Catholica in publicis orationibus non frustra orat pro fidelibus, & aliis peccatoribus absentibus, imo etiam non curantibus, & renuentibus pro se orari; multo magis cum fructu orare censenda est pro præsentibus, & cupientibus orari pro necessitatibus suis etiam non intelligentibus: Unde Orig. homil. 20. in Josue, inquit; *Si vides aliquando legi scripturam in auribus tuis, quam non intelligis; interim hanc primam scias te suscipere utilitatem, quod solo auditu, velut precatione quadam, noxiorum vitiorum, quæ te obsident, virus depellitur.*

Quod satis diversum est in privatis & particularibus orationibus; quia tunc potest quisque uti idiomate sibi magis proficuo, & intelligibili; & ita intelligitur Apost. 1. Corinth. 14. vers. 15. de quibus quoque precibus Origen. loco citato ait: *Et si non intelligimus, quæ ore proferimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adsunt, intelligunt; & velut carmine quodam invitatæ, adesse nobis & ferre auxilium delectantur.* & sanctus Chrysostomus homil. 3. de Lazaro. *Quod si non intelligas, quæ in sacris continentur: etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.*

Neque vero opponas ad ejusmodi precationum genus, quod Christus Dominus ex Propheta improperat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem &c.* Quod Hieronymo & Ambrosio exponentibus hæc Domini verba, non intelliguntur de legentibus aut recitantibus, quæ non intelligunt; sed de iis, qui ore profitentur pietatem, & dicunt se Deum diligere, factis autem negant. Quod si orantibus dictum velis; de his interpretare, quamvis nota erant lingua, voluntariè tamen ita vagantur animo; ut quod dicunt, non intelligant: Et hoc idem Dominus declaravit subdens: *Cor autem eorum longe est à me.*

CAP.

CAP. XLVIII.

De sacris Fidelium Icunculis vulgo Medaglie, & Agnus Dei: sicuti de Bullis Amuletis, & aliis Ethnicorum superstitionibus.

INsigne fuit priscorum Triumphantium Romanorum, quam in Triumpho præseferebant Bullam, supra pectus gestare, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam: hinc deductus mos, ut Prætexta simul, & Bulla, quæ Magistratuum erant, etiam in usum ingenuorum puerorum usurparentur ad omen, & vota conciliandæ virtutis. Tarquinii Prisci filius, eo quod se in bello viriliter gessisset, primus hac aurea bulla donatus est, & toga prætexta: Macrobius lib.1. Saturnal. cap. 6. ait: *Sicut Prætexta Magistratuum; ita Bulla gestamen erat Triumphantium, quam in Triumpho præseferebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam validissima. Hinc deductus mos, ut Prætexta, & Bulla in usum puerorum Nobilium usurparetur ad omen, & vota conciliandæ virtutis, ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt.* Et de puero gestante Prætextam, & Bullam, quam in meo Musæo ex marmore servo, hic figuram apposui.

Num. 14.

Erat in præfata Bulla expressa Cordis figura, qua sic noscerent homines se esse, si corde præstarent: refert idem Macrob. d. cap.6. his verbis; *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in Bulla ante pectus annecterent: quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Togam quoque prætextam his additam, ut ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur:* Et de iis vide etiam quæ scripsit Pierius Valerianus de Hieroglyphicis lib.41.cap.1.2,3.& 4.

Mos quoque fuit apud Ethnicos collo infantium apponendi metalla, re turpicula in virilis membri formam expressa, ad avertendas fascinationes, ut refert Varro lib.6. de lingua Latina: de quibus metallis plura ego in meo Musæo servo, ut quoque Annulum aureum parvum cujusdam pueri similis figuræ obscœnæ: quæ omnia effigiari non permisi, ne oculos ingenuorum offenderem.

Et ut ad rem nostram revertar, erat hæc præfata Bulla rotunda, ceu in aqua sunt guttæ, quæ orbiculantur, vel id quod in torquibus pendet, Bullæ, vel Cordis in modum. Ab ea forma autem post signaturam Provisio à nostris Bulla nuncupatur, nempe scriptura in membrana plumbo, auro, vel argento, funiculis pendente jure insignita: & quia cœlestis Agni effigies in Bullarum morem efformantur; hinc factum, ut hoc nomine censeantur, quemadmodum, & Icunculæ æneæ, aureæ, vel argenteæ ob eandem causam, & vulgo Medaglie appellatæ.

A Christi autem fidelibus in primitiva Ecclesia mutata dicta superstitione de Cordis figura, seu alterius rei turpiculæ, in veram Religionem, ex Cereo Paschali sacro Chrismate delibuto, & Benedictione sanctificato; eo quod Agni Christi imago ibi haberetur expressa, Agnus Dei dici consuevit, quos Agnus Dei recens Baptizati deponentes veterem tunicam, & annunciantes Alleluja, suspensos ferrent ad collum; ut nos diximus supra c.5. de Baptismo, ante finem: & sicuti Gentiles Cordis figuram,

Agnus Dei ex cera.

& rem turpiculam in Bullis suis formare consueverant, quo sic noscerent se esse viros, si corde præstarent; ita Christiani imaginem Christi Agni susceperunt, ut ejus exemplo discerent se esse mites, & humiles corde: Cardin. Baron. in ann. 58. & ibi Spondan. num. 30.

Cencius Camerarius in lib. m. s. de Censibus in capitulo; *Quid debet facere Dominus Papa in Sabbato sequenti post Pascha*; inquit. Hac die ipse Dominus Papa distribuit Agnos confectos Chrismate & Cera per Episcopos & Cardinales, hac ratione; ut scilicet filii Israel in Ægypto positi præcepto Domini de sanguine immaculati Agni in limitibus domorum scripserunt hoc signum, T, ne ab Angelo percuterentur; ita & nos de sanguine passionis immaculati Agni Christi debemus hoc signum scribere in limine domorum nostrarum per fidem; ne à Diabolo, & à vitiis percutiamur, & ut à potestate Diaboli liberemur. Vel propter Infantes noviter baptizatos in Ecclesia deponentes veterem tunicam, qui annunciant Alleluja. Vel etiam, quod quicunque habebit de cera prædictorum Agnorum, & ex ea Crucem in domo sua habuerit, vel secum portaverit; non lædatur ab aliquo phantastico Spiritu, vel à tonitruo.

Amalarius Fortunatus de Ecclesiast. offic. lib. I. cap. 17. refert ex libello Romano, die Sabbati sancti benedici Ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eosque reservari usque in Octavam Paschæ: In Octava vero post Communionem dari populo ex his Incensum ad suffumigandum in domibus suis; & narrat similiter nos facere debere de Cereo consecrato. Cera namque Christi humanitatem designat, ex D. Gregor. in Homilia, *Agni, quos faciunt Romani, Agnum pro nobis factum immaculatum denotant*: Non ideo, inquit, tamen putare debent stulti, adoranda esse ista luminaria; quia ducitur ex eis aliqua similitudo ad divina mysteria figuranda: etenim quando Agnum de Cera videmus, Agnus præfiguratus, & in Pascha immolatus ad memoriam reducitur: Cui S. Gregor. oleum infudit, quando mysteria Paschatis Agni reseravit.

Evangelia gestabant.

Consuevere quoque prisci illi fideles gestare sacrosancta Evangelia; ut ex actis virginis, & martyris Cæciliæ apud Surium, quæ semper in pectore Evangelium gestabat: ac etiam Apostolorum temporibus id usurpatum apparet ex actis Andreæ Apostoli. Quam eandem suo tempore consuetudinem in frequenti usu fuisse, dum mulieres collo appenderent Evangelia, testatur Chrysostomus relatus à Baron. ann. 232. ubi Spondan. in epitome num. 3. & de prædictis Evangeliis inquit Isidorus Pelusiota lib. II. *Qemadmodum nunc mulieres Evangelia parva*: Hoc est, gestant. De quibus Evangeliis parvis meminit etiam Gretserus lib. 3 comment. Curopalatæ cap. 7. num. 7. §. 2. ubi supponit dici parva Evangelia, cum in iis contineretur initium Evangelii sancti Joannis, vel aliud parvum Evangelium, ad differentiam totius corporis Evangelici quatuor Evangelistarum.

De similibus Bullis D. Gregorius Magnus gratulatoriam mittens epistolam in ordine septimam lib. 12. ad Theodolindam Longobardorum Reginam, eo quod illa filio aucta esset, transmisit quoque unam ex iis infantulo, ut collo appenderet, nempe

Crucem

Crucem cum signo sanctissimæ Crucis Domini, & Lectionem sancti Evangelii theca Persica inclusam, ut refert Baron. ann. 604. ubi Spondanus num. 1. Ac etiam Magnus Greg. epist. 6. lib. 5. ad Childebertum Francorum Regem mittit claves sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ejusdem inclusum erat, quæ collo ejus suspensæ, à malis illum tuerentur.

Miracula sæpe confirmarunt pium fidelium usum, ut inter cætera duo referat S. Greg. Turonens. Archiepiscop. ex miraculis sancti Martini lib. 1. cap. 2. *Cum autem ad templum sanctum quidam Devotus fide plenus accessisset, & gratiam Sancti sitiens, cogitaret quid de beata æde raperet ad salutem; prope sepulchrum accedens, æditue supplicans, ut sibi parum benedictæ ceræ largiretur è tumulo: quam accipiens lætus abscessit, & agro, cui frugem severat, confisus imposuit. Adveniens autem tempestas sævissima, quæ omnia in annis præcedentibus sæpe vastaverat, ab hac est prohibita benedictione, nec ibidem ultra, ut consueverat, nocuit.* & idem Author paulo post inquit; *Quidam pro benedictione aliquid de sancta æde assumere flagitans, parum ceræ de sepulchro Sancti accepit, & infra penetralia domus, tanquam thesaurum cœlestem imposuit. Factum est autem, ut invidia Tentatoris immissum incendium domum voraci flamma concuteret, & sparsum per aridas tabulas cuncta vastaret. Interea clamor ad cœlum tollitur, & B. Martini auxilium imploratur; meminit etiam ille ceræ particulæ à Sancti templo delatæ: Quæ reperta, & igni injecta, protinus cunctum restinxit incendium, novoque miraculo cera, quæ ignem alere erat solita, violentius. Ignem vi sanctitatis oppressit.* Hæc Paulinus in sexto operis sui lib. versu conscripsit.

Superstitiones & sortilegia. Hæc quantumvis maxime excitent pietatem erga Deum; nihilominus sanctus Joannes Chrysostomus eloquenti calamo invehitur contra eos, qui auxilium implorant à sortilegis Annulis sub prætextu sanctorum verborum; nec non contra illos, qui circa caput, & brachia deferebant imaginem Magni Alexandri, ac sanctissimæ Crucis, propter bonos eventus; sicuti & eos reprehendit, qui relictis Sanctorum nominibus, eorum filiis in Baptismo nomina imponebant aliquorum, qui ad senectam decrepitam pervenerant, & aliis superstitionibus utebantur: sic loquitur Chrysostom. ad populum Antiochenum homil. 21. *Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus, & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis Numismata capiti, vel pedibus? Dic mihi, hæné sunt expectationes nostræ, ut post Crucem, & mortem Dominicam in Gentilis Regis imagine spem salutis habeamus? Ignoras quanta Crux perfecit: mortem dissolvit, peccatum extinxit, orcum inanem reddidit, Diaboli solvit potentiam; & ad corporis sanitatem præstandam non est fide digna? totum orbem exsuscitavit, & tu ipsa non confidis? & quid pati dignus non esses? Non ligaturas verò tantum, sed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias, & titubantes in domum agens: non confunderis, non erubescis? & quod gravius est errore, quando hæc admonemus, & dissuademus, dicunt putantes se excusari, quod Christiana mulier est, quæ excantat, & nihil aliud loquitur, nisi Dei nomen. At propterea ego magis ipsam odi, & aversor, quod Dei nomine ad contumeliam utitur, quod se dicens Christianam, Gentilium opera facit: etenim & Dæmones opera Dei fatebantur, & erant Dæmones.* Et idem Chrysost. homil. 13.

in epist. ad Corinth.cap.4. *Siquidem cum nomen filio imponendum sit, omissa Sanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant, accensis lucernis, & iis nominibus impositis, quæ plurimum duraverint, ejus nomine filium appellant, hinc eum diuturnius victurum conjectati: Deinde cum nonnunquam accidat, ut præmatura morte moriantur; accidit enim sæpe, multo id risu Diabolus prosequitur, quod tanquam insipientes pueros eos delusit. Quodsi quis dixerit, quæ circumponuntur ornamenta, & bractea manibus pendentia, & coccinum stamen, & alia multa stultitiæ plena? verum nihil aliud afferri puto oportere, præterquam Crucis custodiam, quæ in præsentia contemnitur, cum totum orbem ad fidem converterit.*

Hinc Magnus Constantinus Imperator contra illos, qui Amuleta superstitiosa collo gestarent ad remedia Quartanæ, seu alterius morbi; jussit severissimè agi. Ammianus lib.19. prope finem, & apud Baronium, & Spondanum in Epitom. ann. 358. in fine; ut similes pravos usus corrigit D. August. de tempore serm.215. & de divers. 115. de S. Cy. serm.3. & refert Baron. ann.418. ubi Spondan. n.6.

Qualia autem sint Amuleta superstitiosa, & à fidelibus vitanda, vide Martinum del Rio Disquisitionum Magicarum, lib.1. cap.4. quæst.4.

CAP. XLIX.

De Corona Clericorum.

CLericalis Corona jam ab initio Ecclesiæ fuit in usu, ut refert Isidor. lib. 2. de divin. offic. cap.4. Hujus Tonsuræ Ecclesiasticæ usum à Nazaræis primum exortum, ut in Num. cap 6. qui prius Crine servato, demum post vitæ magnam continentiam devotione completa caput radebant, & capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui divinis cultibus mancipati, Domino consecrarentur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippe & Ezechieli Prophetæ jubetur cap.5. dicente Domino. *Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos; & assumes eum, & duces per caput tuum, & barbam*: quia ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deserviebat. Hoc & Nazaræos illos Priscillam, & Aquilam in Actibus Apost. cap.18. primos fecisse legimus: Paulum quoque Apostolum, & quosdam Discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu imitandi extiterunt, ut in dictis Actis cap.21. ibi: *His assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita.* Unde Hieronym. in epist. 79. utebatur hac apostrophe. *O Paule & in hoc te rursus interrogo, cur caput raseris? cur nudipedalia exercueris de ceremoniis Judæorum? cur obtuleris sacrificia, & secundùm legem pro te hostiæ fuerint immolatæ? utique respondebis, ne scandalizarentur, qui ex Judæis crediderunt.*

Quare autem in Ecclesiam introducta talis Corona? Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Ecclesiastica inquit; *Tonsura capitis sacerdotis, & rotunda ejus pilorum media sectio, vice coronæ est spineæ, quam Christus gestavit. Duplex corona circumposita capiti Sacerdotis, ex capillorum significatione imaginem refert vere-*

venerandi capitis Apostoli Petri: quæ cum missus esset ad prædicationem Domini, & Magistri, ei tonsa est ab iis, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, & posuit super caput ejus coronam, &c. Ac Ven. Beda lib. 5. de gestis Anglorum cap. 22. inquit; *Inter omnes, quas in Ecclesia, vel in universo hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam, amplectendamque jure dixerim, ea, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: Tu es Petrus:* quodque etiam refert Baron. in ann. 58. ubi Spondanus num. 50, 51. & seq. Ut ritus Tonsuræ Clericalis ex Apostolica traditione in Ecclesiam antiquitus introductus sit ob jugem memoriam sacræ Coronæ impositæ Capiti Salvatoris nostri: sicuti etiam ut illa Tonsura, quæ Principi Apostolorum derisionis causa est illata, infamiæ nota, totius Ecclesiæ honori cesserit; & certum est hanc rasionem Romæ ludibrio ab antiquo fuisse, ut idem Spondan. dicto num. 51. Existimarunt aliqui Coronam in modum Sphæræ esse signum hieroglyphicum perfectionis, ut nos diximus in libro de Veter. Ægypt. Ritibus: nimirum ut Clerici omnes, qui ubique ad eam obligantur, perfecti debeant vivere. Et hinc Sacerdotes omnes, ad quam vocati sunt dignitatem, agnoscant, moribusque illam exprimant. Nam quo dignatio illorum major, hoc gravior delinquentes pœna manet; & quo sacrificium quod offerunt, augustius, ac divinius; eo magis vitæ illorum improbitas gravioribus subjacet suppliciis.

Quicquid autem sit, certum præter deducta, usum Tonsuræ antiquissimum fuisse in Ecclesia; cum referat Ammianus Marcellinus lib. 12. quendam Theodorum fuisse martyrio datum à Gentilibus, eo quod tonsurasset quendam puerum, quem Ecclesiæ dicaverat: Et Cyrillus in Euthymio apud Lipoman. tom. 5. refert, ut Otrejus Episcopus Melitens. (sub Theodosio seniore Imp.) tonsoraverit Euthymium, his verbis; *Cum eum baptizasset, & pilos, qui ex lege tondentur pueris, totondisset, in gradum Lectorum eum cooptat.*

Et quod solitum esset adjurare per talem coronam, Augustin. epist. 147. ad Proculianum Episcopum inquit; *Honorant nos vestri: Honorant vos nostri: per Coronam nostram nos adjurant vestri, per Coronam vestram vos adjurant nostri:* ut pariter per Coronam precatur Hieronymus ad Augustinum inter Epistolas Augustini 26. ibi: *Fratres tuos dominum meum Alipium, & dominum meum Evodium, ut meo nomine salutes, precor coronam tuam.*

Sanctus Anicetus Papa circa ann. 200. à Christo nato, scribit ad Galliæ Episcopos, ut Clerici deferant tonsuram, sicuti refertur distinct. 23. Can. Prohibete fratres, &c. *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.* Et in Concil. Carthagin. IV. Can. 44. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Et in Concilio Agathens. Can. 20. *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono (etiamsi noluerint) inviti detondeantur.*

De Presbyterorum tonsura Evagrius lib. 30. histor. cap. 26. scribit, quod Martianus Tarsum damnatus: *ubi coma abrasa Presbyter designatus est.*

Et circa Episcoporum tonsuram refert S. Gregorius Nazianzen. orat. in Maximum, ut iste à Philosopho incontinenti devenerit Episcopus: de quo (ut de similibus fuit dictum) inquit; *Cum ad Pastoralis administrationem nihil aliud omnino contulerint, quam quod comam, cui alendæ, & ornandæ turpiter studuerant, raserint.* Sanctus Gregor. Turonens. in vita sanctorum Patrum cap 17. scribit, quod sanctus Nicetius Episcop. Trevirorum, ex utero egressus apparuit tonsuratus, habens instar Clerici coronam.

Advertendum hic est: Hodie apud nos antiquam Coronæ formam solos Monachos retinere: nam brevis ille orbis in vertice, quo clerici magna pars utitur, insolens olim, atque inusitatus in Ecclesia fuit, ut legitur in Concilio Toletano 4. Can. 40. his verbis; *Omnes Clerici, vel Lectores, vel Levitæ, & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solum circuli coronam relinquant: Non sicut hucusque in Galliæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis ut Laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondunt. Ritus enim iste in Hispania hucusque Hæreticorum fuit: Unde oportet ut pro amputando ab Ecclesiis scandalo, hoc signum dedecoris auferatur. Qui secus fecerit, fidei Catholicæ reus erit.* Et in hoc conforme est, quod scribit Gregor. Turonens. de dicto Nicetio Episcopo recens nato his verbis; *Omne caput ejus à capillis quidem nudum cernebatur, in circuitu vero mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares coronam Clerici signatam.*

Objiciunt Hæretici, Tonsuram deferre, sit imitari Idolorum ministros etiam Tonsuratos. At respondetur, non propterea in hoc peccasse illos, quod tonsurati essent, sed quoniam referebant illam tonsuram, seu rasuram ad Idola, seu falsos deos.

Secundo reprehendunt Tonsuram, cum hæc redundet in derisum Sæcularium, & Religiosorum, dum admittuntur ad Clericatum: quoniam respondemus Christianos exoptasse hanc derisionem, & improperium, propter Christum, ut ex Apost. ad Hebræos cap. 13. *Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Et sicuti Crux Judæis, & Gentilibus fuit scandalum, & stultitia; ita prædestinatis sapientia, 1. Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentilibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Tertia objectio, quod Deus expresse prohibeat hanc tonsuram, in Levitico cap. 21. *Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.* Quoniam respondetur processisse, ne Judæi proclives ad Idololatriam, cum Ægyptiis, & aliis exteris nationibus in hoc symbolizarent.

Demum reprehendunt Rasuram, ex divo Epiphanio, Hæres. 80. Respondetur enim non impugnasse Epiphanium rasuram, sed modum radendi, & tondendi, ut ipse inquit; *Neque meretricio more ob comam efferaris.*

CAP.

CAP. L.

De Tonſura Religioſorum.

RItus omnes in Eccleſia, quorum principium ignoratur, cum referantur à ſancto Auguſtino ad Apoſtolicam traditionem; credendum eſt etiam tonſuram utriusque ſexus Religioſorum originem habuiſſe ex Apoſtolorum doctrina.

Quod ex antiquitate confirmatur; cum D. Dionyſ. præcipiat profeſſores ſolitudinis Tonſuratos eſſe, ut in lib. de Hierarch. Eccleſ. cap. 6. his verbis; *Ubi iſte illa omnia continenter promiſerit, conſignans eum crucis ſigno ſacerdos, tondet, trinas divinæ Beatitudinis perſonas inclamans, exutumque veſte omni, alia induit.* & infra. *Porro tonſura crinium vitam mundiſſimam indicat, & nulla figura fucatam.*

Sanctus Athanaſ. lib. de vera Virgin. circa medium; *Materia veſtium tuarum ne ſit pretioſa: capilli circumtonſi, crinalis vitta ex lana ſit, caput aſtringens.*

Et ſanctus Hieronymus epiſt. 48. ad Sabin. cap. 3 inquit; *Moris eſt in Ægypti, ac Syriæ monaſteriis, ut tam Virgo, quam Vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renunciantes omnes delicias ſæculi conculcaverint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum; non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter, & velato.* Et idem Hieronym. etiam loquitur de vivendi conſuetudine Monialium, ut in epiſtola 27. ad Euſtoch. de obitu Paulæ, cap. 10. circa medium: *Unus omnium habitus, linteamine ad tergendas ſolum manus utebantur: à viris tanta ſeparatio, ut à ſpadonibus quoque eas ſejungeret Paula, ne ullam occaſionem daret linguæ maledicæ, quæ Sanctos carpere ſolita eſt in ſolatium delinquendi.*

Et de veſtitu, ac alio ritu vivendi in Monialibus; D. Ambroſ. ad Virginem lapſam, cap. 8. *Lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione punienda: amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præbuerunt*: & infra: *Denique totum corpus injuriis, & jejuniis maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit.*

Certum eſt autem, quod Deus dum minabatur populo flagella, & deſolationem per ſuos Prophetas, prædicebat pilorum tonſionem, & calvitium, ut per Iſaiam cap. 22. verſ. 12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum faciei.* Et idem Iſaias cap. 13. verſ. 24. *Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & faſcia pectorali cilicium.* Et Michæas cap. 1 verſ. 16. *Decalvare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum ſicut Aquila, quoniam captivi ducti ſunt ex te, &c.*

Hoc idem ſenſus communis docebat Gentiles facere, ut de quibusdam Regulis refert Sueton. in Caligula cap. 3. *Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe in indicium maximi luctus.* Et Argivi mœroris cauſa idem præſtabant apud Herodot. lib. 5. hiſtor. ac idem Syri apud Lucianum in Dea Syria. Solum autem Romani, quoniam ipſi communiter tonſi incedebant, propter triſtitiam pilos creſcere ſinebant, ut ex Sueton. in C. Jul. cap. 67. *Diligebat uſque adeo, ut audita clade Tituria-*

Tituriana, barbam, capillumque submiserit, nec ante ademerit, quam vindicasset: Quod etiam testatur Ulpianus I.C. in l. vestem, D. de injuriis, & famosis libellis.

Propterea Religiosi, ut exhiberent mœstitiam, & luctum de propriis, & alienis peccatis, pro quibus pœnitentiam faciebant, tonsi incedebant, & capillos radebant, ut refert sanctus Paulinus epistola 7. & Salianus Marsiliens. de vero judicio, & providentia Dei, in fine. Ac etiam non prius ad pœnitentiam quispiam admittebatur, quam tonsura conferretur. Conc. Toletan. III. c. 12. *Quicunque ab Episcopo, vel Presbytero pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus observet, vel Presbyter: ut si vir est sive sanus, sive infirmus, prius eum tondeat, & sic pœnitentiam ei tradat.*

Felices, qui hanc pœnitentiam salutarem amplectuntur; quoniam dicere poterunt cum Apostolo 2. Corinth. 4. vers. 10. *Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu Christi manifestetur in corporibus nostris, &c.*

CAP. LI.

De Habitu Monachorum, & Religiosorum.

SIcuti sacra à prophanis debent separari; ita homines sacros discerni à sæcularibus per habitus diversitatem congruum est; quod & omni tempore ita servatum, ut de Elia induto habitu non vulgari, legitur 4. Regum, cap. 1. vers. 8. *At illi dixerunt: Vir pilosus est, & zona pellicea accinctus renibus, qui ait: Elias Thesbites est.* & de Joann. Baptista apud Matth. cap. 3. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem ejus erat locusta, & mel silvestre*: Ac de aliis similibus etiam refert Apost. ad Hebr. 11. *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, &c.*

Et præterea decretum fuit in Concil. Niceno Can. 73. Arabico. *Religiosi tum Monachi, tum Moniales, habeant alia indumenta, & alios mores, quàm Laici; & tondeant caput in modum Coronæ, & cingant se.*

Hinc sanctus Athanasius de Virgin. sic inquit; *Materia tuarum vestium ne sit pretiosa, indumentum tuum fuscum sit, non tinctum, sed nativi coloris, aut saltem album amiculum, fimbriis careat; ejusdem quoque coloris sint manicæ laneæ brachia obtegentes usque ad digitos manuum: capilli circumtonsi, crinalis vitta ex lana sit: caput astringens cuculla, & superhumerale lacinias non habeat.* & Basilius epist. 1. *Tunica cincta appressa sit corpori, & astricta: cinctus neque muliebrem in modum illa exuperet, neque prælaxus fluxam tunicam efficiat.* Et idem de habitu, & tonsura Monachorum refert Epiphan. hæres. 20. & Joann. Chrysost. homil 56. ad populum Antiochenum.

Sicuti etiam Gregor. Nazianz. orat. 12. coram Patre suo inquit; *Qui Heliam, aut Joannem moribus exprimebant, aut alium quendam ex his, qui Christo nomen dederunt, eademque zona accincti sunt, atque eodem vel fusco, vel nigro pallio contecti, quale vita sancta, & gravis, &c.*

Et

Et Impp. Theodoſ. Arcadius, & Honorius lib. 5. Cod. de Epiſcop. audientia expreſſe ſic prohibent. *Mimæ, & quæ ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publicè habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, non utantur.*

Joannes Caſſianus de inſtitut. cœnobiorum lib. 1. cap. 24. & 5. diffusè deſcribit habitum, & maximè Cucullos Monachorum, & Religioſorum. *Cucullis perparvis uſque ad cervicis, humerorumque demiſſis confinia, quibus tantum capita contegant, indeſinenter diebus utuntur, ac noctibus; ſcilicet, ut innocentiam, & ſimplicitatem parvulorum jugiter cuſtodire etiam imitatione ipſius velaminis commoneantur, &c.*

Ac de ciliciis, & tunicis loquitur Theodoretus in hiſtor. Patrum, cap. 14. *Ajunt eum neque tunicam, neque cilicium ſæpe mutaſſe, ſed iis, quæ in eis fiebant rupturis, aliquot pannos conſuendo, ſenectuti hoc modo remedium attuliſſe.*

Et de Pallio, quod ſumpſit Tertullianus, quando Chriſtianus devenit, exultans idem in tractat. de pallio, ultima periodo, inquit; *Gaude Pallium, & exulta: melior te jam Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.*

De Velo etiam meminit Ambroſius lib. 1. ad Virgin. lapſam cap. 5. *Non es memorata diei Dominicæ Reſurrectionis, in quo D. Altari te obtuliſti velandam.* Et idem refert lib. 5. de Virginib. verba, quæ protulit Liberius Papa in tradendo velo Marcellinæ.

Et ſanctus Hieronymus in vita ſancti Pauli primi Heremitæ loquitur de veſte palmarum ſancto Antonio relicta, ibi; *Ne quid plus hæres ex inteſtati bonis non poſſideret, tunicam ejus ſibi vindicavit, quam in ſportarum modum de palmæ foliis ipſe ſibi contexuerat, &c. Diebusque ſolennibus Paſchæ, & Pentecoſtes ſemper Pauli tunica veſtitus eſt.* Et idem in vita ſancti Hilarionis inquit; *Igitur octogeſimo ætatis ſuæ anno, cum abſens eſſet Heſichius, quaſi teſtamenti vice brevem ſcripſit epiſtolam, omnes divitias ſuas ei relinquens, Evangelium ſcilicet, & tunicam ſacceam, cucullum, palliolum.* Et de habitu, quem ſumpſerat Euſtochia filia ſanctæ Paulæ, ſcribens idem Hieronym. ad Demetriadem de cuſtod. Virgin. cap. 3. inquit; *Pretioſa monilia, & graves cenſibus uniones, ardentesque gemmæ redduntur ſcriniis, vili tunica induitur, viliori tegitur pallio, & inſperata Aviæ genibus provolvitur.* Et idem ad Marcellam de laudibus Aſellæ epiſt. 15. inquit; *Tunicam fuſciorem induta repentè ſe Domino conſecravit.*

S. Auguſtinus etiam reprehendit delicata velamina capitis, ut in epiſt. 108. ad Moniales; *Nec ſint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola ſubter appareant.*

Ac etiam de habitu Monachorum, quos inſtituerat ſanctus Martinus, inquit Severus Sulpitius in vita ejusdem Martini: *Multi quidem è fratribus in eundem modum, &c. Plerique Camelorum ſetis veſtiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis ſit, mirum neceſſe eſt, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati ad hanc ſe humilitatem, & patientiam coëgerant.*

Velle igitur impugnare habitus Religioſorum, eorundemque antiquitatem: non aliud certè eſt, quam imitari Conſtantinum Copronimum Imperatorem, qui exponebat Monachos per deriſionem populo in theatris, ut refert Cedrenus in vita ejusdem Copronimi.

CAP. LII.

De Monachorum, & Religiosorum institutione: ac de Votis eorundem.

COenobitarum, & Religiosorum disciplina, quæ à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsit exordium; ut refert Cassianus collat. 18. cap. 4. 5. & 6. & idem de Institut. Cœnobit. lib. 2. cap. 5. asserit, Monachos Ægyptios à sancto Marco primam vivendi normam accepisse; quod idem testatur Beda, Sozomenus, & Nicephorus: quibus subscribit Chrysostomus, homil. 11. in Marcum his verbis; *Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli; sic Monachorum princeps Joannes Baptista est:* qui solus eremum incoluit, locusta, & melle tantum nutritus: & hujus conversationis progeniti, deinde sunt Principes nobilissimi Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, & cæteri Patres relati à Cassiano.

Eandemque institutionem Religiosorum vetustissimam esse, ostendit divus Hieronymus epist. 4. ad Rusticum, ubi ex sacra Scriptura inquit; *Filii Prophetarum, quos Monachos novimus, in veteri Testamento, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis; & turbis Urbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant.* Et idem epist. 13. ad Paulinum, ait: *Noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis.*

Eademque disciplina etiam dein in immensum crevit; refert Augustinus de Moribus Eccles. cap. 31. *Quis nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem indies magis magisque diffundi; & ex Oriente maximè, atque Ægypto? quod vos nullo modo potest latere.*

Virtutes Monachorum.

Et talis fuit antiquitus hæc institutio, & regula vivendi omnibus repleta virtutibus, ut refert D. Hieron. epist. 35. part. 3. ad Rusticum Monachum. *Ad illud tendit nostra oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius Patris disciplina, consortioque multorum; ubi ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te doceat silentium, ille doceat mansuetudinem: non facias quod vis, comedas quod juberis, habeas quantum acceperis, operis tui pensa persolvas, subjiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias; & nondum expleto somno surgere compellaris, dicas psalmum in ordine tuo, servias fratribus tuis, & hospitum pedes laves, passus injuriam taceas, Præpositum timeas ut Dominum, diligas ut parentem; credas salutare quicquid ille præceperit, nec de majoris sententia judices, cujus officii est adimplere, quæ jussa sunt.* De hoc instituto vivendi refert Augustinus, de Moribus Eccles. cap. 31. *Quis non illos miretur, ac prædicet, qui contemptis, atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam sanctissimam, castissimamque congregati simul, ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus? nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intensissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ita posse meruerunt.*

Neque

Neque ea ætate Monachi tantum, ſed & Moniales, Auguſt. cap. 31. de Moribus Eccleſ. *Hæc eſt etiam vita fœminarum Deo ſolicitè, caſteque ſervientium, quæ habitaculis ſegregatæ, ac remotæ à viris, quam longiſſimè decet, pia tantum illis charitate junguntur, & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus acceſſus eſt; neque ipſorum quamvis graviſſimorum, & probatiſſimorum ſenum; niſi uſque ad veſtibulum, neceſſaria præbendi, quibus indigent, gratia.*

Ipſaque Religionis diſciplina tanti habetur à Patribus, ut cum Baptiſmo conferatur: quos inter Hieronym. epiſt. 25. de obitu Blaſillæ ait: *Cum propitio Chriſto ante quatuor fermè menſes ſecundo quodammodo ſe propoſito Baptiſmi laverit; & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo ſemper Monaſterium cogitaverit.* Et D. Bernardus lib. de Præcepto & Diſpenſat. inquit; *Audire vultis à me, unde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina meruerit hanc prærogativam, ut ſecundum Baptiſma nuncupetur: arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, & ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quæ præeminet univerſis vitæ humanæ generibus: hujuſmodi converſatio profeſſores, & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus; imo divinam in homine reformat imaginem, configurat nos Chriſto inſtar Baptiſmi.*

Religio alter Baptiſmus.

Verum quam pia & ſancta ſint Religioſorum vota, nempè Obedientia, Paupertas, & Caſtitas; ex hoc ſolum licet colligere: cum Deus per Prophetas, & Evangeliſtas ſuos centuplum, ſedes honorarias in judicio, ac locum & nomen promiſerit in Regno cœlorum. Quoniam Obedientia animam Deo conſecrat, Paupertas bona ſacrificat, Caſtitas corporis holocauſtum facit; ut cum Petro ipſe Religioſus dicere audeat; *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?*

Tria vota religioſorum.

Adde quod votum Obedientiæ nititur Chriſti exemplo, qui *Factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*: De cujus quidem virtutis merito, ait Samuel 1. Reg. cap. 15. *Melior eſt obedientia, quam victima*: ubi gloſſa ordinaria rationem reddidit: *Quia in victimis aliena caro, in obedientia mactatur, & offertur voluntas propria.*

Votum Paupertatis ejuſdem Chriſti exemplo, & conſilio nititur: exempla quidem, quia de Chriſto legimus Matth. c. 8. *Filius hominis non habet ubi reclinet caput ſuum:* Conſilio autem, quia ipſe dixit: *Si vis perfectus eſſe: vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum, & veni ſequere me.*

Votum denique Caſtitatis non modò fulcitur Apoſtoli conſilio 1. Corinth. cap. 7. ibi: *De Virginibus quidem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*; verum etiam ſingulari beatiſſimæ Virginis exemplo, quæ illud emiſit: unde Angelo filium promittenti conſtanter reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Super quibus ſanctiſſimæ Virginis verbis, ſanctus Bernard. in ſerm. ſuper Miſſus eſt, inquit: *Probat propoſiti inviolabile fundamentum, quod tam conſtanter promittenti filium Angelo, reſpondit; Quomodo fiet iſtud &c.* Et ſanctus Auguſt. de Virgin. cap. 4. *Hoc profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet.* Et de hoc Caſtitatis voto habemus etiam Chriſti verba apud Matth. cap. 19. *Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.*

De iisdem etiam Religiosorum votis teste Eusebio lib. 2. histor. Eccles. cap.16. & seq. Philo Hebræus diffusè refert, dum luculenter describit vitam, & mores Monachorum, & sanctarum Virginum; ac etiam sanctus Basilius in Regul. per ipsum Monachis tradita.

Non impossibilis castitas.

Nec verum est quod sine Divino miraculo impleri non possit votum Castitatis: nam fateor quidem cum Hieronymo serm. de Assumpt. B. V. In carne præter carnem vivere non terrenam esse vitam, sed cœlestem: & in carne Angelicam gloriam acquirere, majus est meritum quàm habere; quippe quia esse Angelum felicitatis est, esse vero Virginem est virtutis; dum obtinere viribus nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura. Negatur tamen, votum hoc citra miraculum servari non posse; hoc enim esset contra veritatis oraculum ad Apostolum 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*: Et contra generalem exhibitionem, & promissionem cunctis à Christo factam Joann. cap.16. *Petite, & accipietis*: Unde August. de peccat. merit. cap.17. inquit; *Casti non sumus, non quia non possumus; sed quia non volumus.* Chrysost. in homil. Psalm.50. *Non possum, ais, me continere? hoc pusillanimitatis est, & negligentiæ tuæ, quia Dei præcepta contemnere malles quam facere.* Et D.Hieron. epist. 6. lib. 2. part. 1. cap. 37. inquit: *Non itaque Deus incusandus est, quasi donum continentiæ non det; quia dare paratus est idoneo: sed nostra negligentia arguenda venit, quæ non egit, quod debuit, ut Deus daret.*

Media ad castitatem.

Idemque ibidem media, quibus gratia à Deo impetretur, præscribit his verbis; *Qui petulantem, & lascivientem carnem sentiens, debitum conjugale non valet assequi; oret, abstineat, jejunet, corpus inedia subjiciat, occasiones libidinem provocantes fugiat, ad bona opera se conferat, & Divino fultus auxilio continere poterit, quod sibi prius impossibile suspicatus fuerat.* & infra. *Si quis existimat abundantia ciborum, potionumque frui; & carnis lubricum non sentire; hoc est, versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri; seipsum decipit.* & infra. *Difficile est, imo impossibile, deliciis, & voluptatibus affluentes, non ea cogitare quæ gerimus:* & inter cætera idem Hieronym. ad Rusticum Monachum scribit: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

Vota libera sunt.

Nec minus asserendum, quod contra Christianam libertatem hæc Vota sint inducta: Quoniam cum vota libere emittant Religiosi, & sponte Deo voveant, nihil inde detrimenti libertati accedit: & de hujusmodi libera necessitate August. epist. ad Armentarium inquit: *Felix est necessitas, quæ ad meliora compellit.* & Hieron. epist. 41. ad Marcellam: *Si quando sensus obnititur, manet adhuc virtute primi animi prompta voluntas, quam Deus non oblivi scens acceptat.* Potissimum quia etiam in divinis Scripturis refertur Psalm.75. *Vovete, & reddite*: atque in Ecclesiast. cap.5. *Si quid vovisti, ne moreris reddere.*

Cavendum est tamen; quamvis ab initio homo sit in sua libera facultate ante votum; facta tamen promissione, & voto emisso, si contraveniat, peccat sub pœna perfidiæ, & fractæ fidei; quoniam inquit Athanas. lib. de Passion. & Cruce Christi initio: *Scire debemus, & nequaquam ignorare, quod quæcunque promittimus Deo, non ea deinde esse nostra, sed Dei; & si quid inde defraudamus, ea non nos sumere jam tanquam nostra, sed cum Dei sacrilegio compilare.* Addi-

Addimus prædictis, ſex genera Monachorum etiam priſcis temporibus extitiſſe, quorum tria ſanctiſſimè vixere: nempe *Cœnobitarum*, id eſt in commune viventium. Secundum genus *Eremitarum*, qui procul ab omnibus deſerta loca, & vaſtas ſolitudines habitaſſe perhibentur: aqua & pane contenti, divino tantum colloquio perfruebantur. Tertium genus *Anachoretarum*, qui includentes ſemetipſos in cellis, procul ab hominibus in ſola Dei contemplatione perſeverabant. Quæ tria genera ſicut optima fuere; ita etiam totidem tria genera diſſimilia, teterrima, & omnibus modis evitanda. De quibus Caſſianus & Iſidorus Hiſpalenſ. de Eccleſiaſt. offic. lib. 2. cap. 15.

De Monachorum generibus

Hinc fit, quod ex malis Religioſis in Clauſtro nil deterius inveniatur, ſicuti ex ſimilibus bonis nil perfectius, ut teſtatur D. Auguſtin. epiſt. 137. Clero, & populo Hipponenſi his verbis; *Simpliciter fateor coram Domino Deo noſtro; ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam qui in monaſteriis profecerunt: ita non ſum expertus pejores, quam qui in monaſteriis ceciderunt.*

De malis Religioſis.

Verum quoniam perſæpe accidit delicta Religioſorum erumpere in notitiam hominum: propterea non temerè judicandum; nevè ob paucorum delicta, debet quis deficere à pietate, vel de omnibus male ſuſpicari; cum nulla fuerit unquam tam felix ſodalitas, in qua non aliquod flagitium extiterit: ut latè idem Auguſt. dict. epiſt. 137. referat. *Quantumlibet enim vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines vivo: nec minus arrogare audeo, ut domus mea melior ſit quam Arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus eſt. Aut melior ſit quam domus Abrahæ, ubi dictum eſt; Ejice ancillam, & filium ejus: aut melior ſit, quam domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt, Jacob dilexi, Eſau odio habui. Aut melior quam domus ipſius Jacob, ubi lectum patris ſui filius inceſtavit.*

Et ex hoc, propter delicta aliquorum Religioſorum, non ſunt cæteri imputandi; cum idem Auguſtinus in Pſalm. 99. ſub finem dicat: *Sed omnem profeſſionem habere fictas perſonas: ſunt Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni.* & paulo poſt. *Invenis ſanctimoniales indiſciplinatas: nunquid ideo ſanctimonium reprehendendum eſt? &c. Sed nunquid propter virgines malas damnaturi ſumus & ſanctas, & corpore, & ſpiritu?* Et quod mos ſit malorum damnare totum ordinem ex particulari delicto, idem Auguſt. dicta epiſt. 137. ibi: *Ad quid aliud ſedent iſti? & quid aliud captant? niſi ut quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, jactent, contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari?*

Confiteamur igitur, quod ſi in Eccleſia ſint mali; ſunt tamen & boni; & ſi excrementa reperiuntur, eſt quoque oleum luminoſum, quo Eccleſia per totum orbem diffuſa illuſtratur, ut idem Auguſt. dict. epiſt. 137. his verbis: *Quapropter, & ſi contriſtamur de aliquibus purgamentis: conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis: nolite ergo propter amurcam, qua oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris implentur.* Ut ex iis ſanctiſſimam eſſe Religionum inſtitutionem liqueat, quod olim de Ægypto dicebat Chryſoſtom. homil. 8. in Matthæum; *Non ita variis aſtrorum choris cœlum refulget, ut Eccleſia innumeris Monachorum, ac Virginum diſtinguitur, atque illuſtratur habitaculis.*

CAP. LIII.

De Votis in genere.

NOn solum solennia Religiosorum vota sunt ad unguem servanda, ut diximus: verum & cujuscunque personæ etiam in particulari, ut in Psalm. 57. vers. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* & alibi: *Vota mea reddam in conspectu timentium te.* Etenim quod ante votum erat in libera voluntate; redditur post emissum votum necessarium sub pœna Divinæ indignationis; ut in Ecclesiast. habetur: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcunque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Ac etiam in Deuter. cap 23. vers. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris: Quod autem semel egressum de labiis tuis, observabis, & facies, sicuti promisisti Domino Deo tuo.* Et Paulus loquitur de Viduis, quæ cum fregerint eorum vota, acquirent æternam damnationem, ut in 1. ad Timoth. cap. 5. vers. 11. & seq. ibi: *Adolescentiores autem viduas devita: cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem.*

Considerandæ potissimum sunt circumstantiæ ante emissum votum, nec illud generaliter pronunciare oportet, quoniam ut inquit sanctus Justinus Martyr, quæst. ad Orthodoxos. 99. *Permisit Deus filiam Jephthe in sacrificio victimam offerri, non quod humano delectaretur sanguine, verum ut homines posteri documentum haberent, ne unquam vota sua Deo infinitè nuncuparent: multa enim absurda sunt per hujuscemodi generale votum cavenda.*

Et de Votis, quæ Sanctis fiunt, inquit Euseb. de præparat. Evangel. lib. 13. c. 7. *Vota, quæ ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.*

S Joann. Chrysost. refert, quod reddere votum, sit solutio debiti, ut in Psalm. 49. ibi: *Pulchrè autem dixit; Redde: post promissionem enim efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit filium, ut debitum maximum.* Et paulo post: *Ne tardaveris reddere votum tuum: pollicitus es redde, ne forte mors te invadat, & id rescindat.*

Refert Tertullianus, quod votum transit in Legis naturam, ut in cap. 11. de jejuniis. *Tamen & votum, cum & à Deo acceptatum est, legem in posterum facit per auctoritatem acceptatoris.*

S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 30. *Quod quis Deo voverit, cito reddendum; apud Salomonem: Prout voveris votum Deo, ne moram feceris reddere illud. Apud Hieremiam: Maledictus qui facit opera Dei negligenter.*

Et Concilium IV. Carthaginens. privat communione Viduas, quæ votum Castitatis fregerunt, ut in cap. 104. *Sicut bonum est Castitatis præmium, ita & majori observantia, & præceptione custodiendum est; ut si quæ Viduæ quantumlibet, in minoribus adhuc annis positæ, & matura ætate à viro derelictæ, si devoverunt Domino, & veste laicali abjecta sub testimonio Episcopi, & Ecclesia Religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias sæculares transierint; secundum Apostolum damnationem habebunt,* quo-

quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, &c.

Et S. Augustinus de quodam amico, à Dæmone instigato, ut rumperet votum, epist. 45. inquit: *Modò autem tantò (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quantò beatior si persolveris: nec ideo te vovisse pœniteat, imo gaude jam tibi non sic licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis, ipse enim adjuvabit, qui tua vota expetit: felix necessitas, quæ ad meliora compellit.*

Lubrici, & sensuales homines, ut retrahant se à Castitatis voto, impossibilitatem adducunt: quodque melius sit nubere, quam uri. At certè hæc impossibilitas non ab alio procedit, quam à mala eorum dispositione, non repellendo internas tentationes, nec occasiones externas evitandi: quoniam si in hoc solicitaret caro, seu Satan; Jejunia & orationes maxime proficiunt: si objecta offerat mundus, hæc fugienda. Sed de hoc themate videamus D. Basilium de vera virginitate circa medium, dum inquit; *Cum Domino virginitatem professæ sint, carnali postmodum voluptate malè blanda delinitæ, ac devictæ, stupri scelus honesto conjugii nomine obtegere cupiunt: non ignorant hujusmodi, quamvis ignorantiam simulant, quæ sponsi dexteram, & fœdera prævaricata sit, eam nec illius ultra esse sponsam, quem nequitiæ dans manus, dereliquit.* Et infra. *Conjugium quippe illi in peccatum reputabitur; primum quidem, quia pessimum hujus conjunctionis fundamentum voluptatem jecit, prævaricationisque malum: deinde quia causa non esset libera; neque enim est mortuus vir ejus, ut cui vult, nubat, vivente mortali viro, merito censetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini thalamis intulit, &c.*

Possemus hic videre, An Votum consistat in solo proposito faciendi: seu in promissione, quæ procedit ex proposito: Sicuti etiam, An Votum debeat fieri de meliori bono? An omne Votum obliget ad observandum? &c. sed de his & similibus rejicio Lectorem ad divum Thomam in sua summa 2.2. quæst. 88. & ad alios scribentes.

CAP. LIV.
De Cœlibatu Ecclesiasticorum.

Quamvis in sancta Matre Ecclesia nulla reperiatur macula, malitiosè tamen Novatores Hæretici delirant reprehendendo castitatem in Ecclesiasticis, ejusdem Ecclesiæ filiis: non retinentes hi memoria Cœlibatum sanctissimè fuisse sacris annexum ordinibus; ut suadetur, & figuratur nobis ex veteri Testamento, ubi Deus præceperat, quod manducaturi Agnum Paschalem, renes suos accingerent; hoc est, ut exponit Gregor. Exod. cap. 12. voluptatis carnes edomarent. Idemque comprobatur, ex quo Achimelech Sacerdos noluit dare Davidi ac sociis comedendos panes Propositionis, ut in 1. Reg. cap. 21. qui Hieronymo exponente, Christi Corpus significabant; nisi prius illos mundos à mulieribus esse intellexisset. Si enim homines, cum manducaturi erant panem Propositionis, qui corporis Christi figura tantum erat, à mulieribus mundos esse oportuit; multo magis perpetua ab his exigenda

genda est continentia, quorum est quotidie non figuram, sed ipsum verum Christi corpus consecrare, offerre, & comedere; ut propterea Paulus præcipiat Tito sobrietatem, justitiam, continentiam, &c. ubi S. Hieronym. inquit verbum, *Sobriè*, in Græco idiomate idem sonare, quod *Caste*. Et idem Apost. ad Timoth. epist. 2. cap. 2. inquit; *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*: Ex quibus potissimum est Matrimonium, dum idem Apost. 1. Corinth. 7. inquit; *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*. Cumque sanctus Basilius cap. 1. constit. Monach. *Nullæ sunt curæ graviores, quàm eæ, quæ à conjugio profectæ gregatim innumerabiles penè advolant*.

Et quod in cœlibatu debeant vivere Ecclesiastici, cum competat illis continuò vacare orationi, maximè dum sanctum & sacrum offerunt sacrificium: inquit Epiphan. hæres. 59. *Si populo præcipit Apostolus dicens, ut ad tempus vacent orationi; quanto magis sacerdoti idem præcipit? ut indistractus sit, inquam, ad vacandum secundùm Deum sacerdotio, quod in necessitatibus spiritualibus, ac usibus perficitur*. Quod maximè expressit Origen. homil. 23. in Num. *Certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt; unde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indèsinenti, & perpetuæ se devoverit castitati*. Et idem Origen. homil. lib. 4. in Levit. *Ante omnia enim sacerdos, qui divinis assistit altaribus, castitate debet accingi*. Ac etiam Eusebius Cæsariens. de demonstr. Evangel. lib. 1. cap. 9. *Veruntamen eos, qui sacrati sint, atque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps seipsos à commercio uxoris decet, &c.*

Et sanctus Basilius præcipiens Paregorio presbytero in epist. 17. ut desistat à muliercula, quam domi retinebat, postquam adduxit Concilium Nicenum, ne quis mulierculam subintroductam habeat, & alia multa, sic inquit; *Ejice igitur illam ex ædibus tuis, & trade in Monasterium: sit illa cum virginibus, & tu inter viros ministra, ne nomen Dei propter vos blasphemetur, &c. Si vero sine correctione tui ipsius ausus fueris sacerdotii retinere functionem, anathema eris omni plebi; & si qui te receperint, per omnem Ecclesiam excommunicabuntur*. Et idem Basilius epist. 1. ad Amphilochium. *Diaconus post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem ejicitur, in laicorum autem locum extrusus à communione non arcebitur*.

S. Joannes Chrysostomus homil. 2. in Job, refert differre antiquum Ecclesiæ statum in sua erectione ab Ecclesia recenti, his verbis; *Quoniam virgines raro inveniebantur, Paulus Episcopus ordinans Tito dixit: Constitue Episcopos, sicut ego disposui, unius uxoris viros; non ea ratione, quod id nunc in Ecclesia observetur. Oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse*.

Et quod dicta Apostoli verba: *Unius uxoris virum*: intelligantur, ut Bigamus non valeat ordinari: non autem, quod ordinatus in sacris ordinibus possit penes se mulierem retinere: hoc explicite prohibetur in Canon. 3. Nicenæ synodi relato per Gratianum in distinct. 32. Canon. Interdixit. Hoc etiam expresse scripsit D. Ambros. lib. 3. epist. 25. ad Vercellensem Episcopum, his verbis; *Neque iterum ut filios in sacerdotio creare Apostolica invitetur auctoritate; habentem enim dixit filios, non facientem: neque conjugium iterare*. Et paulo post. *Qui iteraverit conjugium, culpam*

quidem

quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis. Et idem inferius. *Cognoscamus, non solum hoc Apostolum de Episcopo, & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilii Niceni tractatu addidisse, neque Clericum quenquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* Docens ergo Apostolus Episcopos debere esse unius uxoris Viros, ut ibidem annotat Chrysostomus; non fert legem ut Episcopi uxorem habeant; sed solum ut non habeant; vel non habuerint, nisi unam, & Virginem.

At magis clarè, distinctè, ac breviter refert sensum litteralem, moralem, & mysticum ex dictis verbis Apostoli; idem Ambrosius in tract. de dignitate sacerdotali cap.4. his verbis; *Si ad superficiem tantum litteræ respiciamus, prohibet bigamum Episcopum ordinari. Si vero ad altiorem sensum conscendamus, inhibet Episcopum duas habere Ecclesias: & si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet, ne post Catholicum dogma, sensum inveniatur Episcopus habere hæreticum; sed Christianam tantum, orthodoxam, & Catholicam sibi associet fidem, ut unius tantummodo uxoris, & Catholicæ Ecclesiæ vir, Episcopus vocitetur.*

Et divus Hieronymus supponit Apostolos uxores non habuisse præter Petrum, ut advers. Jovin. lib 1. cap.14. his verbis; *Quanquam, excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: & cum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum: intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil scriptura significat.* Et idem ubi supra, cap. 18. inquit; *Non dicit Paulus: Eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat:* sed, *Qui unam habuerit uxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Et paulo post. *Si laicus quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.*

Et hoc idem etiam Justinianus Imper. præcipit in Authent. Episcopo, Cod. de Episc. & Cleric. *Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur; sed si habere probetur, ab Episcopatu dejiciatur, quo se fecit indignum.*

Quod etiam sanctissimè decrevit Nicæna synodus, Can.3. ut supra diximus; quamvis instante Paphnutio, obtentum solum fuerit ab Orientalibus, quod uxorati non cogerentur relinquere, quam haberent.

Quilibet ergo, postquam sacrum Subdiaconatus ordinem sumpsit, tenetur ad cœlibatum promissum in voto solenni ordini annexo: etenim si fides est homini servanda, eo magis, quod Deo solenniter est promissum, ut refert D. Basilius in lib. de vera virginitate circa medium.

Prædictis quoque ratio accedit, quod si Sacerdotes conjuges haberent & filios; non solum de his semper cogitarent; sed etiam ad officium prædicationis redderentur inepti: quia, ut inquit Ambrosius, non potest efficaciter ad continentiam, & castitatem exhortari viduas, & virgines, qui liberis perpetuo operam daret. & August. lib. 14. de Civitat. Dei cap. 16. *Actus conjugii maximè hebetat aciem mentis, ac deprimit ad inferiora, & perturbat; atque animum ipsum quodammodo carnaliter facit.*

Quibus non refragantur, quæ à Sectariis in contrarium adducuntur rationes: & primo ex Genes. cap. 1. *Crescite & multiplicamini.* Quoniam, ut explicant sancti Doctores, ponderatis præsertim verbis, *Et replete terram*, habuit quidem ad tempus vim præcepti, cum terra erat vacua, non vero cum fuit hominibus repleta.

Objiciunt secundo ex Apost. ad Hebr. cap. 13. ubi vocat; *Honorabile conjugium in omnibus:* & rursus 1. Corinth. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque propriam uxorem habeat.* Quæ verba, ut explicat Theophilactus, intelliguntur in omnibus legitimè conjunctis, non autem in conjunctis illegitimè: Ac etiam de Conjugatis ad fidem conversis intelligenda sunt verba; *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat*; quæ ex Tertulliano & Hieronymo dubitabant, an possent uti uxoribus post conversionem; non autem intelliguntur illa verba de non-conjugatis, & maximè quibus id erat vetitum, ut ex subsequentibus Apostoli verbis: *Dico autem non nuptis, & Viduis; bonum est eis si sic permanserint.*

Denique non obstat primum Apostolorum Concilium Can. 6. quo cavetur ut Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat: Quia ut exponit Ubertus Cardinalis, non vult Episcopos, aut Presbyteros uti uxore, sed ex eo quod non utuntur, illam non abjicere; & salva continentia illa necessaria subministrare. Et hæc satis.

CAP. LV.

Quod Bigami sint irregulares, nec ad Ordines admittantur.

DIximus Bigamos non esse ordinandos, ut antiquitus in Ecclesia etiam ab Apostolis fuit servatum, ex epist. 1. ad Timoth. cap. 3. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Et idem Apostolus loquitur de Presbyteris, ut in epist. ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ; ut ea, quæ desunt, corrigas & constituas presbyteros, sicut & ego disposui tibi: si quis sine crimine est unius uxoris vir.* Ac idem præcipit de Diaconis d. cap. 3. ad Timoth. *Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus.*

Quinimo ex Pauli Apostoli verbis incurritur Bigamia, si quis sumpserit aliam, quàm quæ non fuerit unius viri uxor; ut in dicta epist. 1. ad Timoth. c. 5. vers. 9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum: quæ fuerit unius viri uxor.* Ut etiam voluit S. Clem. Romanus constit. Apost. lib. 2. c. 2. *Talem esse oportet Episcopum, qui unam tantum uxorem duxerit, quæ uni tantum nupserit.* Et hoc idem ut Bigamia proveniat, etiamsi quis viduam sumpserit. Voluit Baron. in ann. 58. ubi Spondanus num. 12. sicuti etiam devenit, quis Bigamus ex conjugio ante Baptismum, ut idem Baronius in ann. 400. ubi Spond. num. 4.

Ex auctoritatibus prædictis, quamvis Bigamia expresse sit prohibita, videtur tamen matrimonium ordinatum Episcopis, Presbyteris, & hujusmodi, maxime ex illo verbo, *Oportet*: ut in dicto cap. 3. ad Timotheum. Sed ad hoc in præcedenti capitulo

capitulo fuit responsum, exprefsè contrarium decrevisse Concilium Nicenum Can.3. ut Presbyteri, Diaconi, & Clerici non possint uxorem habere.

Sicuti etiam respondet Theophilactus ad idem cap. 3. prioris ad Timotheum, his verbis; *Unius uxoris virum. Porrò non ut legem faciat, hoc dicit; quod omnino oporteat Episcopum uxoratum esse: qui enim istud statuerit; cum alias dicat, Volo vos omnes esse sicut me ipsum, verum quia tempus ita tunc postulabat: at si contingat, inquit, sit unius uxoris vir.*

Et Tertullian. exhortat. ad Castitatem cap.7. inquit; *Apud nos plenius, atque strictius præscribitur unius matrimonii esse oportere, quos adlegi liceat in ordinem Sacerdotalem; usque adeo quosdam memini Bigamos loco dejectos.*

Bigamiæ impedimentum cum esset expressum in lege Mosaica apud Levitic. multò magis servandum in lege Evangelica, ut inquit sanctus Leo epistola 1.cap.2. *Constat ad Sacerdotium pervenisse viduarum maritos, quosdam etiam, quibus fuerint numerosa conjugia, & ad omnem licentiam vita liberior, &c. & contra illam beati Apostoli vocem, quæ talibus reclamat dicens: Unius uxoris virum; & contra illud antiquæ legis præceptum, quo dicitur, & cavetur; Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam, &c.*

Rationem hujus prohibitionis adducit S. Joann. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Titum his verbis; *Nam qui defunctæ uxori benevolentiam nullam servasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor optimus esse poterit? Nostis enim profecto omnes: quod etsi per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet: nullam ergo accusationem præbere subjectis Præsulem vult.*

CAP. LVI.

De Christianis Imperatoribus erga Ethnicorum Ritus.

Christiani Imperatores Titulum Pontificatus Maximi cum Insignibus susceperunt, ut in Lapide Romæ in Ponte Cœstio juncto Insulæ Tiberis: sed & Ausonius Gallus in Gratiarum actione pro suo Consulatu Gratianum nominat *Pontificem Maximum*: Cæterum, tam Constantinum, quam cæteros usque ad Gratianum, eo titulo nominatos esse Imperatores Christianos, & omnes Stolam Pontificis Maximi induisse, Gratiano excepto. Zosimus lib.4. sic ait; *Simul enim, atque summum Imperium quisquis accipiebat, amictus ei sacerdotalis à Pontificibus offerebatur, & continuò Pontificis Max. titulum usurpabat. At cæteri quidem Principes universi lubentissimis animis hunc honorem accepisse: & hoc usi titulo videntur; adeoque & Constantinus etiam potius Imperio, licet is à recta sacris in rebus via deflexisset, & fidem Christianorum amplexus esset; itemque post illum reliqui ordine sequuti, & Valentinianus, & Valens. Cum ergo Pontifices ex more Gratiano talem amictum attulissent, aversatus id, quod petebant; ratus non esse fas illiusmodi habitu Christianorum uti. Cumque Sacerdotibus stola reddita fuisset: ajunt eum, qui dignitate Princeps inter eos erat, dixisse: Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pont. Maximus fiet, &c.*

Patet ex iis, quod Imperatoriæ dignitati summus Pontificatus adjunctus esset, cum sine Maximo Pontificio Imperator esse non posset, in eumque Senatus, populusque Romanus facile conspirassent, quem non viderent patria Religione firmatum. Alia rursus fuit causa Christianis Imperatoribus summum Pontificatum capessendi, quod amplissima esset, atque etiam supra Consules ejus Magistratus auctoritas: Quippe posset Comitia ne fierent, specie Religionis prohibere, factaque reddere irrita; fierentné bella, ex ejus arbitrio penderet; cujus quoque jussu Consules se abdicarent, &c. Quæ causa postea fuit, quod cum Senatores majori ex parte dein Christiani essent, Gratianus, & Theodosius summum Pontificatum, & Stolam sumere desierint. Unde illud scomma in Gratianum argutum, jactarunt. *Si Princeps non vult appellari Pontifex Max. admodum brevi Maximus* (nempe Tyrannus) *Pontifex fiet.* Et cum Gracchus. V. C. Christianus in dejiciendis Idolis egregiam navasset operam, quod Gentiles Senatores indigno ferentes animo, secreto maximo studere cœperunt. Et de his omnibus, & similibus vide Eminentissimum Baronium in suis Notis ad Martyrologium, die 22. Augusti, ut etiam idem Baron. in ann. 312. ubi Spondan. num. 12. & idem Baron. ann. 383. ubi Spondan. num. 2.

Philippus Arabus I. Imp. Christianus; ut supponit Orosius lib. 7. histor. cap. 20. etiam Cassiodorus; (quamvis in hoc multi non concordent:) hic una cum filio, quem Imperii consortem creaverat, magnificentissimè anno millesimo ab V. C. Ludos seculares celebravit: cujus pompa, & impensa maxima tribus diebus, ac noctibus continuò: de qua Pomponius Lætus in Philippo, his verbis; *Hujus Imperii anno secundo, 11. Kal. Maji, ingenti pompa, magnoque sumptu, & apparatu sæculares Ludi. A. V. C. M. celebrati sunt. Beluæ triumpho Persico, & iis Ludis à Gordiano asservatæ (nam Juvenis Natali Urbis triumphare decreverat) hæ fuisse memorantur. Elephanti XXXII. Alces X. Tigrides X. Leones mansueti LX. Leopardi cicures XXX. Hyenæ X. Hippotamus unus, Rhinoceros unus, Arcolcontes X. Camelopardi X. Onagri XX. Equi feri XL. Gladiatorum paria mille. Quæ omnia in Circo Maximo exhibita, & scenicos Ludos in Pompeji theatro tribus diebus totidemque noctibus (mirum dictu) pervigil populus spectavit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: & cum multitudo solennibus Ludis intenta esset, incendium, aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum in Curia divagatum est. Theatrum Pompeji arsit, & ei propinquum Hecatostylon, centum Columnarum in Campo Marcio opus, Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus numeratus est.* Et infra subdit idem auctor, Philippum ad sua scelera palliandа, se Christianum simulasse; & in hoc etiam adscribit Joann. Baptista Egnatius in Philippo, his verbis. *Sunt, qui à Christiana pietate non abhorruisse Philippum, tradant; quorum testimonio hominis perfidia fidem abrogat.* Sed quando ipse Philippus Christianus fuerit (ut communiter creditur) non impiè & superstitiose Ethnicorum ritibus ille sacrificavit; sed solum in memoriam Natalis urbis se & populum lætitia replevit, ut voluit Cardin. Baron. in ann. 249. & refert P. Orosius lib. 7. cap. 20. histor. ibi; *Ita Ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic Natalis annus à Christiano Imp. celebratus est, nec dubium est, quin Philippus*

bujus

hujus tantæ devotionis gratiam, & honorem ad Ecclesiam reportarit: quando vel ascensum fuisse Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus auctor ostendit. Panvinus historiarum illustrator testatur, Honorio Imperante Ludos seculares postremo fuisse celebratos; quoniam spatio centum & decem annorum sequentium Christianorum numerus Romæ prævalebat, qui non permisissent has detestandas Ethnicorum superstitiones celebrari. Et Zosimus, qui vixit Arcadio, & Honorio Imperatoribus, dum Alaricus Gothorum Rex Romam devastavit: supponit juxta Gentilium sententiam, talia contigisse, cum Constantino & Licinio Coss. non fuissent tales Ludi celebrati, his verbis; *Quando vero Constantini, & Licinii Consulatu, tempus statutum Ludis secularibus celebrandis centum & decem annorum exactum est: in quo ex antiquorum consuetudine sacra ipsa agere necesse erat, eisque non factis, in eas molestias, in quibus nunc sunt, devenire oportuit: siquidem tanta urbs, tamque præclara, Barbarorum mancipium facta est.* Hæc ille.

Cum Ethnici Imperatores veteribus institutis, & Religionibus essent consecrati, & S. rerum Præsides & Pontifices Maximi, ut diximus; nullam aliam ob causam in Romanos Episcopos incitabantur, nisi quod honores, & titulos, quos sibi debitos putabant, Romani Episcopi assumerent: Vel aliem existimabant tantum sibi detrahi, quantum ab omnibus Christianis obsequii, & obedient a summis Pontificibus præstaretur. Hinc locus insignis D. Cypriani epistola ad Antonianum sic scribentis; *Cum multò patientius, & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Quid enim præclarius reperiri potest; quam Romani Pontificis dignitatem illis temporibus eo devenisse potentiæ, ut Ethnicis Principibus, qui rerum potiebantur, invisa & suspecta esset? Albaspinus de veteribus Eccles. ritibus, l. 1. observ. 23.

CAP. LVII.

De Sacerdotibus Gentilium, qui ad Religionem Christianam transibant.

ANtiquis temporibus cum aliqui Christiani fungerentur aliquando officio Sacerdotum Gentilitatis, vel hujusmodi dignitatibus: Ecclesia id maximè tunc pro potestate vetuit, quod id non esset sine suspicione Idololatriæ. Siricius Episcopo Tarraconens. cap. 5. *De iis verò, qui acta pœnitentia tanquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates.* Innocent. epist. 24. cap. 4. *Neque de Curialibus aliquem ad Ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post Baptismum, vel coronati fuerint, vel Sacerdotium, quod dicit, sustinuerint, & editiones publicas celebraverint.* Similiter id contestatur ex Canonibus 2, 3. & 4. Concilii Elibertini.

Hoc triplici ex causa proveniebat: Primo, ut hujusmodi honorum gradus, & Flaminum facilius in editione speculatorum, & scenæ pompa maxima imperitæ multitudinis applausum, & acclamationem promererentur. Secundo, id proveniebat, quod qui ætate, & opibus florebant, si detrectassent obire illa munia, in supicionē

veniebant, se esse Christianos. Tertio, quoniam illa sacerdotia erant munera patrimonialia, à quibus Curiales non poterant excusari: quare Christiani quocunque locorum, aut Gentium concessissent, si essent Christiani, aut fortunæ amplissimæ, sustinere illa munera cogebantur. Albaspinus de ritibus veteribus Ecclesiæ lib.1. observ.22.

Declarat autem hanc opinionem idem Albaspinus ibidem: Quod quamvis Ecclesia vetuerit, quo minus Christiani ambirent, aut sustinerent sacerdotia Ethnicorum sub gravibus pœnis; mitius tamen procedebat contra eos, quos necessitas quædam impulisset, vel qui fortunis, opibusque abundarent, cum oblata sacerdotia, quæ erant munera patrimonialia, subterfugere non poterant: dummodo tamen Idolis non immolassent. Similiter Ecclesia mitius procedebat contra eos, qui intra privatos parietes Idola reservarent, modo iis non adolerent; neque illa extra domum sine vitæ periculo asportari licebat.

Referam occasione prædictorum, quod annis præteritis perspexi, cum per aliquot dies moratus fuissem Londini, quæ est Civitas Anglorum Regia: vidi, & cognovi ibidem aliquos ex Regni Dynastis, honoribus, & facultatibus forsan nemini post Regem secundis: & ii quamvis corde cum cæteris de sua familia profiterentur Catholicam Romanam Religionem (eo forsan, quod permansissent ii per aliquod tempus hic Romæ, & retinerent adhuc memoria, plurimos ex Gentilitiis à Romanis Pontificibus insigniores dignitates Ecclesiæ fuisse consequutos) prædicti inquam Dynastæ (proh dolor) etiamsi corde clam confiterentur se Catholicos: nihilominus ne privarentur honoribus, & facultatibus, aderant una cum Rege, & aliis Primatibus Regni, Hæreticorum illorum precibus, & aliis functionibus quibuscunque: ut mihi fuit relatum.

CAP. LVIII.

De Ceremoniis, seu de Ritibus in genere.

UNiversalis Ecclesia Christum proprium sponsum repræsentans, quod valeat obligatoria præcepta imponere, ac etiam novas indicere Ceremonias; non potest nisi à malè feriatis hominibus controverti. Etenim sicuti Spiritus sanctus in Concil. Apostolorum jam præsidebat; ita & in præsenti disponit de his, quæ decernit Ecclesia, ut ex hoc ista errare non possit; ex D. August. lib. contra epistolam fundamenti Manichæi cap. 5. tom. 6. ibi: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret auctoritas*: & D. Bernard. epist. 174. *Ego, quæ accepi ab Ecclesia, securus teneo, & trado.*

Ritus igitur, seu Ceremoniæ, quas Ecclesia servari instituit, altissimarum signa sunt rerum, & maxima quæque continent cœlestium sacramenta arcanorum ad Dei majestatem contemplandam. Hos non in Evangelica lege solum principium habuisse, sed & in veteri Testamento ex claro Dei præcepto demonstratur. Legimus enim in Gen. 28. vers. 18. *Surgens Jacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper: Appellavitque nomen Urbis Bethel*: hoc est, Domus Dei.

In

In libro Esther, Synagoga instituit novum diem festum, qui singulis annis celebrabatur 14.&15. mensis Veadar: hoc est, Februarii.

Et in Exod.cap.18. Jetro ad Moysen inquit: *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent: ut referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo Ceremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant &c.*

Ac etiam Moyses ad populum Deut.4. inquit; *Quæ est alia gens sic inclita, ut habeat ceremonias, justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam vobis ante oculos vestros.*

Et David jam moriturus ad Salomonem filium 3.Reg. cap. 2. inquit; *Confortare, & esto vir fortis, & observa, ut custodias mandata Domini Dei tui, & custodias ceremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & testimonia.*

Ac etiam in Actis Apostol. cap.15.vers.20.& seq. præcipiunt Apostoli, ut Gentiles baptizati de recenti *Abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine:* Quamvis hoc Judæorum solum fuisset præceptum, quorum lex per mortem filii Dei jam fuerat abrogata.

Ac in eodem libro cap.1. elegerunt Apostoli sanctum Matthiam: tradendo sortes absque ullo sacræ Scripturæ testimonio: & in cap. 4. 5.& 6. Bona fuerunt communia; & dicto cap.4. *Possessores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum:* & in cap. 6. Apostoli elegerunt septem Diaconos.

Præterea dies Sabbati, quem solennem præceperat Deus, Exod.20. ibi: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo:* Et nihilominus hic dies fuit commutatus in diem Dominicam, sola Ecclesiæ auctoritate; ut infra videbimus in cap.60.& quod non solum Christus in carne, verum & Apostoli scriptis & traditionibus ceremonias docuerint, Conradus Brunus de Ceremoniis lib.1.cap.1. latè.

Nec in hoc ambigendum, ut possit Ecclesia novos ritus, & ceremonias commutare, & de novo inducere, quamvis ex sacro textu non desumantur: siquidem etiam sectarii nostri temporis suas & ipsi habent recentes ceremonias in psallendo, concionando, & distribuendo sacramenta; nec nisi malitiosè poterunt ipsi redarguere priscas Catholicæ Ecclesiæ ceremonias, cum in hoc nihil repugnet Scriptura sacra: & præterea in omnem casum, non particularibus personis competit hujusmodi censura, sed Ecclesiæ universali, quæ opportunè tradidit ceremonias sensibiles, sine quibus divinus cultus non sic bene exerceri posset, cum non anima solum, sed etiam corpore nos ipsi compacti simus, inquit Chrysost. homil.85. in Matth. *Si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam verò corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda traduntur:* Et propterea obsequium Deo præstandum non solum internis animi sensibus; verum externis corporis actibus, nempè ceremoniis; per quæ visibilia Religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur homines, ut ex Tridentina Synodo sess.22.c.5. ac etiam invisibilia Dei per ea, quæ sunt visibilia, nobis demonstrantur: ex D. Ambros. in c.4. Luc.& tradit Brunus de ceremoniis dicto lib.1.cap.1.

At

Quid ubi ritus variant?

At vero circa hujusmodi Ecclesiæ Ritus; quid agendum sit in his, in quibus Regionum aut Ecclesiarum consuetudines variant, nec simul consentiunt? Et in hoc respondetur, quod in præceptis novæ legis, quæ scripta non sunt, sed tradita custodimus, quæque toto terrarum orbe observantur; sicut & Domini Passio, Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, Adventus Spiritus sancti, quæ anniversaria solennitate celebrantur, & si quid aliud occurrerit, quod observetur ab universis quacunque se diffundit Ecclesia: datur intelligi ea omnia ab Apostolis, vel plenariis Conciliis commendata atque statuta ubique esse omnino retinenda.

Alia vero Ecclesiastica Dogmata, quæ per loca terrarum, regionesque variantur; sicuti est, quod alii jejunent Sabbato, alii non: alii quotidie communicent corpori, & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiant: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur (alibi Sabbato tantum & Dominico) alibi tantum Dominico; & si quid aliud hujusmodi animadverti potest; totum hoc genus rerum liberas habet observationes; nec est in iis melior disciplina, quam ut eo modo quisque agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quancumque forte devenerit: quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum societate, inter quos vivitur, servandum est: & in rebus hujusmodi, ut & ille in hujus, & hic in illius patria, ab eo, quod cæteri faciunt, non abhorreant: ipsa namque mutatio consuetudinis (etiam quæ adjuvat utilitate) novitate perturbat, & inde etiam noxia, ut latè D. Augustinus Epist. 118. ad Januarium. Quæ quidem procedunt, dummodo aliquorum infirmitas non ita impediat, ut amplius detrimentum sit; secus si tale superveniat impedimentum; quia tunc calumniatorum infirmitas metuenda esset: ut ex D. August. in sequenti Epist. 119. ad Januarium cap. 19.

Cultus internus & externus.

Ex prædictis igitur inferamus, quod Cultus cum non sit aliud quam veri Numinis veneratio certis legibus, ceremoniisque devicta: coli enim postulat; quoniam huic fini homo natus: idque duplici cultu, interno, & externo. Ille qui in animo & ex animo Deo vero preces concipit, laudes, & grates: ut nos diximus supra: alter vero cultus externus hæc eadem per ritus & gestus expromit. At nos tales etiam externos ritus amplectemur, ad quos ethnicus Tacitus lib. 11. annal. quoque adhortatur his verbis; *Ne ritus sacrorum inter adversa culti, per prospera obliterentur:* Sed de iis habenda ratio cum modo, ne illud fiat ex eodem Tacito 5. histor. *Gens superstitioni obnoxia, religioni adversa.* Nam ex Varrone D. Augustinus lib. 6. de Civit. Dei. *Deos à Religioso vereri, à superstitioso timeri.*

Nec nos Judæos in hoc imitemur, qui non ingrediuntur Prætorium, ne arceantur à manducatione Paschæ, Joann. c. 18. Contaminari timent à loco, non timent ne contaminentur ab effusione innocentis sanguinis Christi. Quam nimis multos similes Judæis reperies, qui in externarum quarundam ceremoniarum observatione, cum religiosissimi sint; intus natant odiis, dolisque malis obruunt innocentes; ut per eorum ruinam viam sibi sternant ad optata. Bene D. August. in prædictum locum tom. 2. *O impia & stulta cæcitas! habitaculo, videlicet contaminaretur alieno, & non contaminarentur scelere proprio: alienigenæ Judicis prætorio contaminari timebant; & fratres innocentis sanguinem fundere non timebant.*

Præ-

Præterea non urget, quod objiciunt sectarii, arguentes de Idololatria Catholicos, utpote eorundem ritus ab Ethnicis processerint: quibus respondere sat erit, quod S. Gregorius Magnus scripsit Melito Abbati in registr. epist. 71. lib. 9. S. Hieron. contra Vigilantium tom. 2. c. 3. his verbis: *Et quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, Vnusquisque sensu suo abundet. Idololatras appellas hujusmodi homines? non diffiteor omnes nos, qui in Christo credimus, de Idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani; & quia quando colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: & hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est.* Et in ejusdem epist. 53. eodem tom. ad Riparium inquit: *Accensi ante tumulos martyrum cerei Idololatriæ insignia sunt?* Sed nos præterea auctores non recognoscimus Ethnicos catholicorum rituum; cum sit luce clarius, ipsos Gentiles apprehendisse plurimos ipsorum ritus ab Hebræis satis eorundem antiquioribus: ut plurimi ex sanctis Patribus referunt cum Baronio in Annalibus. Sed ulterius nos Christiani & Catholici parvi facere non debemus quæ prudentes, & sapientes Ethnici fecerunt & egerunt; sed quod bonum est permixtum falsæ doctrinæ teneamus & approbemus, ut docuit D. August. de unico Baptismo contra Petilianum cap. 4. his verbis; *De ipsis Gentilibus Idolorumque cultoribus, multa utique à nobis diversitate distantibus; nihil aliud nobis demonstrat Apostolus; nisi ut in iis quoque quod pravum est, corrigamus; ut quod forte rectum est, approbemus: nam utique Idololatras redarguebat, ubi ait: Qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*, & infra: *Quid ergo immutaverunt in mendacium suum, culpat, detestatur, evertit Apostolus: quod autem verum in doctrina, quamvis multis falsitatibus permixta, confusaque, servarunt: tenet & affirmat.* Simile etiam habemus ex Origene in Exod. cap. 17. homil. 11. ibi; *Vnde & nos, si aliquando invenimus aliquid sapienter à Gentilibus dictum, non continuò cum auctoris nomine spernere debemus, & dicta; nec pro eo quod Legem à Deo datam tenemus, convenit nos tumere superbia, & spernere verba prudentum; sed sicut Apostolus dicit: Omnia probantes, quod bonum est tenentes.* Et ex his retinendi Catholicorum Ritus, quamvis à Gentilibus ad nos derivaverint.

Ritus christiani etiam ab Ethnicis.

Multas enim Ceremonias cum Gentilibus communes habemus: quemadmodum in Babylone Israelitæ & Babylonii organa & citharam, & alia hujus generis habuerunt, immo & templa ædificarunt, sacerdotes constituerunt, & sacrificia fecerunt &c. Quas quidem ceremonias non res ipsa, sed usus, & intentio, bonas facit, vel malas; & illas veluti pias amplectimur, has vero ut superstitiosas repudiamus. Proinde qui Christianas literas utriusque Testamenti sciunt, ut docet D. August. epist. 49. non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, instituant sacerdotia, & faciant sacrificia: sed quòd hæc Idolis & Dæmoniis exhibeant tanquam diis, ut in Psalm. 95. *Omnes dii gentium dæmonia.* Unde & Apost. 1. Corinth. 10. Gentilium sacrificia condemnat, non quia sacrificant, sed quia Dæmoniis sacrificant, his his verbis: *Quid ergo? dico quod Idolis immolatum sit aliquid, aut quod*

Idolum sit aliquid? sed quod immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participare, & mensæ Dæmoniorum. Simili modo Gentilium templa non quatenus Templa sunt: item simulachra, sacra vasa, vestes sacras, non quatenus talia sunt, reprobamus: sed quia adulteris quibusdam hominibus, impuris, & scelestis, & ipsis dæmoniis eum honorem, quia Deo aut Sanctis debetur, impenderunt: nec res ipsas, sed usum rerum condemnamus. Præterea multas Judæorum, & Gentilium ceremonias, quas propter inveteratam consuetudinem Ecclesia in totum abolere non potuit: quando aliud non potuit, saltem in verum & pium usum transtulit, de quibus inter cætera ritus Incensi, Luminarium, Æris campani seu tintinnabulorum: ut supra vidimus.

Quales Gentilium Ritus prohibendi.

Eos autem Gentilium ritus, qui contra bonos mores sunt, utcunque inveteratos, Ecclesia summis semper viribus extirpare studuit. Sicuti tempore Aphricani Concilii Patres ab Imperatoribus petierunt, ut in can. 27. his verbis; *Illud etiam petendum, ut quæ contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentilium attracta sunt, ita ut nunc à Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur: ex qua re temporibus Christianorum Impp. persequutio altera occultè fieri videatur: vetari talia jubeant, & de civitatibus & possessionibus imposita pœna prohiberi: maximè cum etiam in Natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam saltationes sceleratissimas per vicos, & plateas exerceant, ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor devotè venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur, &c.*

Ceremoniæ V. Test. an sint sublatæ in N. Testam

Est etiam quæstio agitata, præter superius adducta: An revelato N. Testamento, Ceremoniæ V. Testamenti ita sublatæ sint, ut earum usus in N. Testamento interdictus esse censeatur? Et respondetur, ceremonias omnes, & maximè V. Testamenti, latentium rerum sacramenta designare. Et earum aliæ futuram gratiam pronunciant, ut sacerdos & sacrificia, quæ summum sacerdotem, eundemque unicum illud & sanctissimum sacrificium pro peccatis vivorum, & mortuorum offerendum Christum significarunt. Aliæ præsentia mysteria annunciant, futuris etiam temporibus duratura, ut sacra vasa, vestes sacræ, unctio sacra, luminaria, thus, incensum, & quæ sunt ejusdem generis: quæ sacrificantium, & orantium fidem, & devotionem, aliasque virtutes, & divina dona designarunt. Quod ut planius fiat, afferamus exemplum ex Egesippo lib. 5. cap. 9. Salomon Templum fundavit, reliqui quoque Reges ad ornatum urbis addidere plurima, invidia ex magnificentia orta. Inter omnia autem opera, Templum præcellebat amplissimo opere, & fulgenti marmore: in quo erat deambulatorium, peripetasma pretiosum, & maximum, Cocco, & Hyacintho, Byssoque intextum, & Purpura. Non otiosa materia tantæ diversitatis, sed cujus species materiam rerum latentium significarent; eo quod ejus esset Templum, qui cœlo, & aëri, terræ, & mari, quasi Creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret, & gubernaret: Cocco enim igneum cœlum figuratur: Hyacintho aer: Bysso terra, quòd in ea

in ea nascitur: Purpura mare, quæ conchiliis maritimis inficitur; ut duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique Princeps sacerdotum hæc quatuor indumento suo exprimere consueverat, quando maxima celebritas erat festorum dierum, quasi totum mundum indueret pro populo supplicaturus: in ejus figuram, qui venturus erat Princeps sacerdotum JESUS, qui tolleret peccatum mundi. Femoralia Princeps sacerdos linteo interius operimento tegebat; eò quod præ cæteris in Sacerdote fides mentis quæritur & corporis castimonia. Duo erant Tabernacula sacra, unum interius, alterum exterius: in hoc introibant sacerdotes: in illud interius (quod secundum appellabatur) semel introibat tantummodo Princeps Sacerdotum, non sine sanguine, quem offerebat & pro se, & pro populi delicto: Hoc significante Spiritu sancto, venturum Jesum, qui verè solus intraret interiorum divinorum penetralia sacramentorum, & arcana substantiæ cœlestis: solus quoque Patri sanguine suo totum mundum reconciliaret, & ut cœlestium, & terrestrium misereretur: Denique postquam venit, pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ vel in cœlo, vel in terra sunt. Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quòd ita ad Deum Patrem, sicut incensum dirigatur maximi sacerdotis oratio. Mensa, quòd in ea passio Christi fit, & mysteria sacramentorum: unde & David dicit, ***Parasti in conspectu meo mensam***; cujus velut duodecim panes, duodecim Apostoli sint testes Passionis & Resurrectionis ejus. Lucerna, quæ super candelabrum ponitur, ante sub modio erat, id est sub mensura; nunc est sub gratiæ plenitudine: heptamycho, id est septem distinctis calamis, ut in Exod. 25. frequens lumen effundens; eò quod Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminaret. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat Templi, quæ dicebantur Sancta Sanctorum, ubi reposita quondam virga Aaron floruit, quod Sacerdotalis gratia in Christo amplius esset operatura post mortem, qua mundum redemit. Fusius hæc & alia mysteria ceremoniarum Salomonici Templi describit Eucherius lib. 3. Regnorum, de quibus ex comentariis sanctorum Patrum in Exodum, Leviticum, Deuteronomium opportunius perdiscere, quam prolixiore nostro sermone Lectorem distrahere.

Usus ceremoniarum vet. Test. non est ad salutem necessarius.

Primum igitur, ut jam ad propositam quæstionem revertamur, dicendum est, omnes in universum V. Testamenti Ceremonias ita sublatas esse, ut earum usus, revelato jam N. Testamento non sit necessarius ad salutem. Ad quem sensum accipiendum est ex August. epist. 19. & in libro contra mendacium cap. 12. quod Paulus dicit ad Galat. 1. cap. 2. vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique propterea *in faciem restitisse*, quòd Gentes cogeret judaizare. Nam contra Evangelii veritatem erat, ut putarent, qui credebant in Christum, sine illis veteribus sacramentis salvos se esse non posse. Et ad eundem sensum dictum est Matth. 11. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem Baptistam.* Item Joh. 5. *Judæi persequebantur Jesum, quia solverat Sabbatum & Patrem suum dicebat Deum.* Item Joh. 1. *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est.* Item illud Pauli ad Galat. 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*: Et si qua sunt similia. Hæc nimirum significant, post

 Joan-

Joannem Baptiſtam Sabbatum, aliasque ceremonias V. Teſtamenti ita abrogatas eſſe, ut in eis nulla ſit ſpes ſalutis ponenda.

Quomodo præcepta moralia Legis conferunt ad ſalutem per gratiã Chriſti

Valent autem lex ipſa, & ea quæ in lege præcepta ſunt, ad informandos mores fidelium, id eſt, ut abnegantes impietatem, & ſeculares cupiditates, temperanter, & juſte & pie vivamus in hoc ſeculo, qualis eſt lex, quam maxime commendandam elegit Apoſtolus ad Titum cap. 2. & quæcunque de Deo & proximo diligendo ſine ullis figuris præcipiuntur in lege: *In quibus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*, Matth. 22. Ita accipitur & obſervatur, non ut ſpem aliquam ſalutis in ipſa ponamus: *Si enim per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*, ad Galat. 2. Item ad Galat. 5. inquit Apoſt. *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis*: Sed, ut quidquid in eis proficimus, non nobis tribuamus, ſed gratiæ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Vſus ceremoniarũ vet. Teſt. non ſubito ſed paulatim debuit aboleri.

Deinde differentia eſt inter Ceremonias, quibus futura prænunciantur, & quibus præſentia annunciantur. Nam quæ fuerunt rerum facturarum figuræ; poſtquam venerunt ea quæ per illas ſignificabantur eſſe futura, procul dubio eſſe neceſſaria deſierunt. At eorum uſus paulatim ita abolendus fuit, ut non ſubitò & irreligiosè, ſed cum quadam veneratione extinguerentur. Etenim legalia ſacramenta, & ceremoniæ, etiam adveniente Chriſto, & revelata jam gratia, quam prænunciaverant aliquamdiu (iis maximè, quibus data fuerant) permittenda, ac paulatim deinde deſerenda: & ſic Synagoga cum honore ſepelienda fuit: ut ſcilicet hoc modo oſtenderetur, ipſam quidem, tanquam, quæ ad ſalutem Chriſtianam non eſſet neceſſaria, deſerendam; ſed nec tamen ut Idololatriam Gentilium, irreligioſius eſſe abjiciendam. Nam & Chriſtus à parentibus circumciſus eſt: Idem ad diem feſtum aſcendit: Idem ad Leproſum, quem mundaverat, dixit Matth. 8. *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* & in Act. Apoſt. cap. 16. Paulus *Timotheum circumcidit propter Judæos, qui erant in illis locis.* Similiter Judæi quidam, qui & ipſi in Chriſtum crediderant, ſed ita legalia obſervabant, tanquam ſine his in Evangelio credentibus, ſolus eſſe non poſſet: in Paulo reprehendebant, quod diſceſſionem à Moyſe doceret; propter quod Jacobus & alii fratres eidem ſuadebant, ut convocata multitudine, ipſe legalibus quibusdam ceremoniis uteretur, eoque modo ſuſpicionem, quam de eo conceperant, ex eorum animis eximere: ut latè in Act. Apoſt. cap. 21. Quod ideo Jacobus admonuit, non quod Circumciſionem, aliaque veteris Teſtamenti legitima, tanquam ad ſalutem neceſſaria cuſtodienda eſſe putaret: ſed ut Judæi, qui in Chriſtum credebant, adhuc tamen legis obſervatores erant, videntes Paulum ea celebrare, quorum ipſe condemnator ab adverſariis eſſe inſimulabatur; ſimul etiam viderent ipſum Paulum non omnino legalia aſpernari, nec ea quæ per Moyſen Patribus tradita fuerant, tanquam ſacrilega, nec Deo mandante conſcripta, damnare.

Sepulta autem [ut dictum eſt] cum honore Synagoga, ac vera jam & Evangelica fide, & gratia in Judæis, & Gentibus revelata, & confirmata; ſacrificia, ſacramenta, & ceremoniæ veteris Teſtamenti [quæ futura myſteria deſignarunt] ita abolita ſunt, ut

earum

earum nullus deinceps in Christiana Religione legitimus usus esse possit. Nam quæ in V. Testamento gratiam, & remissionem peccatorum significabant, non efficiebant ut cinis vitulæ, & aspersio sanguinis, & cruentarum multiplicatio victimarum, &c. ea omnia revelata jam gratia N. Testamenti, traditisque salutiferis Evangelicæ legis sacramentis, quæ remissionem peccatorum non tantum significant, sed etiam efficiunt) tanquam umbra & figuræ prorsus evacuata sunt, ut jam ex D. Thom. in 12. quæst. 103. art. 4. Judæorum sacrificia, & ceremoniæ non solum nihil prosint, sed etiam perniciosæ & mortiferæ sint Christianis: & qui eas observaverint, sive ex Judæis, sive ex Gentibus, in barathrum Diaboli devolvantur. D. August. epist. 5. Quod & Pophetæ jam futurum pronunciarunt, in psalm. 49. *Non accipiam de manu tua vitulos, neque de Gregibus tuis hircos.* Item Psalm. 15. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*: hoc est pecorum victimis. & Hierem. cap. 31. inquit; *Ecce dies venient, dicit Dominus, & confirmabo super domum Jacob. Testamentum novum; non sicut Testamentum, quod disposui patribus eorum, cum eduxi eos de terra Ægypti, &c.*

Non mutata est Dei voluntas per mutatas ceremonias.

Neque vero putandum est, ideo sacrificia & sacramenta V. Testamenti temporibus iis, quibus præcepta fuerunt, mala fuisse; quia postea iis abrogatis alia à Deo substituta sunt: Nec Deum mutabilem esse, quasi quæ ei aliquando placuerunt, eidem postea displicere cœperint. Nam hæc ut ita fierent, in ratione divina semper fuerunt; ideoque dici non potest, cum hæc nova à Deo constituerentur, subitò priora eidem displicuisse, velut mutabili voluntate, cui de majoribus etiam rerum mutationibus dicitur psalm. 101. *Mutabis ea, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es.* Sed satis est hanc fuisse Dei in æterna sapientia dispositionem & voluntatem, eamque non solum Evangelicis, sed etiam propheticis scripturis demonstrari; ut scilicet dispertita essent pro temporum congruentia sacrificia: ut alia fierent ante manifestationem N. Testamenti, & aliud nunc, quod huic manifestationi est congruum; quod scilicet ex ipsa vera, & unius sacerdotis victima, hoc est effuso Christi sanguine, ministratur. Quæ quidem mutatio non est Dei, non religionis, sed sacrificiorum, & sacramentorum. Quemadmodum enim unus idemque homo, si Deo manè aliud offerat, aliud vespere pro temporis diurni congruentia, non Deum mutat nec Religionem: ita in universo tractu seculorum, cum aliud oblatum est ab antiquis Sanctis, aliud ab eis qui nunc sunt, offertur; non humana præsumptione, sed auctoritate divina, temporibus congrua sacra mysteria celebrantur; non Deus aut Religio commutatur. Sed & in novo Testamento ceremoniæ non solum diversis temporibus variantur, sed etiam uno eodemque tempore in diversis Ecclesiis diversæ particulares ceremoniæ observantur: Quod non est indecens, modo una sit fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ. Nihil enim prohibet, quin ipsa fidei unitas, quibusdam diversis observationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in vera fide verum est, impeditur. Est enim Ecclesia illa filia Regis, cujus gloria & *Pulchritudo est intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, ut in Ps. 44. etenim varietates in veste intelliguntur observationes illæ, quæ variè in membris Ecclesiæ celebrantur,

Non mutatur fides in novo Testam. per diversitatem ceremoniarum.

ab una proficiſcentes juſtitia, omnia in Eccleſia juſto & decenti ordine diſponente. Ac proinde Auguſt. 3. Confeſſ. cap. 7. & idem lib. 6. cap. 2. contra Fauſtum, eos reprehendit, qui omnes iniquos eſſe judicant, etiam majores noſtros, cum ritibus illis & moribus ſuis, præſentibus non conſentientes: quo errore olim ſe quoque irretitum eſſe fatetur: ſic inquiens. *Non noveram juſtitiam veram interiorem, non ex conſuetudine judicantem, ſed ex lege rectiſſima Dei omnipotentis, qua mores formarentur regionum, & dierum pro regionibus & diebus; cum ipſa ubique ac ſemper eſſet, non alibi alia, nec alias aliter, ſecundum quam juſti eſſent Abraham, Iſaac, & Jacob, Moyſes & David.* & infra. *Sic ſunt iſti, qui indignantur, cum audierint, illo ſæculo licuiſſe juſtis aliquid, quod iſto non licet juſtis: & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cum eidem juſtitiæ utrique ſervierint: cum in uno homine, & in uno die, & in unis ædibus videant aliud alij membro congruere, & aliud jam dudum licuiſſe, & poſt horam non licere: quiddam in illo angulo permitti, aut juberi, quod in iſto juſtè vetetur, & vindicetur. Nunquid juſtitia varia eſt, & mutabilis? ſed tempora, quibus præſidet, non pariter eunt; tempora enim ſunt. Homines autem, quorum vita ſuper terram brevis eſt, quia ſenſu non valent cauſas contexere ſæculorum priorum, aliarumque gentium, quas experti non ſunt, cum his quas experti ſunt: In uno autem corpore, vel die, vel domo, facile poſſunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus, perſoniſque congruat: in illis offenduntur, his ſerviunt.* Hæc Auguſtinus. Verum illud interim curandum eſt, ne ea veſtis ita diverſis celebrationibus varietur, ut adverſis contentionibus diſſipetur. Nam ubi id accidit, ut ex diverſitate ceremoniarum contentiones oriantur, mox laborandum eſt, ut ea diverſitas, & contentio ad concordiam redigatur; ut de obſervatione Paſchatis, & aliis quibusdam ceremoniis infra videbimus.

Ad quid utiles hodie ceremoniæ V. Teſtam.

Illud præterea addendum ex D. Auguſt. in Præfat. in Speculum, ceremonias V. Teſtamenti, quæ ſacramentorum velata fuerunt myſteriis, non ideo omnino ſupervacaneas eſſe hodie, & inutiles, quia nunc impleta ſunt quæ prius futura per eas ſignificabantur myſteria. Nam etſi nullus hodie earum uſus eſſe poſſit populo Chriſtiano, tamen ad hoc utiles ſunt, ut hujuſmodi myſteria jam impleta à nobis intelligamus, ſicut eſt Sabbatum, ad viſibilem vocationem, ſicut Azyma in pane ſine fermento, Paſcha in ovis occiſione, ſicut tot genera ſacrificiorum, ciborumque vitandorum, & neomeniæ, & annuæ ſolennitates, quas obſervant nunc uſque Judæi, & ſimiles. Quod ex verbis Apoſtoli idem confirmat Auguſtinus lib. 6. contra Fauſtum cap. 1. his verbis: *Ex hac imperitia Manichæi & omnes, quibus diſplicent literæ V. Teſtamenti, quicquid Deus mandavit priori populo ad celebrandum, umbram futurorum non intelligentes, & ea modo non obſervari animadvertentes, ex more præſentis temporis illa reprehendunt, quæ utique illi tempori congruebant, quo iſta, quæ manifeſta nunc ſunt, ventura ſignificarentur.* Sed quid dicturi ſunt adverſus Apoſtolum 1. Corinth. 10. dum ait: *Hæc omnia in figura contingebant illis; Scripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſæculorum obvenit?* Ecce ipſe aperuit, cur illæ literæ accipiantur à nobis, & cur illa rerum ſigna jam neceſſe non ſit, ut obſerventur à nobis. Cum enim dicit: *Scripta*

ſunt propter nos, procul dubio demonſtrat, quanta nobis cura legenda, & intelligenda, & in quanta auctoritate habenda ſint: Quia propter nos utiq; ſcripta ſunt. Cum verò dicit, *figuræ noſtri fuerunt, & in figura contingebant illis*; oſtendit jam non opus eſſe, ut cum res ipſas manifeſtatas agimus, figurarum prænunciantium celebrationi ſerviamus. Unde etiam ad Coloſſ. 2. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum.* Hinc etiam, cum dicit, *nemo vos judicet:* declarat quam non ſit neceſſe ut jam hæc obſerventur. Cum autem dicit, *quæ ſunt umbra futurorum:* oſtendit quam oportuerit, ut illo tempore obſervarentur, quo iſta quæ nobis manifeſtata eluxerunt, per tales umbras figurarum futura prædicebantur. Ac proinde ceſſationem Sabbatorum jam quidem ſupervacaneam ducimus ad obſervandum, ex quo ſpes revelata eſt noſtræ quietis æternæ: non tamen ad legendum, & intelligendum: quia Propheticis temporibus cùm eſſent iſta, quæ nobis hoc tempore patefacta ſunt, non tantum ſermonibus, ſed etiam actibus præfiguranda, & prænuncianda, illo ſigno quod legimus, res iſta prænotata eſt, quam tenemus. Sic ſacrificia jam in operibus noſtris non ſunt; at nihilominus tamen ea in myſteriis divinarum ſcripturarum, ad intelligenda, quæ his prænunciata ſunt, amplectimur, quia & ipſæ figuræ noſtræ fuerunt. Et omnia talia multis & variis modis unum ſacrificium, cujus nunc memoriam celebramus, ſignificaverunt: Unde iſto revelato, & ſuo tempore oblato, illa de agendi celebritate ſublata ſunt, ſed ſignificandi authoritate manſerunt. Sic azymum panem, & cæteras prænunciativas obſervationes, in quibus ſcilicet fuiſſe umbram futurorum dicit Apoſtolus; hodie quidem nihil prodeſſe nobis putamus, ſed ad hoc tamen proſunt, ut earum myſterium à nobis intelligatur: & quod in manifeſtatione revelatum eſt, populis prædicetur. Sic ceremoniæ, quæ pertinent ad præcepta vitæ ſignificanda, hodie quidem ſublatæ ſunt: ſed quoniam his ipſis mores prænunciati ſunt, vel ſequendi boni, vel mali fugiendi; idcirco nunc etiam utiles ſunt, ut quæ nunc revelata ſunt, prænunciata fuiſſe intelligamus; & quod eorum bonum eſt, ſequamur; quod malum divitemus. Sic lineis veſtibus miſcere purpuram, & linoſtima veſte indui, aliquando peccatum fuit; nunc non eſt peccatum: ſed ea tranſgredi, quæ per hujuſmodi ceremonias ſignificantur, ut inordinatè vivere, diverſi generis profeſſiones velle miſcere: ut vel Monialis habeat ornamenta nuptarum, vel ea, quæ ſe non continens nupſit, ſpeciem virginis gerat; & ſi quid aliud inconvenienter ex diverſo genere in vita cujuſque contexitur, omnimodo peccatum eſt. Nam illud tunc figurabatur in veſtibus, quod nunc declaratur in moribus. Illud enim erat tempus ſignificandi: hoc manifeſtandi. Ergo ipſa Scriptura, quæ tunc fuit exactrix operum ſignificantium, nunc teſtis eſt rerum ſignificatarum: & quæ tunc obſervabatur ad prænunciationem, nunc recitatur ad confirmationem. Sic bovem & aſinum ad operandum tunc injungere non licebat, Deuter. 22. hodie autem bovem & aſinum, unusquiſque ſi neceſſe ſit, ſine detrimento operis jungit: At negligere quod hac ceremonia prænunciatum eſt, ut ſapientem & ſtultum conjungere, non ut ille præcipiat, hic obtemperet; ſed ut pariter ex æquali poteſtate verbum Dei annuncient: illud certè peccatum eſt; quod ne fiat, dudum ceremonia præfiguratum,

Sabbati ceſſatio.

Sacrificia,

Azyma.

Moralia per ceremonias vel ſignificata ſervare oportet.

ratum, & nobis nunc revelatum eſt. Non ſunt igitur tanquam ſupervacanea abjicienda, quæ de ceremoniis, quarum hodie nulla obſervatio eſt, ſcripta ſunt: propter nos enim ſcripta ſunt: & impium eſt, ut non legamus nos, quod ſcriptum eſt propter nos. Immo, ut mandatorum Dei prævaricatores eſſent, quibus illis temporibus hæc mandata fuerunt, ſi obſervare contemnerent, quando ſic illa fieri; & iſta quæ nunc revelata ſunt, tunc ſic prænunciari oportebat: Ita nos deſipientes eſſemus, ſi nunc jam manifeſtato N. Teſtamento, illas prænunciativas obſervationes aliquid nobis prodeſſe putaremus.

Ceremoniæ quædã in utroq; Teſtamẽto proficua.

Ceremoniæ autem V. Teſtamenti, quæ non futura, ſed præſentia annunciarunt, eaque quæ jam futuris temporibus durare potuerunt, etiam in N. Teſtamento retineri poſſunt: non quidem quatenus in V. Teſtamento obſervatæ fuerunt; ſed quia myſteria ad cultum Evangelicæ Religionis pertinentia deſignant: Quales ſunt orationes, jejunia, ſacra vaſa, veſtes, unctio, thus, incenſum, luminaria, & quæ ſunt ejuſdem generis. Quibus etiam addo, quæ ad præcepta vitæ morumque pertinent, quæ ab utriusque V. & N. Teſtamenti hominibus ſemper & æquè cuſtodienda fuerunt; quæ Auguſtinus lib. 6 cap. 2. contra Fauſtum, *Præcepta vitæ agendæ* appellat, hujuſmodi ſunt, *Honora patrem & matrem*, &, *Non mœchaberis*. Nam quæ ita ſunt poſita in literis ſacris, vel jubendo, vel vetando, vel etiam ſinendo, ut etiam nunc, id eſt tempore N. Teſtamenti, ad vitam piam exercendam, moresque pertineant. Hæc ut olim, ita nunc etiam facienda ſunt, ſi facienda præcepta ſunt: non facienda, ſi prohibita. Nec ideo judaizare cenſentur Chriſtiani, quia iisdem ceremoniis in N. Teſtamento utimur, quibus olim Judæi in V. Teſtamento uſi fuerunt, vel etiam hodie, ſicuti degunt, utuntur. Nam etſi res eædem ſint, quibus ceremoniæ perficiuntur: tamen uſus earum diverſus eſt, & non una utentium intentio: Ideoque & Ceremoniæ ipſæ, quantumlibet rebus ipſis pares, tamen uſu, & intentione diverſæ ſunt, & ab uſu bonæ vel malæ: Eccleſiaſticæ vel Judaicæ appellantur: Veluti ſi Judæus flexis genibus vel manibus in cœlum levatis, oret; ceremonia hæc Judaica eſt: ſi ad eundem modum oret Chriſtianus; eadem ceremonia Eccleſiaſtica dicetur. Nec damnanda erit Chriſtiani oratio, quia ritu ipſo orationi Judæi ſimilis eſſe videtur: Non enim ritus ipſe, ſed intentio orantis ſpectanda eſt: quæ non ſolum orationem, ſed etiam ceremoniam ejus vel bonam efficit, vel malam. Quin etiam illud jam addimus, etſi vetera omnia tranſierunt, & in Chriſto facta ſunt nova omnia: tamen omnes propè ceremonias noſtras, ceremoniarum V. Teſtamenti, (etiam quæ è noſtris maximè differre videntur) & rem & nomen tenere: uſu tamen, ſignificatione & intentione differre, ut Sacerdos, Sacrificium, Templum, Altare, Ignis, Panis, Sanguis, & quæ ſunt ſimilia; ut eleganter diſputat D. Auguſt. Epiſt. 36. ad Caſulanum.

In quibus differant ceremoniæ noſtræ à judaicis.

Et hæc de Ceremoniis in genere dicta ſint ſatis.

CAP. LIX.
De Oſculo Pacis.

OCcaſione duarum Lamellarum, ex ære antiquo, quæ ſunt penes me, in quibus eſt Chriſtus impreſſus Reſurgens à mortuis, & diſcipulis apparens, & pacem annun-

annuncians: non præteribo hic aliquid recensere de ceremonia, seu salutatione in osculo Pacis. Has igitur lamellas prisci fideles in synaxi, & aliis orationibus exhibebant populo in osculum Pacis: Quoniam non solum Petrus in fine primæ epistolæ admonet: *Ut salutent se invicem in osculo sancto*; sed & Paulus sæpe faciendum præcipit ad Romanos cap. 16. in fine, 1. Corinth. 16. 2. Corinth. 13. 1. Thessal. 5. Et idipsum Ignatius suis Apostolis consuevit ad Antiochenos, & ad Tarsenses: ac prædicto Apostolico præcepto inhærentes Chalcedonens. ac etiam SS. Martyres Sosthenes & Victor, in persecutione Diocletiani, post vincula, & Bestias superatas, jussi sunt incendiis; salutantes se invicem in Osculo sancto, ut legitur in Martyrologio, 4 Idus Septembris. Cum vero salutationem mutuam, non Osculo tantum, sed Sancto, dandam esse præscripserint; planè certum est, diversam ab illa fuisse, quam Gentiles inter se, quoties sibi obviarent inter ambulandum Amici, invicem impartiri consueverunt: quam quidem consuetudinem, ut molestam nimis, & frequentibus occursionibus fastidium afferentem, Tiberius lege sancita tollendam curavit, Sueton. in ejusdem vita cap. 34. Licet plus valuisse inolitum usum lege lata, satis ex Martiale constet Epigr. lib. 7. ad Linum, & 11. ad Bassam. qui vixit temporibus Domitiani. Quòd etiam essent ejusmodi Oscula, Pacis & Amoris symbola, ea non tollenda, sed moderanda inter Christianos, Apostoli curarunt. Illaque, planè SANCTA OSCULA dicta esse reperiuntur, quæ in Ecclesiis, & sacris conventibus post orationes in signum Pacis, & reconciliationis animorum adhiberi consueverunt, adjuncta salutatione, PAX TECUM: sicut videre est apud Justinum orat. ad Anton. Origen. in Roman. cap. 16. Tertullian. lib. de orat. Augustinum ser. 83. de divers. Post osculum vero sequi consuevisse administrationem Eucharistiæ, fusius tradit idem Justinus.

Nec tamen quis putet, hæc ita promiscue tunc agi solita, ut viros, & fœminæ sic indistinctè se mutuo oscularentur: nam in Ecclesia seorsim viros à mulieribus, Joseph. lib. 6. de bell. Judic. cap. 6. eodem fermè ordine, & dispensatione fuit in Christianorum Ecclesiis observatum, Hieron. de script. ecclesiast. in Philone Ambros. ad virg. laps. cap. 6. & latè Baron in anno [illegible]7. & ibi Spond. in epit. num. 37.

Verum ea nihilominus adhibita cautela, quoniam adhuc inter se invicem osculantes, sive viros, sive fœminas, aliqua fraus arte diaboli nonnunquam irrepebat, ut de virgine loquens Tertullian. tractat. de virg. veland. cap 14. in fine inquit: ***Dum inter amplexus, & oscula assidua concalescit, sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, &c.*** Et propterea in pluribus Ecclesiis sacram tabellam Cruce, aut Imagine decoratam, mutavit usus, & quidem laudabilis, ut tradit Baron. in anno 45. & ibidem Spondanus in epit. num. 8.

Priscis temporibus apud Christianos moris erat osculo se invicem salutare, non solum præstituto Missæ tempore, sed & domi inter privatos parietes, & in vicis: à qua tamen consuetudine abstinebant diebus illis, quibus indictum, & promulgatum esset plenum, atque integrum Jejunium, sicuti feria sexta majoris hebdomadæ, Sabbatoque sancto, extraordinariisque jejuniis, quæ graviori aliqua de causa ab Ec-

clesia indicerentur. Tertullian. lib. de oration. *Sic & die Paschæ, quo communis, & quasi publica jejunii Religio est, meritò deponimus osculum, nihil curantes de osculando, &c.* Idem referunt scriptores de divinis officiis; ac etiam Albaspinus de veteribus Ecclesiæ ritibus lib. 1. observ. 17. ubi rationem adducit: quia osculum lætitiæ, & gaudii publici testimonium quoddam, & indicium erat, quod animi lætantis, & gestientis argumentum die jejunii in lucem proferre nefas dicerent; sicuti neque sacrificii, neque communionis usus diebus illis extiterat. Secunda ratio, quia osculum instar pignoris, & symboli communionis, quibus diebus à Christi corpore sumendo abstinebant, ejus symboli intermissio fiebat.

Sed declarantur vera esse prædicta: Osculum censeri vetitum solummodo diebus jejunorum integrorũ, quibus sub vesperam tantum solverentur jejunia, nec iis sacrum, nec ullum sacrificium offerebatur, sicuti nec ullum Pacis Osculum interponebatur; secus quando erant jejunia dimidiata usque ad horam nonam: etenim cum in iis sacrum fieret; Osculum etiam porrigebatur, & ita intelligitur S. Ambros. serm. 34.

Declaratur etiam cessari ab Osculo in sacrificiis, & sacris, quæ pro mortuis offeruntur Amalarius lib. 3. cap. 44. Quoniam olim illa sacra privata erant, non autem solennia, nec in iis publicè fideles communicabant, quemadmodum in Dominicis, & festis diebus.

Item declara in Monachorum sacris, quoniam privata essent, nec iis generalis communio fiebat: quare ibidem Osculum, quod ad solas pertinebat generales, omittebatur, ut in d. observ. 17. per Albaspinum.

CAP. LX.

De Festivis Diebus.

Vidimus supra in cap. 58. quod Ecclesia potest ex se dies festivos statuere, nec non observantiam eorum nobis imponere: & quamvis in principio Ecclesiæ nascentis paucissimi dies festivi anniversaria solennitate celebrarentur, nempe Domini Passio, Resurrectio, Ascensio in cœlum, & adventus Spiritus sancti, ex D. August. epist. 118. ad Januar. cap. 1. Quomodo autem dies illi festivi servati, ac etiam dein alii plurimum acti; modo videndum.

De festo Annuntiationis.

De festo Annuntiationis Virginis, nec non Incarnationis Verbi (qui celebratur 25. Martii) loquitur S. Athanasius de sanctissima Deipara in initio. *Festum Annuntiationis Mariæ, unum ex Dominicis festis, atque adeo primarium, utpotè quod pro ordine & digestione rerum earum, quæ in Evangelio de Christo prædicantur, sacrosanctum habeatur; quippe in quo de filij Dei à cœlis descensu agatur.*

De natali Domini.

Natalis Domini dies, ea de causa à Patribus votivæ solennitatis institutus est; quia in eo Christus pro Redemptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex Virginis utero, qui erat in Patris imperio: ut autem videretur *Verbum Caro factum est:* assumendo carnem, non mutatum in carnem. Assumpsit enim humanitatem, non amisit Divinitatem; ita idem Deus, & homo; in natura Dei æqualis Patri, in natu-

natura hominis factus mortalis in nobis pro nobis: manens quod erat, suscipiens quod non erat, ut liberaret quod fecerat; Hæc est diei hujus gloriosa festivitas, adventus Dei factus ad homines. Isidorus ubi supra cap. 25. & D. Chrysost. homil de Philogamo dicit, *Festum Natalis esse festum maximum.*

Epiphania Græcè Apparitio vel Ostensio dicitur. Tribus ergo ex causis hæc dies vocabulum hoc sumpsit: sive quod eo die sideris ortu Christus Magis est proditus: sive quod tunc suo Baptismo populis ostensus fuerit: sive quod primo signo per aquam in vinum versam, multis est manifestatus. Refert autem Cass. collat. 10. apud Ægyptios Nativitatis diem & Epiphaniorum solennitatem non bifariè ut in occiduis provinciis, sed unius diei festivitate celebrari: tradit etiam Isidorus ubi supra cap. 26.

Et de festo Purificationis beatissimæ Virginis, S. Gregorius Nissenus orat. de occursu Domini, & Dei parente, & Simeone justo, circa initium. *Cum esset quadraginta dierum Infans, Verbum æternum ad Templum cum Matre est profectus &c. Cujus quidem nos hodie celebrantes commemorationem, spiritualibus speculationibus, quemadmodum incorporeæ mentes, & spiritus, nos oblectamur.*

Ac etiam de eodem festo, S. Cyrillus Hierosolymitan. de Occursu Domini nostri, & Simeone inquit. *Hodie dilecti festi cursum pergamus, cum Angelis Choros ducamus, cum Pastoribus illuminemur, cum Orthodoxis adoremus, cum Bethlehem festum agamus, cum Sion occurramus, cum Templo sanctificemur, cum Virgine festum agamus.*

Eucherius Lugdunens. serm. de Assumptione S. Mariæ. *Merito S. Patres constituerunt, ut in hac solennitate beatæ Mariæ Virginis hoc Evangelium legeretur.*

Concilium Lugdunens. habitum intra quintum sæculum apud Gratianum de Consecrat. dist. 3. inquit; *Pronunciandum est Laicis; ut sciant tempora feriandi per annum; id est omnem Dominicam, Natale Domini, &c. Purificationem sanctæ Mariæ, Assumptionem, & Nativitatem.*

Festa Sanctorum.

De festis Sanctorum, quamvis intendant Sectarii per has solennitates honorem Deo debitum tolli: Dicimus primo, habuisse Judæos Neomenias per singulos menses, festa Paschalia, & Pentecostes; nec non & Tabernaculorum per septem dies celebranda, præter Sabbata à Deo eis constituta; ac præterea celebrasse festa pro victoria Judith; pro liberatione populi peracta ab Esther Regina: Quæ si ignota, & gratia non sunt; Quid ergo grave, si apud Christianos festi dies celebrentur pro diversis à Christo, & Sanctis populo præstitis beneficiis? atque ut eorundem beneficiorum gratias agamus. Quibus etiam accedit, ut Sanctorum exempla ad imitationem nos provocent, & illorum imploremus auxilium: & propterea ex D. August. serm. 26. de Sanctis habetur. *Qui honorat Martyres, honorat & Christum; qui spernit Sanctos, spernit & Christum Dominum.*

Porro hunc Festorum agendorum ritum vetustum in Ecclesia, ut ex S. Clemente, qui primo post Domini Adventum sæculo in suis Constitutionibus lib. 8. c. 39. servari jussit festa Apostolorum, & Martyrum. Ex secundo sæculo Ecclesiæ Smirnensis habetur Epistola relata ab Euseb. lib. 4. cap. 15. dum inquit: *Eorum memoriam, qui prius*

passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur. Ex tertio autem sæculo S. Cyprianus lib. 3. epist. 6. inquit: *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Quo etiam sæculo, de festo Sanctorum Innocentum loquitur Origenes homil. 3. in divers. *Innocentum memoria semper, ut dignum est, celebratur in Ecclesiis secundum integrum Ordinem Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occisorum, & ut ipsa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse Salvator, obtulisse videatur: propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, &c.*

Sicuti etiam Sanctorum solennitates celebrantur, ut ipsi pro nobis intercedant ad Deum, Euseb. Alexandrin. homil. de Sanctis colendis. *Ob hanc causam præcepit nobis memorias Sanctorum celebrare, ut acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent, ut preces nostras caducas admittat.* Et propterea qui contemnebant conventus in Martyrum honorem, excommunicabantur à Synodo Gangrensi canon. 20. dum inquit: *Si quis arrogantia utens, & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra, quæ in iis celebrantur, & eorum memorias accuset; anathema sit.*

Et contra Julianum Imper. qui contemnebat dies festos in Martyrum honorem, invehitur S. Gregor. Nazianzen. orat. 3. quæ est prima invectiva in Julianum circa medium. *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, &c. quibus præclarè honores, & festa sunt constituta, à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur,* & idem orat. 22. quæ est in laudem Machabæorum. *Quid autem Machabæi? horum enim nomine diem hunc festum agitamus.*

Ac etiam de magna populi affluentia in solenni festo S. Theodori martyris, Greg. Nissen. orat. in eundem circa finem. *Etsi anniversariis feriis hunc diem celebramus; at nunquã cessat studiosè advenientiũ multitudo, ac formicarum similitudinem servat ea, quæ huc pertinet via publica; cum alij quidẽ ascendant, alij vero venientibus cedãt, &c.*

Quod autem major sit festivitas Sanctorum Dei, quam Principum terræ, Chrysostom. homil. 66. ad populum Antiochenum. *Quid de Christo loquar, cum & discipulos suos, postquam obierunt, effulgere fecit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra, & tempora perenni memoria celebrari curavit. Tu vero mihi, & sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem quo vitam finivit: sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, & exterminata; Christi verò servorum sepulchra clara sunt, regiam assequuta civitatem, & dies notissimi mundo festã afferentes lætitiã.*

Sanctus Ambrosius in festo Sanctæ Agnetis exorditur opus de Virginibus, ut in ejusdem lib. 1. inquit. *Beneprocedit, ut quoniam hodie Natalis est Virginis, de Virginibus sit loquendum: Natalis est Virginis, integritatem sequamur: Natalis est Martyris, hostias immolemus: Natalis est Sanctæ Agnetis, mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ.*

Quare autem celebrentur dies solennes in honorem Sanctorum? tres adducit rationes D. Augustin lib. 2. contra Faustum, cap. 21. *Populus Christianus memorias*

Mar-

Martyrum religiosa solennitate concelebrat: & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. Ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus; quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit.

Commemoratio omnium Sanctorũ.

Advertendum præterea, consuevisse priscos fideles venerari non solum solennia Martyrum, & aliorum Sanctorum in particulari cujusque Natalitio die; verum celebrasse simul etiam festum Commemorationis sanctissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum. Etenim Bonifacius Papa IV. à Phoca Aug. impetravit Pantheon nobile Romæ templum, à M. Agrippa ter Coss. tempore Augusti erectum, Joviq; Vindici consecratum (compresso nimirum tunc bello civili. M. Antonio & Cleopatra ad Actiacum superatis) prædictumq; templum expurgatum ab antiquæ sordibus Idololatriæ, in honorem Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum omnium illud consecravit; nec non idem Bonifacius generalem, & celebrem instituit quotannis in urbe Roma eorundem festivitatem. Sed & Gregorius item IV. postmodum decrevit eandem festivitatem, quæ variis modis in diversiis Ecclesiis celebrabatur in honorem omnium Sanctorum, solenniter Calendis Novembris ab universa Ecclesia perpetuo observari, ut refert Martyrologium Romanum die 1. Novembris, ubi Annotationes Baronii, nec non idem Baron. in Annalib. tom. 8. anno 607. ubi Spond. num. 1.

Commemoratio defunctorum.

Agebatur jam apud priscos fideles etiam Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, ut una eademq; die (nempe 2. Novembr.) universalis memoria ageretur: omnes in primis acceptum id ferunt S. Odiloni Abbati Cluniacensi, testatur id Petrus Damianus in vita ipsius, & Sigibertus in Chronico anno Domini 998. Quod enim ille in suis Monasteriis faciendum curavit; id postmodum Romani Pont. auctoritate ubique locorum servandum, sancitum videtur; ut ex Baron. in Annotat. ad Martyrologium Rom. 2. Novembris, & in Annalib. anno 1048 ubi Spondan. num. 3.

Addimus prædictis, licuisse Ecclesiæ, quæ apud Ethnicos impiè superstitioso cultu agebantur feriæ, easdem sacro ritu expiatas, ad pietatem Christianam transferre, ut majori id esset Diaboli contumeliæ, & quibus ipse coli voluerit, Christus, & Sancti ejus ab omnibus honorarentur; sicuti etiam Idolorum templa in Ecclesias Sanctorum fuerant commutata; quemadmodum & Paulus Apost. superstitionis Aram Ignoto Deo dicatam Athenis, in veri Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mira prudentia transtulisse legitur in Actis Apost. cap. 17. & latè Baron. in anno 44. ubi Spondan. num. 36. ac etiam idem Baron. in ann. 58. ubi Spondan. num. 28. & 29.

Ac etiam Apostoli, explosis legalibus Ceremoniis, sic illa, quæ præcipua esse videbantur Judæorum festa, *Pascha*, atque *Pentecosten*, retinentes nomina celebrarunt, quæ nova erant, in illis augustiora mysteria, atque eadem ipsa, quæ iisdem solennitatibus erant olim typicè significata, instituerunt; nimirum Crucis, & Resur-

Resurrectionis Domini in Paschate, & Adventum Spiritus sancti in Pentecoste. Hæc vero docuisse Apostolum ad Coloss. 2. *Ne quis eos judicaret in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum &c.* complures existimarunt. Et non solum festivitates prædictas, verum & diem Dominicam, sed & Natalitia Martyrum, ac aliorum Sanctorum, ex Apostolica traditione inductas; latè tradit Baron. in anno 58. ubi Spondanus num. 33. cum multis seqq.

Dies Dominicus.

Præterea ex Scriptura sacra perspicuè habetur; ut in Genes. cap. 2. Deum postquam sex diebus universa condidisset, septimo requievisse; ac voluisse diem sanctum esse: ut in Exod. cap.16. *Requies Sabbati sanctificata est Domino.* & in eodem Exod. cap.35. *Sex diebus facietis opus, septimus dies vobis erit sanctus, Sabbatum, & requies Domini: Qui fecerit opus, occidetur.* Qui quidem dies fuit ab Apostolis commutatus; ut testatur Concilium Laodicense cap. 19. ne Christiani Judæos imitari viderentur; & quoniam in illo Christus è sepulchro resurrexit: Hinc August. epist.86. ad Casulam inquit: *Præpositus dies Dominicus Sabbato fide Resurrectionis.* & idem epist. 18. ad Januar. *Dies Dominicus non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo suam festivitatem habere cœpit*: cui subscribit Ambros. serm. 6. de Pentecoste dicens: *Dominica ideo venerabilis est, atq; solennis, quia in ea Salvator, veluti sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit.* Appellatur dies Dominicus, ut in eo à terrenis operibus, & mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus, propter spem resurrectionis nostræ in novissimo sæculo, quam habemus ex quo Christus Salvator noster resurrexit tertia die à mortuis; & est primogenitus mortuorum: unde etiam in Dominica die stantes orabant prisci Christiani, quod est signum futuræ resurrectionis. Præterea solennis est hæc dies; quoniam Angeli in ipsa creati sunt: ac etiam in eadem de cœlis super Apostolos Spiritus sanctus descendit: & manna eadem die in eremo primum de cœlo venit; ut refert Isidor. de eccles. offic. lib.1. cap.24.

De tempore celebrandi Paschatis.

Dies Resurrectionis.

Dies verò Dominicæ Resurrectionis aliorum omnium est celeberrimus, ut propterea Nazianzenus orat. 2. de Paschate dicat: *Festum festorum, & celebritatem celebritatum, tanto cæteris omnibus majorem, quanto sol syderibus excellit,* & alibi vocat diem illum *Regem dierum.*

Quare autem anniversarius dies celebrandæ Dominicæ Passionis, & Resurrectionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut ipse dies, qua traditur natus ipse Christus; Vide quæ latè tradit D. August. epist. 119. ad Januar. à cap. 1. usque ad cap. 9. & Brunus de ceremoniis lib. 1. cap. 2.

Tempus celebrandi Paschatis à lege destinatum, ut à decima quarta Luna usque ad vigesimam primam Pascha immolandum, & azyma faciendum. Ita nimirum subducta calculi ratione, ut post æquinoctium vernale à quarta decima Luna usque ad vigesimam primam, id est in tertia hebdomada primi mensis, die Dominico solennitas Paschæ celebretur. Quem ritum Romana Ecclesia à tempore Apostolorum custodivit, ut in const. Apost. can.8. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum diem Pascha ante Vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur,* & Victor. in epist.

in epist. ad omnes Ecclesias, inquit: *Cæterum nosse vos volumus, quod Pascha Domini, die Dominica annuis solennitatibus sit celebrandum.* Idem Victor ad Episcopos in Alexandria inquit: *Celebritatem sancti Paschæ, die Dominica agi debere, & prædecessores nostri jam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solenniter mandamus: quia non decet ut membra à capite discrepent, nec contraria gerant.* & infra. *A quarta decima Luna primi mensis usque ad vigesimum primum ejusdem mensis diei Paschæ celebretur festivitas.* Item Sylvester Papa in Concilio Romano (quod præsente Constantino Imp. intra Thermas Domitianas celebravit) omnibus Episcopis, & Presbyteris præcepit, *Paschæ observantiam custodire à Luna decima quarta usque ad vigesimam primam, ita ut Dominicus dies coruscet*: & dixerunt Episcopi: *Placet.* Hunc ritum etsi Asiaticæ, & pleræque aliæ orientis Ecclesiæ multo tempore neglexerint, ac cum Romana Ecclesia dissenserint, quarta decima Luna primi mensis, in quemcunque diem incidisset, Pascha celebrantes: quæ sanè discordia Apostolorum temporibus cœpisse videtur: & in tantum postea invaluisse, ut nullam pacificationem usque ad tempora Constantini Magni admiserit. Sed & Apostoli ipsi ad componendam hujusmodi discordiam, & reducendum omnes Ecclesias ad verum Romanæ Ecclesiæ cultum, laborasse videntur; neque enim volebant, ut cum Judæis concordarent Ecclesiæ, nec ut alio quam Dominico die ea solennitas, celebraretur; ut hæc, & alia ad idem propositum disputantur ab Epiphanio lib. 2. Hæres. 50. Tandem autem operante Spiritu sancto hæc discordia temporibus Magni Constantini penitus sublata, à Patribus Ecclesiæ consuetudo confirmata est, ut sic membra cum capite concordarent; ut tamen cum Judæorum ritu nihil participet, quia & cum immolatione Paschatis à Christo facta concordet: ut latè refert Brunus de ceremoniis lib. 6. cap. 5. Postea vero cum hujusmodi annua computatio, & electio diei festivitatis Paschalis plurimum negotii, & molestiæ habere videretur: cœperunt Patres de computatione, si non perpetua, tamen ad longum tempus valitura deliberare, & negotium supputationis ejus peritis delegare: quod nec errorem, nec difficultatem omnem sustulit, ut ex epistola Leonis Papæ ad Marcianum 63. ac etiam de ratione computandi Paschatis scripserunt Eusebius Cæsariensis, & alii multi.

Alacritas in celebratione.

Festivitates prædictas prisci fideles tanta alacritate celebrabant, ut nec quibusvis persecutoribus, nec ipsis etiam carceribus prohiberi possent, quin una simul, quantum loci & temporis opportunitate daretur, sacras synaxes, festosque dies celebrarent. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. 7. histor. cap. 10. & 17. Cyrillus epist. 5. cum aliis, quos refert Baron. d. anno 58. ubi Spond. num. 38.

Salutatio in festis.

Quin etiam in hujusmodi solennitatibus introductam fuisse laudabilem consuetudinem, ut bene precando festos dies se invicem Christiani salutarent; non præsentes tantum, sed & absentes per literas, quas festivas nominarent; ut ex pluribus epistolis Theodoreti etiam tradit Baron. dicto anno 58. ubi Spondanus dicto num. 38.

De Feriatione diei Dominici, non Christianis solum, sed & Gentilibus legem à Magno Constantino fuisse præscriptam, ut etiam in honore haberent sextam feriam, quoniam eo die Christus crucifixus est: ex Euseb. & Sozomen. tradit Card. Baron. an. 321. num. 6.

Dies

Dies feriæ

Dies Septimanæ quare *Feriæ* dicantur? Sylvester Papa I. refutatis Judæorum & Gentilium nominibus, cæteros hebdomadæ dies feriarum nomine insignivit, quod soli Deo vacanti, nunquam licet vel militiam, vel negotiationem exercere mundanam; ut in Psalm. 45. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Item Apost. 2 Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quem ritum & August. in Psal. 93. servandum docet, eos reprehendens, qui etiam nunc Gentilium morem servantes, dies Hebdomadæ non ferias, sed à Planetis, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, & Saturni appellant. Brunus de Ceremoniis lib. 6. cap. 6.

Abusus corrigendi

Denique in celebrandis festivitatibus maximi corrigendi sunt abusus, qui sicut olim à Gentilibus ferè omnes introducti; ita etiam hodie durant: quod iis diebus non solum divinus cultus, & memoria Sanctorum non peraguntur, sed etiam (quod alio tempore fortè per negotia non licet) saltationibus, commessationibus, turpibus, obscœnis ludis, & spectaculis, aliisque rebus illicitis, opera datur nec alio tempore magis quam festis diebus omnis luxus & turpitudo exercetur. Hos abusus, veteres quoque Canones emendasse testantur: Nam in his solennibus turpia convivia & spectacula ne fiant, sancitum est in Antisiodorensi Concilio can. 11. *Non liceat in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigiliam expedire: quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis solennitatibus.* Ac etiam hujusmodi commessationes evitandas in solennitatibus Sanctorum, D. Hieron. epist. 19. ad Eustoch. inquit. *Valde absurdum est nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis.* Item Concilium Toletanum tertium can. 23. *Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solennitates agere consuevit: Populi, qui debent divina officia attendere, saltationibus turpibus invigilant, cantica non solum mala canentes, sed Religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum, & Judicum curæ à Concilio sancto committitur* Item Cabilonese cap. ult. *Valde omnibus noscitur esse indecorum, quod per Dedicationes Basilicarum, aut festivitates Martyrum ad ipsa solennia confluentes, chorus fœmineus turpia quædam, & obscœna cantica decantare videntur, dum aut orare debeant, aut Clericos psallentes audire: Unde convenit ut Sacerdotes loci talia à septis Basilicarum, vel porticibus ipsarum, vel etiam ab ipsis atriis vetare debeant; ac arcere; &, si voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplinæ aculeum substinere.*

Fuit & olim abusus; ut spectacula theatrorum aliorumque ludorum die Dominica exhiberentur. Ad quem abusum olim Christiani à Gentibus coacti fuerunt, quem & emendari Patres Aphricani Concilii Carthagine celebrati, ab Imperatoribus petunt can. 28. *Nec non illud petendum, ut spectacula Theatrorum, cæterorumque ludorum Dominicis, vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur; maximè quia sancti Paschæ octavarum die, populi ad Circum magis quam ad Ecclesiam conveniunt; & debere transferri devotionis eorum dies, si quando occurrerint; nec oportere etiam quemquam Christianorum cogi ad hæc spectacula; maximè quia in his exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, nulla persequutionis necessitas à quoquam adhi-*

Emendandum quoque erit, quod hodie in plerisque locis in diebus Deo, & Sanctis solennibus, judicia agitantur, & nundinæ habentur; & ob id in usum revocandæ leges, tam Ecclesiasticæ, quam civiles. cap. 3. & ult. de feriis. l. omnes dies C. eod. tit.

Quidam ut abusum in Ecclesia reprehendunt pluralitatem Festivitatum; ut quæ necessitati hominum aliquid detrahant, & occasionem ferè hunc ritum contemnendi præstent. Equidem scio ex causa quasdam festivitatis institui, quasdam tolli, quasdam mutari: universales quidem ab universali Ecclesia: particulares etiam à locorum Episcopis posse. cap. licet. cap. conquestus, de feriis, can. pronunciandum, de consecrat. dist. 3. Verum ejus rei discussio an videlicet, & in quibus expediat? ad Concilium mihi referenda videtur. Nec facile vel audiuntur vel admittuntur emendationes in his ritibus: nisi quæ graviora sunt, ut quæ ad confessionem fidei nostræ, & extirpationem hæresum pertinent, & alia his similia prius corrigantur.

Pluralitas festivitatum.

Et hæc de plurimis, quæ circa Festivos dies dicenda essent, delibasse sufficiat.

CAP. LXI.

De Cinerum ceremonia.

HÆc Cinerum ceremonia quartæ feriæ in capite jejunii nobis præsignatur in lib. Job. cap. 2. cum tres amici Job venissent, ut visitarent eum, & consolarentur: *Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum, & sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus &c.*

Et in lib. Esther. cap. 14. ut averteret Esther persequutionem Aman. *Cumque deposuisset illa vestes regias; fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis cinere, & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis, omniaque loca, in quibus lætari consueverat, crinium laceratione complevit.*

Ad fletum exhortans populum Hierosolymæ Propheta Hieremias cap. 5. inquit: *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum, quia repentè veniet vastator super te.*

Juxta auctoritates prædictas conformis est priscus ritus eorum, qui pœnitentiam agentes inter cætera cinere conspergebantur; etiam Tertulliani ævo, ut idem refert lib. de pœnitent. cap. 9. his verbis; *Itaque Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, &c. De ipso quoque habitu, atque victu mandat sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare: cæterum pastum, & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire, dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & caris Dei adminiculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. &c.* Et hoc idem refert Cyprian. de Lapsis paulo ante finem.

Et S. Ambrosius ostendit, quomodo, quæ peccavit, debeat Deo reconciliari, etiam aspersione cineris, in tractatu ad virginem lapsam, cap. 8. *Deinde lugubris*

tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculis lachrymæ, quæ masculum non simpliciter aspexerunt: Pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè: Deniq; totum corpus injuriis, & jejuniis maceretur, cinere aspersum, & apertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit, &c.

Non pœnitentes solum priscis temporibus cinere conspergebantur: verum & à sanctis viris is mos etiam servabatur, ut in cinere strati, quo pœnitentiæ sacræ magis indulgerent, ibi emorerentur, ut ex Annalib. Eccles. auctore Raynaldo anno 1200. num. 19. in fin. tom. 13. & ibidem 1202. num. 29.

Nec hujusmodi publica pœnitentia, nisi semel tantum concedebatur, ex D. Augustino ad Macedonianum, epist. 54. relata in can. quamvis, distinct. 50.

Ritus in solenni pœnitentia. Quales autem ceremoniæ, seu ritus haberentur in hac solenni pœnitentia, quæ in capite Quadragesimæ imponebatur: refertur ex synodo Agathensi can 63. distinct. 50. his verbis. *In capite Quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu, & vultu protestantes: Ibi adesse debent Decani, & Presbyter pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent; & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradus culpæ injungere; Post hæc eos in Ecclesiam introducunt, & cum omni Clero septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet; tunc resurgens ab oratione (juxta quod Canones jubent) manus ei imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde suspiriis denuntiet eis, quod sicut Adam projectus est de paradiso; ita & ipsi pro peccatis abjiciuntur ab Ecclesia. Post hæc jubeat ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant: Clerus verò prosequatur eos cum responsorio; In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c. ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non parvipendant pœnitentiam In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum Decanis, & Presbyteris Ecclesiæ limitibus repræsententur.* Et hæc Synodus Agathensis.

Et in hoc advertendum, quod prædicti pœnitentes ejecti ab Ecclesia locabantur proximi portæ, ubi dicebatur *Locus fletus*; & inde non egrediebantur, nisi ad audiendam prædicationem una cum Catechumenis, etiam prope eandem portam: & hoc servabatur usque ad diem Cœnæ Domini, quando ipsi absolvebantur, & Ecclesiæ publicè, & coram populo reconciliabantur. Cum igitur ab Ecclesia justissimis de causis abolita fuerit prædicta publica pœnitentia, potissimum quod quædam imprudens mulier, inconsulto Presbytero ad id munus constituto, publicè in Ecclesia hoc ipso prætextu propalavit occulta quædam, & libidinosæ incontinentiæ peccata maximo totius populi scandalo, ut ex Nectario, Joanne Chrysostomo, & Leone Papa vidimus supra in cap. 24. de Pœnitentiæ sacramento: Quis igitur malè actum præsumere audebit hunc antiquum Ecclesiæ ritum (quem in præsens nos fideles adhuc servamus) recipiendi cineres in principio Quadragesimalis jejunii per manus Sacerdotis?

dotis? cum hæc sit nota, & signum exterius interni mœroris, & doloris Deum offendisse, ejusdemque unigenito Filio mortem præbuisse; cujus tunc passio nobis repræsentatur, una cum immenso humanæ Redemptionis beneficio.

Præterea quoniam maxima pars hominum neque sponte meminit qualem ornatum capitis, id est cordis sui, Deum offendendo perdiderit, neque facile possunt corda lapidea scindi, nisi extrinsecus adhibitis adjuvemur instrumentis; Igitur ut nostra nobis calamitas ad memoriam revocetur, & meminerimus, quia pulvis sumus: idcirco cinere capita nostra aspergimus: Hoc habitu confitentes, quia non Dii, neque de cœlo sumus, sed homines de terra principium habuimus: & quia per peccatum gloria nostra spoliati, & inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigemus. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 4. cap. 10.

CAP. LXII.

De prisco, & vario Ritu observatæ Quadragesimæ apud Christianos.

Observatio ab imitatione & lege Christi.

JESUS CHRISTUS per totos 40. dies, & 40. noctes cum jejunasset, ut est ab Evangelistis proditum, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Fideles omnes ad ejus imitationem, quantum natura nostra patitur, provocavit Apost. ad Ephes. cap. 5. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. & 1.* Corinth. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*: propterea & nos per totos quadraginta dies piscibus, utpotè cibis parcioribus, minusque succulentis, ut contenti simus semel unoquoque die vescimur; ratio ipsa, & usus facilè convincit; peculiari siquidem jure jejunium Christi nobis Quadragesimam imitationis gratia peperisse, volunt Patres, ut refert Ambros. epist 82. ad Ecclesiam Vercellens. *Et quia isti jejunandum negant, qua causa Christus jejunaverit, adstruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium?* Et idem serm. 25. *Christus, qui peccatum non habebat, Quadragesimam jejunavit: tu non vis Quadragesimam jejunare, qui peccas? ille inquam peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis.* Et idem in fin. serm. 23 *Christus Dominus hunc numerum jejunii Quadragesimæ consecravit, ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum jejunare debere*: Et D. Bernardus serm. 3. de Quadrag. *Denique tanto devotius imitandum nobis est Christi jejunantis exemplum, quanto certius est, propter nos eum jejunasse, non propter seipsum.* Et hoc Quadragesimæ jejunium esse ex institutione Evangelica, & traditione Apostolica, tradit Baron. in ann. 57. ubi Spond. num. 57. Quamvis Thelesphorus Papa decreverit de numero dierum, sive hebdomadarum, Baron. in an. 136. ubi Spondanus num. 1.

Etenim de eadem Quadragesima legem sancivisse Apostolos, Patres testantur, D. Ambros. serm. 27. *Istud autem præceptum Christi est primum, ut his quadraginta diebus jejuniis, orationibus, vigiliis, opera commodemus*: Et idem serm. 34. sic Quadragesimæ jejunium à cæteris secernit, ut ista voluntaria sint, illud necessarium, ista de arbitrio veniant, illud de lege; ad ista invitamur, ad illud compellimur, & sermone 36. Hunc quadragenarium jejuniorum numerum non esse ab hominibus constitutum, sed divinitus consecratum, nec terrena cogitatione inventum, sed cœlesti majestate

præceptum afferit: & hanc obſervantiam nobis indixiſſe Dominum. S. Leo ſerm. 4. de Quadrageſima *Divinam inſtitutionem* dixit. Petrus venerabilis epiſtola 17. lib. 6. inquiens: *Quæ enim eis mercedis ſpes ſupereſſe poteſt, qui non ſponte, ſed inviti, non voluntarii, ſed coacti, ſanctis illis diebus à carnibus abſtinere videntur?* Qua in re vim legis expreſſiſſe videtur. D. Baſilius orat. in 40. Martyres ſic in tormentis orantes. *Pretioſum eſt tempus, quod quadraginta dierum jejunio ornaſti, per quod Divina lex in orbem tranſivit.*

De varietate Quadrageſimæ

Prioribus Eccleſiæ ſæculis propter magnam rerum Chriſtianarum perturbationem ſævientibus Ethnicis Imperatoribus; an poſtea ob ſenſim tepeſcentem priſtinum illum Chriſtianæ pietatis ardorem, inter omnes de quadrageſimalis jejunii modo, & ratione non conſtitiſſe, nec parem fuiſſe obſervationem, certum eſt. Sozomenus poſt alios de hac quæſtione lib. 7. cap. 19. ſic ait. *Jam illam, quæ hinc proceſſit, quæque appellatur Quadrageſima, in qua populus jejunat: alii in ſex dierum ſeptimanas computant, ut Illyrici, qui ad Occidentem ſiti ſunt, nec non & univerſa Libya, & Ægyptus cum Palæſtinis: alij in ſeptem, ut Conſtantinopolitani, & nationes circumſtantes uſque ad Phœnices: alii ſparſim tres intra ſex, aut ſeptem iſtas jejunant: alij tres Paſchæ immediatè præcedentes continuant: alij duas, ut Montani ſectatores.*

Hæc tanta diverſitas non facile tolli poteſt: etenim in Eccleſia Catholica omnibus ſæculis tum apud Græcos, tum apud Latinos, jejunium Paſchale fuit dierum quadraginta, aut ferè triginta ſex: id verò perſpicuum eſt: Primò, quoniam Concilia, & Patres utuntur nomine Quadrageſimæ, quod niſi de numero quadragenario, aut prope. Secundò, jejunium quadrageſimæ ad exemplum Chriſti, Moſis, & Eliæ, introductum volunt Baſilius dicta orat. in 40. Martyres, & alii: quoniam prædicti quadraginta diebus jejunarunt. Tertio, Ambroſ. ſerm. 23. Gregor. homil. 16. dicunt quadrageſimam continere quadraginta duos dies, & detractis Dominicis, in quibus non jejunatur, remanent dies jejunii triginta ſex. Quartò, S. Auguſtinus epiſt. 119. cap. 17. S. Leo ſermone 4. de Quadrag. tradunt jejunium, quod ante Paſcha celebratur, eſſe quadraginta dierum. Verum quia aliquando apud diverſas nationes magna fuit variatio dierum Quadrageſimæ, ut referunt Irenæus, Baſilius, Ambroſius, Caſſianus, Socrates, & alii: ſatis ad hoc latè reſponderunt Card. Bellarminus tom. 4. lib. 2. cap. 15. & Joann. Fileſacus de quadrageſima cap. 2. & 3.

Nos autem ut ritus priſcarum Eccleſiarum in obſervanda Quadrageſima inveſtigemus; ab Eccleſia Romana ducendum exordium totius orbis Chriſtiani parente, quam ut Divus Cyprianus Aphricæ Primas nominat, *Radicem, & Matricem Eccleſiæ Catholicæ.* Quadraginta dierum jejunium perpetuo in Eccleſia Romana, & per eam in reliquis totius Occidentis Eccleſiis obſervatum eſſe, certum eſt; Ac quanquam aliqui peculiari quadam devotione à Septuageſima, Sexageſima, vel Quinquageſima inchoaverint; nihilominus quadraginta dies ſibi tantum jejunandos, nos docet Carolus Magnus in ſua epiſtola ad Alcuinum Præceptorem, ubi de tota re ſic diſſerit: ut qui à Septuageſima ad diem Paſchæ novem hebdomadas jejunent, ex ſingulis ſi Dominicam, feriam quintam, & Sabbatum ſubtraxeris, iiſque addas ſacrum

crum diem Paschæ, triginta sex in abstinentia dies remanent. Ita qui à Sexagesima octo hebdomadibus ad Pascha jejunium deducunt, si ex unaquaque illarum Dominicam, & quintam feriam subduxeris, quadraginta tantum dies jejunasse videantur. Qui vero à quinquagesima septem hedomadas jejunando numerant, suum hoc pacto quadragenarium numerum demonstrant, quod ex iis octo sublatis Dominicis, quadraginta duo dies supersunt; quinta videlicet feria, & Sabbatum majoris hebdomadæ apud quosdam in refectione habetur. Et hoc sapientissimus Carolus Imperator.

Observandum in hoc vario inchoatæ Quadragesimæ ritu duo proposita fuisse: unum, quadraginta dies, quibus Redemptor noster Christus jejunavit, nos abstinendo, quam fieri potest imitari: Alterum, Decimas dierum hac corporali abstinentia omnipotenti Deo dare: quam posteriorem rationem proferunt Concilium Toletanum octavum cap. 9. & Isidor. lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 36. Et quamvis quadraginta dierum minimè absolutus numerus videbitur, quæ tamen Quadragesimæ nomen, & Christi imitatio proposita præseferunt; sed triginta tantum & sex dies numerabantur.

Hunc scrupulum eximit D. Gregor. Magn. homil. 16. in Evangel. his verbis. *Si per trecentos sexaginta quinque dies annus ducitur, & nos per triginta sex dies affligimur; quasi anni decimas Deo damus: & ut sacer numerus 40. dierum adimpleatur, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum 40. dierum tolluntur, id est, quarta feria, quæ caput jejunij subnotatur, & quinta feria sequens, & sexta, & Sabbatum*: Sicuti etiam triginta sex dierum, quibus anni decimæ designantur, jejunium Quadragesimæ nomen habeat, exponit Alcuinus de Divin. offic. cap. 8. dum nominis Septuagesimæ rationem assignat iis verbis. *Consuetudo est divinarum scripturarum, ut omnis numerus, ex quo quamlibet decadem transierit, ut tertius monadus incurrat, non deputetur idem numerus præcedenti decadi, sed ei, ad quem tendit.* Eo pacto statuendum est, ut cum triginta sex dies trigesimam excedant, ad quadragesimam idcirco pertinere dicantur, & eo nomine debeant censeri.

Verum de quatuor illis diebus ex quinquagesimæ hebdomada ad quadragesimam additis, qui quadragenarium numerum absolvant, Concilium Agathense in Gallia Narbonensi sub Rege Clodovæo, circa annum Christi 506. cap. 9. præcipit, Pœnitentes impositis cinere, & cilicio eorum capitibus, ab Episcopo extra Ecclesiam ejici in capite quadragesimæ: quod non aliud esse videtur, quàm ipsa quarta feria, quam *In capite jejunij* vocamus. Ita Amalarius Fortunatus de Eccles. offic. lib. 1. cap. 7. commemorat in ipsa quarta feria cantores in Ecclesia cantare solitos: *Immutemus habitum cinere, & cilicio; jejunemus, & ploremus ante Dominum, &c.* Et quanquam non ignorem, Dominicam primam quadragesimæ vocari Caput quadragesimæ; tamen hoc ad rationem numeri non jejunii spectare perspicuum est. Præterea illa Vestium mutatio in iis, qui pœnitentiam publicam, vel solennem agebant, cum hæc luctum, mœroremque indicarent, ad Dominicam, qui semper à Patribus habitus est dies lætitiæ, & quo nullæ unquam indicerentur pœnitentiæ,

nulla planè ratione referri potest: Et hic ut integer, & absolutus Quadragesimæ dierum jejuniis consecratorum numerus habeatur, voluit etiam Micrologus de Ecclesiasticis observat. cap. 49. tit. de capite jejunii.

De cibis.

In Ecclesia Romana, cæterisque totius Occidentis Ecclesiis, Christianos omnes semper à carnibus abstinuisse in Quadragesima, nulli ignotum est. Telesphorus Rom. Pont. distinct. 4. cap. statuimus, Clericorum vitam à laicorum conversatione discretam esse debere statuens, in jejunio idipsum apparere voluit, ut illi scilicet septem hebdomadas à carne, & deliciis jejunarent; non quod, & laici ab ipsis rebus non debeant abstinere, sed quod omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, à Quinquagesima propositum jejunandi suscipere debeant. Exponit D. Greg. ad Augustinum Anglorum Episcopum dist. 4. cap. Denique sacerdotes: Christianos veteres severioris in jejunando disciplinæ adeo observantes extitisse, ut non modo à carnibus sese continerent; verum etiam ne pisces quidem attingerent: Vinum quoque ita biberent, ut ebrietatem omnem evitarent: refert etiam Euseb. hist. eccles. lib. 5. cap. 6. Prudentius etiam, quibus cibis vescerentur in Quadragesima Christiani, hymno 3.

Nos oleris coma, nos siliqua,
Fœta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.

Atque adeo ab iis abstinuerunt, quæ sementinam carnis trahunt originem, à lacte, caseo, & ovis: Ac esus quidem piscium ita Christiano permittitur, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium, testis est D. Gregor. in dicto cap. Denique: & Concilium Toletanum 8 cap. 9 eos indicat alienos à communione sacra diei Resurrectionis Dominicæ, qui diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserint attentare: Ac etiam in Gallia Maximus Taurinensis homil. 3. de institut. quadrages. idem asserit. Quin, & Burchard. lib. 19 cap. 5. ait: *Comedisti carnes in Quadragesima? si fecisti, in ipsius anni circulo ab omni esu carnium abstineas.*

Græci, ex antiqua eorum traditione, ad jejunium diei Sabbati in Quadragesima non tenentur, excepto uno Sabbato sancto; sed duntaxat ad abstinentiam: Nihilominus ex Bulla Innocentij IV. anno undecimo Pontificatus sui, super ritibus Græcorum num. 15. quamvis pro libitu servent morem suum; salubrius tamen, & honestius agerent, si sic toto illo tempore abstinerent; ut ex Annalibus ecclesiast. auctore Raynaldo tom. 13. anno 1254. num. 8.

Hora comestionis.

Priscis sæculis non nisi ad vesperam jejunium solvi consuevisse in Latinis Ecclesiis, D. Aug. lib. de morib. Eccles. Cathol. ac etiam Prudentius, hymn. 3. sic ait.

Te quoque luce sub occidua
Sumere cum monet hora cibum
Nostra, Deus, canet harmonia.

Et sanctus Paulinus cecinit in Natali septimo D. Felicis,

Nostis eum morem, ut jejunare solemus
Ante diem, & sero libatis vespere sacris,
Quisque suas remeare domos: tunc ergo solutis

Cœti-

Cœtibus à templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies, sumpta dape cœpimus hymnis
Exultare Deo, & psalmis producere noctem.

Concilium Cabilonense, quod ab Ivone, & Gratiano profertur in cap. solet. de consecrat. dist. 1. Non nisi ad vesperam jejunium solvi posse; additque circumstantiam, *Auditis Missarum solennibus, & vespertinis officiis.* Et Microlog. de Eccles. observ. cap. 49. *Est Ecclesiastica consuetudo, ut ad Nonam reficiamur, cum ad Sextam Missam celebramus: ad Vesperam autem, cum ad nonam sacrificamus. Vt ergo, & in iis diebus usque ad vesperam jejunemus.* Et in Ord, Rom. in cap. de vigil. Nativ. Domini habetur, *Hora nona canunt Missam ad S. Mariam; qua expleta canunt vesperalem synaxin, dehinc vadunt ad cibum.*

Postmodum cùm pristinus ille jejunandi ardor refrigesceret, horam nostri anticiparunt, quam suo tempore nonam fuisse scribit D. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 7. & Panorm. in Rub. de observ. Jejunij. Constat enim Jejunia, præter Quadragesimale, non nisi hora nona solvi posse, ex Conc. Bracharens. 1. cap. 16. Magunt. 1. cap. 34.

Variis locis in jejuniis pœnitentiæ causa indictis, modo vesperam, modò horam nonam, cibo sumendo assignat Burchard. lib. 6 c. 17. & 19. Ivo part. 10. 15. Nunc verò meridiem sive sextam horam, quam tamen Nonæ principium nonnulli vocant. Sylvester in verb. jejunium num 12. Nec ante nonam, id est, Nonæ officium; solvi jejunium; licet Sexta, id est meridies numeretur. D. Antoninus part. 2. tit. 6. c. 2. §. ult. & quod in Quadragesima affirment multi non esse cibum capiendum, nisi post horam nonam expletam, & recitatum officium vespertinum: attamen etiam post horam nonam, vespertinum tempus incipere dici potest, de qua re Riccard. Mediavillanus in 4. sentent. dist. 15. q. 3. art ult.

D. Ambrosius in Quadragesima minimè prandendum esse ait serm. 34. & graviter eos reprehendit, qui jam pransi ad Ecclesiam veniebant: & Burchard. lib. 19. cap. 5. *Fecisti quod quidam facere solent, post prandium vadunt ad Missam, & ipsi saturi, & vinolenti à Sacerdote pro populo offerente, signum pacis accipere præsumunt, si fecisti, tres dies in pane & aqua pœniteas.* & D. Augustinus serm. 62. de tempor. ait: *Exceptis diebus Dominicis, nullus prandere præsumat, nisi ille, quem jejunare infirmitas non permittit.*

Vnica comestio.

Sed quoniam imbecillitate factum est, ut ad meridiem solvamus jejunium: modo ad cujusque regionis consuetudinem recurrendum est. D. Hieron. epistola 28. ad Lucinum, ubi de modo jejunandi agens ait: *Vnaquaque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Sicuti etiam Ambrosius epist. 112. ad Monicam piissimam fœminam, respondit jejunium observandum secundum consuetudinem Ecclesiarum, ubi esse contingeret; refert etiam Baron. in ann. 384. ubi Spondanus num. 6. Præterea, Ecclesia non vetat simpliciter id, quod non sumitur præcipuè ad nutritionem, sicuti electuaria, & confectiones aromaticæ, quæ licet nutriant aliquantum, tamen præcipuè sumuntur, ut concoctionem juvent. D. Thomas 2. 2. q. 147. art, 6.

Collationis vox. Collationis vox comestiunculæ serotinæ accommodata, à Monachis vocabulum desumptum potest videri. D. Bened. in Reg. cap. 42. ait: *Si jejunii dies fuerint, dicta vespera parvo intervallo mox accedunt fratres ad collationem, omnibus in unum occurrentibus per hanc morā lectionis; qua nimirium absoluta, Completorum recitetur.* Et idem ex Concilio Cabilonensi apud Ivonem par. 7. cap. 95. Ac fortassis post lectas illas collationes, & vitas Patrum, modico cibo & potu unusquisque imbecillitati prospiciebat, & in Concilio Nannetensi cap. 13. Quando Presbyteri simul conveniunt, post peractum divinum mysterium, ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem: ut habetur cap. quando dist. 44. & in Concilio Laodiceno, cap. 55. habetur. *Quod non oportet sacratos, & Clericos ex collatione convivia peragere, sed neque laicos.*

Feria quarta cinerum. Hac die Capitum cinere aspergendorum morem à ritu veteri Pœnitentium, quibus ipso die, & hoc jejunii introitu, satisfactiones pro admissis flagitiis injungebantur, manasse deprehenditur, ut in can. 9. Concilij Agathensis, de quo Gratianus dist. 50. cap. in capite, [ut nos etiam diximus supra in præcedenti capitulo] Neque hac die tantum depravati homines ad bonam frugem vocabantur, verùm & fideles, quorum à vitiis omnibus, non plane synceras mentes esse constat: unde Alcuinus de divin. offic. cap. 13. *Inprimis præmonere debent sacerdotes omnes Christianos ex sanctis scripturarum testimoniis, quatenus in capite jejunii ad veram confessionem, veramque pœnitentiam festinantius accedant.* Porrò fideles omnes hoc Quadragesimæ initio pœnitentiam accipere solitos, Concilium Toletanum 4. cap. 10. iis verbis: *Tunc enim opus est fletibus, & jejunio insistere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus Resurrectionis Christi:* & Quadragesima durante, tanquam in publico luctu, interdicebantur sponsalia, & quælibet etiam natalitia Martyrum celebrare, Concil. Laodicense canon. 51. & seq. ut in decret. 33. quæst. 4. can. non oportet.

Sabbatum palmarū. Sabbatum quod antecedit Dominicam Palmarum, inquit Alcuinus de divin. offic. cap. 14. In Sacramentario D. Gregorii hunc titulum præsefert: *Sabbatum vacat: Dominus Papa eleemosynam dat.* Rationem idem assignat; cùm recitetur Evangelium hac die Mariæ, quæ accepit libram unguenti, & unxit pedes Jesu. *Unde Apostolicus vir*, inquit Alcuinus, *in memoriam devotissimæ mulieris, membris Christi hodie facit, quod ipsa fecit Capiti; & ideo à statione publica vacat, non tamen à celebratione Missæ.* Rescripsit hæc omnia Amalar. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 9. & Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 5. cap. 6.

De Dominicis Quadragesima. Maximè observandum discrimen Latinorum, & Græcorum, quo Latini Dominicis diebus non tantum, sed etiam ut reliquis feriis, quibus jejunatur, sacrum Missæ sacrificium peragunt: Græci solis Dominicis, & Sabbatis, quibus minimè jejunant, Liturgiam celebrant; aliis diebus jejuniorum nunquam consecrant; sed Præsanctificatis, seu antea consecratis utuntur, & Præsanctificatorum Sacrificium vocant. Extat decretum apud Græcos Concilio Laodiceno cap. 49. alias 51. quo cavetur; *Ne panem quis in Quadragesimā offerat ad sacrificandum, nisi Sabbato, & Dominica;*

ut

ut apud Gratianum 33. quæst. 4. cap. non licet: idem refertur in Synodo Trullensi can. 52. & rem perspicuam faciet Balsamonis interpretatio, ibi: *Statutum est, ut jejuniorum dies luctus, & compunctionis dies sunt ad sua uniuscujusque expianda peccata; Deo autem sacrificium offerre, est festum celebrare: Festus autem dies nihil est aliud, quam gaudium. Quomodo ergo potest quis simul, & mœrere & lætitia diffundi? & ideo statuerunt Patres, non fieri sacrificium tota Quadragesima, præterquam Sabbato, & die Dominico, & die Annunciationis: In his enim festum agere, non deflere, non jejunare, vel genu flectere jussi sumus. Præsanctificatorum autem ministerium, incruentum sacrificium non dicimus, sed oblationem prius oblati, & perfecti sacrificij, sacrique mysterij.* Patres festum Annunciationis in decimum septimum Decembris rejiciendum statuerunt, meminit Micrologus cap. 48. & Rodulphus Tungrensis de ecclesiast. observ. propos. 16.

Alcuinus lib. de divin. offic. cap. 15. hæc omnia nomina primus colligit. Prima denominatio est: *Dominica Palmarum*, seu *in Palmis: Dominica in Ramis olivarum: Dies Palmarum: Festum Evangelismi Ramorum: Dominica gestationis Ramorum, seu Palmarum.* Ista etiam Dominica; *Pascha Petentium, seu Competentium* nuncupatur, quia hac die, teste Alcuino, Symbolum Competentibus tradebatur, propter vicinam Dominicæ Paschæ solennitatem. Hæc sumpsit Alcuinus ex Isidoro lib. 6. Origin. qui addit hæc propterea fieri, ut ipsi Competentes, qui jam ad Dei gratiam percipiendam festinarent, fidem quam confiterentur, agnoscerent: sunt autem Competentes Catechumeni secundi gradus, ut memorat Isidor. lib. de eccles. offic. c. 21. sic dicti, quod Gratiam Christi peterent; D. Augustin. lib. de fid. & oper. in sermone ad Competentes: Qui Baptismum peterent, & ad illud percipiendum sua nomina jam darent: quod non quibusvis Catechumenis licebat. *Dominica capita lavantium, seu Capitilavium*, ut habet Isidor. lib. 6. Origin. Festus hic dies vocitatur, quia tunc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt Sabbato sancto: Addit Alcuinus, ne observatione quadragesimæ sordidati ad unctionem accederent. Dicitur etiam: *Dominica Osanna*, propter lætam illam acclamationem, quæ in Evangelio hujus diei memoratur. *Dominica indulgentiæ* nominatur à Divo Hieron. in Lectionario, & ordine Romano, & id attributum videtur, quod Reis & Nocentibus tunc venia daretur, & carcere liberarentur: sic etiam Divus Ambrosius epistola 33. ad Marcellinam sororem: *Sanctis diebus hebdomadis ultimæ, quibus solvebant debitorum, Lazari vincula, strident catenæ.* Hujusmodi Reorum dimissionis & liberationis vestigium etiam nunc aliquibus in locis superest (ut ego vidi Lutetiæ Parisiorum) Episcopus una cum Clero, & solenni Processione Reum unum carcere solvit; & forsan ex ritu Judaico, quanquam feliciori significatione, liberationis scilicet spiritualis nostræ à Christo; Judæi veteri instituto solebant in memoriam liberationis suæ ex servitute Ægyptiaca unum ex iis, qui vincti detinebantur in carcere, liberare ad diem Paschæ, ut Beda & Liranus in c. 27. Matth. ibi; *Per diem autem solennem &c.* Haym. ibidem Glossa ordin. in cap. 18. Joann.

Dominica Palmarũ

Judæi quanquam in Romanorum poteſtatem veniſſent, nihilominus hac die ſibi ſervari conſuetudinem impetrarunt, ut colligere licet ex Matth. Luc. & Joan.

De Hebdomada majore & feria 5. in Cœna Domini.

Græci *Hebdomadam magnam*, quæ ſit Quadrageſimæ poſtrema, vocant, ex Chryſ. hom. 30. in Gen. quæ appellatio Latinis eſt familiaris: quam denominationem ſic exponit Alcuinus de divin. offic. cap. 15. quia in ea maxima eſt adhibenda parſimonia; ſive, quod majus officium recolitur in ea. Theoph. Alexand. ep. 2. eſt hebdomada Dominicæ Paſſionis; in Concilio Laodiceno cap. 46. Græci nominant ſingulariter *Hebdomadam* ſine aliquo adjuncto, Gratian. de conſecrat. diſt. 4. cap. Baptizandos.

Feria quinta hujus hebdomadæ, etiam nunc ſummus Pontifex, & Epiſcopi, abſolvendi, & reconciliandi populi Chriſtiani ceremoniam obſervant: quæ res à priſco pœnitentium hoc die reconciliandorum ritu traxit originem: cujus veteris inſtituti meminit Innocentius I. Rom. Pontif. epiſt. ad Decennium Epiſcopum Eugubinum cap. 7. iis verbis. *De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt; ſi nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Paſcha ei remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* citat Burchard. lib. 18. cap. 18. B. Eligius Epiſcopus Boviodunenſis homil 4. in Cœna Domini, dum exponit ceremoniam illam ablutionis pedum, quæ fit ipſa quinta feria; myſtico & ſacratiori ſenſu ad reconciliationem pœnitentium, quæ tunc fieri conſueverat, reponit: & Albinus cap. 17. *Lavatio pedum fratrum, ſignum eſt remiſſionis peccatorum*; & in Synodo Cabilonenſi 2. ſub Carolo Magno cap. 47. habetur iis verbis: *Cùm pœnitentes eadem die Cœnæ Domini ad percipienda corporis, & ſanguinis Dominici ſacramenta, ſe reconciliant.* Hujus autem reconciliationis forma ſatis dilucidè, licet non integre, deſcripta eſt lib. 7. capitulorum cap. 147. *Omnes publicè pœnitentes quinta feria ante Paſcha, quæ eſt Cœna Domini, ad civitatem in cinere, & cilicio in præſentia Epiſcopi proſtrato vultu conveniant, & ibi ab Epiſcopo canonicè, & ordinabiliter, ſicut in Sacramentario, & in Romano ordine continetur, reconcilientur, atque dijudicentur, conſolenturque, & prædicentur, quid deinceps agere, quidve vitare debeant; inſtruantur, atque inſuper divinis precibus per manus impoſitionem ab Epiſcopo ſanentur.*

Quod autem hac die competenter pœnitentes Eccleſiæ reſtituantur: & quare? Vide Rupertum Abbatem de divin. offic. lib. 5. cap. 19. Feria quinta in Cœna Domini, quoniam partim lætarum, partim triſtium variatur commemoratione rerum, & ſecundum utriusque habitus, lætitiæ ſcilicet, & triſtitiæ diſtantiam, regularium quoque officiorum, & Miſſæ diverſas & penè contrarias continet qualitates. Hoc procedit, cum dicta feria quinta, qua ſumus regenerati, ſacramenta unius ejusdemque ſalutis partim nos deprimunt in triſtitiam, partim levant in gaudium: ut pro una ſalute edita valde diverſo cultu, vel habitu celebrentur myſteria. Rupert. Abbas de divin. off. lib. 5. cap. 14. Solennis fit Miſſa ejusdem diei, quia tunc primum officio ſui ſacerdotii functus eſt Chriſtus, finem imponens Sacerdotio veteri: & poſt eſum Agni typici ſe ipſum, qui eſt verus Agnus, Deo Patri ſuis offerens manibus, ut inquit Apoſt. Hebr. 9. *Non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit*

ſemel

semel in sancta, æterna redemptione inventa. Ideo quisque Pontifex quidquid sui est officii, debet hac die de integro perficere; itaque pœnitentes Ecclesiæ restituit, oleum benedicit, Chrisma conficit, quo signati testimonium accipientes Spiritus sancti, dicimus Deo: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Rupert. Abb. d. lib. 5. cap. 15. & quare hac ipsa die Chrisma consecretur? Vide Rupert. Abb. d. lib. 5. cap. 17. Similiter qualiter hodie fiat Lotio pedum, & maximè à Prælatis? idem Rupert. d. lib. 5. cap. 20. & seq. Nudantur etiam tunc altaria; quia Christus vestimentis fuit eo tempore spoliatus. Durantes de Ritibus eccles. lib. 1. cap. 15 num. 9.

Fuit in Aphrica priscus mos, licet antiquatus, celebrandæ sacræ Liturgiæ post Cœnam ipsa feria quinta, ut in Concilio Carthaginensi 3. cap. 29. ibi. *Ut sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Ut nos etiam diximus supra in cap. 9. de antiq. Missæ ritibus.

De Parasceve, & Sabbato Resurrectionis.

De die Parasceve quæritur, quare Missarum solenniis vacet, cùm Passio Dominica, quæ hac die celebrata est, sacrificii principium, nostræque salutis summa sit? Si enim Martyris cujuslibet annua dies, qua per passionem mortis ad imortalitatis gloriam transmigravit, festivis honoratur gaudiis; quia ut in Ps. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus:* Cur dies hæc solennium gaudiorum orbata est instrumentis? qua Redemptor noster paradisum aperuit; ut etiam dixit Latroni. Præterea Apostol. Galat. 6. inquit: *Gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*, & in gratia tanti pretii pro nostra redemptione gaudiis exultare. Sed respondetur, quod aliqua sint, quæ gloriam hanc, & exultationem nostram nimirum obnubilent: nempè, quod charitas sanctissimæ Trinitatis Deum, & hominem morti nihil debentem, morti addixit, ut inquit Apost. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* ut merito condolere debeamus, quod tanto Domino tormentorum, & mortis causa fuimus: siquidem non gaudere, ingratitudinis: non dolere, crudelitatis est. Ac etiam hac die gaudere Judæis relinquimus, & nos contristamur. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 6. cap. 2.

Utriusque diei Parasceves, & Sabbati rigidum jejunium sic præscripserunt Apostolicæ constitutiones lib. 5. apud Anastasium Nicenum, & in vulgaribus constitutionibus lib. 5 cap. 17. & 81. his verbis; *Reliquis diebus ante sextam feriam edite hora nona aut vespere, aut pro ratione virium, ut quis potest; Sabbato autem usque ad galli cantum jejunium producite.* Veteres Christiani tantam in his diebus adhibuerunt abstinentiam, ut hoc prolixiori jejunio, & aliquid specialius agerent, & dolorem, qui in cordibus discipulorum Christi fuerat illo die, plenius indicarent. D. Augustinus epist. 86. ad Casulanum: *Equidem licet Græci, & omnes Orientales Sabbatis nunquam jejunarent; unum tamen Sabbatum magnum Paschatis semper exceperunt.* Divus Ignatius ad finem epist. ad Philippenses, & habetur in can. 90. Concilii Trullani, ubi Balsamon inquit: *Magni Sabbati jejunium aliis Christi passionis, seu hebdomadæ sanctæ diebus longè præstantius est, propter Christi sepulturam; & propterea religiosiores toto Sabbato usq; ad horam sextam noctis in Ecclesiis assident, & illa hora sexta divinis sacramentis communicantes panem, & aquam gustant, fortasse autem, & modicum vini.*

Trium noctium Vigiliæ, quæ in Hebdomada majore inusitato ordine decantantur, & in tenebris consummantur: denotant exequias triduanæ mortis Domini. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 5. cap. 24. Candelæ ibidem extinguuntur, quoniam mortuo Domino tenebræ factæ sunt super universam terram: ac etiam significant excæcationem Judæorum, qui Christum occiderunt. Rupert. Abb ubi supra cap. 26. Rectè hac nocte Sabbati celebratur Baptismi Sacramentum, quo constanter adversus victi diaboli potestatem eunt Sacerdotes nostri, tanquam legati victoriosi Regis Christi, titulosq; victoriæ proferentes, victi abrenunciationem, victorisque ab hominibus exigunt professionem; ut per Baptismum cum Christo injustæ morti addicto morientes ultra mori non debeamus; quoniam nos duplam, scilicet animæ & corporis, mortem debentes, Baptismi subimus remedium. Nunc ego spiritus præsentem accepimus in Baptismo justificationem, futuræ vero immutationis spem: nam vita & justificatio spiritus, quo in Baptismo reviviscimus causa efficiens erit in Resurrectione ut immutemur, i. e. impassibiles simus. Rupert. Abb. de divin. offic. lib. 6. cap. 33 & seq.

De die Pascha.

Paschale festum apud Græcos dicitur quodlibet festum in honorem Salvatoris institutum. Pascha etiam vocatur ipsa Quadragesima. Timotheus Patriarcha Alexandrin. interrog. 8. quod hæc digna sit ad Paschæ festivitatem præparatio, ut eleganter D. Chrysost. homil. de jejunio primæ Paschæ.

Paschæ diem vocant Apostoli *Primam Dominicam*; *Primum Pascha*, ad discrimen cæterarum festivitatum, quibus Paschæ nomen Græci attribuebant. Dicitur Pascha *Dies Regalis*, ex D. Ignatio: *Omnium dierum supremum: Magna Dominica: Magnum Paschatis Dominicum.* Ut latè Filesacus de Quadragesima cap 16.

Solennis Paschæ festivitas, quo die celebranda esset in Occidentis partibus, ab Ecclesia Romana discebatur, quæ in Aretalensi Concilio I. cap. 1. *De observatione Paschæ Domini, ut uno die & tempore per omnem orbem observetur, & juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.* Forte de tollenda illa celebrandi Paschatis varietate hic agebatur, quæ satis pertinaciter apud Orientis, & Occidentis populos retinebatur; unde tempestate contentionis serenitas charitatis obnubilabatur, quæ tandem Concil. Niceno I. sublata est, ut etiam supra dixi.

Die vero Epiphaniorum denunciabatur festivitas Paschæ, quæ esset proxima; ita Cassianus in Collationibus, & in Galliis Concilium Aurelianense 4. cap. 1. sic meminit: *Pascha festivitas annis singulis ab Episcopo Epiphaniorum die in Ecclesia denuncietur*; Ut etiam in Concilio Toletan. 4. cap. 4.

Sanctum Pascha cum tota hebdomada feriandum indicit Concilium Lugdunense cap. 4 ut refertur de Consecrat. distinct 3. cap. pronunciandum: At verò hebdomadæ Paschæ dies priores majori in veneratione habitos, quam sequentes, habetur in Concilio Maguntin 36.

Ecclesia olim annum incepit à die Paschæ. Cujacius titulo de Feriis ad cap 1. & 2. decret. Scaliger lib. de Emendat. tempor. cap. de diebus. Etenim duplicem fuisse annum, naturalem à Calendis Januarii; alterum, Ecclesiasticum à die solenni Paschæ: Non aliter quam apud Hebræos, quibus annus erat Ecclesiasticus, idemque Civi-

Civilis, qui mense Martii inchoabatur, quo Pascha celebrabatur, Exod. cap. 12. Alter anaus Naturalis, cujus exordium à mense Septembris ducitur, Ezechiel. cap. 40.

CAP. LXIII.

De Vigiliis, & aliis Ecclesiæ Jejuniis: Ac etiam De Operibus Supererogationis.

LAudantur & commendantur à priscis Patribus Jejunium & Abstinentia, ex quibus inter cætera præconia illud maximè effert S. Chrysost. homil. in Genes. *Abstinentium & jejunantium animas, quasi pennas producere, ut in sublime ferantur, summa contemplari queant.*

Tantaque religione prisci Christiani jejunia sectati sunt, ut de illis referat Tertull. *Nos jejuniis aridi & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus.* Et Lucianus in Philop. licet impius Apostata, inquit, sic solitos fuisse servare jejunium *Ut decem soles sine cibo transigerent.* Et S. August. de Morib. Eccles. inquit: *Romæ jejunia prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidiè semel sub noctem reficiendo corpus; quod est usquequaque usitatissimum; sed continuum triduum, vel amplius sine cibo, & potu ducere, neque hoc in viris tantum; sed etiam in fœminis.* Quippe quia nunquam melius superni Judicis ira placatur, quàm cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria jejunio extinguuntur.

Nec à cibis tantum, sed etiam à voluptatibus, pii Fideles jejunabant. Et ne plurimos congeram: Petrus Damianus epist. ad Agnetem Augustam scribit: *Jejunium Regina tuum multiplex est; nos enim aliquando jejunamus à cibis, sed tu jejunas à purpura, jejunas à Corona, atque à quotquot magnificis imperialis gloriæ pompis.* & subdit: *His enim abstinere non immerito jejunium nuncupatur, quibus utique mens, tanquam carnalis delectabiliter pascitur.*

Quo vero ad particularia Ecclesiæ jejunia, præter illud quadragesimale (de quo in cap. præcedenti) ex Apostolica traditione, Hieronym. ad Marcellam his verbis, *Nos unam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolicam toto anno tempore nobis congruo jejunamus.* Et S. Leo de eodem jejunio serm. 9. de quadrages. inquit. *Merito à sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus sancti majora sunt ordinata jejunia; ut per commune consortium Crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos egit, ageremus.*

De vigiliis.

Extant etiam Jejunia, quæ respiciunt vigilias dierum festorum, ex quibus facile est agnoscere priscam Ecclesiæ praxin, cœptam jam ab Apostolorum temporibus. Et præter deducta in antecedenti capitulo: constat hoc etiam ex Menologiis Græcorum, Martyrologiis Romanis, sicut ex homiliis sanctorum Patrum in vigiliis Sanctorum; utpote D. August. habet sermonem in vigilia S. Joan. Baptistæ, ac etiam in vigilia SS. Petri, & Pauli, S. Bernardus habet sermonem in vigilia Nativitatis Domini, in vigilia SS. Petri, & Pauli, in vigilia S. Andreæ &c. Nuncupabantur

Vigiliæ, quoniam Fideles pertransibant noctes, quæ præcedebant solennibus festis, vigilantes in orationibus, hymnis, spirituali lectione, & aliis piis officiis unà cum jejunio. Nec non appellabantur *Lucernariæ preces, seu gratiarum actiones*; ut per Basilium, Epiphan. Cassianum, & alios relatos à Baron. in ann. 51. ubi Spondanus num. 20. Et hujusmodi sanctæ congregationes fiebant in Ecclesiis, Oratoriis, & Monumentis sacris, quæ illi appellabant *Limina, Memorias, Oratoria*.

In quem modum perseveravit diutius ille usus, ut non Clerici tantum, sed & populus simul in Ecclesia laudes Deo canerent: tamen id mutatum videtur, quòd laici perdifficile se continerent in officio; ut non voce rhythmum, & in statu corporis decorem satis decentem servarent; prout queritur pluribus, cum populum de ea re objurgat, Joannes Chrysost. homil. 1. in Isai. Ac etiam de antiquissimo hujusmodi usu in Ecclesia sacrarum Vigiliarum: & hunc etiam temporibus Ambrosii, & Augustini auctum non sublatum, ut aliqui dixere, tradit Baron. in dicto ann. 51. ubi Spod. num. 20.

De quatuor temporibus.

Quo ad jejunium, quod dicitur *Quatuor tempora*: satis patet, Judæos quatuor præcipua habuisse jejunia, nempe, Quarti, Quinti, Septimi, & Decimi mensis. Zacharias cap. 19. *Jejunium Quarti, & jejunium Quinti, & jejunium Septimi, & jejunium Decimi erit domui Juda in gaudium, lætitiam, & in solennitates præclaras.*

Jejunium Quarti habebatur in memoriam fractarum tabularum. Exod. cap. 32. vers. 19. *Iratusque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.*

Jejunium Quinti: quoniam Templum, & Urbs Hierusalem fuerant combusta primum à Chaldæis, ut in lib. 4. Reg. cap. 25. vers. 9. & 10. postea diruta etiam eadem à Romanis. Ac etiam, quoniam eodem tempore annunciatum fuit Moysi, quod ex his, qui secum Ægypto fuerant egressi, terram promissam nemo ingrederetur præter Josue & Caleb, ut legitur in Num. cap. 14. vers. 23. & 24.

Jejunium Septimi: quoniam tunc Godolias, & qui cum eo erant Judæi, & Chaldæi, fuerunt occisi in Maspha, ut in 4. Reg. cap. 15. vers. 25. & Hierem. cap 41. vers. 2.

Jejunium Decimi: quoniam Rex Babylonis congregabat tunc vires suas, ut aggrederetur Hierosolymam: Et de hoc jejunio loquitur D. Lucas in Act. Apost. cap. 17. vers. 9. *Cum jam non esset tuta navigatio, eo quod jejunium jam præterisset:* nempè, quod hyems jam in Decembri augebat.

Hinc est, quod prædicto Judæorum ordini conformis quoque sit ritus Catholicæ Ecclesiæ; & propterea indicitur jejunium Quatuor anni temporibus, videlicet, in Hyeme, Vere, Æstate, & Autumno; ut annus in omnibus suis partibus Deo consecretur, à quo æternam speramus nos felicitatem consequuturos. S. Athanasius in Apolog. de fuga sua, meminit jejunii Pentecostes, quod unum est de prædictis. & S. Leo serm. de sancto jejunio septimi mensis sic inquit. *Cui medicinæ, Dilectissimi, cum omne tempus sit congruum, hoc tamen habemus aptissimum; quòd & Apostolicis, & legalibus institutis videmus electum; ut sicut in aliis anni diebus, ita in mense septimo spiritualibus nos purificationibus emundemus*, & infra. *Ideo enim ipsa continentiæ observantia, quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere*, & idem S. Leo serm. 8. in Jejunio men-

mensis decimi: *Hujus observantiæ utilitas, Dilectissimi, in Ecclesiasticis præcipuè est constituta jejuniis, quæ ex doctrina Spiritus sancti, ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus.* Et de hoc eodem jejunio Quatuor temporum in Ecclesia antiquissimo, refert etiam Card. Baron. ad ann. 57. ubi Spond. num. 62.

De Abstinentia.

Præter Jejunia, Abstinentiam quoq; servabant prisci Fideles, de qua Paulus ad Romanos scribens cap. 4. inquit: *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum:* modo tamen abstinentia referatur in Deum; juxta id quod paulò ante dixerat, *Qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo.*

De Petro Apostolo Gregor. Nazianz. orat. de Amos Propheta ait, ipsum lupinis minuto asse venentibus famem pellere consuevisse. De Jacobo fratre Domini, nec carnes unquam in cibum, nec vinum in potum adhibere solitum fuisse. Ægesippus apud Euseb. Nissenum lib. 2. cap. 22. De Matthæo etiam hæc eadem Clemens Alexandr. in Pædag. lib. 2. his verbis. *Matthæus Apostolus seminibus, baccis, & oleribus absque carnibus utebatur.*

Quo vero ad Abstinentiam in die Veneris cujuslibet hebdomadæ: porro cum hæc sit in memoriam passionis Filii Dei, nec non immensi beneficii Redemptionis nostræ, non est in hoc multum inquirendum: & habebatur jejunium hac die Veneris totius anni, præter illum, qui incurrit in die Natalis Domini: Epiphan. in compend. Restat solum agnoscere antiquum Ecclesiæ ritum circa dies Mercurii, & Sabbati: etenim die Mercurii habitum fuit Concilium de occidendo Christo, qui vitam nobis contulit: & die Sabbati jejunatur in memoriam sepulturæ, descensus ad Inferos, ac propter mœrorem, & dolorem sanctissimæ Matris, ut propterea Epiphan. in sua compendiaria doctrina inquiat. *Quarto verò, & pro Sabbato jejunium statutum est, usque ad horam nonam:* nempe, ut die Mercurii, & Sabbati usque ad horam nonam protrahatur jejunium: & Tertull. de jejuniis advers. Psychiens. cap. 14. *Cur stationibus Quartam & Sextam Sabbati dicamus, & jejunii Parasceven?*

S. Hieron. interrogatus an expediret Sabbato jejunare & recipere Eucharistiam quotidie? respondet in epistola 28. ad Lucinium, respiciendam loci consuetudinem. *De Sabbato quod quæris, utrum jejunandum sit: Et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia, & Hispaniæ observare prohibentur, &c. Illud te breviter admonendum puto, traditiones ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiant, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti; atque utinam omni tempore jejunare possemus.*

Ac etiam cum in Aphrica, Oriente, ut quoque Romæ, consuetum esset Sabbato jejunare, non solum in abstinentiam qualitatis ciborum, verum & in quantitate eorundem: & cùm Monica D. Augustini mater Mediolanum pervenisset, ac eadem timeret ibidem infringere jejunium die Sabbati, quod Romæ viderat observari: De hoc scribens Divus Augustinus Januario epistol. 118. inquit: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato; cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva; si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi: hoc*

cum

cum matri renunciassem, libenter amplexa est. Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui tanquam eam cœlesti oraculo susceperim. Et de hoc jejunio Quartæ, Sextæ Feriæ, & Sabbati refert Baronius ad annum 57. ubi Spond. num. 59. & 60. & quoties in Dominicum diem privilegium incideret: præcepit Innoc. III. Sabbato jejunandum, ut ex Annalib. Ecclesiast. Raynaldi tom. 13 an. 1204. n. 68.

Successu temporis cum diminueretur devotio una cum sæculorum revolutione, opportunum fuit visum Ecclesiæ, indulgendo hominum infirmitati, commutare jejunium in abstinentiam, & quod in quarta feria, nempe die Mercurii, servabatur, immutare in Sabbati observantiam.

Præterea permisit Innocentius IV. ut Græci in diebus Sabbati Quadragesimæ, præter Sabbatum sanctum non jejunent, ut ex Annalibus Ecclesiasticis Raynaldi tom. 13. anno 1248. num 49. Sola autem Dominica dies à Jejunio exempta est, idq; religionis causâ: quia cum diem sine luctu celebrari convenit, nimirum Dominicæ Resurrectioni consecratum: Quod & Apostoli sanxerunt, quorum constitutio inter cætera illud quoque habet: *Qui affligit animam suam in Dominica, male ictus est Deo*, testis Epiphanius lib. 3. tom. 1. contra Hæreses. Olim etiam ad vitandum scandalum, in Dominica non jejunabant Catholici, ne scilicet Manichæorum hæresin, & ritum amplecti viderentur, qui suis auditoribus ad jejunandum istum, tanquam legitimum diem constituerunt. Quapropter contra Manichæos in Canonibus Græcarum Synodorum constitutum reperitur can. 57. *Si quis Presbyter publica pœnitentia à Sacerdote accepta, ut aliqua necessitate die Dominica pro quadam religione jejunaverit, sicut Manichæi, anathema sit.* & in Decretis Melchiadis Papæ, *Jejunium Dominicæ diei & quintæ feriæ nemo celebrare debet &c.*

Qualiter prohibitæ carnes?

Impugnatur distinctio ciborum per Hæreticos, cùm Deus in lege scripta non respuat alias carnes, quàm de quibus in Levit. cap. 11. vers. 2. 3. & 4. *Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ: Omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis: quicquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, sed non dividit eam, sicut & camelus, & cætera, non comedetis illud*, & infra. *Omne quod habet pinnulas, & squamas tam in mari, quam in fluminibus & stagnis, comedetis, &c.* Similiter in Act. Apost. cap. 10. dictum est Petro per visum. *Occide, & manduca omnia quadrupedia, serpentia terræ & volatilia cœli*: & alia similia loca iidem Hæretici adducunt, quæ contra Catholicum abstinentiæ ritum non loquuntur.

Quoniam non solum Jejunium, verùm & Abstinentia, & Distinctio ciborum sunt maximè Deo grata; nec ulla in his est superstitio, cum ab Ecclesia ordinata hæc fuerint: nec de potestate illius ambigendum, ut valeat ipsa hæc decernere ad præceptum in conscientia, ut nos supra diximus. Hinc D. Hieron. contra Jovinianum lib. 1. cap. 10. qui ciborum distinctionem reprehendebat, & objiciens permissionem à Deo homini factam post diluvium circa comestionem carnium, sic inquit. *Quod autem nobis objicit, in secunda Dei benedictione comedendarum carnium, licentiam datam, quæ in prima concessa non fuerat: Sciat quomodo repudium juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur; sed propter duritiam cordis nostri per Moysen huma-*

humano generi concessum est: sic & esum carnium usque ad Diluvium ignotum fuisse; post Diluvium verò, quasi in eremo murmuranti populo coturnices: ita dentibus nostris nervos & virulentias carnis ingestas, &c. Postquam autem Christus venit in fine temporum, & extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur. Hæc D. Hieron.

Ac præterea, quamvis esus carnium fuerit permissus à Deo; nihilominus contraventio divini præcepti, ac etiam inordinatus appetitus earundem carnium est reprehensibilis. Hinc D. August. tract. 73. in Joannem. *Non est malum carne vesci, cum de hac re loquens Apostolus dicat: Omnis creatura Dei bona est; & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione accipitur: sed quia sicut idem ipse ait: Malum est homini, qui per offensionem manducat; & si per hominis offensionem, quanto magis Dei.* Et paulo post: *Sed ut sciremus non Dei creaturam culpabilem, sed inobedientiam contumacem & inordinatam cupiditatem: non propter porcum, sed propter pomum, mortem primus homo invenit: Et Esau primatum suum non propter gallinam sed propter lenticulam perdidit.*

Et Fulgentius Ruspensis Episc. de fide ad Petrum cap. 3. in fin. in illa verba 1. Timoth. 4. *Quia omnis creatura Dei bona est*, inquit: *Ideoque servi Dei in eo, quod à carnibus, & vino abstinent: non tanquam immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur.* Et idem Fulgent. cap. 42. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; & Dei servos, qui à carnibus, & vino abstinent, non tanquam immunda, quæ facta sunt, respuere, sed à fortiori cibo, & potu pro sola castigatione corporis abstinere.*

Ex prædictis infertur, ut non coinquinet animam, quod intrat in os; sed contraventio præceptorum Ecclesiæ: etenim cum sint quædam peccata in tantum mala, quia sunt prohibita, nempè operari cum mercede diebus festivis, &c. sunt autem & alia peccata ex se de sui natura semper mala, nempe occidere, adulterari, &c. infringere autem jejunium, seu abstinentiam ciborum, sunt mala solum in primo capite: siquidem Ecclesia Dei sponsa, & nostra Mater potuit in hoc nos sub peccati pœna obligare, &c.

De operibus supererogationis.

Præter Vigilias, abstinentias, & opera imperata, & necessaria ad salutem, ut diximus: sunt etiam opera libera, & supererogationis Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, & si vis esse perfectus:* dicit Christus ut *mandata serventur:* ad perfectionem consuluit *omnia vendere, ipsum sequi.* Ergo sunt opera aliqua Deo gratia, ad quæ tamen nulla lege, aut præcepto adigimur: quemadmodum absque his ad vitam ingressus nobis patet: sed cum his Deo gratiores erimus; *opera enim eorum sequuntur illos.* Ibidem Christus docet esse quosdam Eunuchos, *qui se castraverunt propter regnum cælorum.* Eadem sententia est 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit:* nempe ut hic Deo magis placeat, eidemq; in terra eo modo constituatur amplior merces; quamvis talia opera ad perfectionem valentia non necessaria quidem sint, sed salubria, hinc Augustin. ad Hilarium epist. 89. inquit:

Magister bonus mandata legis ab ista excelsiore perfectione distinxit: ibi enim dixit. Si vis venire ad vitam, serva mandata, hic autem: si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes. Et quod jejunium Quadragesimale necessarium satis differat à cæteris jejuniis voluntariis, D. Ambros. serm. in Quadrages. Dominicæ primæ inquit: *Sicut reliquo anno jejunare præmium est: ita in Quadragesima non jejunare peccatum est: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa invitamur, ad ista compellimur.* & August. serm. 62. de tempor. *Aliis diebus jejunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non jejunare peccatum est.* Simile occurrit in eleemosynis erga egenos: esto quod in iis suprema egestate pressis teneamur ex lege illos sublevare: erga cæteros autem non necesse ad salutem, ut sis munificus. 2. Corinth 9. conferat eleemosynas; *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.*

Atqui hæc intelligit sacrosancta Ecclesia per supererogationis opera, in quæ sæva, & effusa audacia irascuntur sectarii, quibus similia sunt Religiosorum vota Castitas, Obedientia, & Paupertas, macerandæ carnis artes, jejunia, flagella, cilicium; alendi spiritus ratio; multæ eleemosynæ; frequens oratio; frequens communio; abdicatio voluptatum; & quæ cætera vel pietas invenit, vel suggerentur ex tempore, ut pulchrè D. Hieron. ad Eustoch. *Memini me clamantem diem crebrò junxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, donec rediret Domino impetrante tranquillitas.* O ubi nostræ preces? ubi constantia in illis?

Intueamur veteres eremi cultores, Virginum agmina, Martyrum integros exercitus; & nos vitamque nostram: aut illi; aut nos fatui: nam si per convivia, purpuram, divitias, honores, delicias omnis generis via ad cœlum patet; quò Martyrum sanguis, Virginum continentia, Confessorum labor, & unum vita tota continuata serie martyrium? & multos in his reperiemus è Regio sanguine, prima nobilitate, summa eruditione, maximis opibus. Et ut alios taceam, excutiamus Davidem: videamus illius post delictum pro potu lachrymas, pro pane cinerem, pro lecto pulverem, pro purpura saccum: & quem sequuti nos sumus non semel delinquentem, sequamur pœnitentem, & delictorum veniam inde speremus. Non ne ad crucem singulos Christus invitat? aut alia ad hoc via, quam illa, quam prior ipse calcavit, & per quam præmia spopondit? Etiam in humanis, ubi nulla lucta, nulla victoria; hanc qui sustulit, etiam præmia sustulit. Et illi Apostolo teste, ut corona peritura cingantur: nos æternam cogitantes, non majora meditabimur? meminerimus verborum Christi apud Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Aliud qui cogitat, fallitur: & supererogationis opera maximè indè exoptanda.

CAP. LXIV.
De Libero Arbitrio.

Magna fuit inter Ethnicos Philosophos, & Hæreticos controversia, quod humani successus fatalitate, vel necessitate penderent, ut voluit Heraclitus. Gratiæ auxilium damnarunt Manichæi, & omnia ad liberam voluntatem redegerunt Pelagiani: Ad siderum influxus omnia referebant Priscillianistæ: Alii peccatum

absolutè

absolutè dependens à Deo: alii in totum à Dæmone procedere, & alia ejusmodi deliria dixere.

Summa Dei Sapientia, & ipsamet veritas non privavit hominem libero Arbitrio. Ecclesiasticus cap. 15. vers. 14. & 18. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: Ante hominem vita, & mors; bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* & idem Ecclesiasticus cap. 31. vers. 8. *Beatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris: Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua: Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit, &c.* Et in Deuter. cap. 30. vers. 19. Moyses loquutus est populo, postquam tradidit ei legem. *Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem; benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut tu vivas, & semen tuum.* & in lib. Josue, loquutus est Josues cap. 24. vers. 14. & seq. *Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfecto corde, &c. Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur; eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis. Ego & domus mea serviemus Domino.*

Et Christus Redemptor noster volens inferre liberum Arbitrium homini traditum, dixit Juveni desideranti salvari: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* & idem Christus plorans supra Hierusalem, Matth. 23. vers. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat Gallina pullos suos sub alas, & noluisti?* & apud Lucam. cap. *Regnum Dei intra vos est.* Quæ Christi verba in hunc sensum liberi Arbitrii citat Irenæus lib. 4. advers. hæres. cap. 72. & Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 52.

Sed quo hæc Christi vocatio, si sit in damnationem? non vocantis, sed renuentis vitio: infortunata vocatio, quæ vocati negligentia, facta est in pœnam. At contra, Beati qui provocantur in gaudium, qui associati sunt nuptiis Agni, ad quos etiam illa videntur dicta Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

Sed perpendamus quæso, quantum deferant prisci sancti Patres Libero Arbitrio.

Sanctus Clemens reprehendens Simonem Magum, qui negavit liberum arbitrium lib. 3. recognit. ex persona sancti Petri sic inquit; *Sed dic, quomodo ergo Deus judicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, convulsa sunt omnia, frustra erit studium sectandi meliora: sed & judices sæculi frustra legibus præsunt, & puniunt eos, qui male agunt: non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent: vana erunt & jura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt: miseri & hi qui servant cum labore justitiam: Beati vero illi, qui in deliciis positi cum luxuria, & scelere viventes tyrannidem tenent.* Hæc S. Clemens.

Justinus Martyr quæst. 103. Gentilibus respondet. *Voluntate ad possibilia utimur, non ad impossibilia. Nam operibus, quæ possibilia sunt, & in potestate nostra sita; si vel fiant, vel non fiant, aut laus debetur, aut vituperium: eo autem, quod non velimus; non eo, quod non possumus, omnes peccamus homines, &c.*

Clemens Alexandrin. lib. 1. stromat. *Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habet liberam potestatem, & appetendi, & aggrediendi, sed sit vitium involuntarium.*

Origen. hom. 12. in Numer. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus poscit à te? Erubescant illi hæc verba, qui negant in homine esse liberum arbitrium: Quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscente Deo deberet offerre?* & idem Origen. homil. 20. in Numer. *Sui arbitrii est anima, in quam voluerit partem, est ei liberum declinare; & ideo justum Dei judicium est, quia sponte sua, sive bonis, sive pessimis monitoribus paret.*

Euseb. Cæsariens. lib. 6. de præparat. Evangel. cap. 5. *Unicuique rationali animæ liberum arbitrium natura inest; bonum ergo id ad eligenda bona creatum. Ideo quando male agit, non est natura culpanda: non enim natura, sed præter naturam malum agitur, cum sit electionis depravatæ, non naturæ opus.*

S. Basilius homil. quod Deus non est auctor malorum. *Unde anima mali capax est? Quomodo libero facta est arbitrio, quod creaturæ rationali maximè participi conveniebat; solutam enim hac omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accepit.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 4. de anima, inquit; *Anima sui juris, suique arbitrii est, & Diabolus eam solicitare, fallereque potest; at cogendi, nisi velit ipsa, potestatem non habet: suggerit tibi scortationis cogitationem; si velis, admittis; si nolis, non admittis: si enim necessitate scortaris, quamobrem Deus gehennam paravit?*

Gregor. Nazianz. apologet. 1. inquit; *Quod etiam ipsum summæ, ac singularis Dei bonitatis argumentum est, nimirum facere, ut virtus nostra quoque aliqua ex parte sit, nec natura tantum nobis inseratur, sed etiam per voluntatem, liberique arbitrii in utramque partem agitationem excolatur.*

Chrysost. homil 60. in Matth. *Cum autem necessitatem dicat, non quia potestatis libertatem, potestatemque liberi arbitrii tollat; nec quia necessitati rerum humanam subjiciat vitam, hoc dicit; sed quod omnino venturum est prænuntiat, quod Lucas aliis verbis expressit; Impossibile est, ut non eveniant scandala.*

Tertull. lib. 2. advers. Marcionem cap. 5. *Liberum & sui arbitrii, & suæ potestatis invenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam.*

S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum cap. 2. in eodem themate, quod nos non trahamur necessitate ad vitium, seu ad virtutem, inquit; *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur: Alioquin ubi necessitas est nec damnatio, nec corona est.* & idem ad cap. 5. Matthæi. *Si præcepta Dei custodiens; filius quis efficitur Dei; ergo non natura filius, sed arbitrio suo.*

S. Augustin. lib. 1. de libero arbitrio cap. 16. inquit; *Quid quisque sectandum, & amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit, nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate.* & idem in lib. de Gratia, & libero

bero Arbitrio, cap. 15. *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* & idem in lib. de vera Relig. cap. 14. *Nunc vero peccatum usque adeo voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; & hoc quidem manifestum est, &c.*

Quamvis auctoritates prædictæ tanti sint ponderis; aliqui tamen majori forsan ignorantia, quàm malitia, cogitant, quod deferre libero arbitrio, sit tollere Dei præscientiam, ac etiam diminuere divinam gratiam; ac etiam, quod sacra testatur Scriptura, ut omnia mala in Civitate comminetur Deus. Quo ad præscientiam respondet D. Augustinus lib. 5. de Civitate Dei, cap. 10. his verbis: *Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, & veraciter confitemur: illud, ut bene credamus: hoc, ut bene vivamus.* & paulo post. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat; qui ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare voluerit, hoc ipse etiam præscivit.*

Præscientia Dei.

Et circa hujusmodi Patrum auctoritates, deferatur liberum arbitrium in homine, sed non detrahatur auxilium Gratiæ Dei; ut inquit Joann. cap. 6. ex persona Christi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Unde D. August. lib. Meditationum cap. 4. tom. 9. ait: *Et nisi prævenerit Deus miserando impium, non est quod glorificet pium.* & ita concilientur duæ extremitates Manichæorum, & Pelagianorum, ut refert idem S. August. epist. 47. ad Valent. *Quantum ergo potuimus, egimus cum istis & vestris & nostris fratribus ut in fide sana, Catholica perseverent: Quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum.*

Gratia.

Quatenus autem supponant sectarii Deum non modo permittere, sed velle peccata: malitiam non ab homine productam, sed habere Deum auctorem: ac Deum operari peccatum per hominem; & alia similiter impiè dicta. Quibus respondetur, quod *Deus intentator malorum sit*; nec in istis aliæ ejus partes, quam vel ob eorum mortalium anteacta scelera, vel ob divini judicii dispensationem arcanam ac justam, ita recedit; ita gratiæ suæ lumen ab indignis abscondit; ut deinde justè ac merito suæ fragilitati relicti, in scelera impingant, quæ vitare quidem possint, at nolint: quæque illis ad damnationem sint, Deo autem ad probationem bonorum, & ad misericordiæ aut judicii sui lucem, & denique ad humanarum rerum ordinem. Itaque indurasse dicitur cor Pharaonis, ubi aliam gratiam non concessit; quàm qua uti homo poterat uti, & qua tamen uti noluit; qui injuste quidem peccavit, sed Deo nolente. Quin imo tam peccatoribus, quam peccatis, Deus ad gloriam suam utitur, qui solus ex malis bonum facit. Pharaonis cum Moysi lucta miraculis causam dedit: Judæorum scelere victima Patri oblata, & inde fidelibus salus; & similia.

Deus non privat libero arbitrio.

Quod autem spectat ad Gratiam, S. Chrysostom. epist. de Adam & Heva inquit; *Auxilio & munere Dei liberum arbitrium non tollitur, sed liberatur; ut de tenebroso*

Gratia nõ tollit liberum arbitrium.

nebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Et S. Leo IX. epist. ad Petrum Antiochen. inquit; *Gratiam Dei prævenire & subsequi hominem, credo & profiteor, ita tamen ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.*

Summum ergo Dei beneficium est liberum arbitrium, per quod, ut expendit D. Hieronym. in epistola ad Damasum de filio prodigo, à cæteris animantibus distamus, & ad exemplum Dei permissum est nobis facere quod velimus, de quo D. Bernard. serm 81. in Cantica sic inquit; *Arbitrii libertas est planè divinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro: quod & summum naturæ nostræ splendorem atque ornamentum adfert; & nullis criminibus aboleri, nullis calamitatibus minui, nulla externa vi labefactari, destruive potest.* Sed ad hæc & similia sectarii eorum perfidia indurati, facti sunt sicut aspides surdæ obturantes aures suas.

CAP. LXV.

Quod Fides absque Operibus non valeat justificare.

NOn est novum in præsentia, quod homines impii abutantur verbis sacræ Scripturæ: siquidem August. lib. de fide, & operibus cap. 14. refert quosdam falsos Apostolos immediatè post tempora Christi opera bona reprobasse, ex verbis Apostoli male intellectis in epist. ad Romanos cap. 1. *Justus ex fide vivet:* quod excutiendum (inquit August.) à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant; si ad eam obtinendam, sufficere solam fidem putaverint: bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint, &c.

Simon Magus nominabat præcepta legis, *Injustam servitutem,* ex Irenæo lib. 1. hæres. cap. 20. de Simone Mago: (sic enim ajebat ille) secundum Gratiam salvari homines, sed non secundum opera justa: non enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti: per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines. Quod idem refert Theodoret. de hæretic. fabulis: & Nicetas lib. 4. thesaur. cap. 1.

Eunomius volebat quodlibet, quamvis enorme peccatum, non obesse ei, qui fidem recepisset. Augustin. hæres. 54.

Bigardi (ut inquit Sigebert. in Chron. ann. 415.) dicebant, quod exercere se in actibus virtutum, sit hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes.

Alia plurima sunt, in quibus impiè debacchantur nonnulli, ut genio indulgeant, nec animum in arctam disciplinam cogant; quæ voluptates secludunt, & corporis pondus assidua pietate cogunt ad cœlum: supponentes ex eorum prætensa fide nullum opus meritorium esse: nec propterea orando, meditando, vigiliis, jejuniis corpus emacerando opus esse ad salutem. Sed quæ deliria hæc sint, videamus ex sacro Textu, & sanctis Patribus.

Exclamat Regius Propheta ad Deum in Psalm. 15. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, &*

opera-

operatur justitiam. & in Psalm. 18. *In custodiendis illis retributio multa.* & in Psalm. 61. *Quia reddet unicuique juxta opera sua.*

Christus Redemptor noster apertè testatur mercedem operum, apud Matth. cap. 5. inquit; *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* & infra. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* & paulo post: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.* & idem Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* & Luc. cap. 10. *Hoc fac, & vives.* Joann. cap. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* & Apost ad Romanos cap. 1. *Qui reddet unicuique secundum opera sua.*

S. Jacobus in sua Catholica epistola, cap. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* & infra. *Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* & paulò post. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo; & non ex fide tantum?* & infra. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

Et Divus Petrus in 2. epistola cap. 1. *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Sed omissis aliis sacri textus auctoritatibus, comprobemus hoc idem ex sanctis Patribus, ut non ex fide tantum, sed etiam ex operibus justificetur homo. Etenim Joann. Chrysostom. homil. 9. in Joannem, inquit; *Nolimus igitur, nolimus inquam Dilectissimi, fidem nobis ad salutem satis esse existimare: Nam nisi vitam exhibuerimus puram, & hac cœlesti vocatione digna nos induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur: nihil nos eripiet, quin eodem, quo ille miser, afficiamur supplicio.* & idem Chrysostom. homil. 30. in Joann. *Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in filium credere? minime, non enim omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, &c.*

Hilar. in Matth. Can. 7. ante medium, inquit; *Salus Gentium omnis ex fide est, & in præceptis Domini vita est universorum.*

Ambrosius lib. 2. de officiis, cap. 2. *Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum: habent & bona facta, quia vir justus, & dictis, & rebus probatur.* & idem in cap. 11. Luc. lib. 7. *Sed ne rursus fidei nos studiosos faciat, operum negligentes: perfectionem fidelis viri brevi sermone concludit; ut fide, & operibus approbetur, dicens: Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.*

Et D. Hieron. ad cap. 7. Matth. circa medium, inquit; *Sicut supra dixerat, eos qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos, propter dogmatum nequitiam: ita nunc è contrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem malis operibus destruunt.* & idem Hieronym. lib. 2. in Jovinian. cap. 1. inquit; *Frustra nobis in eo plaudimus, cujus mandata non facimus: scienti bonum, & non facienti illud, peccatum est: quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est. Nec grande putemus, unum Deum nosse, cum & Dæmones credant, & contremiscant.*

Contro-

Confirmantur prædictæ auctoritates ex D. Jacob. in sua epist. cap. 2. vers. 17. quod fides sine operibus mortua sit: & propterea non valeat ex se vivificare.

Ac etiam: *Qui non diligit, manet in morte*; ex epist. 1. cap. 3 ergo absque charitate non potest fides justificare.

Præterea habetur 1. Corinth. cap. 13. *Si habuero tantam fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero: nihil sum.* Ergo fides per se sola non justificat.

Quo vero ad auctoritates sacræ Scripturæ, ut nostra salus à Fide pendeat: Debent illæ intelligi non de sola Fide; sed de ea unà cum operibus.

Nec propterea refragantur in hoc verba Domini ad Magdalenam Luc. 7. *Fides tua te salvam fecit.* Et ad Latronem, cui verè credendo dixit; *Hodie mecum eris in Paradiso:* siquidem respondetur, ut Magdalenæ non defuerit spes, qua confirmata accessit ad Salvatorem: non charitas, quæ prædicatur ibi; *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*: Nec pœnitentia, quia ex dolore commissorum criminum lachrymis rigavit pedes Jesu, & capillis capitis sui tersit. Pariter in Latrone non defuere ad meritum opera; quia ejus fides in hoc patuit, quod Dominum in tormentis positum confessus est: refulsit spes, dum palam edixit; *Memento mei, dum veneris in regnum tuum:* Charitas fuit, quod ei adhærere concupivit: & exercuit pœnitentiæ actus, qui de sceleribus suis conquestus fuerat Luc. 23. *Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus.*

Fidem habuerunt etiã ex his qui non salvantur.

Supponunt etiam Sectarii: illos, qui à Deo & semita salutis deficiunt, veram fidem nullo tempore habuisse: Quod à sacris Scripturis abhorret: *Fecit Joas rectum coram Domino omnibus diebus, quibus docuit eum Jojada Sacerdos:* nec tunc caruit fide. Galatæ, quos *à bono cursu* deflexisse Apostolus scribit, non potuerunt tunc bene vivere, & fidem non habere. Sed nihil insignius Christi verbis; *Refrigescet charitas multorum: qui autem perseveraverit in finem hic salvus erit.* Nec dubium ut hi, quos à charitate abituros, nec perseveraturos Dominus hic prædicit, cœlo potiti essent, ac fidem utique habuissent; si perseverassent, nec à charitate abjurassent.

Omnia opera non esse peccata.

Dum volunt Sectarii, Fidem solam sufficere: pergunt, & omnia hominum opera esse peccata pronunciant: quamvis peccata electorum omnia venialia. Quibus respondemus, quod Deus misericors sit, & veniam peccatis indulgeat, nec peccatis delectetur; imo se multis hominum operibus delectatum: ergo illa opera peccata non erant. Genes. 8. ubi de sacrificio Noe: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Item Genes. 22. ad Abraham: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Quod si tantopere placuit Deo; nec fuisse peccatum dicendum est: Nihil frequentius in scripturis. *Fecit rectum coram Domino: Fecit rectum in oculis Domini: studiosè egisti quod rectum erat: placuit sermo coram Domino, &c.* Et quo ad peccata, quæ sunt mortalia contra divinam legem, pœnam merentur æternam: quæ autem venialia præter Dei voluntatem, post aliquod temporale supplicium veniam merentur. D. Hieron. advers. Jovin. lib. 2. *Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem millia debere, aliud quadrantem: & de otioso quidem verbo, & adulterio*

adulterio rei tenebimur, sed non idem suffundi & torqueri; erubescere & longo tempore cruciari. & D. August. in Enchiridio cap. 71. *De quotidianis autem, levibus brevibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.*

Et dum legitur in sacro textu, quod nos ex operibus non justificemur: Respondetur loqui de operibus ante fidem: seu ante infusionem gratiæ: seu de operibus ceremonialibus legis: seu de his, quæ homo in statu peccati mortalis fecit &c.

Nec dicendum, ut supponunt sectarii, quod per opera nostra obscuretur Christi meritum. Quoniam nos fatemur, impio quidem per Christum peccata dimitti; sed dicimus velle etiã Deum, ac vires tribuere, ut id propriis operibus consequamur: nec propterea Christi meritum obscuramus, sed extollimus, qui docet non solum omnia operari, ac producere, sed etiam rebus creatis vim operandi, ac producendi similia confert: nihil enim est, quod magis declaret excellentiam & perfectionem causæ, quam si non solum ipsa possit operari, sed etiam aliis vim operandi tribuere: ex quibus plerique Patrum ac Theologorum tradunt, & explicant, applicationem meritorum Christi fieri per opera nostra: unde ex epist. Jacobi cap. 2. *Si fides non habet opera: mortua est in semetipsa.*

Christi meritum non obscuratur per nostra opera.

Contremiscant ergo & paveant sectarii de mendacio in eorum præsumpta fide: Quoniam ex Psalm. 30. *Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.* Nil dico, nisi, moriendum: forsitan & hoc momento. Cogitent hic secum sectarii, quantum referat ad salutem bene & malè operari: quem vellent morte jam jugulo insidente imitatos fuisse, Christum, an pravorum suorum dogmatum authores? De æternitate res agitur: & cogitent.

CAP. LXVI.

De Funeribus priscorum Christianorum.

Diximus in libro de prophanis Romanorum Ritibus, ac etiam in alio libro de Ægyptiorum Ritibus, satis prolixè de Ethnicorum Funeribus; nec in præsenti, cum de Christianorum Ritib. tractemus, ullatenus prætermittam ostendere, quanto studio invigilaverint prisci Fideles nascentis Ecclesiæ (Ethnicis tunc sævientibus) in Defunctorum obsequio, & Martyrum præsertim, ut eorum corpora sepulturæ mandarent; adeo ut ea etiam magna pecunia mercarentur; ut ex epistola Ecclesiæ Gallicanæ ad Fideles Asiæ apud Euseb. histor. lib. 5. cap. 1. *Quæ autem ad nos videbantur, sanè magnum mœrorem propterea in se complecti; quod Martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas; neque enim Nox ad hanc rem aliquid afferre præsidii, neque magnæ pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces, ulla ex parte placare poterant.* Et in Actis SS. Jonæ, & Barachisi apud Surium tom. 1. 19. Martii. *Cum autem vir quidam pietate insignis sanctos Ionam, & Barachisum coronatos intellexisset; accessit & Sanctorum tabernacula quingentis miliariis Daricis, & tribus vestimentis sericis emit ab iis, à quibus servabantur: Neque verò sola SS. Ionæ, & Barachisi corpora mercatus est, sed & illorum etiam, qui ante ipsos martyrium pertulerant.* Ac etiam de capite sancti Jeronis Martyris Melitenis in Armenia empto auri pondere, refert Surius in ejusdem vita, tom. 6. 1. Novembr.

Vigiliæ, & Exequiæ. Fuit igitur mos eorundem Fidelium, antequam Martyrum, seu Confessorum corpora sepelirent, simul convenire in celebratione Vigiliarum, & Exequiarum; ut de sancto Severiano Martyre legitur in ejusdem actis apud Surium tom. 5. nona Septembris. *Sequenti autem die, quidam ex piis, quibus Martyr vivus suam mandaverat sepulturam, simul convenientes, cum Martyris illud corpus magnificè composuissent, & & super id hymnos cecinissent, & quæcunque solent Christiani, peregissent, desiderantibus simul, & colentibus, manibus elatum media nocte tulerunt in patriam Martyris.*

De sancta Felicita, & filiis habetur in Cod. Lateranens. *Deinde collecta Christianorum Phalanx per opaca noctis venere ad locum, quo sancti Martyres, sanctorumque pignorum corpora inventa jacebant, tacitè Domino psalmodia concinentes, ex humo sanctorum membra levaverunt &c.*

In exequiis Pudentis Senatoris interfuit etiam sanctus Pius Papa, ut in Actis sanctarum Praxedis, & Pudentianæ sub nomine Pastoris apud Mombrit. tom. 2. *Quod audientes Christiani, unà cum sancto Pio Episcopo undique confluxerunt, & exequias juxta traditionem Ecclesiasticam in hymnis, & canticis celebrantes dicatis Deo Virginibus astiterunt, &c.* Unde nota verba illa; *juxta traditionem Ecclesiasticam.*

Idem quoque servatum in obitu Confessorum: ut de sancta Macrina sorore refert sanctus Gregorius Nissenus apud Surium tom. 4. die 29. Jul. *Interim dum hæc agebamus, & Virginum cantu lamentationibus commixto resonabat locus: fama nescio quomodo, undique diffusa, omnes finitimi ad funus confluxerunt; adeo ut concurrentes vestibulum non caperet. Cum igitur nocturna pervigilatio, ut in Martyrum celebritate, canendis psalmis perfecta esset, & crepusculum advenisset, confluentium vicinis è locis omnibus virorum, & mulierum multitudo, psalmorum decantationem fletibus interpellabat.*

Quales essent ii psalmi, & preces, quæ in prædictis vigiliis, & funeribus cantabantur; refert Prudentius de S. Romano Martyre, quod mater ejusdem præsens martyrio filii canebat Psalmum 115. *Credidi, propter quod locutus sum*; ut in hymno.

Deinde dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere
Hymnum canebat Carminis Davidici,
Pretiosa sancti mors ab aspectu Dei.

Et sanctus Augustinus in obitu sanctæ Monicæ matris lib. 9. confess. cap. 12. refert, recitasse Psalmum 100. *Cohibito ergo à fletu illo puero, psalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit Psalmum, cui respondebamus omnes Domus: Misericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine.* Ac etiam Romæ receptum fuisse canere Alleluja in funeribus Defunctorum, tradit de suo tempore S. Hieron. epist. 30. ac etiam Baron. in ann. 384. ubi Spondan. num. 4.

Unde autem processerit origo exequiarum dierum tertii, septimi, & trigesimi? Vide Albinum de divin. offic. in duobus ultimis capitulis: qui ritus satis respondet Triennalibus, & Novendialibus Ethnicorum; quibus etiam illi sacrificabant pro Defunctis, ut refert Rosinus antiq. Roman. sed melius in proposito D. Ambros. Episto-

larūm lib. 5. de obitu Theodosii, sic inquit. Quod alii tertium, alii tricesimum, alii septimum, alii quadragesimum observare consueverunt in officiis mortuorum: quid doceat lectio, consideremus. *Defuncto Jacob praecepit Joseph pueris suis sepultoribus, ut sepelirent eum: & sepelierunt sepultores Israel, & compleverunt 40. dies, & luxit eum septem diebus.* Hæc ergo sequenda solennitas, quam præscribit lectio. Sic etiam in Deuter. 34. scriptum est. *Quia planxerunt filii Israel Moysen 30. dies, & consummati sunt dies luctus.* Utraque ergo observatio habet auctoritatem, qua necessarium impletur pietatis officium.

De lotione.

Lavabant fideles deinde ante sepeliendum corpora Defunctorum, ut hinc indicarent animam à culpa mandatam propter confessionem, & pœnitentiam; ac etiam, quod corpus in extremo judicio consequeretur claritatem, & gloriam æternam. Guglielm. Durandus in Rationali lib. 7. cap. de offic. refert ibi. *Deinde corpus, nisi vivens noviter inunctus fuerit, debet lavari; ad significandum, quod si anima per confessionem à culpa mundata sit, utrumque (scilicet anima, & corpus) æternam glorificationem, & claritatem in die judicii consequeretur: quodque illi (secundum Job) verè in Domino moriuntur, qui nullam secum portant maculam, sed in hoc mundo per pœnitentiam dereliquerunt.* Hæc Durandus.

Et hunc usum tempore Apostolorum servatum; ut de Tabita in Actis Apost. cap. 9. *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur: quam cum lavissent, posuerunt eam in Cœnaculo.*

Quin immò sanctus Joannes Chrysostomus homilia 84. in Joannem testatur corpus Salvatoris nostri à Cruce depositum lotum fuisse, his verbis: *Cum autem tempore urgerentur, & dum peterent eum à Pilato, & lavarent, jam Vesper adventaret.* Unde dictus Durandus in tractatu de sepulturis, & exequiis inquit; *Ex Chrysostom. homil. 84. in Joannem, constat morem eum jam observatum ante mille ducentos annos; immo jam ætate Christi, dum ibi asseverat, Christi corpus à Josepho, & Nicodemo lotum; quod licet Evangelium non exprimat, ex hoc ita sentit, quoniam credit eos nihil omisisse eorum, quæ præstare potuerunt ad honorificam ejus sepulturam: Noverat eum morem tunc observatum, nihilque obstitisse, cur minus lavarent; ideo censendi sunt id non omisisse, & ita lavisse.* Hæc Durandus. Qualis mos conformis est Evangelistæ verbis; *Sicut est mos Judæis sepelire.* Meminit de tali lotionis ritu, loquens de sancta Tarsilla amita, sanctus Gregorius in homil. 39. in Evangel. ibi. *Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longo orationis usu in cubitis, & genibus Camelorum more inventa est obdurata cutis.*

Et Gregor. Turon. de glor. Confess. cap. 104. *Abluta juxta morem collocatur in feretro, atque in Ecclesiam deportatur.*

Refert Beda tom. 3. in vita sancti Cuthberti cap. 41. quod aqua, quæ inservierat ad lotionem corporis ejusdem sancti Defuncti, energumenum liberaverat. Ac etiam refert Surius in vita S. Amatoris Episcopi Antisiodor. 31. Jul. Aqua lotionis corporis prædicti Sancti fuisse sanatum paralyticum.

De unctione.

Ungebantur corpora post lotionem, ut de Magdalena Christus Redemptor loquitur Matth. 26. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* & Marc. cap. 14. *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam.* Unxit deinde Magdalena cum aliis mulieribus idem Corpus Christi post mortem Marc. 16. *Cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Quod etiam refert Luc. cap. 23. & 24. Quamvis id ante peregissent Joseph ab Arimathia, & Nicodemus, Joann. 19. *Venit ergo, & tulit corpus Jesu* (nempè Joseph ab Arimathia) *venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam Myrrhæ, & Aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt linteis cum aromatibus, sicuti mos est Judæis sepelire.*

Hunc autem unctionis ritum fuisse factum erga corpus sanctiss. Petri Principis Apostolorum, refert Baron. tom 1. ann. 69. his verbis; *Cum in Cruce sic affixus martyrium consummasset, à Marcello presbytero ejus corpus curatum, aromatibusque conditum, magnificentissimè more Regio, nedum Judaico, tradidit sepulturæ.* Quod idem legitur apud acta plurimorum Martyrum, & refert Baron. in ann. 34. ubi Spond. num. 91. & seq. *Christianorum corpora unguentis delibuta insepulta remanere duobus, vel tribus diebus, & interim orationes, & suffragia fiebant.*

Inter aromata talis unctionis principalis erat Myrrha: refert Rufinus Aquilejensis: *Myrrha est species valdè amara, de qua ungitur corpus mortui, ut non putrescat, & pellit vermes.* Et Prudent. lib. 10. ad Defunct. exequias.

Aspersaque Myrrha, Sabæo
Corpus medicamine, servat.

Inserviebat etiam in hoc aliquando Balsamum, ut refert de duodecim fratribus Surius tom. 5. 1. Septembris. Erat enim in usu mel, ut in vita S. Epiphanii, refert Nicephor. histor. Eccles. lib. 12. cap. 46. ibi; *Quem comites ejus melle oblitum, ne quid fortè ingratum corpori accideret, in Cyprum detulerunt.* Et de hujusmodi aromatibus nos scripsimus in lib. de prophanis Ethnicorum Ritibus.

De usu involvendi corporis.

Postquam condiderant corpora cum aromatibus, mos fuit Hebræorum eadem involvendi, & fasciis ligandi; ut ex citato cap. 19. Joann. circa diligentiam in sepeliendo pretioso corpore Redemptoris nostri, idem testatur Matth. 27. *Et accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo.* & Marc. 15. *Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento*; sicuti & Luc. 23.

Consuevere etiam Hebræi involvere alio sudario faciem Defuncti, & ita de Christo Domino refert sanctus Joann. cap. 20. *Venit ergo Simon Petrus, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat supra caput ejus; non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.*

De præfato Hebræorum more constat ex Lazaro resuscitato, ut apud Joann. 11. *Et prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dicit ei Jesus: Solvite eum, & sinite abire.* Hoc idem innuit Prudentius in Apotheosi.

Solvite

Solvite jam læta redolentia vincla sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat.

Et ita in Christianorum monumentis Lazarum effigiatum videmus more infantium involutum. Unde Joann. Episc. Constantinopolitanus, de quo Beda in hist. tom. 6. inquit: *Lazarum in monumento cunabulis involutum*, & Nazianz. de Christo sepulto;

En involutus linteis istis jaces;
Prius involutus qui puer eras fasciis.

Aliquando fuit etiam solitum involvere corpora non fasciis, sed magna sindone: & sic utroque modo in Cœmeteriis urbis inventa sunt corpora sepulta; & propterea Dionys. Alexandrin. magna diligentia præparabat sindona, ut involveret corpora Martyrum; apud Euseb. hist. lib. 7. cap. 10. & Maximus Præses sic comminatus fuit Martyri Taracio, ut legitur in annal. Baron. tom. 2. ann. 290. *Nonne sic te perdam, & reliquias tuas, ne mulierculæ in linteamina corpus tuum involvat, & unguento, & odoribus adornent. Sed (scelesté) jubebo te comburi, & cineres hasce in ventum dispergam.* Involvebant linteaminibus etiam corpora Confessorum, ut apud Surium tom. 5. die 6. Septembris in vita S. Umberti, qui requisivit à sancta Aldegunde unum ex his linteis pro involvendo suo corpore in sepulchro.

Unde apud D. Hieronymum in epistola ad Rusticum Narbonens. tom. 9. fit mentio de laborantibus, quorum officium erat corpora fidelium Defunctorum obvolvere, & cooperire; quos, & alio nomine Fossarios dictos, refert Baron. ann. 44. ubi Spondan. num. 34.

Prohibitum tamen fuit ex Concilio Arvernense cap. 3. & 5. *Ne pallis, vel ministeriis divinis Defunctorum corpuscula obvolverentur.* Item: *De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris, nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur: quia sacro velamine usibus suis non reddito, dum honorantur corpora, altaria polluantur.* Item Antisiodorense cap. 12. *Non licet mortuis, nec Eucharistiam, nec osculum tradi: nec velo, nec pallis corpora eorum obvolvi.*

Defunctorum corporum ornamenta.

Aliquando consuevere etiam induere Defunctorum corpora propriis ipsorum vestibus, & aliis preciosis ornamentis; ut nostris temporibus inventum Corpus sanctissimæ Virginis Cæciliæ. Et idem refert Surius tom. 5. die 19. Octobris de corpore sancti Vari Martyris à Cleopatra Matrona sic induto, de qua consuetudine loquitur sanctus Augustinus, tom. 8. *Sed pompa est funebris, excipitur sepulchro precioso, involvitur preciosis vestibus, sepelitur unguentis & aromatibus.* Aliquando Defunctorum fidelium corpora albis vestibus, seu candido linteo obvolvebantur: refert Prudentius;

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.

Etiam in habitu Ecclesiastico.

Mos quoque antiquorum fuit, ut sancti Episcopi, Abbates, & Sacerdotes habitu Ecclesiastico sepelirentur, ad exemplum sacerdotum legis Mosaicæ, ut inquit Nicolaus de Lyra in cap. 10. Levitici. *Ex hoc autem quod Nadab & Abia fuerunt sepulti cum vestibus sacerdotalibus, inolevit consuetudo, quod sacerdotes novæ legis, cum vestibus*

sacerdotalibus sepeliantur. Sic etiam voluit Glossa cum scribentibus in Can. nemo, de consecrat. dist. 1. idem in antiquis Ritualibus, ut refert Duran. rational. lib. 7. de offic. Defunct. ac idem ferè refert Amalarius Fortunat de Ecclesiast. offic. lib. 4. cap. 41. his verbis; *Apertè Dominus Beda declarat exequiis sancti Cuthberti, quomodo vestiri oporteat Sacerdotem defunctum. Ita enim scribit de ejus exequiis: Postquam ergo sanctæ memoriæ Cuthbertus Episcopus peracta communione elatis oculis, & manibus ad Deum, commendans, ei animam suam, & emittens spiritum, sedensque sine gemitu; obiit in via Patrum, à navigantibus in insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circundato. Oblata* (sic nominatur Calix) *supra pectus sanctum posita, vestimento sacerdotali indutus, & obviam Christo calceamentis suis præparatus in sindone cerata involutus.* Eundem morem apponendi Calicem, & Crucem supra pectus Defuncti legimus de sancto Birinio Episcopo apud Surium, tom. 6. die 3. Decembris. *Invenisse corpus Episcopi integrum cum duplici stola, & infula rubra è panno serico, atque cum Cruce è metallo confecta pectori ejus imposita: Denique cum Calice ad umbilicum ejus posito.* Et paulo post subdit. *Inventusque est annulus.* Et refert Cardin. Baron. sub ann. 504. num. 4. Corpus S. Augustini ex Aphrica in Sardiniam, & dein Ticinum translatum cum baculo, & Mitra.

Fit mentio de plurimis Sanctis, qui sacerdotalibus vestibus fuerunt sepulti, ut de sancto Gebardo Episcopo Constantinensi, Canisius antiquar. lect. tom 6. sicuti & sanctus Annonus Archiepiscopus Coloniensis apud Surium tom. 6. 4. Decembris: ac etiam sanctus Corbinianus Episcopus Frisingensis tom. 4. 8. Septembris apud eundem Surium, & alios. Quin etiam consuevere sepeliri Martyres etiam cum Dalmatica, seu Colobria, ut ex D. Greg. tradit Baron. in ann. 283. num. 4.

Compositio corporum.

Fuerunt quoque potissimum intenti antiqui Fideles in componendis decenter corporibus Defunctorum, ut ex epistola Dionysii Alexandrin. relata per Euseb. hist. lib. 7. cap. 17. dum ait; *Quin etiam Sanctorum corpora manibus erectis, supinisque excipere: gremio suo reponere; occludere oculos; ora obturare; gestare humeris cadavera; decenter ornare; illis adhærescere; amicè complecti; lavare accurate; & linteo funebri involvere non gravati sunt.* Ac præcipuè S. Chrysost. homil. in Job. *Jubent parentes officia adhibere: manus componunt; oculos claudunt; corpus directè statuunt; pedes reducunt, lavant; sepulchro condigno, dignis funeribus condunt.*

Etiam Martyrũ abscissorum.

At maximè studuerunt componere abscissa Martyrum corpora, illa in suum locum reducendo; ut de sancto Constantio Episcopo Perusino, & Martyre apud Surium tom. 1. 29. Jan. habetur: *Eaque, in feretri formam constructa, corporis primò truncum imponunt, deinde huic caput sacratissimum, quam maximè possunt accommodatè annectunt:* Sicut etiam in corpore S. Petri Alexandrini testatur Ado in Martyrol. 5. Novembris. *Declinantes itaque triumphale funus, sacrum caput cervici apponentes.*

Corona Virginum

Fuit quoque mos ad capita Virginum apponendi florum Coronas, sicuti de sanctis Apostolis erga sanctissimam Virginem, apud Damascen. in dormitione sanctissimæ Virginis 15. Augusti inquit; *Postquam autem omnes desiderio, simul, & debito satisfecerunt: & ex multis floribus, variisque hymnis contextam sacram contexuere Coronam,*

nam,&c. Idem de S. Macrina sorore Gregorius Nissenus ejusdem frater in illius vita. *Vestiana propriis manibus ornans sacrum illud caput,&c.* Et de hujusmodi florum coronis super capita Virginum & Infantium defunctorum refert D. Hieron. tom. 1. epist. 26. ad Pamachium cap. 2. & D. August. lib. 22. de Civitate Dei cap. 8.

Quomodo ferebantur ad sepeliendū corpora.

Sævientibus Tyrannis in Christianos deferebantur Martyrum corpora ad sepeliendum clanculum,& ut plurimum supra vehicula in ruralem usum, ut id Ethnicis cælarent Ministris: Unde ex epistola Luciani de inventione corporis Protomartyris Stephani, relata in Annal. Baron. tom. 1. ann. 34. habetur. *Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, nisi per noctem quantos poteram religiosos Christianos habitantes Hierusalem in medio Judæorum, & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministravi, ac persuasi illis ire occultè, ut portarent corpus ejus meo in vehiculo ad villam meam, & ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta. & poni eum in monumento novo in orientali theca,&c.* Appellabantur prædicta vehicula Birota, à duabus rotis, in actis S. Feliculæ adjunctis, cum aliis actis SS. Nerei, & Archillei apud Surium tom. 3. 12. Maji ibi: *Sanctus autem Nicodemes presbyter in spelunca degens, clam abstulit corpus ejus ex cloaca, in quam fuerat projectum, noctu in Birota vehens illud ad casulam suam septimo milliario ab urbe Roma, via Ardeatina, ibi eam sepelivit,&c.*

Situs corporum in cœmeteriis.

Condebantur corpora in cœmeteriis supina, respicientia etiam Orientem, sicuti Redemptorem nostrum fuisse sepultum, refert Beda in Marcum cap. 16. lib. 4. tom. 5. his verbis; *Introeuntes ab Oriente in domum illam rotundam, quæ in petra est excisa, viderunt Angelum sedentem ad meridianam partem loci illius, ubi positum fuerat corpus Jesu: Hoc enim erat in Dextris; quòd nimirum corpus, quod supinum jacens caput habebat ad Occasum, dexteram necesse est haberet ad Austrum.* Ac etiam similiter condita corpora Apostolorum Petri, & Pauli, refert Isidor. Hispalens. de vita & morte SS. cap. 79. & 80. *Ibi contra orientalem plagam.* De quo ritu testatur quoque Duran. Rational. cap. 7. ibi: *Debet autem quis sic sepeliri, ut capite ad Occidentem posito, pedes dirigat ad Orientem, in quo quasi ipsa positione orat, & innuit, quod promptus est, ut de Occasu festinet ad Ortum, de mundo ad sæculum.*

Frondes sub capitibus.

In iisdem Ritualibus habemus fuisse à Fidelibus appositas frondes virides sub capitibus Defunctorum. Duran. Rational. lib. 7. cap. 35. *Hedera quoque, vel Laurus, & hujusmodi, quæ semper servant virorem, in sarcophago corpori substernantur, ad significandum, quod qui moriuntur in Christo vivere non desinunt: nam licet mundo moriantur secundum corpus, tamen secundum animam vivunt, & reviviscunt Deo.* Et in hoc infelices Ethnici hallucinarunt, qui absque Resurrectionis cognitione ornabant corpora cyparisso, quod semel abscissum amplius non germinat.

De hoc eodem Usu erga corpus S. Valerii Episcopi testatur Gregor. Turonens. de Glor. Confessor. cap. 84. *Lauri etiam folia sub se habebat strata, de quibus assumens Episcopus multis infirmis præbuit medicinam.*

De corpore S. Umberti confessoris reperto 150. ann. post ejus obitum illæso, inquit Surius tom. 5. 6. Septembris. *Sed & herbæ à sepultura ejus die appositæ fuerant, quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeo virides sunt repertæ, ac si terræ radi-*

radicitus inhærentes, irriguis aquis virescerent. Et nostris temporibus in translatione corporum SS. Apostolorum Simonis, & Judæ ab antiqua Vaticana Basilica, fuerunt sub eorum capitibus reperta hujusmodi lauri folia; quod in actis publicis fuit tunc notatum.

Aqua & oleum benedictum. Consueverunt etiam prisci Fideles aspergere Defunctum aqua benedicta: ut ex antiquis ritualibus, ut etiam apud Ethnicos mos fuit aqua lustrali, ut refert Rosinus lib. 5. cap. 34. antiq. Rom. *Qui à Sacerdote ter aqua pura aspergebantur, & ita expiabantur sive lustrabantur*: Quin immo etiam oleo forsan benedicto aspergebant Defunctum. S. Dionys. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 7. *Infundit dormienti oleum summus Sacerdos.* In quem locum Dionysius Carthusian. *Aliqui forsan olei adhuc consecrati super illum mortuum aspergendo sic, ut modo cum asperforio aspergitur corpus Defuncti aqua benedicta.*

Cruces. Apponebatur quoque in monumentis ipsis Aqua benedicta, & signum sanctissimæ Crucis, ut ex dictis Ritualibus Duran. unde etiam reperiuntur in cœmeteriis vasa vitrea, & lutea in dictum usum verisimiliter ibi accommodata.

In sepulchris Principum Apostolorum apposuit Constantinus Imperator Cruces, refert Anastasius in Sylvestro. *Beati Petri super os, unde conclusum est, fecit Crucem ex auro purissimo pendantem libras 150. in mensura loci; ubi scriptum est: Constantinus Augustus, & Helena Augusta: scriptum in litteris puris nigelli in Cruce.*

Insignia dignitatum. Ponebantur etiam in sepulchris insignia dignitatum: instrumenta, vexilla, & similia, quibus usi jam fuissent Defuncti, dum viverent; ut de baculo Pastorali aqud sanctum Erebertum Archiepiscopum Coloniensem, apud Surium tom. 2. die 16. Martii legitur. *Cum igitur, & istum B. Pontifex alloqui inciperet, tangens prius latera ejus Baculo Pastorali, cum quo fuerat tumulatus, vires ille resumpsit.*

Sanguis Martyrũ. Recondebatur in sepulchris Martyrum eorundem sanguis in vasis: refert S. Paulinus in vita S. Ambrosii apud Surium 4. Aprilis de sancto Nazario: *Vidimus autem in sepulchro, quo jacebat corpus Martyris, sanguinem Martyris ita recentem, quasi eadem die fuisset effusus.* Et apud corpus S. Cæciliæ Virginis nostris temporibus repertum, extabant velamina, quibus illius sanguis effusus fuerat reassumptus: Ac etiam in sacris cœmeteriis à plurimis est animadversum.

Instrumenta martyrii. Sicuti etiam una cum corporibus Martyrum recondebant instrumenta eorundem martyrii, ut etiam de sanctiss. Cruce, & Clavis, quibus Salvator noster passus est, repertis penes ipsius sepulchrum, referunt Theodoret. Socrat. Sozom. & Niceph. lib. 8 cap. 29. Sic etiam repertum corpus S. Clementis una cum anchora, qui illi ad collum alligata, demersus fuit in mare: annal. Baron. tom. 2. ann. 102. Refert etiam S. Ambros. exhort. ad Virgin. in princ. tom. 5. sumpsisse eum à sepulchro S. Agricolæ Crucem & Clavos, quibus fuit ille Cruci affixus; ac etiam de corpore S. Danielis Martyris Patavii reperto ann. 707. una cum iisdem clavis, quibus fuerat passus martyrium: refert Petrus Natal. lib. 2. cap. 60.

Quin immo etiam plurimi Martyres jusserunt sepelienda eorum corpora, una cum instrumentis eorundem Martyrii: ut de sancto Sabino, qui jussit sepeliri una

cum

eum ſaxo, quo erat demergendus in flumen, refert Surius tom.2. die 13. Martii : Nec non S. Babila juſſit ſepeliendum ſuum corpus cum catenis, quibus erat alligatus, refert ſanctus Chryſoſtomus.

Inſtrumenta afflictiva.

Apponebant etiam aliquando penes defunctorum corpora inſtrumenta, quibus illi in vita afflixerant proprias carnes, nempè catenas, cilicia, & ſimilia : ut de ſancto Simeone Stilita anno 358. ſepulto cum ferris, quæ ad domandum corpus, inquit Nicephor. lib.14. cap.15. *Juxta corpus ejus etiam Torques ferreus poſitus eſt.* Sicuti, & alia plurima in Sanctorum actis extant exempla.

Monumenta Martyrii.

Extabant quandoque in ſepulchris Martyrum memoriæ, & acta eorum martyrii : de ſancto Leontio refert Surius tom. 3. 18. Junii. *Hæc commentaria B. Martyris Leontii Cyrus quidam ſcriba in tabulis plumbeis conſcripſit, & apud S. Martyris monumentum ea depoſuit.* Et de corporibus SS. Gervaſii, & Protaſii refert ſanctus Ambroſius epiſt.53. lib. 7. reperta fuiſſe una cum actis eorundem Martyrii, ſcriptis à quodam Philippo.

Nomen ſeu titulus

Quandoque etiam intra ſepulchrum ponebant titulum, ſeu nomen Defuncti, ut in vita S. Landoaldi, & ſancti Amantii refert Surius tom.2. 19. Martii : Sæpiſſimè verò nomen, ſeu titulum extra ſepulchrum ponebant, ut refert Prudentius in hymno ſancti Hippolyti.

Plurima litterulis ſignata ſepulchra loquuntur
Martyris, aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta, tamen tacitas claudentia tumbas,
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.

Palmæ

Effigiabant priſci fideles Palmas ad ſepulchra Martyrum, ut in Apocal. cap. 7. *Et Palmæ in manibus eorum.* Hinc S. Auguſt. in ſerm. ex Cod. m.ſ. in Bibliot. Vatic. in natali SS. qui dicti ſunt Maſſa candida, inquit ; *Palmis virentibus.* Sicuti enim Palmæ non cedunt ponderibus, ſed fortius in adverſum conſurgunt ; ita Martyres non ceſſerunt preſſuris, ſed majori cum virore, & vigore perſtiterunt in tormentis : niſi etiam dicamus palmas virentes, quæ non ſolum in flore, ſed etiam in fructu, qui mortem glorioſam ſequitur, immarceſcibili corona, & gloria decoros, & quaſi virentes faciat Martyres. Et quamvis Palma etiam juſti cujusvis ſymbolum ſit, ut in Pſalm. 91. *Juſtus ut palma florebit.* Ex uſu tamen Eccleſiæ ferè ſemper Martyribus conſuevit adſcribi tanquam ſignum Victoriæ, ex antiquorum eruditione hauſtum, & ex Baron. in Notis Martyrol. Roman. ad 1. diem Januar. ut etiam ex Notis D. Joann. Bap. Marii ad dictum ſerm. D. Auguſt nuper per ipſum in lucem editum: & in hoc differebant ſepulchra Martyrum à ſepulchris ſanctorum Confeſſorum; quoniam in iſtis non Palmas effigiabant, ſed litteram X. quam P. interſecat. Quod ſymbolum cum Chriſtum denotaret : indicabat etiam ipſos Confeſſores eundem Chriſtum in vita imitatos & ſequutos.



Corpora qualiter ſimul condebantur.

Adverte etiam, quod in ſepulchris Chriſtianorum non fuit permiſſum, ut unum corpus aliud premeret, ut ex Concilio Antiſiodorenſ. Canon.15. & Concil. Matiſconenſ. Can.17. ibi ; *Non licet mortuum ſupra mortuum mitti.* Ut ſic videmus in antiquis fidelium cœmeteriis.

Sepeliri autem juxta Sanctorum corpora semper fidelibus optatissimum, sanctus Maximus serm.77. de SS. Oct. Advent.& Solut. ibi; *Ideo namque hoc à majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras, eorum propriis meritis, & consocii sanctitate.* & tradit Baron. in ann.226. ubi Spondan. num. 4.

Est quoque notandum, sepulchra Gentilium discreta fuisse, ac etiam esse debere à sepulchris Christianorum, ut refert Baron. in ann. 358. ubi Spondan. num.2.

Præfatis ritibus, ac ceremoniis sepeliebantur in primitiva Ecclesia Martyrum, & aliorum fidelium corpora, & hæc non alibi, quam in cryptis, & aliis reconditis cœmeteriis. Horum autem forma describitur à sancto Hieronymo in Ezechiel. cap. 40. ibi; *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis, & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes; & rarò desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum; ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur, & cava nocte circundatis, illud Virgilianum proponitur:*

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Fuere autem plurima extra urbem hujusmodi cœmeteria, quoniam intra mœnia prohibitum erat Romanis legibus 12.tabul. Defunctos sepelire. Hæc loca modo Areæ, interdum Tumbæ, Catacumbæ, vel Cryptæ arenariæ, ex loci natura nomine comparato, dici consueverunt, sed frequentius Cœmeteria; quod fides doceret Christianos non mori; sed rursus excitandos; interea in Domino obdormire. Cœmeterium enim, hoc est dormitorium à κοιμάω quod est dormio, volunt appellari. Porrò ejusmodi Cryptarum in agro Romano recensentur nomina quadraginta tria in libro de Romanis Pontificibus, & apud Baronium ad Martyrologium Romanum die 3. Januar. Erantque specus subterraneæ, cum ad sepeliendos fideles, tam ad conventus, & synaxes peragendas tempore persequutionum: Indeque fiebat ut Edictis Impp. quod docet Eusebius lib. 7. histor. cap. 10. & 12. ab eis Christiani arcerentur, ut scribit Tertullianus in Apolog. & Minutius Fælix, & idem Tertull. ad Scapulam ex verbis persequutorum inquit; *Non sint Areæ*: hoc est, loca sepulturarum Christianorum destruantur, ne ad ea ulterius convenirent, ut etiam refert Baron. ad ann. 260. ubi Spondan. num. 2. & idem Baron. ann. 262. ubi Spondan. num.3.

Reddita vero Ecclesiæ Pace, eadem frequentare permittebantur; quæ postea quamdiu in eis fuerunt corpora sanctorum Martyrum, frequenti cœtu à fidelibus visitari consuevisse, ut ex Hieronymo, & Prudentio citatis. Cessarunt autem hujusmodi fidelium studia postquam ea, quæ ibi erant sita corpora Sanctorum sub Christianis Impp. delata sunt in urbem, & in diversis Ecclesiis honorificentius collocata,

quamvis in eisdem cœmeteriis aliorum fidelium corpora cœpta sint sepeliri, ut refert idem Baron. in d. ann. 262. num. 3.

Ad hæc d. loca memini ego ipse, me hic Romæ in adolescentia pluries accessisse, etiam cum Domino Antonio Bosio, mihi ab infantia conjunctissimo, Auctore operis *Roma Sotteranea*.

Ritus sepeliendi fideles reddita Ecclesiæ pace.

Dicta sunt præfata ferè omnia de funeribus, dum ethnici Principes sæviebant contra fideles annis ferè trecentis; quorum timor cum defecisset, & pax ad Christianos advenisset, fidelium defunctorum corpora magna pompa sublata fuere, cum hymnis, cereis, incensis, ex more sepulturæ mandari solita; ut refert Cardinal. Baron. in ann. 310. ubi Spondanus num. 4. Clerici ordine progredientes accensos Cereos gestantes manibus, funus deducebant. Gregor. Nissen. epist. ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ. S. Hieronym. ad Eustoch. de morte Paulæ ibi. *Cum alii Pontifices lampades, cereosque præferrent.* & in Epitaphio Paulæ. *Sacerdotes lampades, cereosque prætulerunt funeri.* Imperante Justiniano Acolythi funeralia deferebant. Novell. 59. de Debit. impens. in Exeq. Defunct. Ut etiam faces præferre mos fuit apud Ethnicos in funeribus: sicuti nos diximus in libro de Veter. Rom. Ritib.

Canebantur in Exequiis defunctorum Psalmi, & Hymni à fidelibus, & viris Religiosis. S. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 7. Item Gregor. Nissen. d. epist. ad Olympium de morte sororis, inquit; *Itaque confluentem populum in genera distribuentes; mulierumque multitudinem Virginum admiscentes Choro, virorum autem turbam ascribentes Monachorum cœtui, unum quendam ex utriusque studii aptum concinnumque tanquam in Psalmos canentium congressu, ex communi omnium concentu aptè conjunctum ordinem constituere.* Et paulo post. *Surgens, qui ei regioni præfectus erat Episcopus; aderat enim cum universa multitudine Sacerdotum.*

Quibus verbis apparet Sacerdotes interfuisse officio funeris, psalmosque in exequiis cecinisse. S. Clemens lib. 6. Constit. Apostol. cap. 29. *Pro fratribus nostris, qui in Domino obierunt, & acceptabilem Eucharistiam offerte in Ecclesiis, & cœmeteriis vestris, atque in exitu mortuorum psallentes, eos deducite.* Gregor. Nazianz. in laudem Cæsarii Orat. 10. ibi; *Psalmodiis luctum sedantibus.* Chrysost. homil. 70. ad populum Antiochenum. *Quanam de causa quæso vocas presbyteros, & psallentes? nonne ut te consolentur? nonne ut defunctum honorent?* Basilius Seleuciæ Archiepiscopus in Concione de Lazaro. *Luctus, & femineus ejulatus non cedunt in usum, & honorem vita defuncti: sed hymni, & psalmi, & vita quam honestissimè instituta.*

Nec indicat talis pompa, quod insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, ad corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. S. August. serm. 34. de Verbis Apostoli. *Sed pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi, quia & hæc in scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt,* & infra. *Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris.*

Et quanquam S. Chrysost. homil. 85. in cap. 20. Matth. & S. August. lib. 1. de Civit. Dei cap. 11. & 13. & lib. de Cura agenda pro mortuis; quibus locis affirmant, *Sepulturam & funeris pompam solatia esse vivorum, non mortuorum subsidia.* Verum hæc sunt interpretanda; ut sepultura per se non sit præsidium ad salutem æternam: per accidens tamen prodesse potest propter preces amicorum, & recordationem Sancti illius, in cujus Ecclesia sepultus est defunctus. Quod S. August. in lib. de Cura pro mortuis agenda, & S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 50. observarunt. Amplius S. Chrysost. non damnat sepulturæ solennia: sed luxuriam, & superfluam ambitionem, modumque sumptibus adhibendum suadet. Quod autem ex Matth. cap. 5. & 25. calumniantur Hæretici, diluit D. Thom. 2.2 quæst. 32. artic. 2.

Et prædicta adeo vera sunt, ut Imp. Constantinus statuerit, & primus auctor fuerit, ut ad corpora Defunctorum humanda corpus hominum constitueretur, qui ei muneri mancipati essent; quos & voluit Ecclesiæ esse subjectos, & ab omnibus publicis muneribus immunes, atque vectigalibus liberos, quod idem corpus postea Anastasius Imperator confirmavit, ut testatur Justinianus in Novell. 43. & 59. ac refert Baron. ad ann. 337. ubi Spond. num. 14.

Oratio funebris.

Cæterum, priusquam corpus humo injecta contegeretur, Defunctus oratione funebri laudabatur. Sanctum Melitium à multis, cum præconiis maximis sepultum scribit Theodoretus lib. 2. cap. 14. hist. Ecclesiast. & lib. 9. cap. 15. histor. tripart. Extatque Gregorii Nysseni in funere Melitii oratio. Extant & veterum Patrum orationes funebres: Eusebii in funere Constantini: Nazianzeni in funere Basilii, & Cæsarii: Ambrosii in exequiis Valentiniani, & Satyri, & aliæ innumeræ.

Preces.

Deinde celebrata Missa Sacerdos accedens ipsi mortuo sanctè precabatur, eumque salutabat, ut pluribus docet S. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. Solennibus orationibus sepeliri mortuos indicat Victor Uticens. lib. 2. de persecut. VVandal. ibi; *Qui mos solennibus orationibus sepeliendi morientes, quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus.*

Flores ad sepulchrũ.

Condito & curato funere solebant nonnulli antiquitus tumulum floribus aspergere. S. Ambros. orat. funebri de obitu Valentiniani: *Non ego floribus tumulum ejus aspergam: sed spiritum ejus Christi odore perfundam*, & S. Hieron. epist. ad Pammachium de obitu uxoris. *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos &c.*

Apponebant quoque ad sepulchra Epitaphia & alia, de quibus nos supra.

Mortui quando sepulti sunt in Ecclesia?

Addimus prædictis, fuisse antiquitus prohibitum, mortuos intra Ecclesias sepelire, ut ex Concilio Triburense anno Domini 895. Can. 17. incip. Nullus, & in Concilio Vasense sub Leone I. Can. 3. incip. Præcipiendum. relato à Gratiano caus. 13. quæst. 2 & propterea in sacris templis sepulchra non aderant; sed Cœmeteria ad hoc inservientia: meminit etiam Optatus lib. 3. de Schismate Donatistarum his verbis: *Nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est.* Corpora verò supremorum Principum Ecclesiasticorum, & sæcularium reponebantur in Atriis, seu Porticibus Ecclesiarum; ut de duobus Theodosiis, & Arcadio Impp. scribit Nicephor. lib. 14. cap. 88. & S.

& S. Joann. Chrysostom. refert, Magnum Constantinum honore fuisse affectum, cum ejus corpus fuerit sepultum ante Ecclesiam S. Petri Constantinopolis, quasi post obitum Ostiarius, & Cubicularius Piscatoris effectus. Progressu temporis cœpere in Ecclesiam introduci corpora defunctorum Sacerdotum, Principum, Ministrorum Ecclesiæ, & virorum celeberrimorum; demum indifferenter omnium Fidelium, ut in Concilio Maguntino relato in causa 13. quæst. 2. Can. Nullus, Concilium Meldense Can. 20. Quod ab Ecclesia deinde semper approbatum, juncto etiam cœmeteriorum usu: remansit solum prohibitum, ne corpora sepeliantur penes Altaria, in quibus celebratur, ut ex dicto Can. Præcipiendum 13. quæst. 2. & Concilio Meldensi; at cum removeri ossa ab altare non possint, tunc removeatur altare. Ivo part. 3. cap. 213.

Sepulchris in Ecclesia quando prosit?

Cavendum tamen, quod his qui in peccato decessere, non prosit, ut in Ecclesia sepeliantur, refert D. Gregor. in Dialogis lib. 4. cap. 50. his verbis; *Quos gravia peccata non deprimant; hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur; quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum quorũ sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt: nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionẽ potius, quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis ponuntur.* & idem D. Gregor. cap. 51. seq. inquit; *Qua ex re apertè datur intelligi, quia hi, quibus peccata dimissa non fuerint, ad evitandum judicium sacris locis post mortem non valeant adjuvari.* & idem etiam cap. 54. sic inquit; *Quia his, quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat ut etiam de sua præsumptione judicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.* Quin imo mos fuit in Ecclesia primitiva anathematizandi illos, qui in peccatis notoriis decesserant, ut docet D. August. epistol. 50. ad Bonifacium, & tradit Vincentius Riccardus in Notis ad epist. S. Procli Archiepiscopi Constantinopol. ad Maximum Diaconum his verbis; *Non simpliciter negat non posse anathematizari post mortem, cum perpetua traditio fuerit sanctæ Ecclesiæ, mortuos etiam anathematizandi.* & Concilium Aphricanum Can. 48. *Si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel Hæreticos etiam, consanguineos, aut Paganos, Ecclesiæ prætulerit; saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.*

Abusus sepulchrales sublati.

Consueverunt priscis temporibus etiam Christiani inhærentes vanis Ethnicorum superstitionibus, ut supra Defunctorum sepulchra immoderatè canerent, comederent & biberent, usque ad ebrietatem: & hujusmodi pravus Christianorum ritus fuit sublatus in Concilio Arelatens. cap. 5. his verbis; *Nullus diabolica carmina præsumat cantare, nec jocos, nec saltationes facere.* & infra *Quis enim nesciat diabolicum esse, & non solum à Religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolvi, & omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare?* & idem refert D. Augustin. lib. 1. de moribus Ecclesiæ, & epist. 68. ad Aurelium Episcopum, latè Brunus de Ceremoniis lib. 4. cap. 3. Remansit tamen apud aliquos populos ritus, ut sepultis cadaveribus comedatur inter amicos, & parentes, sed moderatè; & hoc ab Ethnicis ad nos transmissum,

ut refert Rosinus. Antiquit. Roman. lib. 5. *Peractis ad sepulchrum justis, convivia domi apparabantur, ad quæ amici, atque cognati convocabantur.*

Comestibilia supra sepulchra.

Fuit etiam Ethnicorum ritus offerendi supra Defunctorum sepulchra plurima ad comedendum & bibendum; credentes, ut illi supponebant, mortuorum animas ibi circumire: quod mense Februario peragebatur: & talis ritus diu apud Christianos tanquam pius fuit retentus: donec in Concilio Turonens 2. Can. 16. alias 34. fuit expresse id prohibitum fidelibus, maximè in festo Cathedræ sancti Petri 22. Februarii his verbis; *Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ Divi Petri Apostoli cibos mortuis afferunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad gentilium revertuntur errores, & post corpus Domini sacratas Domini escas accipiunt. Contestamur illam solicitudinem tam Pastores, quam Presbyteros gerere,* &c. Quod etiam exclamavit S. Augustin. in die dicta Cathedræ serm. 15. de Sanctis his verbis; *Cùm solennitatem hanc Ecclesiis meritò religiosa observatio introduxerit, miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Quem ritum ego annis præteritis servatum vidi adhuc plurimis in locis in Regno Galliæ: ut etiam similiter in Hispania hoc retentum, patet ex lapide in Capella sancti Ildephonsi Romæ apud sanctum Jacobum Hispanorum, scripto his verbis; *Item tenentur supradicti singulis annis in commemoratione omnium Defunctorum ponere super sepulchrum dicti Domini Episcopi unum tapetum, & duas faces, quæ ardeant per totum officium vigiliæ, & diei: & afferantur ad pedes sepulchri panis & vinum pretii quatuor carlinorum more Hispaniæ.*

Non prætermittam annectere prædictis funerum Ritibus apud Christianos: quod sicut apud Ethnicos Oleum & Filum, illud symbolum fuit vitæ, & istud mortis, ex Pierio Valeriano & aliis: similiter in Catholica Religione considerabilis Ritus fuit inductus: de quo refert Benedictus Canonicus S. Petri, qui vixit sub Alexandro III. Rom. Pont. in quodam manuscripto *Politicus* nuncupato. Ut in prima die Quadragesimæ Papa discalceatus ab Ecclesia sanctæ Anastasiæ ad sanctam Balbinam incederet, ubi inter Missæ solennia, quam ipse canebat, Subdiaconus Apostolicus Regionarius apud altare alta voce dicebat: *Crastina die veniente statio erit in Ecclesia sancti Georgii Martyris ad Velum aureum.* & respondebat Chorus Cantorum, *Deo gratias.* & subdit prædictus auctor: *Finita Missa Acolythus debet tollere papyrum, & tingere in oleo candelæ, & diligenter extergere, & portare ad palatium ante Pontificem, dicens; Jube Domine benedicere: Pontifex benedicit: ille vero dicit: Hodie fuit statio ad sanctam Sabinam, quæ salutat te: Pontifex respondet, Deo gratias. Acolythus repræsentat ei papyrum, qui osculatur eum pro devotione Sanctæ, & dat eum Cubiculario: Cubicularius reponit, & diligenter conservat usque ad mortem Pontificis; & sic fit in omnibus stationibus. Ad mortem facit ex eis pulvillum, & ponit sub capite ejus in sepulchro.* Anastasius Bibliothecarius appellat dictum papyrum *Myxus ex stuppa.* Nostris temporibus in reædificatione Basilicæ Vaticanæ reperti sunt pulvilli ex dictis myxis seu papyris sub capitibus summorum Pontificum ibi antiquitus conditorum.

Et hæc de Ritibus sepulchralibus Christianorum.

CAP.

CAP. LXVII.

De Miraculis.

DIximus de plurimis antiquorum Christianorum Ritibus; verum quoniam isti, sicut & omnia ferè opera Christi, parum ad hominum salutem profuissent, nisi miraculis confirmata fuissent, quibus Dei Potentiam, Sapientiam, & Bonitatem cognoscimus; ideo de miraculis etiam aliqua annectamus; ex quibus patebit veritas de mirabilibus operum Dei etiam in Sanctis suis.

Miraculum alii aliter definivere: nos autem definimus, ut sit *Factum insolitum supra vires, & præter ordinem totius naturæ creatæ.* Diximus

Factum, ad exclusionem nonnullarum illusionum, per quas Dæmones, ac etiam homines vafri faciunt, nobis videri factum, quod verè non est factum. De quo S. Thom. 2.2. quæst. 178. art. 2. & in lib. 3. contra Gentiles cap. 103. & seq.

Insolitum, quia solita, nec re, nec nomine conveniunt miraculo: non re, quia miracula præcipuè fiunt ad duplicem effectum; nempè, vel ad confirmationem prædicationis verbi Dei, juxta illud Marc. c. 16. *Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis:* Vel fiunt ad denunciandam facientis sanctitatem, ut ex D. Thom. dict. quæst. 178. art. 2. Solita autem neutrum operantur; nec minus prædicta solita movent admirationem, ex D. August. tract. 24. in Joannem, ubi inquit, miracula visibilium naturarum, licet majora sint his, quæ raro fiunt, attamen propter illorum assiduitatem non movere admirationem.

Supra, non contra naturam, ut dicit Glossa in cap. unico, verbo, Sedis Apostolicæ, vers. 2. quod sit contra naturam, de reliq. & venerat. Sanctorum: quia miracula fiunt à solo Deo in Psalm. 71. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* S. Thom. part. 1. quæst. 110. artic. 4. Natura autem non contrariatur suo Creatori, sed illi libenter cedit, cap. cum Marthæ, § requisisti (ibi) (cedit natura miraculo) de Celebrat. Missarum.

Vires, quia nihil est, quod possit facere natura, quod miraculum dici possit; sive hoc procedat ex singulari artificio hominis, prout de Columba lignea volante Archimedis, & æneis serpentibus sibilantibus Boetii, legitur apud Gellium lib. 10. c. 12. Cassiodor. lib. 1. variar. epist. 45. sive hoc fiat ex veloci operatione facta per Dæmonem applicando activa passivis, ut per S. Thom. part. 1. quæst. 114. art. 4. ad 2.

Præter ordinem; nam multa sunt miracula, quæ propriè non possunt dici supra vires naturæ, sed tantum præter ordinem; nam natura indies illud facit, sed non eo ordine, ut in febricitante in instanti sanato, Luc. 4. de socru Petri: natura enim indies pellit febrim, sed non illo ordine, hoc est, in instanti.

Totius naturæ, quia multa præter ordinem unius naturæ contingunt, quæ non sunt miracula, cum sint secundum ordinem alterius naturæ; unde non fuit miraculum elevatio corporis Simonis Magi per aera, de qua Surius in vita sancti Petri, nec corporalis transportatio strigarum, quia hæc non est præter, vel supra naturam Dæmonis, qui hoc operatur.

Creatæ.

Creata,quia nihil eſt ſupra vires naturæ increatæ,id eſt Dei omnipotentis: unde reſpectu illius nihil poteſt dici miraculum,ut ex D.Thom.part.1.quæſt.105.art.8.

Miracula ſolum in Eccleſia Catholica

Circa miraculorum virtutem, Chriſtus in noviſſima manifeſtatione ante aſcenſionem ſuam,præter alia dona,quæ ſuæ Eccleſiæ liberaliter contulit, hoc etiam ſuperaddidiſſe videtur, ut à Marco cap.16. de operatione miraculorum, quæ communis omnibus in ipſum credentibus eſſe poſſet: quod quidem donum, eo quod non niſi in Eccleſia Catholica reperiri,nec ab aliis,qui foris ſunt,uſurpari poteſt: merito dos Eccleſiæ à Patribus eſt appellata; licet non ſingulis fidelibus miraculorum gratia, vel ſemper,vel ubique ſit conceſſa.

Quamvis Eunomius Hæreſiarcha fuerit auſus aſſerere,Chriſtianorum miracula præſtigia eſſe Dæmonum,ut refert Baron. in ann.360. ubi Spondan.num.7.nec non idem aſſeruit Vigilantius,adverſus quem ſcripſit: D. Hieron. ut idem Baron. in ann. 406. ubi Spondan. num. 7. ſicuti etiam pluries in Eccleſiaſticis annalibus refertur, Chriſtianos à Gentilibus ob miracula æſtimatos maleficos.

Claudus à Petro ſanatus.

Sed omiſſis cæteris Eccleſiæ miraculis, conſideremus quam refert S. Lucas in Actis hiſtoriam ſanati à Petro claudi à nativitate ad portam Templi, & quomodo ad rei novitatem concurrentibus populis; & Chriſtum annunciandi arrepta occaſione, concionem habuerit; quæ quinque millia hominum ad fidem perduxit,ut fuſius idem Lucas. Quale autem myſterium miraculo Petri contineretur, Ambroſ. ſerm.3. in natal. Apoſtolorum enarrat, dum ait: Petrum, quia petra eſſet, ſuper quam ædificaretur Eccleſia, rectè primum ſignum mirabilium ſuorum feciſſe Claudo, pedum reſtituendo veſtigia: ut ſicut ipſe in Eccleſia fidei fundamentum continebat; ita & in homine membrorum fundamenta confirmaret: ut non mireris ſi Lucas quantumlibet prodigia,& ſigna ab Apoſtolis anteacta cap.2. facta eſſe teſtatus eſſet, tamen ab eo,quod tam inſigniter eſt editum ab Apoſtolorum Principe, cæteris prætermiſſis narrationem inſtituerit.

Umbra Petri.

Præterea narratis, quæ in Ananiam,& Sapphiram ſunt divinitus acta, ſubdit Lucas in Act.cap.5. adeo miraculis,& prædicationibus Apoſtolorum augeri ſolitam indies credentium in Domino multitudinem; ut etiam infirmos omnes, & vexatos à ſpiritibus immundis, non civitatis tantum Hieruſalem,& ſed vicinarum omnium in plateis exhiberent,ut tranſeuntis Petri umbra liberarentur ab infirmitatibus ſuis.Fuit nimirum iſta prærogativa Petri,ut ſicut inter Apoſtolos primatu in omnes eſt auctus, ita etiam inſigniora ederet miracula. Quid vero umbra Petri,niſi imago expreſſa corporis ejus?certè quidem non aliunde,quam ex hujuſmodi imaginibus umbra formatis, picturam duxiſſe originem ferunt. Clemens Alexandrinus adverſus Gentes. Rurſus vero cum eandem umbræ Petri virtutem inditam videmus, quam & ipſi corpori Petri; expreſſum videtur eandem in ſucceſſores ipſius propagari voluerit: nimirum ut quamvis non omnes æque ſancti, ac Petrus, tamen quia ejus gererent perſonam,eandem etiam retinerent à Deo illi traditam poteſtatem: ſcirentque omnes reſpectu Petri in honore habendos, qui umbram ſaltem Petri hac ex parte referrent. Baron.in ann.34.ubi Spondan.num.77.

Occur-

Occurrunt circa prædicta miracula aliquæ dubitationes, de quibus primo est inter Doctores controversia. An de substantia miraculi sit, quod fiat in instanti? Nos fœdere distinctionis opiniones conciliari posse existimamus: nempe quod aut natura cum processu temporis poterat causare illud factum, de quo quæritur, an sit miraculum, puta sanare infirmitatem; & tunc de substantia miraculi est, quod fiat statim; alias non esset miraculum, cum posset esse, quod sanatio processerit ex operatione naturæ, ex qua possibilitate excluditur miraculum, cum non concurrat insolitum, ut supra diximus: aut vero factum non erat tale, quod posset per naturam ex intervallo temporis contingere, puta illuminatio cæci à nativitate, Resurrectio mortui, & similia; & tunc etiam si intercedat intervallum temporis, non videtur cessare vis miraculi, quia qualitas temporis tunc nihil conferet ad actum, juxta not. per Abbatem in cap. ad aures num. 2. ubi Decius num. 3. de rescript.

Miraculum an fiat in instanti?

Eadem distinctione solvi potest alia quæstio: An de substantia miraculi sit: quod nullum remedium humanum fuit omnino adhibitum, nempe ut inspiciatur, an illud remedium esset aliquo modo proportionabile ad producendum illum effectum: quod si non est, minime tolli vim miraculi, & proinde nec pulvis, qua usus fuit Dominus noster in illuminatione cæci, de qua Joann. cap. 6. nec pallium, quo usus fuit S. Franciscus de Paula, & S. Raymundus in transfretando mare, sustulerunt vim miraculi, quia nullam proportionem habebant ad illa facta.

An requiratur, ut sine remedio humano.

Dicimus etiam quod dolor, qui plerumque intervenit in miraculosa sanatione, non tollit vim miraculi, ex quo nec cum dolore potest natura operari illud factum: & dolor ea fortè ratione relinquitur, ut sit in memoriam peccatorum, juxta illud Genes. cap. 3. *In dolore paries*; quasi quod sic sanati debeant recordari morbum illum sibi contigisse peccati si non actualis, saltem originalis.

Dolor an tollat miraculum?

Solent etiam Doctores ponderare gradus miraculorum, ut scilicet quod magis excedat vires naturæ. Canonistæ constituunt duos gradus miraculorum: ut primus sit quo ad factum, id est, illud cui natura penitus repugnat; puta quod Sol stet: alterum quo ad modum; puta, quod febricitans confestim sanetur, cum mille febricitantes singulis mensibus sanentur, sed repugnat modo, quod extemplo sanetur. Archid. in cap. nec mirum 26. quæst. 5. quem alii sequuntur. Theologi constituunt præterea tertium gradum, quem vocant in subjecto, sive in eo, in quo fit, v. g. resurrectio mortuorum, & illuminatio cæci, quia natura potest dare vitam, & lumen, sed non cæco, aut mortuo. D. Thom lib. 3. contra Gentil. cap. 10.

Gradus miraculorum.

Ulterius à sancto Thom. part. 1. quæst. 124. artic. 4. ad tertium argumentum, datur praxis discernendi vera miracula à non veris: nempe efficacia, utilitate, & fine. Quibus addi posse credimus qualitatem personæ, quæ facit miracula, nempe si sit aliunde probata in Catholica fide, præstans in operibus, justa, in moribus excellens; quia tunc facilius concedi potest, quod sit miraculum Dei, non autem opus Diaboli, cum quo tales homines non habent commercium. Et ex his videtur constare de veritate miraculorum, quæ etiam in præsens hic in Italia omnibus patent, nempe de Ebullitione sanguinis sancti Januarii in Civitate Neapolitana.

Vera miracula à non veris.

& de Fluxione mannæ è S. Nicolai Baren. & de Excrescentia unguis sanctæ Catharinæ Bononiensis; seu de mirabili incorruptione, & suavi odore, qui ex corpore plurimorum Sanctorum in dies manat.

Miracula an fiunt à malis.

Quæritur ex his an miracula possint fieri per malos? & concluditur etiam malos quandoque facere vera miracula. Nam in die Judicii universalis malos Christianos dicturos testatur Matth. 7. *Domine Domine nonnè in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Prophetia enim, nec non Dæmones ejiciendi, & miracula faciendi facultates, sunt gratiæ gratis datæ, quæ ut ajunt Theologi, cum peccato mortali stare possunt. Hinc S. Chrysost. in cap. 7. Matth. inquit; *Sed considera: quia in nomine Christi se prophetasse dicunt, non in spiritu: Prophetant enim in nomine Christi, sed in spiritu Diaboli, quales sunt divinatores. Dæmonia ejiciunt in nomine Christi, habentes spiritum inimici; Magi autem non ejiciunt, sed ejicere videntur, colludentibus sibi Dæmonibus: faciunt & virtutes, id est miracula non utilia & necessaria, sed inutilia & vana.* Dixit S. Thom. 22. quæst. 178. art. 2. hoc provenire ex omnimoda fide, quæ potest sine charitate operari miracula, juxta illud Pauli, 1. Corinth. c. 13. *Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Vel ob virtutem sanctissimi nominis Christi invocati, ut per Hieronym. super illud Matth. 7. *Nonnè in nomine tuo prophetavimus?* Vel ob confusionem, & justiorem condemnationem facientis, ut de prophetia Caiphæ sanctus Hieron. ubi supra. Quod tamen procedit in vita, nam post mortem, nisi Sancti faciunt miracula; sicut, etiam miracula per quemcunque etiam malum fieri possunt ad confirmationem veritatis prædictæ; secus quando miracula fiunt ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quia isto casu non fiunt miracula nisi à Sanctis. S. Thom. d. quæst. 178. art. 2. Hinc S. Aug. lib. 83. quæst. inquit; *Aliter Magi faciunt miracula; aliter boni Christiani; aliter mali Christiani. Magi per privatos contractus cum Dæmone: Boni Christiani per publicam justitiam: mali Christiani per signa publicæ justitiæ.*

Inter miracula Magorum & sanctorum hominum affert discrimen S. Aug. ist. lib. 83. Quæst. ubi quæst. 79. tom. 4. loquitur his verbis; *Cum talia faciunt Magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt: talia quidem visibiliter esse apparent, sed diverso fine, & diverso jure fiunt: illi enim faciunt quærentes gloriam suam, isti quærentes Dei: & illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia vel beneficia: isti autem publica administratione, jussu ejus, cui cuncta creatura subjecta est.* S. Thom. lib. 2. Sentent. dist. 7. quæst. 3. art. 1. inquit: Miracula bonorum hominum & Magorum, efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine differunt.

Quantum ad efficaciam, & durationem differunt: quia miracula à bonis hominibus facta, non nisi virtute divina fiunt, cujusmodi est suscitatio mortui, & id genus alia, virtutem naturæ activam excedentia; quæ dæmones re vera facere non possunt, nisi præstigiis quibusdam, hoc est incantationibus, & illusionibus, quæ diu durare non possunt.

Differunt

Differunt etiam quantum ad utilitatem: propterea quod bonorum miracula, non nisi utilitatem afferunt, cujusmodi sunt admirabiles ægritudinum curationes: Magorum autem signa sunt noxia & vana, dum volatum affectant, & ostentant, stupidaq; hominum membra efficiunt.

Differunt item quantum ad operandi modum: Boni enim Dei nomen piè ac reverenter invocantes miracula faciunt; Magi vero quibusdam utuntur deliramentis, dum se cultris incidunt, & alia id genus turpia operantur.

Differunt tandem quantum ad finem: quia bonorum miracula ad Catholicæ fidei ædificationem, atque ad rectos mores propagandos efficiuntur: Magorum vero signa non nisi manifestum fidei, & honestatis detrimentum afferre solent. Et hæc sunt, quæ ex Angelico Doctore discerpere visum est.

Prætensa Gentilium miracula.

Sed quod pertinet ad miracula, quæ non tantum suis hominibus, sed Diis ipsis ab Historicis Gentilibus sunt adscripta, cujus ea sint fidei; sincerissimus est testis Polybius hist. lib. 16. inter eos clarissimus auctor, cum de his agens, ait; *In omnibus quidem illis, quæ plebis pietatem erga Numen conservant, condonandum est historiographis, dum de talibus monstruosa, etsi non vera loquuntur: in eo verò, quod modum hunc excedit, ignoscendum non esse.* Hoc nobis demonstravit T. Livius, qui in principio primi libri de Numa Pompilio sic loquitur. *Omnium primus rem ad multitudinem imperitam, & illis sæculis rudem, efficacissimam; Deorum metum injiciendum ratus est; qui cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset: simulat sibi cum Dea Ægeria congressus nocturnos esse: ejusce moniti, quæ acceptissima Diis essent, instituere, &c.* Ac etiam consuevisse Gentiles in æmulationem verorum miraculorum, quæ à Christianis quotidie fieri cernerent, in Numinum quoque suorum gratiam sæpe miracula, & oracula fingere: cujus farinæ fuere, quædum Alexandriæ Vespasianus Imperator esset, ipsum homini cuidam oculorum labe laboranti; & alteri manu ægro, utrique monitu Serapidis Ægyptiorum Dei ad eum recurrenti restituisse sanitatem; alterius oculos oris sui excremento respergendo; alterius manum pede calcando. Tacitus histor. lib. 4. Sueton. in Vespasiano cap. 7. & alii tradunt: at vero præsentia in primis Apollonii Thyanæi Magorum omnium celeberrimi, & Vespasiano amicitia conjunctissimi, (quem his diebus Alexandriæ fuisse, ac plurimis hujusmodi imposturis in sui admirationem omnes convertisse, docet Philostratus in vita ipsius Thyanæi) non nihil moveor, ut existimem ea omnia fuisse ejusdem Apollonii arte excogitata. Sed & in his, quæ sunt visa miracula, illud etiam ex eodem Tacito considerandum; eas non fuisse ejusmodi ægritudines, quæ à Medicis curari non valuissent: Quod si à Medicis, certè facilius à dæmonibus, quorum fuit planè consilium ad obscurandam Christi gloriam, ut quæ olim à Prophetis de venturo ex Judæa Rege, qui universo dominaretur orbi, prædicta essent, intelligerentur de Vespasiano, qui apud Judæam creatus fuisset Imperator; ita namque hujusmodi sacra oracula in gratiam Vespasiani interpretati sunt Tacitus histor. lib. 5. Sueton. in Vespasiano cap. 4. atque ipse Josephus lib. 7. de Bello Jud. cap. 12. sine impietatis caligine circumfusus, sive temporibus inserviens, Vespasiano adulatus. Et quoniam qui hujusmodi Rex esset, ab

Vespasianus.

Iſaia cap.35. prædictum erat, fore ut multa operaretur miracula: hoc quoque ex parte proviſum fuit, ut idem Veſpaſianus Rex ipſe Maximus quaſi Meſſias appareret. Ac ſi prophetica vaticinia de ſe loquuta eſſe Veſpaſianus crediſſet: cur ab eodem poſtmodum tam exacta facta eſt perveſtigatio de familia David, & quos invenit, occidit? refert Euſeb. lib.3. hiſt. cap.11. niſi quod in comperto eſſet, non aliunde, quam ex ea progenie Regem illum Maximum eſſe venturum.

Adrianus De Adriano Imperatore referunt etiam, quod ipſe vivendi tædio affectus, ut eum à deſiderio mortis miniſtri removerent, accedere fecerunt ad illum diverſis temporibus mulierem quandam, aliumque virum cæcitatem fingentes, quaſi in ſomniis ii eſſent moniti, ut Adriano ſignificarent, cum ſanitatem recuperaturum, quemadmodum & ipſi cum corpus ejus tetigiſſent, viſum recepturi eſſent; quod factum cum per ſimulationem accidiſſet, ut ſpem valetudinis Adrianus acciperet, Spartianus ex ſententia Marii Maximi hiſtorici affirmat his artibus Adrianum diſtentum, in ſequentem annum vitam coactum eſſe prorogare. refert Baron. in ann. 139. ubi Spondan. num. 2.

Ulterius ſcribit Dio de cultu cujusdam Serpentis, quem poſuerat Adrianus Imperator in templo Jovis Olympii, quod Athenis ſumptuoſiſſimè erexerat; illumque ex India deportatum ibidem pro Numine habitum; nec non tempore Antonini Imperatoris alia facta miracula referuntur, quæ omnes conſentiunt ejusdem generis fuiſſe cum illis, quæ olim à Veſpaſiano, & Adriano facta eſſe dicuntur; ut refert Baron. in ann.139. & Spondan. in ann. 145. num.7.

Alexand. Magus. Nec prætereundum, quod quidam Alexander ex ſchola Thyanæi Magus, qui ex confictis Sibyllinis oraculis Æſculapium in Bithynia appariturum prænuntians, Serpentem palam adorandum expoſuit, illumque Æſculapium eſſe falſo commentus, ingentem ob reſponſa, quæ à ſe conficta dare ſolebat, pecuniam corraſit; Septuaginta, & octuaginta dragmatum millia ſingulis annis ex oblationibus hominum ex univerſa Aſia, atque etiam Roma, ac tota pene Italia, aliisque Provinciis ad hujusmodi vocale oraculum confluentium; cujus inſignem impoſturam tanquam in ſcena tragœdiam, egregie Lucianus in Pſeudo repræſentavit; additque confinxiſſe impoſtorem Numen illud, & profeſſum eſſe ſe præ cæteris odio habere Chriſtianos, itemque Epicureos, quod Deos negarent: perduraſſe vero hanc fabulam multis annis, donec tandem dictus Alexander ſeptuagenarius miſerando conſumptus eſt interitu; ut refert Baron. in ann. 145. ubi Spondan. num.6.

Hæreticorum falſa miracula. Sed omiſſis, quæ innumera ſunt, Ethnicorum miraculis, conſideremus quæſo, quæ prædictis ſimilia ſunt, Hæreticorum præſtigia, & impoſturas; ex quibus Eccleſia Dei graviorem paſſa eſt jacturam, quàm à perſequutoribus Tyrannis. Etenim Marcus ex Valentini diſcipulis, addens Hæreſi Magiam, inter alia prophana, quæ in ſacris myſteriis operari ſoleret, Calicem Euchariſticum purpureum, & rubicundum apparere faciebat, ut putaretur eam gratiam in ſuum Calicem inſtillare; unde homines in ſui admirationem excitans, eosdem cæteris præſtigiis, & invocationibus multa

deliria

deliria proferre cogebat: cum & ipse Dæmonem quendam haberet, per quem prophetare videretur: hisque artibus circumiens Christianum orbem, seduxit quamplurimos; sicuti fusius Irenæus adversus Marcum l. 1. cap. 8. & 9. & refert Baron. in anno 175. ubi Spond. num. 8.

Nec multum dissimile, quod Cyrola Arianorum Antistitum Princeps, cujusdam hominis Ariani suppositití, qui se cæcum pretio accepto fingebat, aperire oculos videri voluisset eundem antea quidem optime videntem; simul ac oculos ejus tetigit, revera cæcum reddidit: cui fraudem coram universis detegenti, Eugenius Carthaginensis Orthodoxus visum confestim signo Crucis reddidit, refert Greg. Turonens. lib. 2. histor. cap. 3. & Baron. in ann. 484. num. 7.

Sed ne ulterius nostrum thema protrahamus, maleficiis, & incantationibus uti solitos Hæreticos Helcesaitas, de quibus Baron. anno 105. ubi Spondanus num. 2. item Basilianos, Baron. ann. 120. ubi Spondan. num. 7. Carpocratianos, Baron. ann. 120. ubi Spondan. num. 12. Gnosticos, Baron. ann. 120. ubi Spond. num. 14. 16. Ophitas, Baron. ann. 145. ubi Spond. num. 5. Montanistas, Baron. ann. 173. ubi Spond. num. 3. Severianos, Baron. ann. 174. ubi Spond. num. 5. Marcitas, Baron. ann. 175. ubi Spond. num. 8. Sed omissis his, & quamplurimis similibus Hæreticorum vanis visionibus, nec veris miraculis, de quibus etiam Martinus del Rio disquisit. magic. lib. 6. c. 2. sect. 3. quæst. 3. simile est etiam, quod legimus de elevatione Simonis Magi, &c.

An dæmon faciat miracula.

Non absimilis omnino præcedenti est altera quæstio, quod dæmon non possit facere miracula, nec aliqua creatura, si propriè illa accipiantur, sed solus Deus: secus tamen si miracula largè sumantur, nempè quod excedit humanam facultatem, & considerationem: & sic dæmones possunt facere miracula, quæ scilicet homines mirantur. D. Thomas in part. 1. quæst. 114. art. 4. in corpore. Advertendum tamen, quod omnes transmutationes corporalium rerum, quæ possunt fieri per aliquas virtutes naturales, ad quas pertinent quædam semina, quæ in elementis mundi inveniuntur; hæc possunt fieri per operationem Dæmonum hujusmodi seminibus adhibitis, nempe cum aliqua transmutantur in serpentes & ranas, quæ per putrefactionem generari possunt.

Illæ vero transmutationes corporalium rerum, quæ non possunt virtute naturæ fieri; nullo modo operatione dæmonum secundum rei veritatem perfici possunt: sicuti, quod corpus humanum mutetur in corpus bestiale; aut quod corpus hominis mortuum reviviscat, & quando aliquid tale operatione dæmonum fieri videtur: hoc non est secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum: quod quidem dupliciter potest contingere.

Uno modo ab interiori, secundum quod dæmon potest immutare phantasiam hominis, ac etiam sensus corporeos; ut aliquid videatur aliter quam sit: & hoc etiam interdum dicitur fieri virtute aliquarum rerum corporalium. Alio modo ab exteriori, cum ipse possit formare corpus ex aere cujuscunque formæ, & figuræ, & illud assumens in eo visibiliter appareat: potest etiam circumponere cuicunque rei corporeæ quamcunque formam corpoream, ut in ejus specie videatur. D. Thom. part. 1.

 quæst.

quæſt. 114. art. 4. ad 2. ac etiam idem D. Thom. 2.2. quæſt. 178. art. 2. in corpore. Utroque autem modo Angelus, ſive bonus, ſive malus, immutare poteſt ſenſum hominum, ſive naturali virtute apponendo exterius ſenſui ſenſibile aliquod, vel à natura formatum, vel aliquod de novo formando; ſicuti facit dum corpus aſſumit. Similiter poteſt etiam interius commovere ſpiritus, & humores, ex quibus ſenſus diverſimodè immutentur: præter ordinem tamen totius creaturæ facere non poteſt, ſed præter ordinem alicujus tantum particularis naturæ cum tali ordine non ſubdatur; & ſic quodam ſingulari modo poteſt ſenſum immutare præter modum communem. D. Thom. part. 1. quæſt. 111. art. 2. 3. & 4.

Ex quibus concludimus, quod vera miracula ea tantum ſint, quæ à veris Chriſti fidelibus in Catholica tantum Eccleſia peraguntur.

C A P. LXVIII.

Quòd vera Miracula in Catholica tantum Eccleſia continuaverint ab Apoſtolis ſingulis quibusque ſæculis.

PRæfata vera miracula ab exordio Eccleſiæ per omnia ſæcula uſque in præſens continuaſſe ſemper conſtat; quorum præcipua aliqua infra recenſebimus. Etenim in primo ſæculo de Joanne Evangeliſta refert Tertull. de præſcript. hæret. cap. 36. *Apoſtolus Joannes poſtea quam in oleum igneum demerſus eſt, in inſulam relegatur.* Et in eodem ſæculo de Sancto Polycarpo refert Euſeb. lib. 4. cap. 14. ut ad ignem damnatus nondum absque læſione remanſit: verum quidam ſplendor flammas ipſas ſuperans, ipſum circumfulgens, tantus & tam flagrans odor inde egrediebatur, ut idem velut ex thure odorifero, aut alio quovis pretioſo aromate afflatus videretur.

Intra Secundum ſæculum de fœmina mortua, refert Tertullian. lib. de anima cap. 14. quæ oratione cujusdam presbyteri junctis manibus abſolutionem recepit; & deinde ad eundem ſtatum, quo illa erat, revertitur. Eodem ferè tempore Gregorius Neocæſareæ ſolo verbo Infirmos ſanavit, & Energumenos liberavit: ejusdem precibus mons Eccleſiæ ædificium impediens in aliam partem translatus: Lacus per eum miraculosè exſiccatur: Licus fluvius inundans per ipſum firmatur. Demum tot miraculis per ipſum geſtis Thaumaturgus denominatur, nempè mirabilium Operator, de quo Beda, & Gregorius Niſſenus, lib. 4. cap. 2.

Intra Tertium ſæculum: ſanctus Romanus poſt reciſam linguam coram Tyranno loquitur, ex Prudentio in hymno ejusdem Romani; ac etiam Chryſoſtomus in Encomio ejusdem. Item Albanus Tamiſim flumen ſiccis pedibus tranſit, quem alii mille homines ſimiliter eundem fuere ſequuti, refert Beda lib. 1. cap. 7. hiſtor. Anglic. Ac etiam ſanctus Paphnutius, ex Ruſino lib. 1. cap. 4. totidem, ac Apoſtoli fecit miracula, Dæmones expellendo, ſanando Infirmos, Cæcos illuminando, &c. Plurima etiam ipſo tempore geſta miracula à ſancto Hilarione Abbate refert S. Hieronym. in vita ejusdem Hilarionis. De S. Hilario Epiſcopo refert Fortunatus in ejusdem vita, mor-

mortuos ipſum reſuſcitaſſe, & ægrotos ſanaſſe. De S. Martino refert Severus Sulpitius in ejus vita, ipſum vires naturæ miraculis exceſſiſſe, mortuos ad vitam revocando, & alia mirabilia faciendo.

Intra Quartum ſæculum præter miracula, quæ geſſit Thalaſius, & Simeon Stilita, de quibus Theodoretus: Refert Nicephorus lib. 15. cap. 23. de quodam Epiſcopo, qui in teſtimonium fidei, & veritatis, ingreſſus intra ignem, abſque ulla læſione inde egreditur. De Mamerto Epiſcopo Viennenſe, ex Gregor. Turonenſ. lib. 2. hiſtor. Francorum, cap. 34. profluvio lachrymarum per ipſum extinctum fuiſſe ignem comburentem Civitatem. Refert Nicephorus lib. 15. cap. 23. de Pictore, cujus manus aruerat, cum tentaſſet effigiare Chriſtum in Jovis ſchemate, ſed errorem ille agnoſcens, & confeſſus, à Gennadio Conſtantinopolitano Patriarcha conſequitur ſanitatem. Gregor. Turonenſ. lib. 2. hiſtor. Francorum, cap. 31. inquit de S. Remigio Epiſcopo Rhemenſi, qui ignem Crucis ſigno extinxit, Dæmoniacum ſanavit; ejusdemque precibus mortuus ad vitam revocatus, conſequitur ſanctum Ampullam, futura prædicit, & poſt ejus mortem alia magna Miracula facta.

Intra Quintum ſæculum ſanctus Proculus Martyr, ex Sigonio in hiſtor. Bononienſ. lib. 1. cum ille decollatus fuiſſet, coram omni populo caput accipit, illudque refert. Joannes ſummus Pontifex, ut inquit Ado Viennenſis ætate 6. Conſtantinopoli cæcum illuminavit. S. Benedictus Abbas, ex S. Gregor. in Dialogis, cum ſigno Crucis cuppam ſignaſſet, in qua venenum erat appoſitum, illum frangit: arido marmore fontem erumpere fecit: Mortuum revocavit ad vitam: & alia mirabilia peregit. S. Maurus (ex eodem Gregor.) illuminat cæcum, paralyticum, & energumenum ſanat. S. Auguſtinus Angliæ Apoſtolus ad Catholicam fidem Regnum illud convertit, mirabilia ſupra vires naturæ peragendo, quæ refert Beda hiſt. Anglic. lib. 1. cap. 31.

Intra Sextum ſæculum ſanctus Arnulphus Epiſcopus Metenſis, ex Surio tom. 4. Dæmones expellit, morienti ſanitatem reſtituit, & ſigno Crucis magnum extinguit incendium. S. Amandus, refert Gaudemundus in ejus vita, ut mortuum ad vitam revocaverit, paralyticum ſanaverit, cæcum illuminaverit. S. Trudus Presbyter precibus ad Deum è terra aquam miraculosè ebullire fecit, refert Theodorus in ejus vita. & S. Florentius Epiſcopus lumen, & uſum linguæ contulit filiæ Regis Dagoberti, quæ cæca, & muta erat à nativitate.

Circa Septimum ſæculum Agatho ſummus Pontifex, ut inquit Platina in ejus vita, vir certè tantæ ſanctitatis, ut Leproſum obvium factum oſculo ſuo ſtatim liberaverit. Præterea Wibertus in carcere ab Angelo liberatus, cæcos illuminat, paralyticos ſanat, & mortuos ad vitam revocat, ex Marcello in ejus vita.

Inter Octavum ſæculum Abbas Joachinus, ex Metaphraſte in ejusdem vita, ſigno Crucis Draconem ſubmergit: quandam inſulam ejus precibus à Serpentibus liberat, & orans in aerem elevatur. In translatione Reliquiarum S. Marcellini lumen receperunt cæci, auditum ſurdi, claudi motum, ſanitatem plurimi ægrotantes, refert Eginardus lib. 2. cap. 6. & 7. Sanctus Rembertus Danos, & Suevos convertit ad Catholicam fidem prædicatione & miraculis, quæ Deus per ipſum maxime operatus eſt,

refert

refert Albertus Crantz.in Metropol. lib. 2. cap. 10. S. Rumoldia filia Regis Scotiæ mortuum in vitam revocat,ex Surio tom.7.

Intra Nonum sæculum, S. Poppo ferrum igneum magni ponderis defert in testimonium veræ nostræ fidei. Albertus Crant. in Metropol lib.3.cap.34. S. Damertanus Episcopus Cantuarienſ. dæmones expellit,fontem è terra fecit ebullire, cantus Angelorum audivit,ex Alberto in ejus vita. S. Majolus Abbas Cluniacensis plurimos à diaboli illusionibus liberavit,alios serpentium morsibus ulceratos sanavit &c. Odilo presbyter in ejus vita cap.11.

Intra Decimum: Rex Robertus,ex Halgaudo in ejus vita, solo tactu, & Crucis signo infirmos sanabat. De Eriberto Archiepiscopo Coloniensi fœmina paralytica, cui ille benedictionem contulit,in instanti sanata est, ex Roberto Tuitiensi in ejus vita. S. Odilo Abb. Cluniacenſ.signo Crucis illuminat cæcum à nativitate, refert Petrus Damianus in ejus vita.

Intra Undecimum sæculum, S. Malachias Episcopus Irlandiæ,ut refert S. Bernardus in ejus vita,Confirmationis Sacramentum administrans,paralytico, & surdo sanitatem confert, ac etiam nobilem fœminam paralyticam sanat. S. Bernardus ex Alberto Stadensi,& aliis manifestat Divinam virtutem sibi communicatam supra muros, claudos, cæcos,paralyticos, febricitantes,& alios. S. Hildegardis Abbatissa, ex Trithemio, & aliis,habuit infusam scientiam sacræ Scripturæ,& S. Thomas Cantuariensis aquam in vinum Crucis signo translulit,ex Hermaldo in Chronic. Sclavonum lib.2. cap. 19.

Duodecimo sæculo, S. Franciscus, & S. Dominicus primi Fundatores duorum celeberrimorum Ordinum in Ecclesia Dei, tam grandia, & immensa illi peregere miracula, ut vix aliquid à Deo petierint,quod non fuerint consequuti. Vincentius Burgundus, Bonaventura, & alii. Elisabeth Ungariæ Regis filia decem & septem mortuos revocat in vitam,& cæcum à nativitate illuminat, Bonfin. lib. 7. decade 2. rerum Ungaricarum. S. Bonaventura obtinuit à Deo vitam pro mortuo infante, ut Baptismum reciperet: Jacobus Montanus Spirensis in ejus vita. Petrus Cælestinus liberat energumenos,claudos,& paralyticos sanat.

Nec prætereundum in hoc sæculo anno 1291.sedente Nicolao IV. Romano Pont.Domus in Castro à Nazareth Galilææ provinciæ,in qua Virgo Deipara prodiit in hujus orbis lucem, ex eademque inde in cælum migravit: nec non ubi JESUS Christus Verbum Patris caro factum est: Hæc inquam domus tunc Angelorum ministerio in Dalmatiam translata: & inde post varias mansiones, demum anno 1295. Bonifacio VIII. Romano Pontif.in agro Lauretano propè Recinetum immota permansit; ubi ex tunc usque in præsens magna miraculorum, & hominum frequentia continua veneratur, ut refert P. Torsellinus Societ. JESU.

Intra Decimum tertium sæculum, S. Ivo presbyter Britannus, aquas Crucis signo dividit,incendium extinguit,energumenum liberat. Surius tom.3. S.Rocchus nobilis Narbonenſ. Romæ, & alibi immensum hominum numerum, qui à contagio erant ulcerati Crucis signo sanavit,refert Albert. Crantz. in Metropol l.9.c.25.Sancta

Catha-

Catharina Senensis propriam matrem à mortuis revocavit, quæ absque confessionis acramento decesserat: nec alio cibo eadem reficitur à Dominica I. Quadragesimæ usque ad Octavam Paschæ; quam admirabili Eucharistiæ Sacramento, ut retulit Raymundus Capuanus in ejus vita.

Decimo quarto, S. Vincentius Ferrerius Ord. Prædicatorum puerum phreneticum propria manu occisum revocavit ad vitam; sicuti alios mortuos resuscitavit, & alia innumera egit miracula, ut in Bulla ejusdem canonizationis. S. Bernardinus Senensis, cum nunquam Græcum idioma apprehendisset, Græcè concionabatur Græcis; super aquas incedit: & alia multa, de quibus Joannes Capistranus, & alij in ejus vita. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus mortuam resuscitat, & alia multa fecit. Vincent. Maynardus in ejus vita. S. Didacus mortuam puellam in vitam revocat, & innumera operatus est miracula super infirmos. Thomas Bozius de notis Eccles. lib. 7. cap. 1.

Sancta Francisca nobilis Romana, ut matronas à pompis sæculi, & ornatus vanitate revocaret, Domum Oblatarum sub Regula S. Benedicti adhuc viro alligata in magnum hujus Urbis splendorem instituit: Hæc, inquam, Tutelaris Angeli familiarem habuit consuetudinem: Gratia curationum, & Prophetiæ dono enituit, & cordium secreta penetravit: Non semel aquæ, vel per rivum decurrentes, vel è cœlo labentes, intactam prorsus, dum Deo vacaret, reliquerunt: Modici panis fragmenta ejus precibus Dominus multiplicavit ad plurimarum sororum saturitatem, & exuberantiam: Extra Urbem mense Januario recentis Uvæ racemis, ex vite in arbore pendentibus mirabiliter obtentis, abundè explevit sitim suarum sororum: & alia innumera fecit, de quibus Bulla Canonizationis, & relata per alios, qui ejusdem vitam scripserunt.

Intra Decimum quintum sæculum, S. Franciscus de Paula ardentem ingreditur fornacem absq; læsione: super aquas incedit: ac omnia infirmitatum genera sanat. Sadoletus in ejus Canonizatione. S. Ignatius Lojola hominem, qui tædio vitæ exasperatus, & necessitate pressus cum se occidisset; in vitam revocat, usquequo confessus absolutionem obtinuit. Petrus Maffæus lib. 3 c. 14. S. Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus, tres mortuos resuscitat, & mirabilia multa fecit. Tursellinus ejus vita. S. Carolus Borromæus Cardinalis percussus globo sulphurei instrumenti, illæsus remansit.

Sanctus Philippus Nerius Fundator Congregationis Oratorij, præter innumera miracula dignus qui & Angelo in specie pauperis eleemosynam erogaret: Cœlestium spirituum, & ipsius Deiparæ Virginis frequenter fuit apparitione dignatus, ac plurimorum animas splendore circumfusas in cœlum conscendere vidit.

In præsenti hoc nostro Decimo sexto sæculo, extat magnus numerus hominum utriusque sexus, quorum mirabilia possent referri; nisi admonuisset nos non solum Sapiens, verum & Poeta Ethnicus, quod *Ante obitum nemo, supremaque funera vitæ dici Beatus, &c.*

Hoc tamen non prætermittam ex remotissimis Indiarum Regionibus recensere: quoniam ut retulit mihi diebus præteritis in familiari sermone Admodum

Reverendus P. Antonius Cardim Societatis Jeſu, Procurator hic Romæ Regni Japonis, ubi hi recentes Chriſtani in præſenti à Miniſtris Regiis dira ſupplicia, & mortes pro Chriſti religione patiuntur: hi inquam, fide vera dum à Catholicis Sacerdotibus aquam benedictam ſigno crucis recipiunt, ſtatim ſanitatem, & alias gratias manifeſtis miraculis à ſummo Deo conſequuntur; ut jam in priſca Eccleſia ſolitum.

Præterea maximè notandum, quod etiam ſcribit Admodum Reverend. P. Franciſcus Barretus Procurator Provinciæ Malavar ejusdem Societ. Jeſu, qui in Relatione de ſua provincia, inquit ibi, Eccleſiam S. Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo dicatam, ad quam tam frequens eſt non ſolum Chriſtianorum, ſed & infidelium cœtus ad petendas gratias, ut vix dici poſſe videatur: Gentiles adeo venerantur templum, ut ad indagandam veritatem impellant aliquem pro S. Franciſco Xaverio ſacramento ſe adſtringere; adeo certum apud ipſos veritatem inde manifeſtis ſignis revelandam; ut ſæpius accidiſſe fatentur. Affirmat idem Pater apud eosdem Infideles admiratione dignum eſſe illud, quod ad indagandam eandem veritatem experiuntur: jubent enim, ut quis manum in oleo fervente immittat, vel ferrum candens manu attractet; ſi innocens ſit, liber & incolumis retrahit manum, ferrumque abſque ullo nocumento arripit; ſi vero nocens, momento temporis comburitur manus, atque adeo inde condemnatur, &c. ſed de his apud alios diffuſius.

CAP. LXVIII.

De Canonizatione Sanctorum, deque Apotheoſi, ſeu Conſecratione Romanorum.

ANtequam de Canonizatione Sanctorum ſim dicturus, præfabor aliqua de Romanorum Apotheoſi, ſive conſecratione: cujus mos à Cæſare Auguſto primum inſtitutus, deinde à Tiberio inſtauratus: quique erant eo honore affecti, inter Divos relati dicebantur.

De quibus aliqua referam ex Dione, & Herodiano de conſecrationibus Auguſti, Pertinacis, Severi, & ſimilium. Poſtquam igitur Imperator vivus Roſtra aſcenderat, defunctumque Imperatorem laudaverat, Senatoribus adſtantibus, & lugentibus: Erat lectus ex Ebore, & auro factus, ſtragulis purpureis, auroque intextis ornatus, ſubterque illum tanquam in feretro corpus ejus jacebat occultum. Ante omnia verò ſtatua ejus cerea veſtitu triumphali videbatur, eaque ex Palatio ferebatur ab iis, qui in ſequentem annum Magiſtratus deſignati fuerant: deinde ex Curia altera aurea, tertia curru Triumphali vehebatur; ferebanturque ſtatutæ majorum ipſius, atque propinquorum, qui ex vita diſceſſerant, ſicuti & aliorum Civium Romanorum, qui in Magiſtratu fuiſſent. Aderant etiam omnes Provinciæ, & Nationes pictæ, quæ aut in ſocietatem ab ipſo acceptæ, aut devictæ fuerant. Ita extra urbem in Campum Martium veniebant; Rogusque, ſive ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgebat; nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus, in Tabernaculi formam, impletus interius aridis fomitibus, extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis. Erat ſupra tertium & quartum Tabernaculum minuſcu-

nusculum quidem positum, sed forma & ornatu persimile, portis, januisque patentibus semper, donec ad extremum omnium brevissimum, in cujus summo currus inauratus, quo mortuus Imperator olim vehebatur, erat collocatus.

Quæ ubi celebrata erant, facem capiebat Imperii successor, eamque Tabernaculo admovebat; tum Coss. primo, & cæteri Magistratus ordine ignem subjiciebant, cunctaque illico fomitibus, odoramentisque referta igni valido corripiebantur: Mox à supremo Tabernaculo, tanquam è fastigio subjecto igne Aquila dimittebatur, quæ in cœlum ipsam Principis animam deferre credebatur: Ac jam ex tunc una cum cæteris Numinibus Imperator defunctus colebatur.

Prædicti tabernaculi formam in plurimis nummis expressam habemus, sicut etiam in aliis apparent Aquilæ, & Pavones defunctos Imperatores, vel Augustos in cœlum portantes, ut hic ex historia Augusta Angelonij in vita Marci Aurelij delineari curavi. *Num.16*

Consecratis Flamen, & Sodales, qui ab eo nomen acciperent, & S C. addebantur; templumque in quo hymnos in ejus honorem compositos tenerent, canerent.

Non fuit tantum hæc Consecrationis consuetudo Romanorum, verum etiam aliorum: & quidem de Hercule, Libero, Castoribus, aliisque Diis Consentibus: De Alexandro Macedone præter Plutarchum & Q. Curtium, refert Ælianus var. histor. lib. 5 cap. 12. *Convocata Atheniensium concione Demades surgens decreto jussit, ut Alexander scriberetur deus decimus tertius.* Sed cum indignum Græcis id videretur; mulcta centum talentorum ei irrogata est. Idem Ælian. l. 9. var. histor. cap. 37. Et Olympias mater ipsius inquit. *O fili, tu verò, cum inter cœlites locari volueris, & id perficere summo studio conatus sis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale, & par jus est, particeps fieri potes, terræque simul, ac sepulturæ.* Id autem ipsius Alexandri epistolis non nisi superata Perside, & profligato Dario denunciatum est. *Nam tunc scripsit Græcis, ut se Deum facerent, satis equidem stulte: & cum mandata ad singulas Græciæ civitates referrentur, quidem metus, quidam commodi & emolumenti specie invitati decreverunt, quod ille petebat humanæ fragilitatis oblitus.* Ælianus var. histor. lib 2. cap. 19. Sed tamen decimus tertius inter deos Consentes factus. Pierius hierogl. lib. 43.

Longum foret referre apud Romanos Antoninos, Trajanum, Claudium, Vespasianum, & cæteros, de quibus Vopiscus, Lampridius, Spartianus, inquit Kirchmannus lib. 4. de funere Roman. Unicum hoc dixisse sufficiat, omnes Imperatores inter Deos post mortem referri solitos, quos appellat Juvenalis satyr. 6. *Rivales Divorum.* Vet. Scholiast. *Ridens, quia Imperatores inter Deos referuntur.* Hinc facetum illud Vespasiani Principis, *qui prima morbi accessione (ut inquit) puto Deus fio.* Sueton. in cap. 24. in fin. & idem in Julio cap. 88 *Stella crinita per septem dies continuos fulsit, creditumque est animam Cæsaris esse in cœlum recepti, & hac de causa simulachro ejus in vertice additur stella.* Unde 8. Æneid.

Geminas cui tempora flammas
Læta movent patriumque aperitur vertice sidus.

Propert. lib. 4, eleg. 6.

Tum Pater Idalio miratus Cæsar ab astro
Sum Deus, & nostri sanguinis ista fides.

Et Jupiter Ovidianus 15. Metamorph. ad Venerem inquit;

Hanc animam interea caso de corpore raptam,
Ac jubar.

De canonizatione Sanctorũ.

Talis fuit Ritus superstitionis in Consecratione Imperantium Romanorum: Qualis autem religiosior, ac sanctior sit Christianorum observatio in scribendis fidelibus in Sanctorum Catalogum, patet: quoniam Sanctum ab Ethnicis non nisi à sanguine Hostiæ nuncupatum narrat Isidorus lib. 15. Etymologiarum c. 4. *Nihil enim apud eos* (inquit) *dicebatur Sanctum, nisi quod Hostiæ sanguine fuisset consecratum, aut conspersum.* In veteri etiam lege omnia sanguine animalium in sacrificiis sanctificabantur, aut mundabantur, B. Aug. teste, qui ait Hebr. 9. *Et omnia penè in sanguine secundum legem mundabantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Beati vero in cœlo existentes, Sancti dicuntur, reque ipsa sunt; quia in sanguine Agni immaculati à suis peccatis mundati olim fuerunt: ut in Apocal. cap. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Licet olim indistinctè Christiani Sancti appellarentur, ut à Paulo ad Rom. 1. & 15. Item 2. Corinth 13. & à Luca Act. 9. posterisque Ignatio, Polycarpo, Tertulliano, & alijs: Et apud Ethnicos Græcos Hosij, hoc est Sancti, honoris causa, dicebantur Sacerdotes. Plutarch. de oraculorum defectu in fine. At demum obtinuit usus apud fideles, ut illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori, probatiorique fulgerent morum sanctitate: nec non canonizandus pro Sancto debet prius extitisse præditus omnibus virtutibus, etiam in gradu excellenti, quoad illas omnes, qui una virtus sine alijs esse non potest, D. Thom. 1. 2. quæst. 65. art. 1.

De canonizatione particulari.

Pervetustum fuit in Ecclesia Catholica, ut particulares canonizationes in quibusdam provinciis, seu Diœcesibus fieri consuevissent: sicuti etiam consuetudines sæculares vim habent legis, ex tacito consensu Principis, & sine eo nullum vim habent; ut ex S Thoma 1. 2. quæst. 97. artic. 3. ita Sancti alicujus cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita, vel expressa summi Pontificis: Ac propterea in prædictis temporibus quilibet Episcopus poterat in propria Diœcesi canonizare; ut ex S. Cypriano in epist. 6. lib. 3. ubi præcipit admoneri de quolibet Martyre, ut de illo in sacrificiis recolatur memoria, his verbis, *Denique, & dies eorum, quibus excedunt, annotare, & commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus; quanquam Tertullus fidelissimus, & devotissimus frater pro solicitudine & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, scripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Idem recensetur Sess. 7. Concilij Florentini, ubi Patres Latini dixere, quod Simeon Metaphrastes honoraretur à Græcis ut San-

Sanctus: quod cum in Occidente non servetur, consequens est, ut illa particularis Canonizatio fuerit.

Extat etiam de hoc egregius locus Optati Melevitani lib. I. adversus Parmenianum, cum de Lucilla potenti, ac factiosa fœmina Donatistarum patrona, hæc ait: *Cum correctionem Archidiaconi Caciliani hac ferre non posset, qua ante spiritualem cibum, & potum os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris libere dicebatur: & cum praponeret, & Calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed nondum vindicati; correpta, cum confusione irata discessit.* Quibus planè Optatus significat nefas fuisse venerari reliquias Martyris alicujus non vindicati, hoc est nondum probati, & recepti.

Moris enim erat, ut cum aliquis martyrio occubuisset, Episcopus, sub cujus ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Primatem Episcopum, à quo maturè adhibitis in consilium Collegis Episcopis, an inter Martyres esset recipiendus, decernebatur, cujus rei ritum & ordinem satis monstrant ea, quæ S. Augustinus scribit in brevi collat. diei 3. cap. 13. dum habet, quod *Secundus Tigistanus Episcopus in Numidia scripsit ad Mensurium Episcopum Carthaginensem de iis, qui in ea provincia tunc feliciter Martyrio occubuissent, eo quod sacros Codices juxta Diocletiani edictum tradere noluissent: quos omnes Martyrum honore, & cultu esse dignos ille rescripsit. Qui idem Mensurius aliis quibusdam passis nomen Martyris, & venerationem deferendam esse certis ex causis negavit,* ut ibidem cap. 13. idem testatur. Quinam autem hi essent? subdit his verbis: *Quidam etiam in ea epistola facinorosi arguebantur, & fisci debitores, qui occasione persequutionis, vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certè acquirere pecuniam, & in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum, &c. Hi etenim (ut paulò superius ibidem dicitur) his de causis se offerebant persequutoribus non rogati, utroque dicebant se habere sacras & Divinas scripturas, quas tradituri non essent: quos ipsos Mensurius inter Martyres recenseri vetuit. Quod quidem Donatistas offendit, qui in eundem Aphrica Primatem, ac etiam in ejus Archidiaconum invidiam, & odium excitarunt.* Sed de his alias.

In Ecclesia primitiva quamvis non fuerint solenni ritu Sancti catalogo Beatorum adscripti: ritu tamen aliquo in Codices referebantur à Notariis & Diaconis, ut dixi: qui eorundem animi humilitatem, pietatem, abstinentiam, & charitatem; miracula denique, actaque omnia, & quæcunque illa sint, quæ veram hominis sanctitatem præseferunt, jussu Romanorum Pontificum conscribebant: Res item Martyrum gestas, nec non varias propter justitiam persequutiones & cruciatus omnes, ac necem pro Christi fide susceptam litteris mandabant. Jamque inde à nascentis Ecclesiæ primordio, jussu eorundem Romanorum Pontificum, Sanctorum nomina, nec non dies, quibus ex hac vita decedebant, in Codices referebantur. Ex hoc deinde annotandi conscribendique genere originem postea sumpserunt Martyrologia: quorum primus auctor fuit Eusebius, cujus Martyrologium sanctus Hieronymus in Latinum transtulit, Beda sub initium Retrotractationum in Acta Apost.

Illum

Illum imitati sunt Beda, Ado Trevirensis, ut ait Pamelius in epist. 37. Cypriani. Jussu autem Caroli Magni suum congressit Martyrologium Usuardus. Illud tamen, quod à Romana Ecclesia fuit congestum atque concinnatum, hodie in omnibus Ecclesiis legitur. Apud Græcos idipsum, sed prolixius, præstitit Simeon Metaphrastes. Et hæc de Martyrologiis ad nostrum de antiquitate canonizandi institutum dicta sufficiunt.

Erat autem pernecessaria hujusmodi de Martyribus inquisitio, non tantum ob prædictas causas, sed quoniam Hæretici, atque Schismatici aliquando pro Christi nomine à persequutoribus tormenta pati videbantur, & mortem; & quidem ipsis ferè nascentis fidei exordijs, cum omnia Martyrum sanguine redundarent, ut scribit Euseb. hist lib. 4. cap. 14. propè finem, & lib. 5. cap. 15. & S. Augustinus de Donatistis sæpe testatur, eos omnes & alienos à Fide, & Communione Catholica, Dei Ecclesiam respuere consuevisse; cum ex sententia Cypriani, & Augustini, omniumque Orthodoxorum, quicquid aliquis extra Ecclesiam patitur, non martyrium censendum, sed dicenda sit pœna perfidiæ. Hæc de his quæ spectant ad Martyres.

Quo verò ad inquisitionem de eorundem Fide, & Charitate, exquisitam pervestigationem haberi, moris fuit; etenim si quis det corpus suum, ita ut ardeat, nihil tamen prodest sine charitate: sane mirum videri non debet sanctam Dei Ecclesiam veritatis Columnam, majus studium, multoque exactiorem diligentiam adhibere solitam in adscribendis hominibus Sanctorum numero, quam in cæteris actibus; ut merito tanti ponderis negotium non Primati, vel Patriarchæ alicui: sed ipsi tantum Romano Pontifici, pro summa ei à Christo Domino in beatissimo Petro Apostolo ejusque successoribus tradita potestate, sit creditum.

Etenim progressu temporis, cum satis faciles fuissent aliqui Episcopi ad redigendos aliquos in catalogum Sanctorum intra terminos particularium Diœcesum; propterea hujusmodi Decisiones ad sanctam Sedem fuerunt remissæ. Quoniam sicut Christus Dominus solus est, qui in Ecclesia triumphante sanctificat; ut in Levit. *Ego Dominus sanctifico eos:* Ita in militante Ecclesia ad solum Romanum Pont. qui est Christi Vicarius, sanctificationis approbatio, & promulgatio pertinet. Ang Roccha de Canonizatione Sanctorum cap. 4. Hinc factum ut de hoc conqueratur Alexand. III. summus Pontifex, quod aliquis ebrius occisus, tanquam Sanctus veneraretur; ut propterea imposterum absque Romanæ Ecclesiæ Sedis auctoritate id non succedat: sicuti refertur in cap. 1. extra de reliq. & venerat. Sanctorum his verbis. *Audivimus quod quidam inter vos diabolica fraude decepti hominem quendam in potatione, & ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur: cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis, Ecclesia permittat orare: dicit enim Apostolus; Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non præsumatis de cætero colere: cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Quod etiam decrevit Honorius Papa III. in cap. venerabilis extr. de testibus, & attestat. Et ex his patet non amplius extare in præsentia particulares Canonizationes, sed solum generales à Romano Pontifice tantum decretas.

Quæ

Quæ autem requirantur in eo, qui canonizandus est: breviter indicabimus. Primo, Fama inculpatæ vitæ, longa temporum serie ad finem usque vitæ inclusivè nunquam interrupta. Secundo, vitæ item rectitudo, Catholica fide prævia, & factis & dictis comprobatur: Nam circa spiritualia & corporalia misericordiæ opera; circa item castitatem, sobrietatem, & abstinentiam, circa bonos mores, actus & labores multos, vel pro fide, vel pro animarum salute constanter oleratos, & circa denique virtutes omnes, præsertim vero circa Christianam humilitatem versatur. Tertio, vera vitæ integritas, & innocentia miraculis interdum illustratur, ac declaratur. Quarto, quamvis vera vitæ sanctitas sine miraculis pro aliquo canonizando sufficiat; contra vero non item, ut ex D. Augustino. Ea tamen miraculis splendidius comprobatur, ac demonstratur: dummodo in eis veri miraculi conditiones non desiderentur.

Requisita ad Canonizationē.

De prædictis autem generalibus, seu solennibus Canonizationibus à Romanis Pontificibus; Prima, quam refert Baronius in anno 904. ubi Spondanus num. 2. Cum advenisset in Germaniam S. Leo III. summus Pontifex magna solennitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, & Prælatorum, & Primatum, atque ab Imperatore Carolo Magno Imperialiter cum suis susceptus; inter multa pietatis suæ opera, oppidum Werdam ipsum Pontificem cum Imperatore accedentem, ejusdem rogatu B. Svvibertum post lectam ipsius sanctissimam vitam, innumeraque miracula, postque actas preces, ac celebrata Jejunia, de consensu Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, solenni ritu inter sacratissimum Missæ officium sanctorum Confessorum catalogo adscripsisse pridie Nonas Septembris: ut ex epistola S. Ludgerij Monasteriensis Episcopi ad Rinfridum Trajectensem Episcopum ibi: *Pridie Nonas Septembris S. Leo Papa de assensu pariter & consensu suorum Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, illic coram adstantium, solenniter Svvibertum Catalogo sanctorum Confessorum adscripsit.* Atque hæc Canonizatio solenni ritu prima reperta est celebrata, ut etiam apud Surium 1. Martij in appendice ad vitam S. Svviberti, Card. Bellarmin. in 7. controvers. gener. lib. 1. cap. 8. vers. dicet, affirmat se legisse primam canonizationem solennem factam à Leone III sed dubitat an aliæ præcesserint.

Generaliũ Canonizationum.

Fuit quoque Canonizationis alius minus solennis modus. Etenim, ut refert idem Baronius anno 1027. & ibi Spondanus num. 4. Beatum Romualdum in Sanctorum numerum adscriptum esse quinquennio post obitum eo tantum antiquiori ritu; qui tunc etiam frequentior erat in usu; nempè, ut petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus Defuncti altare construere: sicut & Petrus Damiani, qui prædicti Romualdi vitam conscripsit, etiam in epistola ad Henricum Archiepiscopum Ravennatens. refert de sanctis miraculis coruscantibus eorum, qui hoc eodem tempore vixere, supra quorum corpora ex Concilij authoritate altaria sunt erecta, atque desuper sacrosancta Christiani sacrificij mysteria celebrata.

Solennitates, quibus hodie utuntur summi Pontif. in canonizationibus Sanctorum, ex eorum pendent arbitrio, & possunt augeri, & minui, prout Pontifex judicat expedire. Unde Magister ceremoniarum requisitus à Leone X. ut traderet formam servandam in canonizatione S. Francisci de Paula, respondit, se nihil posse certo firmare, quia

De solennitatibus.

qui diversa à diversis audivit, nec in suis libris certam formam invenerat; & quia aliud vidit servari in canonizatione sancti Nicolai de Tolentino 5. Junij 1446. facta per Eugenium IV. aliud in canonizatione S. Bernardini in festo Apostolorum Petri, & Pauli 1450. per Nicolaum V. aliud in canonizatione S. Vincentii 24. Maji 1455. per Calixtum III. aliud in canonizatione S. Catharinæ Senensis, die Ascensionis 1482. facta per Pium II. aliud in canonizatione S. Leopoldi in die Epiphaniæ 1485. per Innocentium VIII. & propterea ipse exhibuit aliam formam Leoni X. quæ in canonizatione S. Francisci de Paula, die 1. Martij 1519. fuit servata.

Concludam cum supradictis auctoribus, & Castellano de canonizatione quæst. 4. art. 1. Canonizationem Sanctorum, quantum attinet ad originem, inductam fuisse à lege veteri: Ecclesiast. 44. inquit, *Laudemus viros gloriosos, & parentes in generatione sua.* Voluit Panuinus in relatione S. Bonaventuræ art. 8. unde sentit, quod in lege veteri erat canonizatio, & approbatio Sanctorum ad finem publicæ venerationis. Ideoque Cardinalis Bellarminus tom. 4. controvers. de Sanctor. Beatitud. controvers. 7. gener. lib. 1. ait, quod Ecclesiasticus d. cap. 44. & seq. canonizavit Sanctos ut Henoch. Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moysen, Aaron, Phineam, Josue, Samuelem, Davidem, Heliam, Helisæum; & in Testamento N. S. Lucas in Actis canonizavit Stephanum, Jacobum majorem, Petrum, Paulum, Barnabam, Silam, & alios. Quantum verò attinet ad formam, & ordinem procedendi, legimus fuisse inductam ab Ecclesia Catholica, ex cap. 1. & 2. de Reliq. & veneratione Sanctorum, & capitulo venerabilis, de Testibus.

CAP. LXX.

Quòd Judicium Ecclesiæ, & sanctæ Sedis sit infallibile in Canonizatione Sanctorum.

EAdem jam fuit auctoritas in canonizatione S. Matthiæ, quando in numerum Apostolorum electus est, quæ adhuc in præsenti auctorizat Sanctorum canonizationes mediante S. Romana, & Apostolica Sede: etenim sicuti Spiritus sanctus tunc præsidebat in consessu Apostolorum, in Act. cap. 1. vers. 26. idem etiam modo præsidet in consessibus eorundem successorum: hinc est, quod isti si possent in præsens errare, posset in dubium etiam revocari electio Matthiæ. Extat præterea Regula S. Augustini expressa in Epist. 118. dum inquit. *Similiter etiam quid hodie tota per orbem frequentat Ecclesia: nam & hinc quia ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Unde S. Bernardus scribens Canonicis Lugduni epist. 174. inquit. *Ego quia accepi ab Ecclesia securus teneo, & trado.* Et quatenus temerarius quispiam de hoc etiam dubitare audeat; respondebitur illi: in quo igitur adhæret fides authentica librorum sacræ Scripturæ? quoniam S. Augustinus in lib. contra epist. fundamenti Manichæi apertè dixit cap. 5. tom. 6 *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret auctoritas.* Accedit quod nullatenus apparens sit; ut Divina voluerit Providentia tale inconveniens tolerare, quod in Ecclesia anima illius veniat honoranda, quæ ipsamet infamis inserviret tanquam objectum immortalis ejus justitiæ.

Mira-

Miracula etiam, quæ operatur Deus ad invocationem Sanctorum, confirmant judicium Apostolicæ Sedis; cum illa sint in hoc Divinæ attestationes, quæ obligant nos ad agnoscendam omnipotentiam illius, qui facit mirabilia magna solus.

Ac etiamsi unquam diligens habetur indagatio ad discernendum miracula vera ab illusoriis; tunc certè est, cum quæstio habetur de hoc percipiendo, quod Deus à nobis desiderat circa Sanctorum agnitionem.

Credimus nos fide humana, quod Alexander, Cæsar, Pompejus, Agesilaus, Demosthenes, &c. fuerint tales, ut Plutarchus de his refert; & hoc simplici auctoritate, & attestatione hujus auctoris, vel similium: & nos renitentes erimus præstare consensum attestationibus, quas ipsemet Deus nobis informat in judicio Ecclesiæ suæ? Judicium, quod habet Ecclesia Dei sponsa ad imitationem proprii Sponsi in pondere, numero, & mensura.

Et ne irreperet error in hac quæstione tanti ponderis, S. Clemens Apostolis contemporaneus, decrevit hic in urbe septem Notarios Ecclesiasticos, quorum munus erat in scriptis redigere acta Martyrum; ut in lib. de Romanis Pontif. etiam nomine Damasi, in tom. I. Concil. his verbis; *Hic fecit septem Regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum solicitè & curiosè unusquisque per Regionem suam perquirerent.* (Quorum Notariorum successores modo Protonotarii Apostolici nominantur.) Ac idem legitur de Papa Fabiano, qui septem Diaconos, & Subdiaconos Regionarios creavit ad idem munus, ut ad sanctam Sedem referrent; sicut in eodem lib. de Romanis Pontif. in Fabiano sic legitur. *Hic Regiones divisit Diaconis; & septem fecit Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, qui gesta Martyrum in integrum colligerent.* & infra. *Hic gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit.* Unde constat, qua diligentia, fide, ac sinceritate colligerentur priscis temporibus probationes circa Sanctorum Canonizationes: Ita etiam hoc potissimum scribitur in vita Antheri Papæ. *Hic primus statuit, ut res gestæ Martyrum diligenter exquisitæ à Notariis scriberentur: conscriptas recondi in ærario Ecclesiæ mandavit, &c.* Et de Papa Julio I. quod non solum gesta Martyrum, sed totius etiam Ecclesiæ annotari gesta fecit; refert etiam Platina. *Voluit item, ut omnia ad Ecclesiam pertinentia, per Notarios, aut per Primicyrium Notariorum conscriberentur: hos hodie, ut arbitror, Protonotarios vocamus, &c.*

Gesta Martyrum.

Ad exemplum Romanæ Ecclesiæ, quæ est Mater, & Matrix aliarum Ecclesiarum, illa Smirnæ reliquit nobis Epistolam narrativam Martyrum, qui passi sunt in persequutione M. Aurelii, & L. Veri Impp. ut refertur apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 14. Ecclesia Viennens. & altera Lugdunens. idem fecerunt, ut legitur lib. 5. cap. 1. ejusdem Eusebii, qui etiam loquitur de Ecclesia Alexandrina lib. 6. cap. 33. & 34. & lib. 7. cap. 10. Carthaginensis Ecclesiæ omnimodam diligentiam diffusè retulit sanctus Cyprianus sibi optimè notam: ex quibus inferri posset hanc eandem curam longe ante viguisse in Ecclesia, ut retulit Pontius Diaconus in principio vitæ ejusdem Cypriani, quam ipse scripsit his verbis; *Majores nostri plebeis, & catechumenis martyrium consequutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederunt,*

ut de passionibus eorum multa, ac propè dixerim cuncta conscripserint; ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.

Spiritus mendacii invidus hujus sanctæ Inquisitionis, ut ille pater est mendacii, & inimicus omnis veritatis, quærit occultare lumen ex gestis Sanctorum, ac per consequens eorundem tacitæ, seu expressæ canonizationis; suscitans plurimos scriptores pseudoprotonotarios, qui acta apocrypha publicarunt, cum de falso deinde fuerunt convicta judicio ejus, quæ Magistra est veritatis, Ecclesiæ Catholicæ nostræ communis matris: unde attendat Lector, quomodo Spiritus sanctus ejusdem ductor, & infallibilis Cynosura nunquam permisit, quod illa decepta remanserit in legitima suorum primogenitorum cognitione, hoc est Sanctorum, qui mysticè componunt nobiliorem partem ejusdem corporis. Tertullian. in lib. Baptismi meminit cujusdam Presbyteri in Asia, qui nomine Pauli Apostoli edidit librum, quem nominabat *Itinerarium Pauli, & Teclæ*: de quo auctore, ejusdemque libro loquitur D. Hieronymus in tractatu de scriptoribus Ecclesiasticis, in Lucam num.17. his verbis; *Igitur itinerarium Pauli & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignorarit? sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert presbyterum quendam in Asia de itinerario Apostoli Pauli convictum à Joanne, quod auctor esset libri; & confessum se hoc Pauli amore fecisse; & ob id loco excidisse.* Ad hoc idem referuntur acta sancti Andreæ, sancti Jacobi, sancti Philippi una cum itinerariis sanctorum Petri, Joannis, Thomæ, & Clementis: quæ omnia damnantur per Athanasium in synopsi tom. 2. post librum utriusque testamenti, ac etiam per Philastr. de hæres. tom.4. Biblioth. Patr. & Epiphan. in Panario hæres. his verbis; *Utuntur autem & aliis libris: nimirum circumitionibus Petri, multa corrumpentes in ipsis, & pauca vera relinquentes, velut ipse Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis, quas scripsit Encyclius.* & idem Epiphan. hæres.26. meminit cujusdam horrendi libri scripti à Gnosticis de Virgine MARIA. & idem hæresi 47. inquit, quod Encratites divulgaverat acta prædicta Andreæ, Joannis, & Thomæ: Ac etiam ad eorundem exemplum commenti sunt Manichæi acta Apostolorum, ut apud Augustinum in lib. de fide: Ut etiam Priscillianistæ fecerunt, ut refert Orosius in epist. ad August. de errorib. Priscillianist. Unde evenit, quod Gelasius I. Papa in 1. Concilio Romano ann. 494. sic decreverit. *Gesta sanctorum Martyrum secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, & minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur; sicuti cujusdam Quiriti, & Iulitta: sicuti Georgii, aliorumque passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ: propter quod ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur.*

Et in sexta Synodo in Trullo Can.63. habetur. *Quæ à veritatis hostibus falso confictæ sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent, ad infidelitatem adducerent; in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi; qui autem eas admittunt, vel tanquam verbis his mentem adhibent, anathematizamus.* In

quem

quem locum Balſamon Patriarcha Antiochenus poſt laudatam Metaphraſtis pietatem in inquirendis Sanctorum actis, refert, quod Patriarcha Nicolaus Muſalon comburi juſſerit quædam acta ridicula ſanctæ Paraſceves,& juſſit Diacono Baſiliſco, ut de his ſincerè,& veridicè ſcriberet.

Conſtat ex his,quanta circumſpectione proponat nobis Catholica Eccleſia vitas Sanctorum; de quorum moribus,miraculis, & obitu nil exactius inquiri potuit, juramentis,& atteſtationibus ſimul conſentientibus: quibus præterea indicabantur jejunia,& publicæ orationes,ut Deus aſſiſteret Eccleſiæ ſuæ in re tam grandis conſequentiæ circa verum cultum,& ſinceram Religionem in Canonizatione Sanctorum, quæ non propria privatorum hominum facta,nec Papæ perſonam, ſed ſtatum totius Eccleſiæ univerſalem continet: cujuſmodi ſunt ea quæ ad fidem attinent, unde non eſt probabile voluiſſe Dei providentiam derelinquere in hoc Eccleſiam; cum ipſe promiſerit verbo irrevocabili erga quamcunque perſonam. *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo,ibi ſum in medio eorum.* Matth.cap.18. verſ.20. Ac etiam de Spiritu ſancto dixerit per Joannem c.16. verſ.13. *Ille vos docebit omnem veritatem.* Quod expertus eſt ſanctus Martinus ex Sulpitio Severo in apparitione animæ cujuſdam latronis in inferno damnati,cujus corpus & ſepulchrum in terris honorabatur: & legitur apud Euſeb. lib.5.c.17. quo lumine Spiritus ſancti damnaverit Eccleſia acta Themiſonis nominantis ſe Confeſſorem, ac Alexandri, qui Martyr appellabatur, ac etiam elogia Prophetiſſæ; adverſus quas impoſturas ſcripſit Apollonius Eccleſiaſticus ſcriptor.

Contra præfata objiciunt Hæretici prætenſam Divi Auguſt. ſententiam,quamvis in operibus ejus non legatur,nempè: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* Et ad hanc poſſet tamen in omnem caſum reſponderi,eandem intelligi de Regibus,ſeu Monarchis Ethnicis, qui cum vellent mortalibus rebus immortales reddi; erexerunt ſupra eorum cineres,oſſa,& mumias, ſuperba monumenta,quæ à poſteris reſpicerentur: talia fuere Pyramides in Ægypto: ſicut & Mauſolæum,quod Artemiſia erexit viro ſuo: tale ſepulchrum Romæ Publii Sextii, & ſimilia. Poſſet etiam prædicta ſententia intelligi de corporibus ſuppoſitis loco venerabilium Reliquiarum. Vel etiam intelligebatur de Martyribus Donatiſtarum, qui ab Hæreticis venerabantur, quamvis eorum animæ in profundo abyſſi cum aliis omnibus hæreticis cruciarentur: vel denique referebatur dicta ſententia ad Heroes, ſeu Imperatores Ethnicos,quos antiquitas,diaboli verſutia,deificaverat,ut nos in præcedenti Capitulo diximus.

Infertur ergo ex prædictis, quod canonizare Sanctos non ſit, illos ut tales conſtituere: ſed uti tales ſolum eos declarare,& in numerum Sanctorum redigere; ita ut publicè poſſit quiſquam illos honorare,ac etiam invocare. Decernit præterea Eccleſia Canonizationes Sanctorum,ne quiſpiam poſſit ad libitum quorumlibet invocationes ſibi ſupponere; & in hoc ſuperſtitionibus janua claudatur. Tertio poſſunt Sancti tripliciter uti tales agnoſci, nempe teſtimonio Scripturæ ſacræ, ut Joſeph, Simeon, Zacharias, Eliſabeth, Joannes Baptiſta,&c. Vel tacito populi conſenſu, ut

Doctores Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, sicut Athanasius, Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus: nec non Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, &c. Denique exacta, prudenti, & fida inquisitione ex probationibus sanctitatis in vita, & miraculorum post mortem, ut de præsenti in Canonizationibus servatur. Et quatenus quis audeat asserere, posse Papam in hoc errare, respondebitur illi, ipsum fidem Christo non præstare; qui dixit apud Joann. 21. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* Præsertim quoniam Sanctorum Canonizatio est de iis, quæ ad communem Ecclesiæ utilitatem, non autem ad privatam hominis personam pertinent. Ac etiam quia Sanctorum Canonizatio est quædam fidei professio; ut exemplar fidei, ac sanctæ vitæ. Et ex his absque hæsitatione quilibet confitebitur, quod Ecclesia, quæ in cœlo est, idem corpus sit cum hac, quæ est in terra; propter vicissitudinem, quam habent inter se, ut inquit Augustinus in tractatu centesimo vigesimo quarto in Joannem his verbis; *Duas itaque vitas sibi divinitus prædicatas, & commendatas novit Ecclesia: quarum est una in fide; altera in specie: una in tempore peregrinationis; altera in æternitate mansionis: una in labore; altera in requie: una in via, altera in patria: una in opere actionis; altera in mercede contemplationis: una declinat à malo, & facit bonum; altera nullum habet, à quo declinet malum, & magnum habet, quo fruatur, bonum: una cum hoste pugnat; altera sine hoste regnat: una fortis est in adversis; altera nihil sentit adversi: una carnales libidines frænat; altera spiritualibus delectationibus vacat: una est vincendi cura solicita; altera victoriæ pace secura: una in tentationibus adjuvatur; altera sine ulla tentatione in ipso adjutore lætatur: una subvenit indigenti; altera ibi est, ubi nullum invenit indigentem: una aliena peccata, ut sua sibi ignoscantur, ignoscit; altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci: una flagellatur malis, ne extollatur in bonis; altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ cohæreat summo bono: una bona, & mala discernit; altera quæ sola bona sunt, cernit. Ergo una bona est, sed adhuc misera; altera melior & beata.* Hæc S. Augustinus. Ergo idem erit judicium Ecclesiæ universalis; sicuti est judicium, quod fit in cœlo super Canonizatione Sanctorum.

Quoniam huic veritati refragari videtur quod Platina, & alii in historiis prodiderunt: ut Formosus Romanus Pont. dum esset Cardinalis & Episcopus Portuensis, omni Ecclesiastica dignitate privatus, laicalibusque indumentis indutus, se ab urbe discedentem nunquam nec Romam, nec ad Episcopatum rediturum jurejurando affirmaverit. Hunc deinde contra jura sacramenti ad urbem redeuntem, nec non ad Episcopatum restitutum, & aliquot post annos ad Pontificiam dignitatem assumptum; ob juramentum præstitum verum Papam non fuisse credens Stephanus VII. Papa, omnia ejus gesta irrita fuisse declaravit: Joannes vero Nonus dictum Formosum verum fuisse Papam credens, Stephani res gestas improbavit, & Formosi acta in Concilio Ravennæ restituit.

Hoc scrupulum ut ab animis hominum evellatur, Ang. Roccha in tractatu de Canonizatione cap. 41, membr. 1, sic respondet: Theologi, & Canonistæ omnes in

iis,

iis, quæ sunt fidei, Papam sive Ecclesiam Catholicam errare nullo modo posse, juxta Christi promissum, omnino affirmant: si autem Ecclesiam sive Papam errare unquam contingat, errorem illum aut facti, aut personalem; sive opinativum vocant, non judicialem: nam judicium ad officium, aut ad Pontificiam sedem pertinet; opinio autem ad personam. Quamvis alterum summorum Pontificum in causa Formosi errasse dicamus oporteat; ille tamen error non fuit in fide, aut judicialis, sed opinativus, seu personalis ac facti. Altercatio enim illa, sicut Joann. de Turrecremata, & Cælia inquiunt, non erat de fide, sed de facto, in quo Ecclesia errare potest, ut ipsi & alii affirmant. Stephanus namque Formosum non verum Papam fuisse putabat; Joannes autem verum Papam eundem opinabatur.

CAP. LXXI.

De Decimis.

POst varios Ecclesiæ ritus, & dogmata, quæ recensuimus, non prætéribo etiam aliqua breviter de Decimis annectere: contra quas licet prisci & recentiores Hæretici maximè insurgant, Ecclesiasticos de avaritia calumniando: nos ut illæ sint debitæ Ecclesiæ, & ejusdem ministris, ex sacra Scriptura, sanctis Patribus, & rationibus demonstrabimus.

Præcipit Deus in Exod. cap. 22. vers. 29. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* & in Levitic. cap. 27. vers. 30. habetur. *Omnes Decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.*

Hinc S. Clemens lib. 2. Constit. Apostol. cap. 25. scripsit. *Quæ ex Decimis, & primitiis secundum mandatum Dei dantur: Episcopus, ut Dei homo consumat.*

Origen. homil. 11. in Numer. inquit; *Deo enim offerri dicitur, quod sacerdotibus datur.* & infra. *Sunt enim aliqua legis mandata, quæ etiam novi Testamenti discipuli necessaria observatione custodiunt.*

S. Chrysostomus adducens rationem, quare fuerit Ecclesia coacta accipere divitias: in homilia 81. in Matthæum inquit; *Veniat in mentem vobis octo millia Levitarum Judæos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos.* & idem homil. 15. in epistol. ad Timoth. cap. 5. ostendit inconveniens, quod provenit, cum propter temporalia spiritualia negliguntur; ut propterea Divina voluerit providentia primitias, & decimas Ecclesiæ deberi, his verbis; *Oportet Doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque solvantur, neque minimis curis occupati magnis seipsos, atque alios privent; ut spiritualia operentur, nullum sæcularium habentes rationem: hujusmodi Levitæ erant.*

Cyrillus Alexandrinus de orat. in spiritu, & veritat. lib. 13. aliam affert rationem: quoniam administratio rerum spiritualium mercedem temporalium etiam meretur: & sic inquit; *Definit Decimas Levitis pro mercede laboris: neque enim cunctorum hominum labor mercede caret; imò vero præcipuis honoribus afficiendi, illustria que sunt errorum præmia.*

Hoc autem Magnum Constantinum impulit, refert Sozomenus, ut non solum præceperit, quod in aliquo Ecclesia non vexetur: quin imò omnia eidem restituantur, quæ jam alienata fuissent; ut in epist. ad Provinciales Palæstinæ relata per Euseb. lib. 2. ejusdem vitæ cap. 39. sicuti etiam in edicto ejusdem Constantini ad Proconsulem Anolinum, relato apud Eusebium lib. 10. cap. 5 quod inviolabiliter servatum fuit post obitum Juliani Apostatæ: etenim Valentinianus, & Marcianus Impp. idem confirmarunt circa ann. 453. ut in l. privilegia, Cod. de sacrosanctis Eccles. ibi; *Et quia humanitatis nostræ est egenis prospicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint: salaria etiam, quæ sacrosanctis Ecclesiis in diversis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, jubemus nunc quoque inconcussa, & à nullo prorsus immutata præstari.* Quibus conforme est Decretum secundæ Synodi Nicænæ, cap. 12. *Non liceat quicquam ex iis sibi vendicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, elargiri, &c. Porro Episcopus, vel Monasterii Præfectus qui hæc fecerit; exturbetur quidem Episcopus ab Episcopatu: Monasterii vero Præfectus à Monasterio, ut qui male dissipent, quæ non congregavere.*

Ad hoc idem sanctus Augustinus in lib. Hæresum in Quadragesima insurgit contra Apostolicos Hæreticos, qui reprehendebant Ecclesiasticos Regulares, & Sæculares; eo quod ipsi possiderent. Et idem Augustinus in Psalm. 146. in ea verba: *Qui producit in montibus fœnum*, inquit. *Etenim ea omnia, quæ Ecclesiæ ad necessitatem servientium Deo dantur à divitibus, quid aliud sunt nisi fœnum?* & idem homil. 48. ex lib. homil. 50. inquit; *Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modo autem, quia cessit devotio Dei, accessit indictio fisci.*

Et S. Prosper referens curam, quam in administrandis redditibus Ecclesiæ, & in propriis despiciendis habuere S. Paulinus Episcopus Nolanus, & S. Hilarius Episcopus Arelatensis, subdit. *Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Quæ eadem verba in hoc themate adducit Carolus Magnus lib. 1. legum cap. 83.

Quod autem prædia stabilia, & alia Ecclesiæ bona disperdi, nec alienari possint, Concilium Agathense Can. 32. sic præcipit. *Id statuimus, quod omnes Canones jubent, ut Civitatenses, sive Diœcesani presbyteri, vel clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ sicut promiserunt Episcopi, teneant: vendere autem, aut donare penitus non præsumant: quod si fecerint, vel fecerunt, facta venditio non valebit: & si quas habent proprias de facultatibus, indemnem Ecclesiam reddant, & communione priventur.* Quod etiam plurima confirmavere Concilia, & summorum Pontificum Constitutiones.

Adducuntur etiam in hoc plures rationes: & quod præsertim præcipit Deus per os Malachiæ cap. 3. *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea.* Quod si de tempore antiqui Testamenti hoc in Sacerdotibus, & Levitis, qui nisi umbra, & figura hujus nostri Testamenti Novi erant: quo magis ad eundem finem, ut libere possit vocari obsequio Dei, hoc in lege Evangelica debet servari? Præterea, si solum Naturæ lumen docet Principes, Milites, Doctores publico sumptu alendos; cum

cum ii Reipublicæ inserviant, quamvis hæc nisi temporalia sint, ut habetur ex Apost. 1. Corinth. 9. vers. 7. *Quis militat suis stipendiis unquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit?* Quo magis hoc in his, qui in communi, & particulari verum ministrant animarum alimentum, & spirituales gratias conferunt, sine quibus ad æternam salutem perveniri non valet? ut propterea adimpleatur, quod dicitur: *Ut qui Altari servit, de Altari debeat vivere.*

Conliteri igitur omnes habent, quod in antiquo Testamento decimarum præceptum partim erat morale, inditum naturali ratione: partim autem judiciale, ex Divina institutione robur habens: similiter etiam in Evangelica lege hoc partim est de Jure Divino primitivo, & partim de Jure Ecclesiæ: De Jure Naturæ, seu Divino, in substantia præcepti; & de Jure Ecclesiastico in sui limitatione. Ita ex S. Thom. 2. 2. quæst. 87. art. 1. in corpore.

Quanquam Decimæ, & alii Ecclesiæ redditus in obsequium Dei, nec non in subventionem Ecclesiasticorum, & pauperum primitus instituti; iisdem tamen hoc tempore plurimi ex Ecclesiasticis taliter abutuntur, ut non respiciant pecuniæ subservire, sit Idolis servire, ex Apostoli censura *Ephes.* 5. *Avarus, quod est Idolorum servitus.* Hinc jam nullus Ecclesiasticorum beneficiorum finis: saturari pecuniarum sitis non solet, non potest; ut gravis sit illorum error, qui putant illam expleri bibendo posse. Sors dura! ubi fatigatæ cursibus Alpes? ubi Romana limina ab ultimo penè sole pedibus trita avaritia duce? ubi beneficia beneficiis innexa? ubi Canonicatus Canonicatibus inædificati pensione; cemento, & calce? Abbatiæ, Episcopatus, Archiepiscopatus aliis supremis dignitatibus velut filo assuti? & sic ingentia aureorum millia ex uno filo dependentia, nullo aut perexiguo Ecclesiæ bono. Et moriendum tamen, & sistimur ante tribunal nudi: nec ex tantis opibus integendo quidem corpori lacernam invenies? Et tamen beatum dixit populus, & pars orbis maxima, cui hæc sunt. Hæc satis.

CAP. LXXII.

De Exemptionibus, & Immunitatibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum.

JUlianus Apostata in eo potissimum insequutus est Ecclesiam, ut Ecclesiasticos privaret immunitatibus, & privilegiis illis à Magno Constantino competentibus, refert Sozomenus lib. 5. cap. 5. his verbis; *Julianus Apostata Clericis omnem immunitatem, honorem, & frumenti congiaria ipsis à Constantino donata ademit, legesque eorum causa conditas abrogavit, & eos denuo Curiis addixit.* Idem jam exequutus fuit Vitiza Hispaniarum Rex, cum Judæos revocasset, iisdemque exemptiones, & privilegia Ecclesiarum contulit. Joann. VValaschus in Chronicis Hispaniæ. Hoc idem per singula tempora Hæretici, & male feriati homines sunt insequuti. Contraria tamen praxis ex sacro Textu, Conciliis, sanctis Patribus, & rationibus recepta fuit semper in Ecclesia. Ut qui Altari serviunt, exemptionibus & privilegiis fruerentur.

Habe-

Habetur in Genesi cap.47.verſ.20. & ſeq. quod Joſeph omnes terras Ægypti emit, præter illas Sacerdotum: his verbis; *Emit igitur Joſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubjecitque eam Pharaoni, &c. præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis; quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, &c.* Et in litteris patentibus Regis Artaxerxis ſcriptum eſt in lib.1. Eſdræ cap.7. verſ.24. *Vobis quoque notum facimus, de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.* & in lib.3. cap.8. verſ.25. & 26. tranſumpti prædictarum ad Eſdram; ſic loquitur Artaxerxes. *Vobis autem dicitur, ut omnibus Sacerdotibus, & Levitis, & ſacris Cantoribus, & ſervis templi, & Scribis templi hujus, nullum tributum, neque ulla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam poteſtatem objicere ei quicquam.* Quod etiam innuit Apoſt. 1. Corinth.5. verſ.12. & 13. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? nonnè de iis, qui intus ſunt, vos judicatis? nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit:* oſtendens, quod Eccleſiaſticum Tribunal à prophano diſtinguatur.

Origo Immunitatum.

Unde igitur primæ, & originariæ hujusmodi conſtitutiones circa Sacerdotum, & Clericorum immunitates, ſeu exemptiones in Eccleſia Catholica proceſſerint? Has à prima Eccleſiæ ſtabilitate proceſſiſſe tempore Conſtantini Magni circa trecenteſimum annum à Chriſto nato; cum antea fuiſſet Eccleſia, ſeu incognita Regibus terræ, ſeu ab iisdem continuò dilacerata. Scribens autem Conſtantinus Orientis & Occidentis Imperator Proconſuli Aphricæ Anolino, ut refertur apud Euſebium lib.10.cap.7. & Nicephorum lib.7. cap.41. inquit: *Quare, honoratiſſime Anoline, eos, qui in Provincia tua fidei concredita, in Eccleſia Catholica, cui Cæcilianus præeſt, huic ſanctæ Religioni ſedulo inſerviunt (quos Clericos nominare ſolent) ab omnibus omnino communibus, & civilibus rerum publicarum miniſteriis immunes, & ſolutos volo, ut nullo modo per errorem, vel per ſacrilegam, aut prophanam prolapſionem, quæ in hujusmodi negotiis accidere ſolent, à cultu Divinæ Majeſtati debito abſtrahantur; ſed abſque ulla moleſtia propriæ legi obſequium præſtent: qui quidem cum ſacrum Numen ſummo honore, & veneratione proſequantur; incredibile eſt, quantum Reipublicæ adjumenti ſint allaturi.* Hæc Niceph. Ex qua Chriſtiana Conſtantini Imp. conſtitutione apparet, quomodo Reipublicæ bonum à bono Religionis pendeat.

Annis triginta elapſis Imp. Conſtantius præfatam conſtitutionem Patris Conſtantini confirmans, easdem exemptiones perſonales & reales confert; illas etiam ad liberos utriusque ſexus dictorum clericorum extendens, (quatenus illos habeant) ut legitur lege ſecunda, Cod. de Epiſcopis, & Cleric. in Codice Juſtiniani.

Sozomenus lib.2. cap.9. refert Magni Conſtantini pietatem erga Eccleſiaſticos, conferentis eisdem perſonales immunitates, & à ſæculari eximentis jurisdictione, his verbis; *Quod Clericos ubique per legem immunitate donari voluit, quodque illis qui erant vocati in judicium, dedit poteſtatem, ſi modo animum inducerent, magiſtratus civiles rejiciendi, & ad Epiſcoporum judicium evocandi.* & idem auctor l.6. cap. 3. refert, quod Imperator Jovinianus reſtituit immunitates, quas Julianus Apoſtata abro-

abrogaverat, ibi; *Jovinianus Imperator Ecclesiæ, & Clericis, & Viduis, & Virginibus immunitatem reddidit, & si quid aliud, vel ad commodum, vel ad honorem Religionis nostræ à Constantino, ac liberis suis, aut donatum, aut lege sancitum fuisset; postea autem à Juliano illis ablatum.*

Valentinianus, & Marcianus Impp. omnes prædictas exemptiones, & privilegia confirmarunt, ut in lege 12. Cod. de sacrosanct. Eccles. ibi; *Privilegia, quæ generalibus constitutionibus universis sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxæ Religionis retro Principes præstiterunt, firma, & illibata in perpetuum decernimus custodiri.*

Leo, & Anthemius Augg. applicant specialiter prædicta privilegia etiam Xenodochiis, ubi ægroti, Peregrini, Orphani, & miserabiles detinerentur, ut in l. omnes 31. Cod. de Episc. & Cleric.

Justinianus Imperator extendit privilegia Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum ad Monachos: nempe, ut qui sub potestate parentum, aut tutorum reperiantur, illis invitis possint Religionem ingredi absque dimissione juris succedendi ex testamento, seu ab intestato, ut in l. Deo nobis 42. & ult. Cod. de Episcop. & Cleric.

Anacletus Papa, qui vixit anno 90. post Christum Dominum, refert ad epist. 1. quod Apostoli à Christo Domino habuerunt, ut Ecclesiæ præcepta inviolabiliter servarentur, his verbis: *Privilegia Ecclesiarum, & Sacerdotum sancti Apostoli jussu Salvatoris intemerata & inviolata omnibus decreverunt manere temporibus: leges Ecclesiæ Apostolica firmamus auctoritate, & peregrina judicia submovemus.*

Et sanctus Hieronymus in suis Commentar. ad cap. 17. Matth. inquirit, quare non solverit Christus tributum ex pecunia, quam Judas in loculis habebat? & inquit: *Quod si quis objicere voluerit, & quomodonam Judas in loculis portabat pecuniam? respondebimus: res pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.*

Ut propterea Gregorius Magnus Theodorico, & Theoberto Regibus Francorum, epist. 114. lib. 7. reprehendat illos, cum hujusmodi privilegiorum essent obliti, his verbis; *Audivimus autem, quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.*

Et Carolus Magnus lib. 6. legum cap. 109. inquit; *Quæcunque à singulis Regibus circa sacrosanctas Ecclesias sunt constituta, sub pœna sacrilegii, jugi solidata æternitate serventur.*

Immunitates Ecclesiarum etiam ad Atria & cœmeteria extenduntur: quod etiam de Domo Episcopi intelligendum, quanquam extra circuitum Ecclesiæ sita sit, ut tradunt Panormitan. & alii Canonistæ in cap. penult. de Immunit. Eccles. & latè inter cæteros refert Brunus de Ceremoniis lib. 3. cap. 3.

Prædictis inhærendo Concilium Lateranense sub Innocentio III. contra prædictæ immunitatis transgressores censuras indicit Can. 46. his verbis; *Adversus Consules, & Rectores civitatum, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiarum taliis,*

ſeu collectis, & exactionibus aliis aggravare nituntur; volens immunitati Eccleſiaſticæ Lateranenſe Concilium providere; præſumptionem hujusmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit: Transgreſſores, & fautores eorum excommunicationi præcipimus ſubjacere, donec ſatisfactionem impendant competentem. Quas cenſuras poſtea confirmarunt Concilium Conſtantienſe in confirmatione conſtitutionum Friderici II. ac etiam Synodus Baſileenſis in appendice in epiſtola ad Epiſcopum Adrienſem, & Maguntinum Can. 76. & Concilium Coloniæ part. 9. Canon. 10. his verbis; *Immunitas Eccleſiarum vetuſtiſſima res, & jure pariter Divino & humano introducta, quæ in duobus potiſſimum ſita eſt: primum, ut Clerici, illorumque poſſeſſiones, & bona à vectigalibus, & à tributis, aliisque muneribus laicis, libera ſint, &c.*

Nec hoc mirum: quoniam ſicuti Eccleſia gaudet immunitate, ita quoque Eccleſiaſticæ perſonæ, ut acceſſoriæ ſequantur naturam ſui principalis, conſequens eſt: Ac etiam quoniam Eccleſiaſtici, & Religioſi tam arctam habent, ſeu debent habere unionem ad Deum; cujus obſequio ſe voverunt, & dicarunt: ſicuti propter aſſiduam familiaritatem, quam ipſi habent ſacrarum rerum Religionis, etiam ex hoc venerabiles erga omnes redduntur. Præterea, ſicuti nulla Gens barbara eſt in terra, quæ cum receperit aliquod lumen, ſeu inſtinctum à natura de aliquo prætenſo Numine, ſeu Deo; ad quem dirigendi ſint humani actus, ſeu ad obtinenda bona, ſeu ad mala evitanda: ita quoque non reperitur quiſpiam, qui non credat honorandos illos, qui propinquius adhærent huic prætenſo Numini, ſeu Deo; ut legimus antiquitus ab omnibus, & ubique ſervatum.

Sacerdotes in Ægypto publicis ſumptibus alebantur. Romæ Pontifices, qui Flamines nominabantur, maximo habebantur in honore, ex Livio lib. 2. & Plutarcho in Numa: quod etiam habitum circa Veſtales virgines, quæ inſtar Monialium, ſeu Religioſarum noſtrarum erant; ut nos diximus de his plura in lib. 2. de ritibus antiquorum Romanorum.

Notum eſt, quanto in honore eſſent Gymnoſophiſtæ extra Caucaſum: Brachmani apud Indos: Magi apud Perſas: Chaldæi inter Aſſyrios: Druides, & Bardes apud Gallos: ſicuti etiam hodie venerentur Caliphes inter Arabas, Syrienſes, & Ægyptios: Mophtes, & Taliſmanes apud Turcas: nec non Bonzes apud Japonas, ubi tanquam Semidei reputantur: & deniqueomnes Gentes, quæ aliquod habent lumen de prætenſa ſuprema aliqua poteſtate, hæ omnes venerantur, & in honore maximo habent, qui eidem prætenſo Numini aſſiſtunt, & præſtant obſequium. Unde ſi hujusmodi impiæ, & deteſtandæ ſuperſtitiones in obſequio pſeudodeorum Diaboli arte apprehenſæ, tantam habent facultatem, ut earundem ſacerdotes, ſeu miniſtri ſic honorentur; quò major poteſtas, & auctoritas conferenda eſt erga ſacerdotes, & miniſtros veri, & ſummi Chriſtianorum Dei, ut fruantur immunitatibus, & exemptionibus, quas ab antiquis temporibus ſemper conſequuti ſunt?

Præterea dictæ Ethnicorum Immunitates & Prærogativæ nullius momenti erant reſpectu earum, quæ Eccleſiaſticis & maximè Catholicis Sacerdotibus Competunt. Sacerdotalis namque dignitas eſt ſumma, quæ in Eccleſia reperiatur; proinde

inde ne nobis contingat cavendum, ut ne honor in hac vita delatus, & neglectus, in pœnæ conferat gravitatem,& dignitatis nostræ amplitudo majorem causet ruinam, inquit D. Bernardus: *Si altiorem, & non meliorem esse delectat; non præmium, sed præcipitium expectamus.* Ut assentitur etiam D. Ambros. de Dignitat. Sacerd. cap. 3. *Sicut nihil est Sacerdote excellentius, sic nihil est miserabilius, si de tanta vita periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur: quia ut levius est de plano corruere, sic gravius est de sublimi cadere dignitate: quia ruina, quæ de alto est, gravi casu colliditur.*

Cognitis plurimis Ritibus ab exordio Ecclesiæ, non incongruum erit forsan aliquid superaddere de primævo statu, & potestate Clavium ejusdem Ecclesiæ, seu Christianæ Reipublicæ, in qua summus Pontifex, seu Papa præest, verus Christi Vicarius, Petri successor, ac ejusdem Ecclesiæ visibile Caput circa omnes occurrentes difficultates: nec non etiam de plurimis Ritibus priscorum Fidelium circa prædicta videbimus.

PARS QUARTA,

CAP. LXXIII.

De veris Ecclesiæ Signis.

NOn sic infans proprios agnoscit parentes; sicut rationale animal fidei lumine ad hoc tenetur erga verum Deum, cui honor, amor & obsequium, tanquam Patri optimo præstare debet: quod pariter erga sanctam Ecclesiam, uti Matrem facere tenetur. At quoniam similitudo fuit semper Mater erroris, & noverca veritatis; nostrum est diligenter, breviter, & dilucidè perscrutari lumine ipsius, qui est Deus veritatis, Pater luminum, & Sol animarum nostrarum; quæ, & qualia sint vera Catholicæ Ecclesiæ signa? quæ nostra est Mater.

Vera autem signa tres debent habere conditiones. Prima est, ut alteri non conveniat, quam ei quod denotatur. Secunda, ut id sit magis notorium, quam res, ad quam refertur. Ultima, ut sit inseparabilis à re, ad quam refertur. Vera autem Ecclesiæ nostræ signa conditiones omnes prædictas continent, & hæ sunt, in quibus omnes convenimus, dum dicimus: *Credo in unam sanctam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam:* nempè unam, sanctam, generalem, & ab Apostolis procedentem.

De primo igitur Ecclesiæ signo, quod hæc unica sit, loquitur Christus apud Matth. cap. 13. in similitudinibus agni, thesauri absconditi, Margaritæ, & Sagenæ *Unica.*

missæ in mare; & apud Joann. cap.10. verf.16. dicitur de ovili; ficut etiam Apoftolus loquitur Ephef.2. verf.21. de Ædificio; & ad Roman. cap. 12. verf. 5. habetur: *Unum corpus fumus in Chrifto:* de quo corpore idem Chriftus, ejusdem caput, orans ad Patrem apud Joann. cap.17. ait: *Pater fancte ferva eos in nomine tuo, quos dedifti mihi, ut fint unum, ficut & nos.* Quæ oratio fortita eft effectum in Ecclefia nafcente, ut legitur in Act. Apoft. cap.4. *Multitudo autem credentium erat cor unum, & anima una:* ut inquit Hieron. in Pfalm. 24. *Ecclefia ex pluribus perfonis congregatur, & tamen una dicitur propter unitatem fidei.* Hæc autem præfata unitas erat Fidei, Charitatis, & Obedientiæ, de quibus Patres pluribus in locis fcripfere.

Sanctitas. Secundum verò Ecclefiæ fignum eft Sanctitas, de qua in Pfalm. 92. *Domum tuam decet Domine fanctitudo.* & in Apoc. cap.21. *Et ego Joannes vidi fanctam Civitatem Hierufalem, novam, defcendentem de cœlo, à Deo paratam, ficut fponfam ornatam viro fuo;* Nempe à Chrifto fponfo fanctificatam. Hoc Ecclefiæ fignum fex habet partes, ut fibi effentiales, nempe veritatem doctrinæ, Profeffionem bonorum operum, Efficaciam doctrinæ, Actualem fanctitatem prifcorum Sanctorum, qui Ecclefiam fundarunt, Gloriam Miraculorum, & Donum Prophetiæ; ut de his apud Cardin. Bellarminum, & alios.

Univerfalis. Tertium fignum, quòd Ecclefia fit Catholica, nempe Univerfalis, ficut Deus Pater promifit Chrifto filio fuo, ut in Pfalm. 2. *Poftula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poffeffionem tuam terminos terræ:* Quæ univerfalitas verfatur in antiquitate, continuatione, & extenfione omnium fæculorum: refert Vincent. Lirinenf. in commonitorio adverf. prophan. vocum novitates, his verbis; *Quod ubique, quod ab omnibus, quod femper:* & quod D. Auguft. epift. 165. *Certius, & vere falubriter ab ipfo Petro numeramus, cui totius Ecclefiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclefiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverfus eam. Petro enim fucceffit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariftus, Evarifto Alexander, Alexandro Sixtus, &c. In hoc ordine fucceffionis nullus Donatifta Epifcopus invenitur.*

Apoftolica. Quartum fignum, quod fit Ecclefia Apoftolica, nempe quod principium, & fundamentum, & continuatam fucceffionem habuerit ab Apoftolis, ut ex Chrifti verbis ad Petrum; *Super hanc petram ædificabo Ecclefiam meam:* & contra Hæreticos præfumentes hanc fucceffionem ab Apoftolis, infurgit Tertull. de præfcript. cap.32. *Cæterum fi quæ audent interferere fe ætati Apoftolicæ; ut ideo videantur ab Apoftolis traditæ, quia fub Apoftolis fuerunt; poffumus dicere, edant ergo origines Ecclefiarum fuarum, evolvant ordinem Epifcoporum fuorum, &c.* & fanctus Cyprianus epift. 76. quæ eft lib. 1. epiftol. 6. ad Magnum ait: *Novatianus in Ecclefia non eft, nec Epifcopus computari poteft, qui Evangelica, & Apoftolica traditione contempta, nemini fuccedens, à feipfo ortus eft.*

Efficax probatio contra Sectarios. Hic ego à Sectariis quibusdam quærerem; præbeant ipfi circa eorum prætenfam originem, feu fidem, quam profitentur ab Apoftolis, aliquas antiquorum hiftorias? aut fi fcriptas traditiones non habent, dent alias? ficuti à te quæro fectarie,

ſectarie, cujusmodi ſis ſectæ,ſaltem ut probes omni ævo unum tantum extitiſſe, qui idem ſenſerit, quod tu modo? quibus in fide ſucceſſeris? quorum Eccleſiam jam impleas? & quid juſtius eſt,quam hunc veſtrum cœtum,quem dicitis verum eſſe, & perennem à Chriſto, & Apoſtolis Eccleſiam,ſaltem in quibusdam mortalibus conſtitiſſe ante veſtros recentes auctores?

Quatenus autem perſiſtant ſectarii, defeciſſe veram Eccleſiam in quarto, ſeu quinto ſæculo: Convincuntur ipſi ex verbis Angeli ad Virginem,Luc.1.*Et regni ejus non erit finis.* & hoc idem Chriſtus Petro teſtatur: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, nempè Eccleſiam.

Si vero quiſpiam aſſerat fuiſſe abſconditam, & inviſibilem Eccleſiam ſpatio undecim ſæculorum: hoc inquam eſſet redarguere Chriſtum de mendacio, qui præterquam in Pſalm. 18. inquit: *Poſuit in ſole tabernaculum ſuum:* nempè Eccleſiam, illamque etiam comparavit *Civitati ſupra montem poſitæ.* Hinc Auguſtin. lib. 2. contr. Creſcon. cap.36. inquit: *Extat Eccleſia cunctis clara,cunctis conſpicua:quippe Civitas, quæ abſcondi non poteſt, ſuper montem conſtituta, per quam dominatur Chriſtus à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terræ.* & idem contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 104. *Non eſtis in montibus Sion, quia non eſtis in Civitate ſupra montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt: nota eſt ergo omnibus gentibus; pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; non eſt ergo ipſa.*

Volunt etiam præcipui ex ſectariis exerraſſe Chriſti fidem circa quingenteſimum Chriſti annum. En quò argutos homines æſtuantis animi vis,ac ſua perperam tuendi, aliena fallaciter criminandi,præceps abripit cupiditas? Vide porro, quid inde ſequatur neceſſario: nunquam Francis, Anglis, Germanis, aut ſimilibus nationibus ſinceram Chriſti fidem illuxiſſe,ſed à Paganiſmo ipſos non tam ad fidei ſolem, quam ad aliam noctem, & hæreſin eſſe prolapſos: quippe Rex Clodovæus in Fidem Chriſtianam demum receptus eſt anno Chriſti 499. Falſo igitur Chriſtianiſſimi Reges dicti,qui nunquam verè ac propriè Chriſtiani, neceſſe eſt Saxones,qui hodie Angliam colunt, nunquam verè fuiſſe Chriſtianos, quippè qui Fidem circa annum Domini 600. ſuſceperunt. Quid de Germanis, & maximè Saxonibus, qui circa annum 780. à Carolo Magno domiti, Chriſti fidem amplexi ſunt? Et quatenus ſi admittis ſectarie imbutum vera fide Clodovæum,ſi Anglos, ſi Germanos: concedere prorſus debes, veram ergo Chriſti fidem adhuc illis ſæculis viguiſſe,nempè quingenteſimo,ſexcenteſimo,ſeptingenteſimò,& amplius anno: cui conſequens erit,ut quæcunque vera illa Eccleſia publico conſenſu probavit, & te quoque probare oporteat; nempè Miſſæ ſacrificium,poteſtatem Pontificis,Purgatorium,implorata Sanctorum ſuffragia &c.

Referetis forſitan,Eccleſiam non fuiſſe amplius puram, (quippe admixtis ex traditione hominum vitiis multis,) & nondum impuram inſtar vini in acetum degenerantis. Sed reſpondemus; neſcit in hujusmodi medio ſtare Eccleſia; vel errat in fide, vel non errat: ſtatim ac errat,deſinit eſſe & una Eccleſia; quamdiu vero non

 errat,

errat, ſine ſacrilegio ab illa non diſceditur. Præterea non minimos jam errores his, de quibus agimus, ſæculis, illapſos Eccleſiæ, ut vos ſupponitis; nempe Miſſam, Pontificem, Purgatorium, Liberum arbitrium, Monachorum Vota, &c. ſi cum illis erroribus conſiſtere poteſt legitima, pura & vera Eccleſia; quid noſtram Eccleſiam ob res easdem tam ſæviter proſcripſiſtis? toties apoſtaticam inclamaſtis? ſi non poteſt conſiſtere. Ergo non pudeat confiteri Francos, Anglos, Germanos, qui in hos ritus initiati ſunt, nunquam prorſus extitiſſe in legitima, pura, & vera Eccleſia.

Infertur ex iis, quod ſi quis propriarum novitatum ſit nimis cupidus, hic ab omnibus fugiendus ſit. Vincent. Lirinen. contra Hæret. novitat. cap. 33. ait; *O Timothee, inquit Apoſtolus, depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates. Devita, inquit, quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi Baſiliſcum, &c.*

Præter quatuor præfata ſigna, quæ ſatis demonſtrant veram Eccleſiam, ſunt quoque alia duo: primum nempe, quòd hæc noſtra Catholica debellaverit omnes hæreſes, quoniam vix illis in lucem editis ſupervenerunt Concilia, & ſancti Patres, qui omnes illas conculcarunt, & in nihilum redegerunt, ut videre eſt apud Baronium, & Bellarminum, & alios.

Alterum autem veræ Eccleſiæ ſignum erit exhibere, ac repræſentare, quod eadem Eccleſiæ facies, quam modo in Eccleſia videmus circa ſacramenta, & ſacramentalia, circa doctrinam, ac ritus ceremoniarum, & ſimilium; eadem enim omnino fuit in principio naſcentis Eccleſiæ.

Sicuti & ſancti Patres, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ nos edocent, ut ex Lanfranco Cantuarienſi, qui in Commentario Euchariſtiæ contra Berengarium cap. de Hiſtoriis Eccleſiaſticis, efficaciter ſic inquit; *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & ſanctorum Patrum geſta, tametſi illam excellentiſſimam antiquitatis arcem non obtinent, qua donatæ ſunt ſcripturæ, quas Prophetias & Apoſtolicas nuncupamus: hoc tamen probare ſufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præceſſerunt, à priſcis temporibus habuerunt.* Et nos in toto decurſu præſentis operis non aliud potiſſimum oſtendere conamur, quàm ex auctoritate ſacræ Scripturæ, ſacrorum Conciliorum, & ſanctorum Patrum evacuetur cavillatio illa recentiorum Hæreticorum, quod in quarto, ſeu quinto ſæculo fuerint ſuperaddita, & alterata ſacramenta, ſacramentalia, & alii priſcæ Eccleſiæ Ritus: quod ſatis adimpleviſſe credimus; ſi ex dictis auctoritatibus probaverimus eosdem prædictos in ſubſtantia eſſe in hac noſtra recenti Eccleſia, qui jam vigebant in ejusdem exordio: etenim Eccleſia Romana cuſtos tenaciſſima & fideliſſima antiquitatis, quod didicerat ab Apoſtolis, hoc ſemper retinuit; ex Ruffino de Expoſitione Symboli in Præfatione, his verbis; *Quia nulla Hæreſis hinc ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus.*

CAP. LXXIV.

De sacra Scriptura, & ejus Expositione.

Ex unanimi antiquorum Patrum opinione, quoniam ad solam spectat Ecclesiam (de qua supra diximus) Divinarum scripturarum expositio, ut inquit August. contra Crescon, lib. 1. cap. 33. *Sicut Divina scriptura demonstrat Ecclesiam, ita Ecclesia divinam scripturam interpretatur.* Proinde Paulus, qui non ab homine, sed à Deo (ut ait ad Galatas cap. 1. & 2.) accepit Evangelium; tamen Hierosolymam se ascendisse dicit, ut illud conferret cum Apostolis; & ex his quæ fecerat, alios docens ait: *Etsi Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quod docuit etiam Petrus epist. 2. cap. 1. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit.* Non solum, inquam, ex hoc rejiciuntur in proposito particulares hominum sensus; sed etiam ex quo ad hanc expositionem minimè apti sunt homines impii, & hæretici, ut refert Dionys. Areopag. de Ecclesiast. Hierarch. part. 1. cap. 2. ibi: *Divina non capit, qui Dei mandata non servat:* & quia, ut advertit Basilius de vita solitaria. *Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres antea impressos deleverit; sic Divina dogmata degustare nemo valet, nisi corruptos ex anima mores extraxerit.* Accidit enim his quod de Philosophis tradit Origen. qui cum suam, quam sectabantur Philosophiam introducere in Ecclesiam conati essent, polluerunt ipsam non habentem maculam neque rugam, ut merito dixerit Tertull. advers. Hermog. *Philosophos extitisse Patriarchas Hæreticorum*: unde etiam Gregor. Nazianz. lib. 1. suæ Theologiæ. *Non cujusvis est de Deo disputare: non adeo hæc res est vilis, & eorum, qui etiamnum serpentes humi terrenis studiis occupantur: quoniam eorum tantum est, qui inter multos habito delectu, ad tantum munus videantur idonei, qui contemplandi acumine cæteris antecellant; & jam ante corpus, & animam ab affectuum sordibus purgaverint:* Siquidem, ut ad rem ponderat August. lib. 2. cap. 40. de Doctrina Christi: *Accedens ad tractationem librorum sacrorum, debet omnem intellectum referre ad charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Proinde inquit Justinus martyr. *At tu votis, & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta; neque enim ab aliquibus perspiciuntur atque intelliguntur, præterquam si cui Deus & Christus ejus concesserit intelligentiam.*

Varii sensus scripturarum

Et plerique tradunt Divinæ scripturæ momentum non in legendo positum; & ex scriptura malè intellecta ortas esse omnes hæreses; præsertim quod eadem scriptura habet sensum litteralem, quem verba præseferunt; & spiritalem, qui alio refertur præter id quod verba significant: de quibus Apost. 2. Corinth. 3. *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Et hos sensus indicatos tradit Hieronym. per scriptum librum *intus & foris* in Apocalyp. cap. 5. & Ezechiel. cap. 2. præter alios sensus, qui omnes tamen mystici appellantur.

Sunt tamen iidem sensus intellectu adeo difficiles, ut provectæ scientiæ homines sæpe caligent; sicut de sacra Scriptura dixit August. in Præfat. epistol. ad Volus.

Omni-

Omnibus accessibilem esse, paucissimis penetrabilem: nec omnium oculos ferre tantam lucem; cum illa sit oraculum Spiritus sancti. Quippè quia, ut optimè Gregor. ponderat in Ezechielem homil. 17. *Multa in sacra Scriptura ita aperta sunt, ut pascant parvulos: quadam vero obscurioribus sententiis, ut exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta plus grata sint. Nonnulla autem in ea ita clausa sunt, ut dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostræ cæcitatis; ad humilitatem magis, quam ad intelligentiam perficiamus.* Unde Aug. epist. 1. ad Volusian. *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solus ab ineunte ætate usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* & Chrysostomus dicit: *Nec syllabam, nec apiculum esse in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus.*

Et propterea ad confundendam Hæreticorum arrogantiam, qui etiam sacrarum Scripturarum expositionem Giganteo planè ausu jactabundi sibi arrogant; ut vel ægrè vel nunquam contra suum judicium ad Ecclesiæ sententiam justa, & humili devotione accedant: est valde verendum, ne scripturarum Lector ignarus, ut inquit Ambros. in cap. 3. Lucæ. *Magis vulnus ex imprudentia, quàm salutem ex lectione sentiat:* sed maximè in hoc elucet Valentiniani Imp. modestia, qui ab Episcopis Hellesponti Bithyniæ rogatus, ut Synodo pro emendatione Dogmatis celebrandæ interesset; insigni prorsus exemplo respondit: *Mihi quidem cum unus de populo sim, fas non est talia perscrutari; sed vobis sacerdotibus hæc cura commissa est.* Talis enim humilitas necessaria est in his, quibus mysteriorum suorum arcana deponat Deus, & emittat gratiæ suæ fontes; ut in Proverb. cap. 11. *Ubi humilitas, ibi sapientia.* & humiles isti sunt parvuli illi, quibus revelavit Deus abscondita sapientibus: hisque datum nosse mysterium Regni Dei, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

Rejiciunt sectarii sacros libros.

Et adeo prædictorum Hæreticorum vesania contemnit judicium Ecclesiæ, ut respuant ipsi eos sacros libros annumerare, qui clarius eorum somniis adversantur: ex quibus quoniam omnia sibi per Christum sola fide remitti peccata vociferant, rejiciunt epistolam S. Jacobi, quæ docet: *Fidem sine operibus mortuam esse*, & inutilem ad salutem. Similiter mortuis infensi oppugnant libros Machabæorum, in quibus Scriptura non modo factum laudat Judæ Machabæi, qui misit Hierusalem 1200. drachmas argenti in sacrificia pro mortuis impendendas, sed expressè addit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

At de receptione Epistolæ Jacobi non solum probatur ex Hieronymo epist. 103. ad Paulinum, & adversus Pelagianos lib. 2. Item ex Nazianzeno, Innocentio Papa, Augustino, Cassiodoro, Isidoro & aliis, qui eam in Canonicorum scriptorum Catalogo inseruerunt; item ex actis Gelasii Papæ in primo Concilio Romano. Ac etiam librum Ecclesiastes ab Ecclesia receptum esse constat ex ejusdem Gelasii I. decreto, de libris sacris, ut in tom. 2. Conciliorum, & aliis. Cæterum & ipsos Machabæorum libros Ecclesiam amplexatam esse, eadem Gelasii acta, & Concilii Carthaginens. Can. 47. decernunt: Quod & S. Augustinus de Civit. Dei lib. 18. cap. 36. confirmat dum

dum inquit: *Libros Machabæorum non Judæa, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Tantique habet, ut eos inter Matutinas preces ritè ac publicè legendos proponat Octobri menſe toto.

Nec dubitandum de prædictis ſacris libris, ſic ſuadente, & præcipiente ipſa ſancta Eccleſia Spiritus ſancti lumine illuſtrata, aſtruente firmiter Salvatore: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Unde Auguſt. cui & Patres, & Theologi omnes aſſentiuntur, inquit: *In re dubia ad fidem, ac certitudinem valet auctoritas Eccleſiæ Catholicæ*; & contrarium affirmantes non alia urgeri ratione, quam quæ affertur à Tertulliano de Judæorum pervicacia librum Enoch reprobantium, nimirum: *Omnis ſcriptura ædificationi habilis divinitus inſpirata, à Judæis propterea reprobatur, quia Chriſtum ſonat.*

Non ſola ſcriptura credendi regula.

Nec prætereundum referre in propoſito erroneum, & vulgatum illud Hæreticorum Axioma: *Nullam eſſe credendi regulam, nec aliam controverſiarum Judicem, niſi ſacram Scripturam.* Rejicientes iidem ex hoc traditiones Patrum, ſacra Concilia, & Sanctorum auctoritates; ut adimpleatur in hoc quoque Apoſtolicum de Hæreticis oraculum 2. Timoth. 3. *Inſipientia eorum manifeſta erit omnibus.* Hinc aptè D. Auguſt. cap. 16. *Omnes inſipientiſſimi Hæretici, ſi Chriſtiani vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, hoc occaſione Evangelicæ ſententiæ colorare conantur.*

Quantum vero in hoc deſipiant ſectarii omnes, vel hac una probatur ratione; quod ſi ſola ſcriptura eſſet credendi, & judicandi regula, per eam excluderentur Divinæ revelationes, omnino ad eam regulam pertinentes: & ſi cuique liceret ſacram Scripturam explicare, & ita explicatam proferre (prout illam intelligit) nullus daretur veræ intelligentiæ Judex, nullus eſſet contentionum terminus: proinde ac lites in Civilibus nunquam abſolverentur, ſi nulla eſſet decidendi regula, niſi Codex Juſtiniani; nec quisquam eſſet, qui textus hinc inde productos explicaret: ut brevi religio in mille diſcinderetur ſectas. Quapropter re ipſa Lutherani, Calviniſtæ, & Anabaptiſtæ eam regulam ſequentes in graviſſimis fidei articulis inter ſe acerbiſſimè diſſentiunt, & ſe invicem ſchiſmatis damnant. Non ſolum ſectæ inter ſe, ſed etiam intra ſeipſas dividuntur; ex Lutheranis enim numerantur ſeptem, ab eodem auctore, ac Migiſtro nominibus, ac dogmatibus diſcrepantes: ex Calviniſtis duæ, Proteſtantium ſcilicet, & Puritanorum: & ex Anabaptiſtis quatuordecim diſtinctæ itidem nominibus ac dogmatibus: & dum quisque pro ſuo captu, & judicio ſcripturam intelligens; non ſcripturam regulam credendi, ſed propriam habet commentationem; tot oriuntur hæreſes, quot hæretici: & inde ſapientiſſimè conſtitutum ut imbecillioribus manibus ille mucro non concedatur de tali explanatione.

Et quoniam tantopere ſacram Scripturam malitioſè profitentur hæretici etiam nomine Evangelici; juſto Dei judicio fit, ut eidem Scripturæ parere renuant, quæ in dubiis fidei ad Eccleſiam illos remittit; ut perſpicuè intueri quis poteſt ex Deuteron. cap 18. ita præſcribente Deo. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem; cauſam & cauſam; lepram & lepram;*

& judicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus , & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam illorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. & apud Malachiam cap. 2. habetur. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.*

Neque enim fas est dicere Deum minus assistere hodie Ecclesiæ suæ , quàm olim assisteret synagogæ; Imo cum in lege Gratiæ simus, longè maximum illi lumen & auxilium impertiri credendum est: quoniam Deus, ut habetur in Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*; ut in præsentia , populo Christiano, è converso de perversis Hæreticis prædixit olim Apostolus 2. Thessalon. cap. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperant, ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Præsertim quia non solum renuunt in dubiis Ecclesiam consulere, sed omissis locis perspicuis, ubi Scripturæ & Patres apertè, ac de industria rem explicant, mentemque suam aperiunt; captant obscura: nec aliud quærunt quàm ut veritas possit in speciem oppugnari, & à fidelium cordibus avelli, quod Hæreticorum proprium esse ponderat Tertull. de Præscript. dicens. *Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur.*

Proprio judicio interpretantur scripturâ hæretici.

Quod adhuc intolerabilius; depravant textus ipsos impudentissimè, iisque sic depravatis se uti posse contendunt ad decisionem causarum. Ulterius ad explanationes, quas faciunt Patres circa sacram Scripturam; Respondent Patres, fuisse homines errori obnoxios; se autem niti verbo Dei, quod errare non potest; ac demum referunt judicium ad spiritum privatum; & ex eorum sententia Scriptura evidens est habenti spiritum. Sic ambulantes in circuitu, ea fallaciter resolvunt, quæ maximè obscura sunt, & nemini alii ita constare possunt.

Tantoque minus sola Scriptura privato intellectu censeri debet credendi aut judicandi regula; quia causa Religionis à privatis judicari non debet, qui nullam in Ecclesia obtinent dignitatem; sed ab universali Ecclesiæ capite, utpotè Romano Pontifice, à quo sæpius eam in rem Concilia indicta & adhibita fuere. Quare à Sylvestro Romano Pontifice damnatam Arianorum hæresin in Nicæna Synodo à Damaso Macedonianam in Constantinopolitana prima: à Cœlestino Nestorianam in Ephesina: à Leone I. Eutychianam in Chalcedonensi: ab Adriano I. in Nicæna secunda Iconomachorum: ac deinceps, ut alias omittam, à Leone IX. in Synodo Romana & Vercellensi damnatam esse Berengarianam de sanctissima Eucharistia, præter alia multa.

Et quatenus adversarii prætendunt eorum privatum intellectum esse Regulam judicandi circa sacram Scripturam; eo quod fuerit aliis temporibus permissum dubitare de libris Esther, Baruch, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum; Respondetur erroneum esse assumptum: quoniam si hoc esset, liceret etiam con-

controvertere. An essent circumcidendi Pagani ad Christi fidem conversi? an dies Sabbati, Neomeniæ, & alii Hebræorum ritus essent à nobis celebrandi? liceret etiam dubitare de cap. 16. D. Marci, & cap. 22. Lucæ? nempè de sudore sanguinis, & Angelica apparitione; ut ex Apocryphis à Manichæis insertis dubitatum fuit temporibus D. Hieronymi, ut ex lib. 2. ejusdem contra Pelag. *Ne Christo infirmitatem, & animi dolorem tribuere viderentur.*

Concludamus ergo: Plurima, de quibus aliàs poterat licite controverti, antequam ab Ecclesia fuissent recepta; sicuti de Baptismo Hæreticorum tempore S. Cypriani; de Gratia & Libero arbitrio tempore Pelagianorum; de Animabus separatis, an illæ facie Deum viderent, ut ante decisionem Benedicti XI. & Concilii Florentini: at post determinationem, & decisionem Ecclesiæ, maximè in Conciliis; quod alias fuisset error, devenit hæresis; sic ut nemini liceat aliter credere sub pœna, ut scribantur inter illos, de quibus Christus apud Matth. cap. 12. *Qui non est mecum, contra me est.*

CAP. LXXV.
De Apostolicis Traditionibus.

QUoniam Ecclesiæ Ritus non omnes ex Dei præcepto, nec ex sacro Textu desumpti sunt; sed cum plerique sola Apostolica Traditione (etiam quod in scriptis non fuerint redacti) ad nos devenerint; ideo de hac Apostolica Traditione infra dicemus, ejusque auctoritatem ex lege Mosaica & Evangelica, ac etiam ex sanctis Patribus comprobabimus.

Scriptura sacra, ad quam solum Hæretici appellant, quantum deferendum sit traditionibus, sic præcipit in Deuteron. cap. 32 vers. 7. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi.* & Proverb. cap. 1. vers. 8. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* & in Psalm. 43. *Deus, auribus nostris audivimus, & patres nostri annunciaverunt nobis, &c.* Isaias 38. vers. 19. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* & Ecclesiast. c. 8. vers. 11. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.*

Post plenitudinem verò temporum, ut Deus loquutus est nobis in Filio: audiamus quomodo ipse Christus, Apostoli, nec non & prisci Patres docuerint hujusmodi traditiones.

Apud Joannem cap. 16. vers. 12. Christus Redemptor noster dixit discipulis; *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* & apud Matth. cap. 23. inquit idem Christus; *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, & facite.* Ex quibus patet, quantum sit deferendum Traditioni etiam non-scriptæ.

Sanctus Hilarius in Psalm. 2. recenset hunc prædictum locum in eodem sensu Traditionum, quod Moyses mysteria magis recondita sine scriptis tradiderit Senio-

ribus,his verbis; *Erat jam à Mose antea institutum, in omni Synagoga septuaginta esse Doctores, nam idem Moses quamvis veteris Testamenti verba in litteris condidisset; tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta Senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat: cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit, dicens: Super Cathedram, &c. Doctrina ergo horum inposterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc Seniorum & numero, & officio conservata, &c.* hæc Hilarius.

Et Apostolus Divinitatis interpres laudans fidem, & virtutem Corinthiorum, inquit; *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicuti tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Traditiones autem, de quibus loquitur Apostolus, erant de modo faciendi preces, recipiendi sanctissimam Eucharistiam, & similia: quæ non erant scripta; ut animadverterunt Epiphan. & Chrysostomus.

Præterea de recipiendis traditionibus formale præceptum traditur in 2. ad Thessalon. cap. 2. vers. 14. *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

Quid autem de Traditionibus senserint prisci sancti Patres, videamus. S. Dionys. Areopag. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. loquens de Apostolis, inquit: *Summa illa supersubstantialia, partim scriptis, partim non-scriptis institutionibus suis (juxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.*

Et S. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 4. de utilitate, & necessitate traditionum inquit; *Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta, & atramento scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus suis salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes.*

Symbolo Fidei ab Apostolis absque Scriptura tradito, non omnino credendum, supponunt hæretici: & ne prosequar singula, quæ in Symbolo à veritatis hostibus depravantur, nempe de Processione Spiritus sancti, de communione Sanctorum, de Mortuorum resurrectione, Christi Incarnatione, & cæteris, de quibus plurima in progressu nostri operis referuntur: Symbolum Fidei, quod fuit ab Apostolis traditum, juxta Hieronymi consilium nos scribamus; *Non in charta, neque atramento; sed in tabulis cordis carnalibus:* quippe quia, ut advertit Augustinus de Tempor. serm. 115. *Collata in unum totius Catholicæ legis fides, symboli colligitur brevitate.* & ait S. Leo epist. 13. ad Pulcheriam Augustam. *Ipsius Catholici symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa est in munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones hoc solo possint gladio detruncari.*

Nec dubium ingerit, quòd in diversis locis aliqua inveniantur addita eidem symbolo; ut videre est in Symbolo Athanasii, Nicæno, in Antiocheno, in Constantinopolitano, & aliis. Quia quicquid actum sit in cæteris locis propter nonnullos hæreticos, ad excludendos novellæ doctrinæ sensus: Romana Ecclesia custos tenacissima,

ac fidelissima antiquitatis, quod didicerat ab Apostolis, nullo penitus additamento, seu elucidatione, hoc sæpè retinuit; ex Ruffino de exposit. Symboli in præfat. quia *Nulla hæresis hinc sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus.*

Symbolum ergo Græcè, Indicium, seu Collatio dici potest; id est, quod plures in unum consenserunt, nempe Apostoli: Indicium vel signum ideo dicitur, quod illo tempore ut habetur in Actis cap. 15. Multi se simulabant esse Apostolos Christi, sed non integris Traditionum lineis nunciantes: idcirco istud Indicium posuere, per quod cognosceretur, qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. Quod etiam in bellis observatur: quoniam armorum habitus, & sonus vocis idem, & mors unus est; sed ut ne belli subreptio fiat, symbola discreta unusquisque Dux suis militibus tradit, quæ Latinè signa & indicia nuncupantur; ut si fortè quis occurrerit, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis, vel socius. Idcirco autem Patres hoc non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt; ut certum esset neminem hoc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad Infideles solet; sed ex Apostolorum traditione didicisse. Discessuri ergo Apostoli ad prædicandum, istud unanimitatis, & fidei suæ indicium composuerunt. Isidorus de Ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 22. Rabanus Maurus de Institut. Cleric. lib. 2. cap. 56.

Origen. homil. 5. super Numer. latè ostendit praxin plurimorum rituum, qui in Ecclesia consueverant, absque Dei præcepto, nec testimonio sacræ Scripturæ; utpotè quomodo administranda, & recipienda sanctissima Eucharistia, de Ceremoniis jam consuetis in Baptismo; sicuti etiam refert jam tunc fuisse in usu orationem flexis genibus, & versa ad Orientem facie, ac etiam alios multos laudabiles ritus non scriptos, sed traditos: & subdit hæc verba: *Omnia hæc opera, vel velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea, & exequimur, ut à magno Pontifice, atque ejus filiis tradita, & commendata suscepimus.* & idem Origen. tract. 19. in Matthæum, inquit: *Nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.*

Matrimonia prohibita.

Interdicebat etiam Ecclesia ex Apostolica traditione Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nuptias post ipsorum promotionem, ut ex Concilio Neocæsariensi Can. 1. relato in decreto Can. de his caus. 31. quæst. 1. Euseb. demonst. Evang. lib. 1. cap. 9.

Pariter Matrimonium post votum Virginitatis, ex Apostolica traditione peccatum habebatur. Epiphan. contra Apost. hæres. 61. Ac etiam Religiosos & Religiosas post solenne Castitatis votum, non solum adulteros, verum & incestuosos habebat. Ambros. ad virgin. lapsf. Hieron. contra Jovin. lib. 1.

Cerem. in sacrific. Missæ.

Ac etiam dicta Ecclesia ad Eucharistiæ sacrificium miscebat aquam in vinum ex Apostolica traditione. Concilium Carthagin. 3. cap. 24. Cyprianus ad Cæcilianum epist. 63.

Sicut ex Apostolica traditione servabatur ceremonia lotionis manuum in altari ante mysteriorum consecrationem. Cyrill. Hierosolym. Catech. myst. 5. & alia multa.

Præterea inter differentias opinionum circa Religionem recurrendum esse ad Traditiones. Origen. in prooem. lib. 1. de principiis, inquit; *Servetur Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.*

Et quod Traditio confirmet auctoritates scriptas, Euseb. Cæsariens. contra Marcell. inquit; *Ecclesia à finibus terræ usque ad fines extenditur, & ex divinis scripturis testimonia ex non-scripta Traditione confirmat.*

S. Athanasius in epist. ad Epictotum, inquit; *Hoc solummodo respondere ad ea sufficit, quod ista non sint Catholicæ Ecclesiæ, neque ista patres nostri senserunt.*

Cyrillus Hierosolym. Catech. 5. inquit; *Videte itaque fratres, ut servetis traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis.*

S. Joann. Chrysostom. in 2. ad Thessalonic. in illa verba; *State, & tenete traditiones*, Oration. 4. inquit; *Hinc est perspicuum, quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna: quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam: est Traditio, nihil quæras amplius.*

Cyrillus Alexandrin. homil. 8. inquit; *Traditionem Ecclesiæ tanquam thesaurum quendam in penetrali cordis recondens, amplectere: occupationes Deo gratas, ut non solum fide splendeas; sed & pietate luceas.*

Tertullian. de corona milit. cap. 2. 3. & 4. cum multa dixerit ad ostendendam utilitatem, & necessitatem traditionum, & post quæsitam originem ceremoniarum Baptismi, oblationum pro mortuis, ac signi sanctissimæ Crucis, inquit cap. 2. *Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules, scripturam nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

S. Ambrosius contra illos, qui omisso jejunio Quadragesimæ, suscipiebant jejunium Quinquagesimæ post Pascha, serm. 31. Dominicæ primæ Quadrages. inquit; *Nonnulli Christianorum fratres existimantes se divinitatis præcepta religiosius observare, prætermissa devotione Quadragesimæ, Quinquagesimam se facere mentiuntur; cum id neque divinis litteris jubeatur, neque traditum sit auctoritate majorum.*

D. Hieron. advers. Luciferian. cap. 4. quod consensus Ecclesiæ eandem vim habeat, quam præcepta scripta, inquit; *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis observarunt: usurparunt velut lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis, & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem. Die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & jejunium solvere, multaque alia, quæ scripta non sunt, rationalis sibi observatio vindicavit.* Hæc Hieron.

Et S. Augustinus de Baptism. contra Donatistas lib. 4. cap. 24. inquit: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Et idem Augustin. ad inquisition. Januar. lib. 1. cap. 2. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obser-*

observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Concilii, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atque statuta, retineri.

Demum in hoc themate Traditionum, quanti illæ sint momenti, sic inquit Vincentius Lirinensis adversus hæreses c. 3. (In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim propriè, vereque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quod omnia verè universaliter comprehendit: sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, & consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per terrarum orbem confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos, Majores, & Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.) Hæc Lirinensis.

Et hoc jus non-scriptum, seu Traditiones, omnes etiam Respublicæ comprobarunt, ex Ulpiano J. C. in l. 6. D. de just. & jur. ut etiam voluit Plato lib. 6 de legibus. Ac etiam aliquas fuisse Nationes Christianas, quæ absque scriptura, & sola traditione vixerint, refert de suo tempore Irenæus supra adductus.

Nec urget ex prædictis fuisse, ac esse hujusmodi Ecclesiæ Traditiones ab Hæreticis impugnatas: supponentes hi omnia ad salutem necessaria in sacra Scriptura reperiri. Etenim verum est etiam, fuisse à Sadducæis reprobatas Mosaicas traditiones, ut inquit Joseph lib. 13. antiquit. cap. 18. *Nunc enim judicandum est, quod multas constitutionum à majoribus per manus acceptas, Pharisæi tradiderint populo, quæ non sunt scriptæ inter leges Mosaicas: & ideo Sadducæi his auctoritatem abrogant, dicentes eas oportere tantum servari, quæ scripto continentur.*

In scriptura non cõtinentur omnia Christianæ Religionis.

Quibus respondemus, nec in quolibet ex sacris Libris contineri omnia Christianæ Religionis: etenim Joannes nil loquitur de Incarnatione, Nativitate, Adoratione, Fuga in Ægyptum, nec de aliis multis. Pariter in toto volumine Bibliæ sacræ deficiunt etiam plurima necessaria ad salutem, cum plures ex authenticis libris fuerint deperditi, ut inquit Joann. Chrysostom. homil. 7. in cap. 2. epist. 1. ad Corinth. his verbis; *Magna librorum copia periit, & pauca ex priori captivitate volumina extiterunt; quod ex reliquis captivitatibus planè constat.* & infra. *Liber enim Deuteronomii vix majorum nostrorum temporibus inventus est in luto obrutus, &c.*

Præterea, quale extat præceptum in sacro Textu, quo Deus imposuerit Evangelistis, ut scriberent? quin imo potius coacti scripserunt illi, seu casu id contigisse, refert Euseb. histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 18. ibi; *Solus Matthæus, & Joannes nobis quædam monumenta litteris prodita post se reliquerunt. Quos enim fama & necessitate quadam adductos, se ad scribendum contulisse.* & idem paulo post de Luca *In ipso sui Evangelii principio causam, cur illud contexere sit aggressus, proponit: nimirum, quod plerique alii eorum sermonum declarationem imprudentius, & minus considerate instituissent; quorum veritatem ipse satis explorate cognitam habebat.* & infra: *Matthæus cum jam antea Hebræis verbum Dei prædicasset, simul ac in animo habuit ad alias gentes proficisci,*

Evange-

Evangelium suum patrio sermone conscripsit, &c. Ulterius, magna est copia rerum, quæ in scriptis non sunt redactæ; & omnia tamen credimus sine hæsitatione; utpote ubinam scriptum reperitur in S. textu, quod Apostoli, antequam transirent ad prædicandum Gentibus, composuerint symbolum fidei? ut referunt Clemens, Irenæus, Augustinus, Ambrosius & alii. Ubi reperitur scriptum, quod Spiritus sanctus à Patre, Filioq; procedat, uti ab unico principio? Ubi extat scriptum, quod dies Dominicus sit celebrandus præ Sabbato? Quis probabit, quod Forma, qua nos utimur in Baptismo: *In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti*, sit melior, & unica? cum toties in actis Apostolorum fiat mentio de Baptismo, *In nomine Jesu.* Præterea ubi scripta præcisè reperitur Forma verborum transubstantiationis (sicut in Canone Missæ) de qua ipsi etiam Evangelistæ mutuo inter se supplevisse leguntur, quæ ab eorum aliquo vel aliquibus sunt omissa? nos enim credimus hoc à Christo accepisse Apostolos, & ab ipsis eorum acceperint successores, ut refert Innocent. III. relatus in cap. cum Marthæ, extr. de Celebrat. Missarum. Et cum ipsi sectarii plurima ex hujusmodi præceptis adhuc ipsi recipiant, ac retineant: unde ipsi hoc habent nisi à Traditione? & propterea infertur, vel omnes Traditiones ab Apostolis & Ecclesia recipiendas, vel omnes rejiciendas.

Et ne plura cumulemus argumenta in causa victrici: addimus tantum plurima fecisse JESUM, quæ in Evangeliis non sunt redacta. Joann. 21. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS; quæ si scribantur per singula; nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* & propterea ex illis aliis multis, quæ non sunt in Evangeliis scripta, credendum est Apostolos, qui Christo convixerunt, plurima tradidisse fidelibus: certè Paulus verbi Domini meminit, quod in Evangeliis neutiquam habemus, ut in Actis cap. 20. *Oportet suscipere Infirmos, ac meminisse verbi Domini JESU; quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere.* & supponendum Apostolos observasse, ac tradidisse Christianis præfatum Domini verbum.

De his igitur, & aliis multis indubitanter dicemus; non aliam posse adduci rationem, quam quod sint Traditiones Apostolicæ; & ideo servandæ, juxta præceptum Apostoli ad Thessalon. *Tenete Traditiones, quas didicistis.*

Nec novum in nova Christi Religione, ut Traditiones æquentur Scripturæ sacræ; siquidem cum ante Moysen non defuerit aliqua Ecclesia Dei in mundo: unde deducit Augustinus Civitatem Dei ab initio mundi; & in Genesi nominantur Adam, Abel, Seth, Noe, Abraham, & alii, homines justi, qui Deum Fide, Spe, Charitate, atque externis etiam viribus coluerunt; nec ullus per id tempus quadringentorum supra bis mille annorum, & amplius fuerit Scriptor sacer: Primus enim, ut omnes consentiunt, fuit Moyses; interim Traditiones non solum fuerunt juri scripto exæquatæ, sed jus omne in eis fuit constitutum.

Quod vero à Moyse usque ad Christum per annos 1500. extantibus scripturis Traditiones non defuerint; constat ex Deuter. cap. 32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi.* & Job cap. 2. *Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam:* & præter alia loca supra adducta; advertit & testatur Origen. Judæos habuisse Traditiones extra Scripturam, ut etiam nos diximus supra.

Neque

Neque his obſtat, ut ſectarii tot apertiſſimorum ſacræ antiquitatis teſtimoniorum, quibus obruuntur, vim ſibi intentatam quoquo modo effugiant; nituntur adducere ex Deuteron. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Non enim ita intelligendum eſt, quaſi non liceret addere nova præcepta; alioquin nec minus licuiſſet addere nova præcepta Evangelica de Fide Trinitatis, de Baptiſmo, de Euchariſtia &c. ſed quod præcepta Moſaica in ſui obſervatione non ſint corrumpenda, vel additione, vel ſubtractione, ſed integrè cuſtodienda, quod ipſum alibi etiam dicitur: *Non declinabis ab eis, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram*: nempè, ut mandata ſint perfectè ſervanda, neque ullo modo depravanda fallaci interpretatione.

Ergo tot Scripturis, Patribus, ſummis Pontif. ac Rationibus, veras Traditiones rectiſſimè ſacris Scripturis exæquari humiliter profitemur: & demum ex Cardin. Baron. ad ann. 388. *Illud eſſe tritum, Eccleſiæ ſervare depoſitum, Traditionibus inhærere, Novantiumque omnes voces tanquam ſerpentum ſibilos, & terrificos luporum ululatus horreſcere.* Atque adeo ex eodem Baron. ad ann. 428. *Neglectum ſanctorum Patrum, atque contemptum antiquarum Eccleſiæ Traditionum fontem eſſe primarium, unde omnes hæreſes manare ſolent.*

CAP. LXXVI.

De Conciliis, eorumque Auctoritate.

Memoranda contentio cum eſſet mota inter Chriſtianos ex Judaiſmo, & Gentilitate in Eccleſia Antiochiæ circa Circumciſionem, & uſum Ceremoniarum, ut refert ſanctus Lucas in act. Apoſt. cap. 15. *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret; ſurgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere, &c.* ubi ſubditur. *Tacuit autem omnis multitudo.*

Ex cujus narratione deducunt Patres quatuor concluſiones. Quod ſanctus Petrus eſſet Caput Apoſtolorum. Quod ſit proprium ejuſdem capitis convocare Concilia. Quod quiſquam non poſſit legitime prædicare, niſi ſit miſſus. Demum, quod Concilia errare non poſſint: at in præſentia de hoc poſtremo tantum, quam breviſſimè videbimus.

Non eſt ambigendum quin ſacra Concilia Oracula ſint Spiritus ſancti in deciſionibus difficultatum fidei, ut inquit D. Petrus in actis Apoſt. dict. cap. 15. *Placuit Spiritui ſancto & nobis*; ac etiam Patres Epheſini in Neſtorium: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, & infra, *per hanc noſtram Synodum decernit*: ſicuti in omnibus nota eſt veneratio, quam tota antiquitas retulit erga quatuor priora generalia Concilia: nempè *Nicænum* ſub Sylveſtro Papa, & Magno Conſtantino Imp. ann. Domini 325. convocatum per 318. Patres, in quo Arianæ perfidiæ damnata eſt blaſphemia; cum aſſereret ille

inæqualitatem sanctissimæ Trinitatis, & negaret Deum Filium Patri consubstantialem, ut in cap. Canones §. harum distinct. cap. 15. & cap. quidam vers. Ariani 24. quæst. 3. *Constantinopolitanum* sub Damaso Papa, & Theodosio seniore Imp. contra hæresin Macedonii anno 381. per 150. Patres congregatum, cum ille negaret Spiritum sanctum Deum, dict. cap. Canones §. secunda. *Ephesinum* sub Cœlestino Papa, & Theodosio juniore Imp. contra Nestorium 200. Episcoporum celebratum ann. 424. cum duas personas ille in Christo assereret: justo anathemate condemnavit, ostendens manere in duabus naturis unam Jesu Christi personam, dict. cap. Canones §. tertia. & *Chalcedonense* sub Papa Leone I. & Marciano Imp. 620. Patrum, in quo Eutychem Constantinopolitanum Abbatem, cum sequacibus, verbi Dei, & carnis unam naturam renunciantibus, damnavit: prædicans eadem Synodus Christum Dominum de Virgine sic natum, ut in eo substantiam divinæ & humanæ confiteamur naturæ. dict. cap. Canones §. quarta.

Hinc S. Gregorius Magnus lib. 1. epist. 24. ad fin. *Sicut sancti Evangelii quatuor libros; sic & quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor.* Ut etiam Imperator Justinianus Authenticarum collat. 9. de Ecclesiast. titulis inquit; *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas Regulas, quæ de sanctis quatuor Conciliis exposita sunt, aut firmatæ: prædictarum quatuor Synodorum dogmata, sicuti sanctas scripturas accipimus, & Regulas sicut leges observamus.*

His præmissis, impium, & hæreticum est cogitare de prædictorum Conciliorum errore: unde Athanas. ad Epictetum Corinth. Episcopum initio tom. 1. *Ego arbitrabar omnium quotquot unquam fuerunt hæreticorum inanem garrulitatem, Nicæno Concilio sedatam esse.* & paulo post. *Qua igitur audacia fit, ut post tanti Concilii auctoritatem disputationes, aut disceptationes instituant?*

Cyrillus dialog. 1. cum Hermian. *Si quis fidem illam à sancta magna Synodo optime, & Divino afflatu definitam, & expositam dicere voluerit basin animarum nostrarum, fundamentumque inconcussum, & munitum; is utique probatissime loquetur, & ab ipso Christo laudem habiturus est: fidelis quoque & verus adorator relucebit.*

Hieronymus epist. 71. ad Theophilum. *Simul obsecro, ut si quæ synodalia habes, ad me dirigas, quo possim tanti Pontificis auctoritate firmatus, libentius, & confidentius pro Christo ora reserare.*

Rufinus lib. 1. histor. cap. 5. *Defertur ad Constantinum sacerdotalis Concilii sententia; ille tanquam à Deo prolatam veneratur: cui si quis tentasset obniti; velut contra statuta Divina venientem, in exilium se protestatur acturum.*

D. Augustinus epist. 118. cap. 1. inquit; *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta, retineri; sicuti, quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Adventus de Cœlo Spiritus sancti anniversaria celebrentur, &c.*

Non esset finis hujusmodi sanctorum Patrum auctoritates referendi, quas Cardin. Bellarm. & alii diffusè ad rem nostram adduxere.

Nec mirere, posse Ecclesiam per sacrosancta Concilia universalia hæc ad fidem revocare, quæ dubia antea erant: quippe jus suum semper illa tenuit, semper agnovit constituendi, quæ probanda, quæque improbanda Fidelibus; non quidem, ut fingunt Sectarii, immutando aut abolendo, quæ antea receperit (nam hoc esset vel jus sibi in Deum vindicare, vel seipsam erroris arguere) sed audiendo Jesum Christum, & Spiritum sanctum, ex voce illorum decernere de sensu scripturarum, ut diximus supra ex act. Apost. cap. 15.

Conciliis dubia revocantur ad fidem.

Nec novum, posse Ecclesiam ad fidem revocare, quæ dubia antea erant. Etenim in ipso Christianorum ortu de fide non erat, eos, qui ex Gentilibus ad Christum accesserant, Circumcisioni subjici non debere; factum porro est de fide postquam Concilio Hierosolymitano statuerunt cum Spiritu sancto Apostoli, nec Circumcisionem, nec cæteras Judaicæ legis partes necessarias esse fidelibus; quod antea fuerat res perplexa, ut ex dicto cap. 15. act. Apost. his verbis; *Convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc: cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, &c.* Nisi antea incerta res fuisset, non convenissent videre de verbo hoc; sed convenissent damnare, nec magna conquisitio extitisset.

Est etiam exemplum sancti Cypriani Episcopi Carthaginens. & cum illo 80. Episcopi censuerunt Baptisma Hæreticorum irritum esse, & à Catholicis iterandum, nec Hæreticos tamen dixeris. At si quis post Nicænum Concilium, post primum Carthaginense, post consensum, judiciumque Ecclesiæ, hanc Cypriani sententiam laudet: sit ille prorsus Hæreticus.

Chiliastæ priscis temporibus tolerabantur (nam & in his sancti aliquot viri) commenti Christi Regnum post supremi Judicii diem mille annorum in terris: at post Ecclesiæ de eo commento judicium; quod opinio olim fuit, nunc hæresim dicas.

Tres in Deo Hypostases dicere abnuebat Hieronymus, donec vocis novitatem probavisset Ecclesia: orat igitur Damasum Papam, ut de tanta re sententiam ferat: etenim de jure illius erat ostendere utrum sint, an non sint illæ hypostases; & idem etiam competebat Conciliis. Nec mirum ex his, si Episcopi, si Apostolorum successores sequantur exempla eorundem Apostolorum: si de dubiis quærant: si quod Spiritu sancto Duce credendum invenerint, suo gregi proponant.

Nec minus repugnat in hoc, quod in scholis plurimæ sint lites, plurima argumentorum pugna: ut Scotistæ & Thomistæ, ut ii ab illis dissentiunt? quæ judiciorum jactantia cum Ecclesiæ pace convenire non videtur. Etenim respondemus: quæ in scholis eo modo Theologi versant, res sint dubiæ; quibus credendis nulla necessitas, rejiciendis nulla hæresis: unusquisque in suo sensu abundat: nec ex imperio fidei, sed ingenii arbitrio, quæ in ejusmodi controversias cadunt, rejicimus vel laudamus. Nec inde inconsutilis Ecclesiæ tunica ob hujusmodi licitas lites dividitur nec laceratur; sicuti & ipse Lutherus, qui initio, Missæ patronus, mox hostis illius: nunc Purgatorii assertor, mox in illud hostis violentus; cujus denique scripta quibusdam inter se penitus contraria.

Concludamus igitur: ut Concilia vim habeant decernendi Articulum fidei, esse debeant universalia, in libera facultate, ut veritas locum habeat: Item hæc libertas debet esse juxta judicium totius sessionis, non autem particularium: similiter, quod in spiritu humilitatis, & charitatis procedatur in eo: Debent quoque esse congregata auctoritate illius, qui caput est Ecclesiæ: Demum virtute Conciliorum Catholici ab hæreticis discernuntur, membra uniuntur capiti, caput autem cum membris; unde fiat unus pastor, & unum ovile, & de iis omnibus latè scripserunt Cardin. Bellarminus, & alii plurimi.

CAP. LXXVII.

Quod sanctus Petrus fuerit Princeps Apostolorum.

Omnes duodecim Apostolos certum est fuisse primos Patres Christianitatis, Principes Ecclesiæ, ac etiam totius corporis mystici JESU Christi partes insigniores; nec non fuisse illos tanquam duodecim Patriarchas, ex quibus Israelitæ descenderunt. Verum sicuti Sol indifferenter suum lumen omnibus astris non dispensat, sic etiam Dei Filius non æqualiter se omnibus Apostolis communicavit: Aliqui enim, & non omnes, testes oculares fuerunt Transfigurationis in monte Thabor, sicuti & agoniæ in horto Olivarum: unus specialiter erat ex Apostolis appellatus Dilectus; & sic ex omnibus unus nominatus Petrus, supra quem fundata est Ecclesia: Etenim cum Dei Filius nomen immutavit, & Cæphas nominavit, quod Caput Græcè, & Petrum Syriacè significat. Optatus Melevitanus lib. 2. contr. Parmen. post princ. ait: *Igitur negare non potes; scire te in urbe Roma primo cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde Cæphas appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus servatur.* Et idem inquit Hieronymus in cap. 2. epistol. ad Galat. Hinc patet, quod Dei Filius nova nomina non apponat, nisi maximis de causis, ut inquit Chrysost. hom. 18. in 1 cap. Joann. *Hoc autem non temerè fit, sed ut ea appellatio imponatur, quæ sit Divini beneficii perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur; ita & Joanni cœlitus nomen imposuit, &c.*

Quod autem mutatio nominis subsequuta fuerit potestatem Petro collatam à Christo: patet primo, quoniam in dinumeratione Apostolorum, quam faciunt Evangelistæ, Petrus semper est primus: etenim Matth. cap. 10. in princ. ait; *Primus Simon, qui dicitur Petrus:* quod non propter ætatem, nec propter vocationem, in quibus præcedebat frater Andreas: nec propter sanctitatem, quoniam Jacobus Minor nominabatur Justus, & frater Domini: nec propter amorem, cum Joannes fuerit Discipulus dilectus: unde sequitur hanc primam denominationem provenisse à præeminentia, & potestate illi ante collata. Sanctus Augustinus homilia 17. in cap. 1. inquit; *Non enim eum appellavit Petrum, non dixit super eam petram ædificaturum Ecclesiam, sed dixit; Tu vocaberis Cæphas: illud enim majoris erat potestatis,*

statis, nec non erat etiam auctoritatis. Et propterea ad Galat. cap. 1. inquit Paulus; *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Nec dicit Jacobum, quamvis ibidem esset hic Episcopus.

Quod manifestè patet ex peculiari Petri revelatione apud Matth. cap. 16. *Tu es Christus filius Dei.* Cui Dei Filius respondit : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi.* Quæ verba clarè demonstrant recepisse Petrum donum fidei infusæ in eo, quod tangit illius Divinitatem, per quam recognovit eum verum Dei filium naturalem : unde Hilarius in Psalm. 131. inquit; *Tanta ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum filii Dei Confessorem, Ecclesiæ Fundamentum, Cœlestis Regni Janitorem, & in terreno Judicio Judicem Cœli nuncuparet.* & idem Hilar. lib. 6. de Trinitat. ad fin. *Loquitur, quod vox humana nondum protulerat. Tu es Christus Filius Dei vivi, &c.*

Fuit etiam maxima prærogativa promissio à Christo Petro facta, quod *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hinc Origen. in Matth. cap. 16. inquit; *Neque enim adversus Petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam; neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt:* quæ promissio Petro solum facta; quoniam hodie, nec Ecclesiam Jacobi Hierosolymæ, nec Joannis Ephesi, nec Matthæi in Æthiopia, nec Andreæ in Scythia, nec Bartholomæi in Armenia, nec Simonis in Mesopotamia, nec Judæ in Ægypto, nec Thomæ in India, &c. Sola autem inter fluctus, & tempestates remansit hic Romæ Ecclesia Petri, adversus quam portæ inferi non prævalebunt: ac de dilatatione Religionis in hac eadem urbe inquit sanctus Leo serm. 1. in natal. Apost. Petri & Pauli. *Civitas Sacerdotalis, & Regia per sacram beati Petri Sedem caput Orbis effecta, latius præsides Religione Divina, quam dominatione terrena.*

Nec de alio Apostolo Christus Dominus testatur futuris sæculis nunquam defuturam fidem, sicuti loquitur Petro : *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Hinc idem Petrus Ecclesiæ caput in Ecclesia tanquam exercitus Dux; Chrysostom. in cap. 9. Act. Apost. *Quemadmodum Dux in exercitu obambulans considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeat : vide illum ubique circumcursare, & primum inveniri. Quando eligendus Apostolus, hic primus : quando loquendum Judæis, non Apostolos esse ebrios : quando curandus claudus : quando concionandum, hic præ aliis est : quando agendum contra Principes : quando contra Ananiam : quando ab umbra sanationes fiebant, hic erat; & ubi quidem erat periculum, hic : ubi autem moderatio, & ubi tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes.* & dum ex Act. Apost. cap. 12. habetur : *Sine intermissione oratio fiebat ad Deum pro eo;* Chrysostom. inquit: *Oratio fiebat magni amoris indicium: Patrem omnes quærebant, Patrem mansuetum.*

Nec prætereundum, quod refert Euthym. in Joann. & Nicephor. histor. lib. 2. cap. 3. *Porro Divinus Evodius, qui & ipse Apostolorum successor fuit, inquit: Christus manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit, Petrus porrò Andream, & filios Zebedæi; hi deinceps reliquos Apostolos.*

De eodem Petro, Basil. serm. de Jud. Dei ait: *Petrus ille beatus, qui cæteris antelatus discipulis fuit, cuique magnificentius, quam reliquis omnibus datum testimonium est, magisque quam reliqui omnes beatus appellatus, cui claves regni cœlestis commissæ.* & Epiph. hæref. 51. *In medio elegit Petrum, ut Dux esset suorum discipulorum.*

Similiter Hieronymus contra Jovinian. cap. 14. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* & Ambros. in cap. 12. epistol. 2. ad Corinth. *Prior sequutus est Andreas Salvatorem, quàm Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* & August. in lib. 1. de Baptis. cap. 1. *Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum?*

Ex quibus, & plurimis similibus auctoribus, quis detrahet Petro primatum à Christo collatum? de quo scriptura testatur, antiquitas recognovit, approbarunt Concilia, Patres declararunt, & omnes nationes confitentur: ut qui ejus majestatis scrutator, atque impugnator esse voluerit, ipse ejus gloriæ specie opprimatur.

CAP. LXXVIII.

Petrus fundavit, gubernavit & proprio sanguine consecravit Romanam Ecclesiam.

QUod impudenter Novatores conantur impugnare Petrum & Paulum nunquam Romæ extitisse, nec ibidem Ecclesiam fundasse; convincitur primo hanc ipsam Romanam Ecclesiam per universum orbem diffusam, ex epist. Pauli ad Roman. cap. 1. ibi: *Quia fides vestra annunciatur in universo mundo.* Quæ Pauli verba supponunt; jam ante catechizatos Romanos à Petro tanquam Apostolorum Principe, ut in dicto cap. 1. subdit Paulus. *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos*: & in hæc verba ait Theodoretus. *Non enim dixit, ut dem, sed UT IMPERTIAR: communico enim ex iis, quæ accepi: & quia primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit, necessario intulit AD CONFIRMANDUM VOS: non aliam inquit, doctrinam adfero, sed eam, quæ jam plantata est, confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo.* Et in omnem casum comprobatur ex dictis Pauli verbis utrumque, nempe Petrum & Paulum Romæ extitisse, eandemque Romanam Ecclesiam eosdem fundasse, gubernasse & sanguine proprio consecrasse.

Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 1. inquit; *Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam.* & idem cap. 3. *Maximæ, & antiquissimæ, & omnium cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habent ab Apostolis traditionem,* &c.

Athanasius in Apologet. de fuga sua ad finem, inquit; *Petrus, & Paulus cum audissent oportere se Romæ martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem, sed potius cum gaudio abierunt.*

Eusebius

Eusebius in Chronic. ad ann. Christi 44. *Petrus Apostolus natione Galilæus, Christianorum Pontifex I. cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans 25. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* & idem paulo post ad annum 70. *Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus annis 11.* & idem lib. 1. cap. 13. Ecclesiast. histor. *Sub ipso Claudii imperio benigna, & propitia Dei, totius hujus universitatis Rectoris erga humanum genus providentia, fortem, ac præpotentem, & reliquorum Apostolorum propter potestatis amplitudinem facilè Principem Petrum, Romam versus ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit.* & idem cap. 24. *Paulum proinde Romæ, eo regnante securi percussum; & Petrum etiam suffixum Cruci, historiarum monumentis proditum est.*

Chrysostomus in epist. ad Roman. in Moral. *Considerate, & horrete, quale spectaculum visura sit Roma: Paulum repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittit Roma, qualibus coronis duabus ornatur urbs ista? propterea celebro hanc urbem non propter copiam auri, non propter columnas, non propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ.*

Tertull. de Præscript. cap. 36. inquit; *Si autem Italiæ adjaces, habes Romam; unde nobis quoque auctoritas præsto est: ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes postquam in oleum igneum demersus nil passus est, in insulam relegatur.*

Arnobius lib. 2. multo post Princ. inquit; *Viderant enim cursus Simonis Magi, & quadrigas igneas, Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse: viderant inquam fidentem diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse perfractis; post deinde perlatum Brundam cruciatibus, & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio.*

S. Ambrosius serm. 3 in festo Apostolorum Petri & Pauli inquit; *In urbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet nationum; scilicet, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; & ubi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morerentur: Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostraverunt; &c. Tunc igitur Petrus velut vinctum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit: & hoc in opprobrium acti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, subito ambulare non posset.*

Hieronym. in cap. 1. ad Galat. *Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accipimus, & Romam exinde translatum: quod Lucas penitus omisit.*

DE ABSOLUTO ET INDIVIDUO BEATI PETRI PRIMATU.

Dixi de Martyrio, quod Romæ passi sunt gloriosi Apostoli Petrus & Paulus. Dicendum modo qualiter in eadem urbe idem Petrus Ecclesiam fundaverit & gubernaverit, adscito in labores Paulo, quod infra declarabimus, de quibus Euseb. lib. histor. cap. 6. inquit: *Beatos Apostolos fundamentis Ecclesiæ præclarè positis, & ea providè sapienterque ædificata, &c.* Hinc S. Leo in Natali Apost. Petri & Pauli, inquit: *Isti sunt, per quos tibi Evangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras Magistra erroris, facta es discipula veritatis: isti sunt patres tui, verique Pastores, qui te Regnis cœlestibus inserendam, &c.* Ac etiam D. Bernardus epist. 242. ad Romanos his verbis; *Petrus & Paulus Principes mundi, Romanæ autem urbis speciales patroni.* In quam sententiam etiam Petrus Damiani serm. 17. *Roma per duos summos Apostolos, Petrum scilicet & Paulum totius orbis sibi vindicat Principatum, & quasi caput reliquis civitatibus facta; ita coruscat duorum splendore sanctorum, velut humana facies geminorum luminibus oculorum.* Hinc eleganter cecinit Prudentius in Hymno sancti Laurentii.

Romæ jam regnant duo
Apostolorum principes,
Alter vocatur Gentium,
Alter Cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.

Certum est tamen, Petrum non tempore tantum antiquiorem, sed & dignitate Paulo antecellere. Si enim intra Evangelicæ historiæ, & vitæ Salvatoris tempora consistimus, reperiemus Petrum procul dubio Ecclesiæ claves solum accepisse, solum Apostolis omnibus præpositum esse, solum ei dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; solum ad apertissimum primatus indicium Christi agnos pascendos accepisse. Paulum vero, qui postea ad labores additus dicitur; non modo has Christi voces non audivisse; sed etiam tum Judaicæ noctis tenebris cæcatum, lethiferoque somno mersum jacuisse; cum ipsius semper recrudescente feritate, spirans

ſpirans minarum ac cædis, Chriſtum ipſum non in carne infirmum, ſed glorioſum, & immortalem in omnibus membris ſuis trucidare, ac funditus exterminare in animum induceret. Hæc Pauli in univerſam Eccleſiam perſequentis exordia fuere, qui poſtea mira prorſus & ſtupenda converſione Vas Electionis, & mundi Doctor effectus, in laborum Petri ſocietatem à Patribus prædicatur.

At vero potiſſimum advertendum, quod de auctoritate Apoſtolatus præcisè loquendo, omnes Apoſtoli æquales fuere. Quamvis enim Petrus primus omnium inceperit prædicare, tam Gentibus quam Judæis, Act. 10. Quia tamen in Gentibus plus laboravit Paulus, ut refert Chryſoſt. hom. 18. in epiſt. ad Rom. & laborum, & particularium Eccleſiarum fundatarum multitudine ſuperat Petrum; ea tamen ratione ille primatum dignitatis non habuit inter Gentes, inſtar ejus, quem habuit Petrus, ſed duntaxat ſimilitudinarium.

Si quæ autem authoritas Paulo attribuitur ſpecialiter; ea ratione poteſt ipſi aptari, quatenus Petro abſente verè Paulus curam ſibi delegatam, & Pontificatum Romæ adminiſtravit: Petrum vero non continuò Romæ ſediſſe, ſed aliquoties ab urbe longe abfuiſſe (ut inſinuat Epiphan. hæreſ. 27.) potuiſſe Linum, aut Clementem alios conſtituere Epiſcopos, ne Roma ſine Epiſcopo eſſet: ſicut enim non ſequitur hos debuiſſe eſſe ſummos, aut æquales Petro in primatu: ita neque Paulum ex hoc capite, etſi Romæ Epiſcopatum adminiſtravit: alioquin jam non duos, ſed plures habebimus ejuſdem auctoritatis Romanos Pontifices; quod quomodo cum Monarchico, & Hierarchico regimine conſtare queat, patet omnibus.

Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Nicolaus I. epiſt. 1. ad Michaelem Imperatorem: *Univerſarum Eccleſiarum ſolicitudine Petri & Pauli moderamen expectare potuerunt alii:* Sicut & hodie faciunt profiteri ſe omnia Petri & Pauli auctoritate agere, præſidere, ligare, ſolvere, &c. unde dixit Innocentius III. *Bullas Pontificias capitum Petri & Pauli charactere præſignari:* quoniam in eorum perſona Eccleſia Romana auctoritatem ſuper univerſas Eccleſias accepit.

Quod quidem complexim ita verificatur; ut ſolius Petri principalis auctoritas ſpectetur, diviſim vero quatenus Paulus ſub Petro reſpectivè convenit; unde ſemper in diſpoſitionibus Petrus Paulo prænominatur.

Nec officit, quod Paulus ad dexteram cernitur in Imaginibus, & Diplomatibus, cujus rei non unam cauſam affert inter alios Card. Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. c. 27.

Et licet aliquoties nominetur Paulus cum Petro, velut cum dicitur: *Omnium Eccleſiarum ſolicitudo beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli moderamen expectat:* hoc tamen non niſi reſpective, quatenus Paulo juvante, tres Patriarchales Eccleſias, Alexandrinam, Antiochenam, Romanam Petrus fundavit: per has enim tres præcipuas Eccleſias (inquit Nicolaus) omnium Eccleſiarum ſolicitudo, & moderamen expectat. Conſtat autem in ſingulis plus habuiſſe Petrum: In Alexandrina, quia hanc per Marcum ſuum diſcipulum fecit ſuam, in Antiochena quia præſentia corporali idem præſtitit; in Romana, quia iſta ſuſcepto Petro (longe ante Paulum) gaudet, ut liquidum evadat, Paulum non niſi reſpective, & utcunque adjuvando fuiſſe moderatum omnes Eccleſias.

Infertur ex his, omnes quidem Apostolos habuisse solicitudinem, sed particularium magis Ecclesiarum, excepto Paulo, qui nulli particulari addictus, habuit curam omnium, præcipuè inter Gentes, sed Petro associatus Romæ respectivè, & secundario: Petrum autem fuisse Ordinarium, & primarium Pastorem universarum Ecclesiarum, & sicut Hieron. lib. contr. Jovin. ait: *Ut Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Atque ideo Petro per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit Christus, ut bene Chrysost. homil. 80. ad populum, quam non nisi similitudinariè habuit Paulus, juxta ea, quæ exaggerat Damian. opusc. 35. cap. 4. Et profectò non fuisset sublata schismatis occasio, si Gentes ad secessionem proclives, Paulum potius sibi notiorem optassent habere caput Ecclesiæ, quam Petrum.

Sed neque Paulus se Petro simpliciter æquiparat (si labores excipias) sed tantum in Apostolatu inter Gentes, ad Galat. 2. tametsi solus Petrus propter Apostolatus sui primatum figurata generalitate gesserit Ecclesiæ personam, ex August. tract. 124. in Joann. Quando vero dictum est illi: *Tibi dabo Claves Regni, &c.* universam significat Ecclesiam. August. ibidem.

Quibus etiam accedit, quæ referuntur ex Regnorum oblationibus, de Nummo sancti Petri: ex Palliis quæ propter jurisdictionem dantur Archiepiscopis, & non nisi ab Altari, quod corpus S. Petri continet, sumuntur. Quod sanè indicat supra memoriam sæculorum eam fuisse Romanæ Ecclesiæ sententiam, ut in solo Petro primatum Ecclesiæ proprium agnosceret; & nullo modo auctoritativè in Paulo; alioquin non intermisisset Ecclesia etiam Pauli corpori pallia imponere, & jurisdictionem auctoritate ejusdem Pauli quoque tribuere.

Idem ostendimus ex solennitate Cathedræ Petri: sanè si Pauli æqualis esset cum Petro primatus, Ecclesia non omitteret eandem solennitatem vocare Cathedræ Petri & Pauli; alioquin injuria fieret Paulo; ut rectè Optatus lib. 2. contra Parmen. inquit: *Negare non potes scire in urbe Roma à Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam.* Non ergo Paulus æqualem primatus auctoritatem habere potest. Quod argumentum eo magis urget, quod ea solennitate Cathedræ, non ea solum agitur, qua Petrus primum Romæ sedere cœpit; sed etiam sacrosancta illa recolitur institutio, qua à Domino Petrus petra fundamentalis Ecclesiæ constitutus perpetuæ stabilitatis promissionem & Claves regni cœlestis accepit. Idem in omnibus præsefert sacrum officium Ecclesiasticum, idem colligitur ex Oratione, quæ hodie in Missa recitatur, nulla facta Pauli mentione de collatis clavibus; sed duntaxat in secunda Oratione de Prædicatione, quod ad primatum constituendum nil facit.

Cæterum primatum Sedis Apostolicæ Petro uni, & soli convenire ex Concilio Florentino, ubi non longe à principio sic habetur: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem & Rom. Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere: & ipsi B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse, quemadmodum gestis Oecumenicorum Conciliorum in sacris Canonibus continetur.*

Demum

Demum hoc præsenti anno 1647. die 24. Januarii in generali Congregatione sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, habita coram Sanctiss. D. N. Innocentio X. Decretum fuit hanc propositionem: Petrus & Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, Pastores, Præsides, ac supremi Duces &c. qui unicum caput constituunt; ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter Petrum & Paulum sine subordinatione, & subjectione Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ: hæreticam esse, & damnatam.

Et hæc breviter ex his, quæ longiori tractatu essent dicenda pro prærogativa unius primatus in unius Petri capite, & persona constituti, quorum plurima habui ex familiari colloquio habito cum admodum Rever. P. Melchiore Inchofer Societatis JESU.

CAP. LXXIX.

Quod Papa sit successor sancti Petri, Hæres dignitatis, & præeminentiæ, Ac de Ritibus in Electione ejusdem.

Ecclesiam delicias Christi implentem Cœlum Angelico casu orbum novis coloniis, noluit Deus illam instar destituti navigii carere rectore: curam Petro demandavit, & successoribus Petri, quos à Petro Romana Ecclesia habet Episcopos.

Fuit igitur divinæ providentiæ dare Ecclesiæ caput visibile, ne semper aut opus Christo esset ad omnem controversiam de rebus divinis, aut pertinacibus locus fieret divertendi ad proprios sensus: nam non satis Spiritum sanctum adesse, nisi sit aliquis, qui viva voce nos doceat, quæ sit illa Ecclesia, quam Spiritus sanctus regit inter tot sectas; quæ singulæ sibi uni adesse illum spiritum gloriantur circa declarationem hujusmodi. Scripturas, & Traditiones Deus reliquit, quibus utique regeremur: sed cum de his multum possint ambigere homines, constituit Christus Vicarium sibi fidelem, & prudentem super familiam suam; ut det illis cibum in tempore, &, ut inquit Hieronymus lib. 1. in Jovin. *Ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

Nec dicas, judicio Concilii generalis inhærere potuisse fideles: quoniam ad omnia momenta, ut lites accendi, non ita Concilia cogi possunt; & ad jurgantiũ libidinem toto Orbe Christiano Præsules de suis sedibus convocari non possunt. Cumque etiam de fide semper Metropolitani, aut Patriarchæ certent, ut de levioribus etiam causis ad odium inter illos idoneis. Præterea, dubiis, quæ erunt extra Concilii tempus, ex suo sensu Episcopi sententias exponent, quorum plurimos etiam Hæresiarchas, & Hæreticos errare potuisse indubitatum est: unde ut Pastores extra Concilii tempus errare utique potuissent; sic etiam greges circa fidei dubia aberrassent: & inde divisa à seipsa Ecclesia ex variorum Episcoporum sensu, utique desolata mansisset: & ne in hæc dubia incurramus, electus est Pastor à Domino, ad quem accede-

 remus

remus, quandocunque ambiguum, & difficile apud nos judicium esset. Hinc Hieronymus, quamvis immensæ doctrinæ vir, metuens in discernendis Hæreticis, & doctrina Nicæna exerrare, sciscitatur Damasi sententiam, ut significet nominatim, quibus Episcopis in Oriente communicandum, à quibus fugiendum. Ita ille, ita cæteri Patres se demum in Ecclesia Christi esse putarunt; si essent in Ecclesia, quam Petri successores gubernarent.

Ulterius continuo miraculo opus est, ut charitatis & fidei nexu jungamur, nisi in Præsulem omnes respiciant, qui unus unius gregis Pastor totum gregem contineat: & hoc vinculo destitutæ Hæreses in multiplices sensus effusæ ceciderunt, & cadent. Sic Eunomius Arianus secessit ab Ario, & Eunomianos instituit; & hinc utrique sectæ, ut inquit Sozomenus, pernicies. Imo cur non hodie inter se hæreticorum ministri consentiunt? cur tot in illis certamina? cur toties frustra inter illos tentata pax scriptis, & colloquiis? Quoniam in commune nemini credunt, cujus sit convocare Concilium, illique præsidere; se temerè in diversa dissipant.

Utilitatis itaque præcipuæ fuit, ut constitueretur Ecclesiæ visibilis Rector: quod auctoritatibus probatur. Et primo ex scripturis, quæ in recensendis Apostolis, primo loco Petrum ponunt, & signatè primum vocant. Matth. cap. 10. his verbis: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Cur primus? an à vocatione? ne hoc putes; Andreas eo modo primus fuit: nam & prior Christum sequutus est, & Petro deinde nuntiavit. Joann. I. *Invenimus Messiam: & adduxit eum ad Jesum.* Cur igitur primus, nisi quia altiorem cæteris potentiam nactus? Primus inquam dignitate & potestate, & is Apostolorum ordo non ab hominibus constitutus, non ab Evangelista, sed à Christo: ita in hunc Matthæi locum Hieronymus: *Ordinem Apostolorum, & meritum uniuscujusque, illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur.* & idem lib. I. advers. Jovin. *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut constituto capite, schismatis tollatur occasio.* Ergo illa electio non honoris tantum, ut primus sederet, primus nominaretur; sed potestatis, ut Schisma tolleretur. Quod ex infra dicendis apertissimè demonstratur.

Apud Matthæum cap. 16. Christus inquit Petro. *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* At cum remissio peccatorum non fiat, nisi in vim clavium, quæ Petro fuerunt donatæ; & cum remissio sit articulus fidei, quæ in Ecclesia perseverat: ergo claves Petri in Ecclesia adhuc sunt.

Præterea apud Joann. cap. 21. *Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit, etiam, Domine: Tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.* Quod post triplicem replicationem, dicit Christus: *Pasce oves meas:* ergo, si oves in ovili, seu Ecclesia adhuc sunt, necesse est etiam esse Pastorem, quia in Ecclesia visibilis erit Successor Petri, nempè Papa.

Tertio, apud eundem Matth. cap. 16. dicit Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, &c.* Ergo, si fundamentum Ecclesiæ durabit quousq; Ecclesia; consequens est, ut cum non sit amplius in Ecclesia visibilis Petrus; sit tamen necessariò ejusdem successor, qui est visibilis Papa, & ejusdem Ecclesiæ fundamentum.

Ab

Ab exordio Ecclesiæ usque in præsens absque interruptione agnita est hæc veritas de successione Petri in Ecclesia universali, quod omnes Patres testantur. Hinc sanctus Athanasius ad Marcum Papam: *Domino sancto Apostolici culminis venerando Marco sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & universi Ægyptiorum Episcopi salutem.* & ibidem ad finem. *Optamus ut à vestra sanctæ Sedis auctoritate, quæ est Mater & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur.*

Successio continuata à Petro in Rom. Pontif.

Quod Papa sit Princeps Pontificum, & Episcoporum, audi Tertullianum de Pudicitia cap.1. *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum, edicit.*

Cyprianus epist.52. ad Antonianum, inquit: *Factus est autem Cornelius Episcopus, &c. Cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato; quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est: nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, quæ Ecclesiæ non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, multum licet de se jactans, & sibi plurimum vindicans, prophanus est, alienus est, foris est.*

S. Bernard. epist. 242. ad Romanos, inquit: *Romani Pontifices Hæredes Apostolorum Petri & Pauli, Romanæ Urbis Principum, Vicarii sunt & successores.* Vincentius Lirinens. Commonit. 1. cap. 9. *Romana Ecclesia Beatorum est Apostolorum beata successio.*

Divus Hieronymus epist. ad Damasum Papam. *Ego cum successore Piscatoris, & discipulo Crucis loquor: Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum Agnum comederit, prophanus est: si quis in arca non fuerit regnante diluvio, peribit.* & idem epist 58. inquit: *Ideo obtestor Beatitudinem tuam, &c. Ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Nolo despicere animam, pro qua Christus mortuus est.*

Divus Augustinus epist.166. *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus? cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non non vincent eam.* & idem Augustinus epist. 92. ex Concilio Melevitano ait: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit.* & paulo post: *Magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris.*

Basilius epist. 52. ad Athanasium. *Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur, consideret; detque consilium: & quoniam difficile est, ut communi ore, ac synodico decreto illuc mittantur, ipse sua auctoritate in ista causa usus, viros eligat, &c.*

Chrysostomus epist.1. ad Innocent. Papam ante finem. *Cum hæc ita se habere didiceris, studium vestrum, & magnam diligentiam adhibere, quo retundatur hæc, quæ in Ecclesia erumpit, iniquitas.*

Sozomenus lib.3.cap.7. inquit: *Quorum criminationes cum Episcopus Rom. intellexisset, & omnes fidei Concilii Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. At cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit: scripsitque ad Episcopos Orientis, quod inconsulto eo de hisce viris judicassent.* & infra. *Quin etiam minatus est, se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi novis rebus studere desierint.*

Ac etiam, quod Romanus Pontifex successerit auctoritati, quæ à Christo collata est Petro in Ecclesiam universalem, Baron. ann.34. ubi Spond.num.59.

Et hæc satis de multis, quæ possent adduci, ut constet Christum non fundasse, ac promovisse solum Ecclesiam pro tempore Apostolorum, quin imo ad omnia futura sæcula: Præterea huic Ecclesiæ non exhibuisse formam Aristocratiæ, sed Monarchiæ spiritualis, sicuti in præsenti apparet, &c.

De Ritibus in Electione Rom. Pontif.

Dixi, quod Papa seu Romanus Pontifex sit D. Petri successor, & usque in præsens tempus de successione ejusdem: non erit modo Lectori forsan molestum, ut aliquid breviter de Ritibus in Electione ejusdem Romani Pontificis attingam; qui varii & aliquando fuere, & quales in præsenti tractentur, agnoscamus.

Petrus elegit Clementem.

Primum igitur, Petrus paulò ante mortem Pontificem, & successorem suum summa auctoritate, quam à Christo acceperat, Clementem designavit: sed Episcopatum iste recusavit usque ad Lini, & Cleti obitum, qui ejusdem Petri coadjutores extiterant. Quibus refellitur erronea quorundam opinio, non fuisse Linum & Cletum institutos Romanæ Sedis Episcopos, sed tantummodo Coadjutores Petri, dum ille vixit; siquidem non aliter id intelligendum, nisi quod sic sederint, dum Petrus vixit: proinde Lino, & Cleto successive, qui Coadjutores Petri antea fuerant, prælatis; Quartus ipse Clemens Pontificatum inivit: refert Cardin.Baron.in ann.69.ubi Spond. num.16.

Odoacer.

Fuit deinde jus eligendi Romanum Pontificem penes Clerum Romanum, cum aliquando etiam populus se interposuisset: quin imo, quod deterius, Romani Pontificis electionem sibi usurpare præsumpsit Odoacer Arianus Rex Erulorum: At Felix III. dein ad Pontificatum assumptus, Romæ cogens Concilium 42. Episcoporum & Legatos Constantinopolim ad Zenonem Imperatorem mittens, fortiter in id restitit; ut eminens agnosceretur Romanæ Ecclesiæ subjici nescia auctoritas. Baron. ann. 483. ubi Spondan. num.3.

Theodoricus & successores Gothi.

Sed inde etiam Theodoricus Gothus Italiæ Rex, quod nullus unquam Ethnicorum Principum præter Odoacrem ausus fuerat, iste Hæreticus meditatus implevit; ut summi Pontificis electionem, atque nominationem sibi procaciter arrogaverit: Quamvis Dei nutu factum fuerit, ut in Romano Clero probatissimum Felicem hujus nominis IV. in Papam ille elegerit: ac inde tanta præsumptio postea accessit; ut ex pristino usu Clerus deligeret Pontificem, quem Rex suo confirmaret assensu. Quam quidem ab Arianis Italiæ Regibus vendicatam sibi tyrannicè auctoritatem; iis de medio sublatis, Orientalis orbis Imperatores sibi pariter arrogarunt, ac denuo cesserunt. Baron. in ann. 526. ubi Spondan. num.2. Quin imo Justinianus

nus Imperator, qui præ cæteris, dum voluit pius videri, maximè impium se præstitit, cum hujusmodi auctoritatem non solum assensu, verum & promotione ejusdem in Pontificem, exemplo impiissimorum Gothorum Regum Arianorum, fuerit creatus Pelagius in Papam; & non sine certæ pecuniæ oblatione ejusmodi fieri solitam ab Imperatore Romano probationem; refert Baron. in ann. 555. ubi Spondan. num. 2.

Quantumvis alias in Concilio Romano attestatus fuerit in proposito Symmachus Papa, quod non ratio, sed necessitas ingruentis seditionis eum impulerat subire judicium Regis Theodorici Ariani; atque dein, ut omnia more Majorum ritè fierent, in eodem Concilio decreverit circa Romani Pontificis electionem: ex eodem Baron. in ann. 499. ubi Spondan. num. 2.

Non ratione sed necessitate.

Successive ad evitanda schismata, & alia scandala, Stephanus IV. Papa in Concilio Romano decrevit; ne ex alio ordine, nisi Diaconus vel Presbyter Cardinalis effectus quis esset, Pontifex creari posset; ut ex prædicti Concilii actis: & refert Baron. in ann. 769. ubi Spond. num. 2.

Ex Cardinalib. Papa eligitur.

Gregorius X. Romanus Pontifex, qui vixit anno 1271. in generali Concilio Lugdunens. dedit formam circa Ritus in electione ejusdem Romani Pontif. nempe circa Conclave Cardinalium eligentium, & similia; ut in cap. *Ubi periculum*, de Elect. in 6. Decretal. ac etiam Innocentius III. Papa, qui vixerat antea: iste ann. 1200. decrevit generali Concilio electiones faciendas tribus formis, nempè Scrutinii, Compromissi, & Inspirationis; ut in cap. *Quia propter*, 42. extr. de Elect. & hæc constitutio annis præteritis per summos Pontifices Gregor. XV. & Urbanum VIII. in Bullis eorundem de Elect. Rom Pontif. fuit modificata, & ampliata ad evitanda scandala tumultuariæ electionis. Unde in proposito, ut exteris, maxime Transalpinis, magis innotescant Pontificiæ electionis ritus (quorum aliqui etiam nostris temporibus servantur) apponam hic relata à Cardinali Papiensi lib. 2. suorum Commentariorum circa electionem Pauli II. Rom. Pontif. ut infra his verbis.

(Igitur celebratis exequiis & Conclavi constituto, 6. Kal. Septembr. qui fuit annus à Christi Incarnatione 1464. reduxerunt se omnes Cardinales ad novam electionem in anteriores Pontificiæ Vaticanæ aulas. Custodiæ primæ, & quæ proxima Patribus fuit, præfuerunt Episcopi decem, qui scrutarentur singula, quæ vel cibi, vel alterius rei inferrentur ad eos; differentesque eligere decretis Patrum, ad maturandum arctarent. Secundæ Oratores, Regum, Principumque, qui Romæ inventi tunc sunt. Tertiam autem, quæ ultima erat, Prætoriani milites asservabant. Diem, quæ sequuta ingressum est, totam formandis legibus impendere, ad sanam Pontificum administrationem maximè necessariis: quibus Patrum quisque subscribens jurejurando, votoque promitteret obtemperaturum se illis, si ad Pontificatum assumi ipsum contingeret. His constitutis, ad electionem procedi est cœptum, cujus solennitatem servari hanc vidi: Mane Patres omnes induti palliis à summo deorsum apertis, quas Croccias vocant, in cellam beati Nicolai silentio convenere. Ibi Divina Spiritus sancti per Custodem Sacrarii Apostolici ritè sunt celebrata; quibus abso-

Ritus electionis.

absolutis suo loco disponunt se per subsellia. Quisque quos decreverat eligere, in codicillo ante descripserat, huncque suo annulo obsignarat. Inde tres tantum ex Patribus ad Altare ascendentes, primi videlicet inter Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos, Calicem Sacrificii, in quo ea die fuerat consecratum, ad medium Altare constituentes, Custodes ipsi omnium adstitere, atque inspectores. Post hæc eodem ordine processerunt reliqui: atque ante Altare in genua procidentes codicillum sigillatim in Calicem demisere. Id vero postquam ab omnibus factum est, tres illi, quos diximus, Calicem ipsum ad cæteros inferius considentes sublatum altius retulere: Consistentesque in subselliorum medio, unde & spectari & audiri à circumstantibus possent, numerarunt mox codicillos: quorum & convenisse numerus inventus est, singuli ab Episcopo aperti, & lecti proximo Diacono pronuntiandi traditi sunt. Patrum quisque papyrum tenens, ac pugillare, quem quique elegerant, suo chirographo annotabat. Solent Cardinalium partes duæ veteri decreto Pontificem facere. Qui numerus si ex codicillis non adimpletur, liberum est cui, quem voluerit Patrum non electum à se scripto, voce eligere: quæ electionis ratio verbo nostræ consuetudinis *Accessus* dicitur. Inauditum est præsenti, & majorum memoria quempiam ex solis codicillis electum esse: Vocum accessio conficere totum opus est solita. Igitur omnibus legitimè observatis, duodecim Cardinales inventi sunt, qui Petrum tituli sancti Marci ex codicillo eligerent, anno 48. natum, Venetum natione, & in Barborum nobili familia ortum. Duæ tantum voces ad complendam electionem videbantur deesse; cum subitò Patres alii quatuor uno ferme momento ad reliquos accessere, tanta quidem celeritate, ut dubium apud nos fuerit, cujus esset vox prius audita. Cardinales, etsi superare ad perfectam electionem suffragia intelligebant, jamque pro Pontifice habebatur Petrus: tamen ut unus omnium esset consensus, exquiri sigillatim eligentium sententias voluerunt. Bessarion Tusculanus Episcopus, primum in Collegio locum habens, unumquemque ordine appellans, rogavit num ea placeret electio. Cum vero ab omnibus prima assensione placere responsum esset; conversus ad Petrum: Patres, inquit, hi te in Pontificem elegerunt, & ego omnium nominibus rursum te eligo: id agens videlicet, ut quæ sunt ad electionem legitima, viderentur in hanc convenisse. His dictis salutatus est Pontifex, & gratulabundi omnes ad ejus genua procidere. Ante vero quam quid actum esset pronuntiaretur ad populum, oblatæ ei juxta condictum leges sunt, de quibus ante meminimus: quibus ille accepto statim calamo sine cunctatione subscripsit, servaturumque se eas juravit, & vovit.) Hæc refert Cardin. Papiensis de Pauli II. Electione.

Scrutatores.

Accessus.

Electio.

Subdimus etiam prædictis quæ refert ipsemet Pius II. (aliàs Æneas Silvius Piccolomineus Cardin. Senens.) in suis Commentariis lib. 1. post sequutam sui electionem in Romanum Pontif. his verbis: [Nec plura loquutus, priora exuit indumenta, & albam Christi tunicam accepit: & interrogatus quo nomine vellet vocari, Pio respondit; & mox Pius II. appellatus est: & juratis quibusdam Capitulis nudius tertius in Collegio editis, in altari positus, rursus à Cardinalibus adoratus est,

podes

pedes ejus, & manus, & ora osculantibus: atque eo facto publicata est populo Pontificis electio ex alta fenestra, acclamatumque Pium II. Pontificem haberi, qui fuerat Cardinalis Senensis. Tum qui erant in Conclavi ministri Cardinalium, cellulam spoliavere, atque argentum quamvis erat modicum, & vestes, & libros diripuere, & domum ejus in Urbe vilissima plebs, atque infamis non expilavit tantum, sed disrupit etiam marmoribus asportatis. Fuerunt & alij Cardinales affecti damno: nam suspenso in expectatione populo, cum variæ voces tractarentur, & modo hic Cardinalis, modo ille diceretur electus, procurrere vulgus ad illorum ædes, ac rapinam facere; & Genuensis pro Senensi auditus partem substantiæ amisit: cumque plures nominarentur, nullius vox cum majori gaudio exaudita est quam Senensis: quem cum certum fuit Æneam in solio Petri constitutum esse, nemo non exultavit. Vidisses non hominis tantum, sed Urbis ædificia gestire: ubique risus, ubique gaudium, ubique voces clamantium exaudiebantur, ***Sena Sena, vive Sena.*** & cum esset armata civitas, nec quisquam in alio quam in ferro videretur habere fiduciam, mox ut certior factus est populus Æneæ pontificatum obvenisse, deposita sunt arma, adeoque Urbis facies, ut quæ paulo ante Martis, è vestigio Pacis & Quietis civitatis effecta sit: ubique læta atque secura. Interim novus Præsul paululum cibo recreatus in Basilicam S. Petri ductus est, & in ara majori collocatus, sub qua jacent beatorum Apostolorum corpora; & paulo post in sublimi solio, ipsaque Apostolica Cathedra pro consuetudine sedit. Quo in loco tum Cardinales & Episcopi, tum multi ex populo ejus pedes osculati sunt, & in Throno sedentem Christi Vicarium adoraverunt. Nec diu moratum, cum jam advesperasceret, in Palatium reducere: adventu noctis lucere in omni trivio, atque in omni turri ignes, cantus exaudiri, vicinus vicinum invitare, nulla in parte cornua, tubasque non sonare, nullumque in urbe locum non publico gestire gaudio. Ferebant seniores nunquam se Romæ tantam populi alacritatem vidisse.

Sequenti nocte primarij urbis Cives equis insidentes, ardentesque cereos in manu ferentes, ad Palatium salutaturi Pontificem accessere; quorum ordo ex Mole Adriani ad ædem beati Petri protendebatur. Nec Roma tantum, sed multæ Italiæ civitates, & multi Principes, audita Pii Pontificis assumptione, sigularem lætitiam ostenderunt: præcipuè vero Senenses exultavere, quorum Civis adeo exaltatus esset, ut omnium in orbe primus haberetur.) Hæc & alia plura refert idem Pius II. in proposito loco citato.

Electo Romano Pont. consuetum est ipsum nomen mutare: & quamvis aliqui dixerint Sergium II. in hoc primum fuisse, eò quod *Osporci* dictus, nomen indecens tanto sacerdotio visus fuerit habere. Quanquam hæc fabula sit: & primum id factum ab Octaviano, qui dictus est Joannes Duodecimus; ut alij tradunt, qui revera primus inventus est, qui nomen sibi mutaverit; vel quod eo nomine ejus patruus Joannes papa XI. sit appellatus; vel ut in nomine saltem bene posset audire in adulatoriis acclamationibus illud elogium; ***Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Joannes*** Baron. in anno 894. ubi Spondan. num. 1. & idem Baron. in ann. 955. ubi Spond. num. 1.

Nominis mutatio

Ut prosequamur de priscis ritibus post electionem Romani Pontificis: addimus etiam aliqua non injucunda ex Cincio Camerario lib. m. s. De Censibus Roman. Eccles. tit. *Quomodo debeat summus Pont. eligi, &c.* de quibus ritibus in Consecratione Papæ Cælestini III. refert quoque Card. Baron. in ann. 1191, his verbis.

[Cum major & melior pars convenerit Cardinalium, Prior Diaconorum ipsum Papam de Pluviali rubeo amandat, & idem electo nomen imponit, ipsumque dein duo de majoribus Cardinalibus adextrant usque ad altare, ubi prostratus adorat: Primicerio cum schola Cantorum, & Cardinalibus cantante *Te Deum laudamus*: quo facto ab Episcopis Cardinalibus ad sedem ducitur post altare, & in ea ut dignior est collatus, in qua dum sedet electus, recipit omnes Episcopos & Cardinales, & quos sibi placuerit ad pedes, postmodum ad osculum pacis; surgensque de sede ducitur à Cardinalibus ad sedem lapideam per porticum, quæ sedes dicitur *Stercorata*; quæ est ante porticum Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranens. & in eam eundem electum ipsi Cardinales honorificè ponunt, faciens ibi jactum ter replicatum, ut verè dicatur: *Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* (quam sedem eandem volunt esse, quæ hodie in Claustro Lateranensis Basilicæ reperitur.) Post aliquam horam stans juxta eandem sedem electus accipit de gremio Camerarij tres pugillatas denariorum, & projicit dicens: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Tunc autem accipit ipsum electum Prior Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranens. cum uno de Cardinalibus. Venientibus autem per eandem porticum juxta ipsam Basilicam Salvatoris acclamatur: *Dominum Cælestinum S. Petrus elegit*, sicque ducitur ab illis usque ad gradus portæ, quæ est introitus Palatij venientibus ab Ecclesia: ibique Judices eundem electum accipientes, ducunt eum per Palatium usque ad Basilicam S. Sylvestri, ubi idem electus sedet ad dexteram in sede porphyretica; ubi Prior Basilicæ S. Laurentij de Palatio dat ei ferulam, quæ est signum regiminis & correctionis, & claves ipsius Basilicæ, & sacri Lateranens. Palatij, quia specialiter Petro Apostolorum Principi data est potestas claudendi, & aperiendi, & ligandi atque solvendi, & per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus: & cum ipsa ferula & clavibus accedit ad alteram sedem similem, & ejusdem lapidis; & tunc reddit eidem Priori tam ferulam, quàm etiam ipsas claves, in qua dum aliquantula mora pausat, cingitur ab eodem Priore zona rubea de serico, è qua dependet bursa purpurea, in qua sunt duodecim sigilla pretiosorum plaldum, & muscus: qui siquidem electus illis duabus sedibus sic sedere debet, ac si videatur inter duos lectulos jacens; id est, ut accumbat inter Petri Principis Apostolorum primatum. In zona denotatur continentia castitatis: in Bursa gazophylacium, quo pauperes Christi nutriantur, & viduæ: in duodecim sigillis duodecim Apostolorum potestas designatur. Muscus includitur ad percipiendum odorem, ut ait Apostolus, *Christi bonus odor sumus Deo.* In qua secunda sede dum sedet electus, recipit omnes Officiales Palatij ad pedes, & postea ad osculum; deinde sedens ibidem recipit de manu Camerarij denarios argenteos val. x. sol. proven. & projicit eos super populum: Hoc facit tertio dicendo: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia*

Adoratio

De sede stercorata

Dispensat pecuniam

Acclamatio.

Traditio ferulæ & clavium.

Bursa cũ sigillis, & musco.

ejus

ejus manet in sæculum sæculi. Iſtis peractis ducitur per ipſam porticum, & intrat Baſilicam S. Laurentij, in qua poſtquam peregerit prolixam ante proprium, & ſpeciale altare orationem, pergit ad Papalem Cameram, ubi cum ſua voluntate pauſaverit, pergit ad menſam.

Poſt hæc autem in proxima die Dominica electus cùm omnibus ordinibus ſacri Palatij, & Nobilibus Romanis vadit ad Eccleſiam B. Petri: & ante altare majus, prout in Ordine continetur, ab Epiſcopo Oſtienſi ſpecialiter, & alijs Epiſcopis de Curia conſecratur: quod ſi fortè Epiſcopus Oſtienſ. præſens non fuerit, Archipresbyter Oſtienſ. ſeu Velletrenſ. intereſſe debet conſecrationi. (De quo conſecrationis Ritu antiquiſſimo in electo Romano Pontifice, ex D. Auguſtino, refert Card. Baron. in ann. 261. ubi Spond. num. 3. & idem in ann. 336. ubi Spond. num. 17.) Qua Conſecratione finita, Prior S. Laurentij ſacri Palatij Pallium ſuper altare, quod ipſe Prior propria manu defert; & ſtatim Archidiaconus cum ſecundo Diacono dant in manu Pontificis, & ſolus Archidiaconus dicit Pontifici: *Accipe plenitudinem, ſcilicet Pontificialis officii, ad honorem omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis ejus Genitricis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. R. Eccleſ.* Et nihil aliud: ſtatimque ipſe Archidiaconus, cum Priore Baſilicario aptat idem pallium ſuper Pontificem, & intromiſſis ſpinulis aureis tribus ante & retro, & ſiniſtro lateri, in capite quarum ſunt innixi tres hyacinthi, i.e. lapides: & ſic ornatus accedit ad altare Pontifex, & ibi celebrat honorificè Miſſam. Et notandum, quod laudes ab Archidiacono cum Cardinalibus, & Subdiaconis & Scriniariis; Epiſtola Latina cum Græca, & Evangelium Latinum cum Græco, & omnes aliæ ſolennitates tunc fiunt; ſicut in ſecunda feria poſt Paſcha. Miſſa autem celebrata revertitur ad Palatium coronatus cum proceſſione: poſtquam vero D. Papa pervenit ad S. Adrianum; unus de Curialibus aſcendit Palatium ſanctæ Martinæ, & facit ibi jactum de denariis, id eſt, ut ſic multitudo populi, quæ impedimentum præſtat Domino Papæ, & removeri poſſit, denariis ipſis colligendis intendens. Quando autem pervenerit ad S. Marcum, quidam ſimili modo ob eandem cauſam facit ibi jactum: Et hoc ſimiliter cum D. Papa venerit ad Turrim Stephani S. Petri, quæ eſt in capite Parionis, unus de Curialibus exiſtens in ipſa Turri facit ibi alium jactum ob cauſam ſupradictam. Notandum, quod à S. Petro uſque ad Palatium Lateranenſ. Domino Papæ fiunt Arcus à Romanis honorabiles in via, per quam tranſiit; pro quibus datur Romanis Presbyterium XXXV. librar. proven. & Clerici omnes Romani occurrunt induti cum Thuribulo in remuneratione crucis honoris. Cum vero pervenerit D. Papa ante Turrim prædictam. Judæi occurrunt, & ei Legem ſuam præſentant, faciuntque laudes, pro quibus recipiunt à Camerario in presbyterium, XX. libr. proven.

Pompa ad S. Petrum *Conſecratio.* *Pallium.* *Celebratio Miſſæ.* *Iactus pecuniarum*

Sciendum, quod Cardinales omnes, Græci, Primicerius cum Schola Cantorum, Præfectus, Senatores, Judices, & Advocati, Scriniarij, Præfecti navales, Schola Crucium, & Capellani tale presbyterium, & taliter datum accipiunt, quale in die Paſchæ recipiunt &c. Hæc ferè omnia Cincius Camerarius ubi ſupra. Et ſubdit etiam, ſi Papa apud S. Petrum, vel extra Urbem fuiſſet creatus, quales tunc Ritus ſervarentur, &c.

Advertendum, ex prædictis Ritibus aliquos abiisse in desuetudinem: alios commutatos, & servari solitos ante solennem Coronationem ipsius summi Pontificis.

Papa non poteſt ſibi eligere ſucceſſorem.

Denique prædictis ritibus circa Romani Pont. electionem addimus, quod Papa de sui successoris electione decernere non possit: (sicut diximus supra Clementem à S. Petro in proprium successorem designatum. Card. Baron. in anno 499. ubi Spond. num. 2. & de hoc extat Relatio Consistorialis, de qua D. Victorellus in additione ad Ciacconem in vita papæ pij IV. his verbis; (Anno 1565. die 18. Cardinalis in Consistorio, alloquens Papam ætatem suam senio confectam in occasum quasi præcipitantem ferri, narrans: adjecit, scire se quæri à Jurisconsultis, An Romanus Pont. successorem sibi deligere queat; & sub paulo IV. agitatam quæstionem? An idem Pontifex adjutorem cum futura successione adsciscere possit? Et quamvis nonnulli inprimis id affirment; eam tamen sententiam Pius, ut falsam rejiciendam censuit; volebatque declarare, & si opus fuisset, statuere; Pontificem, Cardinalibus etiam assentientibus, id facere non posse. Major Cardinalium numerus, decretum faciendum indicavit: Gambara dixit, declaratum olim à Pontifice in Consistorio, & decreto firmatum, hoc à Pontifice effici non posse: quare ajebat, videndum quibus verbis Constitutio conficienda. Pius auditis sententiis, Decretum inutile non futurum asseruit; seq. declaraturum, Pontificem non posse successorem, adjutoremve cum futura successione sibi eligere.)

Prædicta propositio quamvis hodie firmata, est tamen declaranda; ut Cardinalibus aliquando cum decedente Romano pontifice de successore agere mos fuerit, sed hoc admonente solummodo & exhortante, non quidem imperante ipso summo pontif. absque præjudicio liberæ electionis Cardinalium; ut alias etiam Clerum consuevisse Card. Baron. in anno 499. ubi Spond. n. 2. & idem ann. 1085. ubi Spondan. num. 6. & idem anno 1187. ubi Spond. num. 4. & idem anno 1119. ubi Spond. num. 2. & idem anno 1198. ubi Spond. num. 40.

Et hæc de Ritibus in Electione Romani Pontificis attigisse sufficiat.

CAP. LXX.

De Romana Ecclesia.

Negari non potest quin Romana Ecclesia fuerit appellata & cognita Caput Ecclesiarum, Sedes, Mater, & ut inquit S. Cyprianus de Unit. Eccles. circa finem; *Quidquid à Matrice discesserit, seorsum vivere, & spirare non potest, & substantiam salutis amittit:* Etenim quicunque non habuerit illam Matrem, frustra sperat Deum Patrem. Ac etiam Optatus Melevitanus contra parmenian. lib. 2. ait: *Igitur negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde Cephas appellatus: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram colocaret.*

Ac etiam, quod Romana Ecclesia Mater & Radix dicatur omnium Ecclesiarum, Baron.

Baron. ad annum 45. ubi Spond. num. 3. Item Caput omnium Baron. anno 342. ubi Spond. num. 8. Dicitur Ecclesia Romana etiam universalis; quoniam ipsa sola privilegio singularis dignitatis, cæteris est prælata. Raynald. in Annalibus Ecclesiast. tom. 13. anno 1199. num. 61. Ab eadem diffusum Evangelium in universum Occidentem, Baron. anno 46. ubi Spond. num. 3. & ann. 254. num. 11. & 13. Ejusque communionem conati sunt suffurari Hæretici, ut sic Catholici viderentur; ut Montanus, Ruffinus & alij, de quibus Baron. in ann. 173. ubi Spond. num. 2. & anno 397. ubi Spond. num. 5.

Cognito hujus Urbis primatu, consequens est videre: quare nominetur Romana? de quo multæ adducuntur rationes. Primo, ut ab Hæreticis discriminetur. Secundò, quoniam Ecclesia Romana nunquam à recta semita aberravit. Tertiò, quoniam hæc repressit semper omnes hæreses. Quartò, cum prima Sedes Romæ à Christo fuerit erecta. Quintò, quoniam ut plurimum Christi Vicarij Sedes in ea reperitur. Demum, quoniam hæc Romana semper pro Catholica fuerit habita, ut in Concil. Ephesin. cap. 10. Theodosius ad Acacium Episcopum inquit: *Decet proinde vestram sanctitatem omni diligentia, studio, ac contentione hæc à Deo deposcere, vosque probatos Romanæ Religionis Sacerdotes esse manifestè declarare.* & Gregor. Turonens. de Glor. Martyr. cap. 80. inquit; *Romanos enim vocat homines nostræ Religionis.* Irenæus lib. 3. adversus hæres. c. 3. *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt, undique fideles.* Et S. Cyprianus epist. 45. *Scimus nos hortatos eos esse ut Ecclesiæ Catholicæ Radicem, & Matricem agnoscerent, ac tenerent.* S. Ambrosius orat. de obitu Satyri fratris inquit. *Advocavit ad se Episcopum; nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam: percunctatusque ex eo est, utrumnam Episcopis Catholicis hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret?* & D. Augustinus epist. 162. pag. 3. inquit. *Unde non mediocris utique auctoritatis habeat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Aphricam venit, per communicatorias literas esse coniunctum.* Et Hieron. Apolog. 3. adversus Rufinum tom. 1. sic inquit. *Attamen scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigia non recipere; etiamsi Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est; Pauli auctoritate munitam non posse mutari.*

Denique, quod Romanum nomen idem sit, quod Catholicum, & Romana fides eadem quæ Catholica, Baron. anno 45. ubi Spond. num. 3. & idem Baron. anno 58. ubi per Spond. num. 19. satis diffusè.

Hanc autem fuisse Catholicam, cui omnibus sæculis hoc nomen attributum, cujus auctores à Christo Apostoli fuerunt: cujus Ecclesiæ membra fuisse sanctissimos Pattres Irenæum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Nazianzenum, Cyrillum, Chrysostomum, & alios plurimos; quod haud dubiè Orthodoxos, & Catholicos fuisse quisque fatebitur; ut etiam litteris & sanctitate notissimos; nec

Quare Romana Ecclesia dicatur Catholica.

nec in iis ullam Hæresis suspicionem venisse; & in unius Ecclesiæ Catholicæ communione vixisse, charitatis inter se, & fidei vinculis nexos.

Vide in quæ abrupta se præcipitent sectarij isti, metuentes hæc retia veritatis; ut non erubescant dicere nævos esse, quos in illis Patribus colligimus; & nos illarum sordium (non integritatis) successores. Inepta equidem hæc responsio: nonne videtis de illis fidei partibus, de quibus nobiscum litigatis, illorum judicium, qui vos damnent, qui nobiscum consentiant? eane adeo levia, ut sint nævi; non hæreses? ut vos dicitis: si panis, quem in Eucharistia videmus, panis est? si Papa non est illius Ecclesiæ rector, extra quam non est salus? si electi sunt certi de salute? si Ecclesia non offerebat pro mortuis Eucharistiæ Sacramentum? nævos putes an hæreses, hæc in contrarium sentire & docere.

Huic Romanæ Ecclesiæ jubemur à Christo credere; & ab ipsa regi, & doceri. Postquam enim Christus resurrexit: *Deus dedit eum manifestum fieri* (ut in Actis cap. 10) *non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo:* id est Apostolis & discipulis, qui constituebant Ecclesiam: ac ut olim pauculos panes, qui in fœcunda alimenta aliquot hominum millibus erant suffecturi, Apostolorum manu distribuit: ita per illos æternæ vitæ verba misit; quibus ad salutem pascerentur credendo, parendo, exuendo proprij judicij sensus.

Intueamur, qua ratione, quo stylo voluerit Deus Evangelia scribi, Apostolorum Actus, Epistolas, Apocalypsin: alta omnia, recondita, plena sanctiori caligine; cur id vero, nisi ut fideles in humilitatem demissi, ab Ecclesiæ auctoritate penderent? cui exponenti scripturas idem spiritus adest, qui adfuit conscribendis: voluit illinc suæ sponsæ majestatem accrescere, quæ sola de ejusmodi controversiis disceptaret: suos autem electos fieri parvulos (ut ad subeundum cœlum necesse est) & proprij ingenij sensu despecto, exponenti Ecclesiæ adhærere.

Quare Romæ sedes Petri.

Si quis autem curiosè inquirat, Quare posuerit Romæ Petrus Sedem suam? Dicimus, ut jussu divino miserit Petrus Apostolos evangelizare per universum orbem, & Romæ quæ erat caput orbis, Imperij, & omnium civitatum, pro se & successoribus suis collocavit ibi Sedem suam: Ita D. Leo in Natal. Apost. Petri, & Pauli his verbis, *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij; ut lex veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso Capite per totum mundi corpus effunderet:* cui breviter respondet D. Maximus in Nativitate eorundem. *Ubi mundus caput habebat Imperij; ibi Regni sui Principes collocavit.*

Et S. Prosper lib. de Ingratis inquit; *Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris facta est caput mundi.* Agnoscunt S. Petrum Romæ Episcopum Pontifices, Concilia, sancti Patres, & universus orbis Christianus. Et S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium nominat Sedem Romanam Cathedram S. Petri: & S. Augustinus lib. 2. contra Epist. Petiliani inquit. *Quid fecit tibi Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet?* & S. Anacletus epist. 3. docuit, quod Ecclesia Romana ob Sedem Petri caput sit omnium Ecclesiarum.

Sed

Sed omissis cæteris circa Ecclesiæ Romanæ primatum: curemus nos in hac stabili, & firma Ecclesiæ Romanæ petra inhærere, & dicamus cum S. Augustino contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, cap. 4. tom. 6. *Multa sunt, quæ me justissime tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio: tenet consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit; ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum, vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

Unde Calvinus his detentus angustiis lib. 4. instit. evomit venenum intra pectus retentum; quod quamvis ipse confiteatur, Romam jam fuisse matrem aliarum omnium Ecclesiarum; ex quo tamen cœpit fuisse Antichristi sedes, devenit quæ non erat.

Roma non est sedes Antichristi.

Cui nos respondeamus cum D. Hieronymo epist. 55. ad Pammach. & Oceanum tom. 1. his verbis: *Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus. Parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris* (diceret hodie Hieronymus 1646. annos) *quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Idque adeo verum est, ut de Roma effecta Christiana, Hieron. in epist. ad Marcellam dicat. *Est quidem ibi sancta Ecclesia: sunt trophæa Apostolorum ac Martyrum: est Christi vera confessio: est ab Apostolis prædicata fides, & gentilitate calcata in sublime quotidie se erigens nomen Christianum.*

Et quo ad prodigiosam Antichristi metamorphosin, quam seminat Calvinus, addimus hoc ejusdem fuisse assumptum, ut ostenderet ille, ubi, quando, quomodo, & in cujus persona homo iniquitatis, & filius perditionis fuerit revelatus? Sed cum sit satis superius ostensum veteris Ecclesiæ Catholicæ faciem eandem semper fuisse, ut in præsenti Ecclesia; & in consequens, quod nec illa sit Antichristi sedes, vel quod semper talis fuerit; eo quia perpetuitas sit de essentia necessaria Ecclesiæ Dei: Quibus addimus absque hæsitatione, quod Romana Ecclesia fixa sit supra petram; non inquam supra immobile saxum Capitolij, ut est loquutus Poëta, sed supra fidem Petri, & supra Verbum æternæ Veritatis, quod testatur nobis, quod portæ Inferi, nempe Hæreses (sic exponunt Patres) non prævalebunt adversus eam.

Et circa morum pravitatem, qua offenduntur sectarij in Prælatis, & Pontificibus: supponendum est, eos quoque homines esse infirmitate circundatos, thesaurum gestantes in vasis fictilibus: nec propterea eos Prælatos non esse existimandum est, aut minimè illis obediendum, dicente Domino apud Matth. 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, servate, & facite.* Et quo ad summum Pontificem: non ideo fideles osculantur illi pedes, quia semper sanctus sit, & peccati expers, sed quia Christi Vicarius, & quia ut ait S. Bernard. lib. 2. de Considerat. *Est Sacerdos magnus, Princeps*

De morũ pravitate

Epi-

Episcoporum, Hæres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatione Noe, Patriarchatu Abraham, Ordinatione Melchisedech, Judicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus.

His adde, Religionem & Ecclesiam etiam cum morum depravatione consistere; & nihilominus nihil hoc ad fidei nostræ dogmata impugnanda conferre. Chrysost. in Ps. 39. inquit: *Nec ex prædictis constat Ecclesia, sed habet eos etiam, qui otio & socordiæ se dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter serviunt voluptatibus.* & Hieronymus in Dialog contra Luciferian. *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit; ut ibi Pardus & Hædi, Lupus & Agni; ita & hic Justi & peccatores: & paucorum culpa non præjudicat Religioni; sicuti Judæ proditio Apostolorum fidei non detraxit.* Proinde S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 43. ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, Arcam Domini esse cathedram Ecclesiæ, & intra eam usque ad finem sæculi frumento mixtas paleas contineri.* & Cyprian. lib. 3. epist. 3. ad Maximum inquit: *Impediri non debet fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.*

Ego vero hisce ventorum impulsibus agitatos adversarios nostros miseratus; enixe precor, ut inclinent aures suas ad concupiscendum decorem Ecclesiæ: quicunq; enim non habuerit illam matrem, frustra sperat Deum Patrem; ut in naviculam Petri se recipiant: quæ quidem quantumvis fremat pelagus, sæviant venti, grandines increbrescant, explodant atræ nubes densa fulgura, quoquoversus ignes evomant inferni portæ, fremant in eam, ac rugiant instar Leonum immanissimi dæmones; perire nequaquam potest: Quippe manet terra, cœloque firmior illa promissio, qua portas inferni, & vim omnem satanicam adversus eam minimè prævalituram pollicitus est Dominus: Qui licet videatur aliquando obdormire, dum regit illam, in tuto tamen res est, quod hunc scimus Omnipotentem, ac ventis tandem imperaturum & mari.

CAP. LXXXI.

De aliis Ritibus, & Titulis Romano Pontifici competentibus.

Honor quem deferunt Catholici summo Pontifici, non remanet, nec consistit in illo, sed ulterius usque ad Christum Jesum progreditur: non homini absolutè sed relativè ad Deum: non membris, sed capiti: non personæ individuæ, sed dignitati: nec isti temporali, sed spirituali relatæ ad eum, ante quem Magdalena, & aliæ Mariæ apud Matth. cap. 28. *Accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Hinc nos videbimus, quare utamur verbo Adorationis, quando fit mentio de Creatione summi Pontificis, seu Papæ? quare osculamur ejus pedes, seu crucem super ejus sandalia? tertio, quare, idem supra cathedram elevetur, & deferatur? & successivè de aliis.

Adoratio Papæ.

Et quoad primum, nominatur Adoratio, ut exprimatur reverentia, quæ illi exhibetur per humiliationem, genuflexionem, & manuum osculum ab his, qui illum eligunt: quod non inconveniens, nisi idololatras nominemus. Abraham dum adorat filios

filios Heth. Gen.23.7. ſicuti nec Jacob idololatra proſternens ſe ante Eſau, Gen.33.3. Nec Joſeph idololatra adorans Patrem, Gen.48.12. Nec Balaam idololatra Angelum adorans pronus in terram, Num. cap. 22. & præter ſimilia multa in ſacris paginis: nec idololatræ ſunt ij, qui coram Regibus flectunt genua; vel iis, quibus tanquam directis Dominis reddunt homagium: ſed & ulterius in propoſito S. Athan. tom. 1. de virgin. ante fin. inquit: *Si homo juſtus ingreditur in domum tuam, procide ante eum, ac timore, & reverentia proſterne te ante illum.*

Ad ſecundum circa oſculum pedum Papæ, ſeu crucis ſupra ſandalia; habemus in Act. Apoſt. cap.10.25. & cap.16.29. quòd primi Chriſtiani non ſolum procidentes ponebant ſubſtantias ſuas ante pedes Apoſtolorum; verum & perſonas. Ita Cornelius *procidens ad pedes Petri adoravit*: Sicuti & ante Paulum cuſtos carceris: quod cum conſueverit poſtea fieri erga ſummos Pontifices Petri ſucceſſores; iidem, Divino ſpirante lumine, appoſuerunt crucem ſupra eorum ſandalia, ut denotetur, quod tale oſculum pedum non deferatur Papæ tanquam homini, ſed Chriſto JESU crucifixo in ejus perſona, cujus in terris eſt Vicarius; ut pariter remiſerit Joannes Baptiſta Phariſæos ad JESUM, Joann. cap. 1. 26. dicens: *Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, &c.* Unde proteſtantur ſummi Pontifices eſſe ſe ſervos ſervorum ejus, quem ipſi repræſentant per crucem.

Oſculum Pedum.

Hinc nunquam dubitarunt Primates terræ Papam taliter venerari, exequentes quod Iſaias vaticinatus fuerat, cap.60. verſ. 14. *Et venient ad te curvi filij eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.*

Hinc refert Baronius ex antiquis actis S. Suſannæ ad annum Chriſti 204. num. 8. quod Pedrigna *repente ad Cajum Papam ſe contulit, ad pedesque procidens, eosque ex more exoſculata, æque ſe ad fidem recipi poſtulavit*; id quod jam ante exequutus eſt.

De Juſtino ſeniore Imperatore, qui Conſtantinopoli recepit Joannem Papam, refert S. Antoninus hiſtor. par.2. tit.12. §.1. *Juſtinus autem humiliavit ſe, & adoravit pronus in terram ſanctum Joannem Papam.*

Et de Pipino Francorum Rege erga Stephanum Papam ſic refert Paulus Æmilius in ejus vita. *Et Pipinus, ad tertium à Caryſiano oppido lapidem obviam progreſſus, pedes, ut ferunt, exoſculatus, coerceri non potuit, quin in equo ſedentem proſecutus in Regiam deduceret.* Et idem auctor in vita Caroli Magni, inquit: *Præſtolabatur Regem Adrianus cum ſacro cœtu pro gradibus ædis ſancti Petri: ille ubi in congreſſum venit, prius Pontificis pedes oſculo contigit, quàm ſe illi complectendum daret.*

Pariter de Alexandro III. refert Platina in ejus vita. *Convenerat jam Venetias Alexander componendæ pacis Italiæ cauſa: eò & Federicus Imperator accedens in veſtibulo S. Marci Pontificis pedes oſculatur.* Et Genebrardus Chronolog. ad annum 1180. loquens de Federico Imperatore, & Alexand. III. ait: *Ad ejus pedes procubuit Federicus Imperator petens abſolutionem excommunicationis. Ferunt Ludovicum Francorum, & Henricum II. Angliæ Reges pedites ei inſerviſſe ſtratoris officio;*

ac lava dextraque frænum equi ipsius tenentes, eum magna cum pompa deduxisse: cujus rei pudere non debuit; nam & Magnus ille Constantinus longe potentior, & sanctior prius id honoris Sylvestro Christi Vicario exhibuit.

Et prædictis inhærendo, videmus in lib. decret. Gregor. VII. quod post Innocentium III. Reges, & Imperatores omnes scribentes summis Pontificibus, eos salutavere humillimo & affectuoso pedum osculo, quod non mirum, cum apud Ambrosium de dignitate sacerdotali cap. 2. tom. 4. legamus. *Honor igitur, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, si Regum fulgori compares: quippe cum videas Regum colla, & Principum, submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credunt se communiri.* & Divus Chrysostomus homil. 59. ad populum, inquit: *Ad eos ubi hospitare accede, sanctos tange pedes: multo namque honestius est illorum pedes tangere, quàm aliorum caput. Dic enim mihi: si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam tantum Regiam habent figuram: Tu ipsum habentem in se ipso Christum, non pedibus tenebis, & salvus eris? Sancti sunt pedes, licet viles sint; inquinatorum neque caput venerandum est: Sanctorum certe pedes magna potuerunt; quamobrem & ulciscuntur, cum pedibus pulverem excusserint.*

Plures adducuntur in hoc rationes. Primò, dignitatis illius, qui Dei Filium repræsentat. Secundò, successio ejusdem à Petro, ut in Concilio Florentino Sess. 16. in literis unionis circa finem. *Ita definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, &c.*

Tertia ratio erit sanctitas ejusdem Papæ: & sic porrigitur osculum pedibus ejus, sicuti osculamur sacras Imagines, & Crucem, quam etiam ipse Papa super sandalia habet impressam, ut dixi.

Quartò, hoc etiam processit non solum erga Romanorum Imperatores, verum & erga alios exteros Principes, ut refert Joan. Stephanus in lib. de osculo Romani Pontificis cap. 8. his verbis. *Ante pedes procumbendi, & ad genua etiam accedendi gratia salutandi, vel supplicandi apud èxteras nationes, usus fuit maximus apud Romanos, cum urbem Consules habuere; non ita tamen crescente paulatim imperio; cum honorum augmento & peregrini mores inferri cœperunt: unde exempla sunt tum de Cajo, Caligula, Nerone, Othone, Trajano, Adriano, & Diocletiano, qui alios ad oscula genuum, & pedum admiserunt; præsertim ultimus (ut qui idcirco calceamenta ornaret auro & argento.) Invidiose, ac falsò Cuspinianus Romanum Pontificem calumniatur, tyrannicum sibi pedes osculandi morem in communem usum Christianorum perduxisse.*

Nec mirum consuevisse Fideles jam diu Romanos Pontifices venerari: siquidem infelix ille *Prætextatus* jam Consul designatus, cum Episcopatus amplitudinem

Con-

Consulatui prætulisset; homo quidem sacrilegus, & Idolorum cultor, solebat, ut ait Hieron. epist. ad Pammach. *Audens beato Damaso Papæ dicere: Facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Ex quibus verbis liquido constat, in Urbe Romani Pontificis dignitatem, etiam Principum virorum oculos pellexisse: cum omnes Reipublicæ Magistratus huic uni Magistratui cederent: ut Cassiodor. lib. 10. per varias epist. docuit.

A quo autem tempore cœptum fuerit osculari pedes summi Pontificis? præter relata per Anastasium Bibliothecarium in creatione Leonis IV. anno 847. in Lateranensi Palatio, & alia antiquiora diversimode relata, satis nobis sit, referre Concilium Parisiense sedente Sergio II. Papa, & Lothario Imperatore in descriptione promotionis dicti Leonis IV. *Tunc omnes pergentes cum gaudio, multaque aviditatis lætitia ad Ecclesiam, in qua degebat beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum, invitumque exinde abstrahentes cum hymnis, laudibusque præcipuè ad Lateranense Patriarchium perduxerunt: qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes. Quanta autem in ejus Pontificali electione, concordia, vel unanimitas fuerit, nullus breviter enarrare hominum potest.*

Nec prædictis repugnat, quod in Apocalypsi Angelus prohibuerit Joanni adorare se, & admonet ut Deus adoretur. Quoniam D. Augustinus lib. 1. quæst. super Genes. quæst. 61. tom. 4. sic respondet: *Talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari.* & idem contra Faustum cap. 21. tom. 6. *Hoc Sancti, & homines, & Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt.* Et sic etiam intelligitur, quod habetur in Act. Apost. cap. 14. vers. 11.

Lubet hic etiam referre, quod Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam faciat, assurgendo manifeste, aut caput inclinando, seu detegendo: Romanorum verò Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis, & manus suscepit, aliquantulum assurgit, ad oris osculum mutuo charitatis amplexu illum benignè recipiens: Idem aliquando facit magnis Regibus: Cæteros omnes, tam Principes quam Prælatos, cujuscunque dignitatis, post oris osculum solum sedens recipit: Ut ex Rituario Ecclesiæ Romanæ.

Papa super Sedem defertur.

Ad Tertium, quòd Papa elevetur, & deferatur ab hominibus super Cathedram, seu Sedem non mirum, cum etiam Imperatores, Reges, & Principes terræ fuerint quoque supra Sedem & ipsi ab hominibus delati; sicut Sacerdotes, Druides, & Vestales, ut de Romanis refert Juven. Satyr. 10.

Quod si vidisset Prætorem curribus altis
Extantem, & medio sublimi in pulvere Circi.

Et Sueton. in Claudio cap. 10. *Ab his lecticæ impositus, & quia servi diffugerant, vicissim succollantibus, in castra delatus est.* Et in præsentia adhuc habemus in Gallia plures Episcopos, & Archiepiscopos in eorum ingressu à quatuor insignioribus Dynastis deferri, nempe Bourgensem, Pictavensem, Turonensem, Angensem, & alios: nec mirum sic Papam, qui caput est Catholicorum fidelium, deferri non per Dynastas, sed ab infimis de sua familia; & hoc tantum in solemnioribus diebus [illegible]

ipſemet ſolenniter celebrat, maxime onuſtus Pontificalibus ornamentis; nec intus Eccleſiam celebrationis poſſet ſic equitare, nec pedibus incedere intra populi multitudinem; ut ab eodem populo, quem cum benedicit, poſſet conſpici: accedente etiam gravi ſenecta, in qua ferè Papa ad Pontificatum promovetur.

De hujus Ritus antiquitate quamvis nobis ſatis non conſtet: probabile eſt tamen cœpiſſe poſtquam Paganiſmus defecit in urbe Roma, ut refert Luitprandus in conſecratione Leonis Papæ lib. 6. cap. 11. *Fuiſſe delatum cum laudibus, & canticis juxta antiquam conſuetudinem.* & de anno 752. Platina in vita Stephani II. inquit. *Poſt hunc vero Cleri, & populi conſenſu in Templo ſanctæ Dei genitricis ad præſepe Stephanus II. Pontifex creatus, humeris omnium in Baſilicam Salvatoris, quæ etiam Conſtantiniana dicitur, deportatur, atque inde in Patriarchium Lateranenſe: erat enim vir ſingularis religionis, prudentiæ, amator Cleri, Eccleſiarum reſtaurator, Chriſtianæ doctrinæ diligens prædicator, & ſcriptor, Pater pauperum, pupillorum & viduarum defenſor, &c.*

Prælatio crucis ante Papam.

De Ritu præferendæ Crucis Romano Pontifici in publicum quandocunque prodeunti (referam in præſenti,) quam à B. Petro, & ſucceſſoribus manu geſtari fuiſſe in uſu ad Evangelium ardenti ſtudio promulgandum: Pace deinde populo Chriſtiano reſtituta, B. Sylveſtrum ejusque ſucceſſores ſolenni pompa illa uti cœpiſſe credibile eſt, quæ eodem modo ante Roman. Pontif. à Subdiacono hodie defertur in ſignum ſupremæ ſpiritualis jurisdictionis in toto orbe, ut ex Anaſtaſio Bibliothecario in vita Leonis IV. & Card. Baron. ad ann. 885. ubi Spond. num. 4. dum inquiunt, prædictum S. Pontificem hunc antiquiſſimum ritum renovaſſe ſuo tempore.

Quin imo priſcis temporibus non ſolum Roman. Pontifex verum & Legatos Apoſtolicos, & alios Epiſcopos in eorum provinciis & jurisdictionibus crucem etiam pæferre ſolitos: extat inter cætera illud S. Auguſtini Anglorum Epiſcopi in vita S. Gregorij à Joan. Diacono relatum lib. 2. cap. 35. his verbis. *Ad civitatem Auguſtinus cum ſociis prælata cruce, ſeu Salvatoris imagine, appropinquans cecinit dicens: Deprecamur te Domine, &c.* Accedit & alterius ejusdem Inſulæ Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis exemplum à Guillelmo de Republica Anglorum lib. 2. cap. 16. his verbis. *Curiam ingreſſus Thomas Crucem argenteam ante ſe portari ſolitam, propria manu bajulans, volentibusque quibusdam qui aderant, miniſterium portandæ ante Metropolitanum proprium crucis ſuſcipere, abnuit: nec alium in illo conventu publico crucis bajulum quantumcunque rogatus admiſit.* Hoc ipſum confirmatur ex Gabo Franciano lib. 5. de Antiq. & ſitu Calabriæ his verbis. *Ad Nilum cum Imp. Otho acceſſiſſet, ei cum cruce obviam perrexit, magnaque humilitate, ac pietate Cæſarem veneratus eſt: ac in cœnobium induxit. Ubi cognitâ viri pietate ac religione, paſſus non eſt Imp. ſe à Nilo adorari; ſed contra Cæſar Coronam in ejus manu deponens, ab eo benedictionem poſtulavit.* Æthiopiæ Regi vulgo Prætoriani, dum iter agit, crucem à Clericis ſemper præferri teſtatur Franc. Alvaretz. cap. 88. & alij.

Sed his majorum exemplis, quo luce clarius confirmemus & illuſtremus prædicta, addi-

addimus ex Cœleſtino III. textum in cap. Antiqua, extr. de privilegiis: ubi poſt enuntiata Patriarchalium Sedium privilegia; nempe Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ, ſubdit hæc verba. *Dominicæ vero crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in urbe Romana: & ubicunque ſummus Pontif. præſens extiterit, aut ejus Legatus utens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis.* Ex quo conſtat, quod crucis præferendæ privilegium Patriarchalibus antiquitus conceſſum, nemini competat, niſi cui ab eodem ſummo Pontif. illius præferendi conceſſa fuerit facultas: quod etiam confirmatur ex reſcripto Alexandri III. in cap. A memoria, Ut lit. pend.

Poſſunt in hoc plures rationes, ſeu myſtici ſenſus adduci: & primo crucis prælatio, illius, cui præfertur, præcipuam quandam dignitatem, & inſignem in alios poteſtatem demonſtrat: quoniam illis tantum præferri conſuevit, qui eminentiorem, & excellentiorem habet gradum, & auctoritatem; nempe Archiepiſcopis, Patriarchis, Sedis Apoſtolicæ Legatis, & ipſi ſummo Pontif. non autem Epiſcopis, niſi paucis & inſignioribus ex privilegio: Cujus non omnino diſſimilem morem in Romana Rep. olim ſervari ſolitum; nam Proconſulibus ſex faſces, Conſulibus duodecim, Dictatori viginti quatuor; quot videlicet utrique Conſuli, quorum ipſe poteſtatem omnem ſolus obtinebat, præferebantur. Cum ergo ex profundiſſima crucis humilitate ipſius Salvatoris noſtri ſuper omnes creaturas exaltatio proceſſerit; inquit Petrus Cluniacenſis lib. 1. epiſt. *Qui crucem odiunt, quia Dominum terſit; diligant eam, quia non ſolum nobis, ſed & ipſi gloriam peperit.* Peperit ei gloriam ex Apoſt. Philip. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem; mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Papæ vero crucis vexillum præfertur ad ſupremam ipſius in terris dignitatem & poteſtatem indicandam. Uti enim Proregem non aliud niſi Regis Domini ſui vexillum erigere & ſequi decet: & Vicarius eodem quo ſuus Epiſcopus ſigno utitur; ſic Romanus Pontifex, qui Regis Regum, & Epiſcoporum Epiſcopi vices in terris gerit; alio inſigni non gloriabitur, niſi eo quod verè invictiſſimi Imperatoris, & maximi ſempiternique Sacerdotis proprium & eidem gratiſſimum eſſe noverit; quod de ſeipſo dicebat Apoſt. ad Corinth. 1. cap. 2. *Non enim judicavi me aliquid ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Eſt autem Romanus Pontif. Petri Succeſſor, & Chriſti Vicarius; indeque fit, ut idem ſit Romani Pontif. & Chriſti Domini inſigne, quod eſt crucis ſignum, ut apud Matth. 24. *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo*, de quo ſigno Cyrillus Catech. 15. *Signum verum & proprium Chriſti, quod non audet virtus contraria imitari, eſt crux.* & de hoc ſigno Chriſti morientis & regnantis in pſal. etiam 95. *Regnavit à ligno Deus*, & canit Eccleſia. *Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.*

Crucis excellentia.

Præterea hoc confirmatur, quod in nova Romani Pontif. Electione Prior Diaconorum Cardinalium aperta Sacrarij feneſtrella, qua populus expectans videri poteſt, crucem profert alta voce clamitans: *Annuntio vobis gaudium magnum: Papam habemus. Reverendiſſ. Dominus Card. N. electus eſt in ſummum Pont. & elegit ſibi nomen N.* Qui ritus efferendi crucem antequam electus Pontif. annuncietur,

Crux in annuntiando novo Papa.

 cum

cum antiquissimus in Catholica & Romana Ecclesia, ac perpetuus fuerit, & in omni Pontificum Romanorum creatione adhibeatur; profecto Crucem commune esse insigne omnium, ac proprium singulorum beati Petri successorum concluditur.

Christi fidem in cruce protestamur.

Præfertur etiam Crux summo Pontifici; quoniam sacrum illud signum, tanquam omnium Christi militum præcipuum vexillum, ea qua debemus reverentia prosequamur, Christique fidem in ejus fide protestemur: & quemadmodum charitas in anima distinguit inter filios Regni & Diaboli, ex D. August. tract. 1. in epist. Joannis; ita Crucis signaculum in corpore innotescere facit Fideles ab Infidelibus, quibus crucis prædicatio, vel scandalum est, vel stultitia, ex Apost. 1. Corinth. 1. in quam sententiam Crux appellata fuit Tessera à B. Athanasio serm. de Incarnat. Verbi; ubi sic inquit. *Jam in spectaculo virorum, mulierum, puerorumque in tenera ætate rectà contendentium, prosilientiumque in mortem, idque ob Christi Religionem; quis ita stolidus? quis ita est à credendo alienus? quis ita animo obcæcatus ut non statim cogitet Christum haud dubie, cui illi se testes præbent homines: singulis victoriam contra mortem suppeditare, illamque debilitare in unoquoque eorum, qui in ipsum credunt, ac tesseram vexillumque Crucis circumferunt?* Quod quam apte Crucis vexillo conveniat, piè explicavit Damasc. de Fide Orthod. lib. 4. c. 12. cum ait. *Hoc nobis signum datum est super frontem, per ipsum enim Fideles ab infidelibus distamus, & discernimur.*

Refugium contra pericula.

Præfertur quoque crux summo Pont. & quibus eum sequuntur; cum sit illa præsentaneum refugium ad arcenda, effugandaque pericula, quæ animarum quieti, & saluti pernitiosissime adversantur. Martialis in epist. ad Burdegalenses c. 8 inquit. *Crux Domini armatura vestra invicta contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & angelicas insidias perversæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo cœlestis victoria data est nobis, & per crucem Baptisma Dei sanctificatum est.* Item Origen. lib. 6. in capit. 6. ad Romanos inquit. *Tanta est vis crucis Christi; ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentus oculus mentis inspiciat: nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.*

Prædictis addimus, quòd quamvis varia fuerit reperta Crucis constructio ad significandum inter Patriarchas & Archiepiscopos Eminentiæ, dignitatisq; discrimen, negamus tamen eandem fuisse necessariam ad ostendendam supremæ Pontificiæ potestatis dissimilitudinem: non enim uno signo tantum præfulget hujusmodi Pontificis majestas, auctoritas, dignitas; sed plurima sunt eaque propria insignia, quibus supereminentissima omnium Apostolica Sedes à quibuscunque aliis tam Patriarchalibus, quam Episcopalibus distinguitur. Hujusmodi sunt binæ claves decussatæ; sacra Tiara triplici corona: varia indumenta ipsius summi Pontifici propria, sive domi ille se contineat, sive in publicum prodeat. Quod si iter agat, prodeunt etiam pulcherrima vexilla, phalerati equi, pilei pretiosi, & alia, quæ Pontificem solenni cum apparatu incedentem juxta sacrorum Rituum leges antecedunt: & inter cætera illud

eò

eò admirabilius eſt, quod videlicet Papæ ab urbe paulo longius proficiſcenti, ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum præfertur pridie ante ipſum Papam, ut ſolenniſſima pompa religioſiſſimoque apparatu vidimus noſtris diebus Clementem VIII. profectum Ferriariam. Ita vero Romano Pontif. hæc propria, & peculiaria, ut nulli unquam Antiſtiti ſimilia indulta.

Quare viaticum præferatur Papa longum iter facienti?

Quoniam de ſacroſancto Chriſti corpore, quod Romanis Pontificibus longum iter facientibus præfertur, obiter attigimus: lubet opportunum perquirere; Quare hoc Viaticum præferatur? Quod repræſentatum reſpondemus per Arcam Fœderis, quæ populum Iſraeliticum in terram promiſſionis proficiſcentem, anteibat, nec non ad idem, ipſamque arcæ ante populum geſtationem ſatis congruere. Hinc ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Romano Pontifici, iter longum conficienti, ſatis concinne favet.

In Eccleſiæ naſcentis primordiis, ingruentibus in Chriſtianos perſequutoribus, Laici etiam Fideles magno fervore panem conſecratum in manibus quotidie inter communicandum ſumentes (quod non eſſet liberum, cum vellent ad Eccleſiam convenire, ac ſynaxin celebrare) permiſſum erat domum & aliis itineribus perſæpe illud aſportare, & in Navigatione ad collum etiam deferre, ut de beato Satyro inde à naufragio liberato, refert S. Ambroſius ejuſdem frater, ut in illius funebri oratione & nos diximus ſupra cap. 14. & 15. Quod manifeſtum pietatis & religionis argumentum præſeferebat: Et aliis omiſſis exemplis, hoc idem legitur apud Surium 2. Auguſti in vita S. Stephani Papæ, & Martyris; & in Martyrologio Romano 15. Auguſti circa annum Domini 255. his verbis. *Romæ via Appia S. Tharſicij Accoliti, quem Pagani cum inveniſſent corporis Chriſti ſacramenta portantem, cœperunt diſquirere, quid gereret: at ille indignum judicans porcis prodere margaritas; tamdiu ab illis mactatus eſt fuſtibus, & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum: & revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores, nihil ſacramentorum Chriſti in manibus, aut veſtibus ejus invenerunt.* Qualis Ritus reddita pace Eccleſiæ ſub Chriſtianis, & Orthodoxis Impp. idem diuturnus aliquando permanſit: ut ex Gregor. Nazianz. in laudem Gorgoniæ. Baſilius ad Cæſaream patriciam de perceptione ſacramentorum his verbis. *Tempore perſequutionis cogi quempiam abſente ſacerdote, aut miniſtro, communionem ſua manu ſumere minime abſurdum eſſe, ſupervacaneum eſt oſtendere, cum ejus rei etiam longa conſuetudo rebus ipſis fidem faciat.* Et hoc etiam refert Card. Baron. in notis ad Martyrologium XV. Auguſti.

Quamvis Euchariſtiam pro Viatico ante ſummum Pontificem, iter longum conficientem, geſtandi ritus multis ab hinc ſæculis fuerit uſu receptus: Hunc tamen Ritum cum apparatu, & ſolenni pompa ob carentiam Diariorum à ceremoniarum Magiſtris; non niſi ducentis abhinc circiter annis paſſim obſervatum inveni. Nihilominus hoc idem ab antecedentibus Pontificibus obſervatum credimus. Stephanus namque Tertius contra Aiſtulphum, qui tamen ferè Italiam bello vexabat, auxilium à Pipino Franciæ Rege ſumere cupiens, in Galliam profectus eſt. Stephanus item V. in Gallias ad Ludovicum Imperatorem pro Campulana conjuratione vitanda

ſeſe

ſeſe contulit. Idem à Gregorio VII. Eccleſiaſticæ libertatis aſſertore, qui magnam Italiæ partem in rebus turbulentiſſimis peragravit. Idem ab Urbano II. Paſchali II. Gelaſio II. Alexandro III. ſummis Pontificibus, qui pro Chriſtiana Republica etiam in Gallias ſeſe contulerunt: Hoc idem factum eſſe dicas oportet.

At vero ex his Pontificibus, de quibus aperte nobis non conſtat in longis itineribus ſacroſanctum Euchariſtiæ Viaticum ante ſe præferri feciſſe: Pius Romanus Pontifex hujus nominis II. pro conventu contra Turcas Mantuam profectus, ipſo civitatem ingrediente, poſt apparatum & comitatum, qui ſacroſanctum Euchariſtiæ Viaticum antecedebant, leguntur hæc verba in Commentariis ejusdem Pontificis lib. 2. circa finem. *His arcula jungebatur aurea equo albo vecta, & multis luminaribus circundata, in qua condita fuit Euchariſtia, id eſt Hoſtia Salvatoris ſacrata, & ſericeum deſuper umbracalum; &c.*

Alexander VI. Vicovarum profectus: Julius II. Bononiam ſimili pompa ante ſe in itinere ſacroſanctum Viaticum aſportari curarunt, ut ex Diariis Paridis de Graſſis Magiſtri Ceremoniarum: Quod etiam ſimiliter conſtat factitatum in itinere Leonis X. Florentiam, & Bononiam: ut quoque Clemens VII. ad Carolum V. Imperatorem coronandum Bononiam, cum ſolenni pompa ſacroſancto Viatico aſportato, proficiſcitur; & Paulus III. Peruſiam proficiſcens, ut civitatem à ſeditionibus liberaret, ſacroſanctum viaticum ante ſe ſolenniter aſportandum curavit: Ut etiam nos Clementem IIX. Ferrariam profectum, & inde redeuntem ſimili pompa ſacroſancto Viatico præcedente, vidimus.

Quare ad altare Papa conſecret, & ad ſolium communicet?

Quoniam de Ritibus erga perſonam Romani Pontificis agitur, congruum erit etiam referre de aliquibus, qui in ſolenni ejusdem Pontificis Miſſa peraguntur; & primo videbimus: Quare ſummus Pontifex rem ſacram ſolenniter faciens, ad Altare conſecret, & ad ſolium communicet? Non deſunt in hoc communicandi ritus, qui Divinitatem ſcilicet ad humanitatem adeuntem repræſentari dicant. Quæ opinio rejicitur, cum in ipſo Euchariſtiæ ſacramento Divinitas & Humanitas Salvatoris noſtri indiſſolubili extent unione: Eademque repræſentatio fieret, dum Euchariſtiæ ſacramentum aliis Communicantibus ad Altare datur, nec non ad proprias Ægrotorum ædes defertur.

Secundo, Guillelmus Durandus lib. 4. cap. 54. Rationalis Divin. offic. inquit. Sicut ſummus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, & caput omnium, qui in Eccleſia degunt militanti, ita Chriſtum Eccleſiæ caput, perfectius, ac ſublimius repræſentans, ad ſublimiorem locum communicare ſolet. Quæ opinio aliquibus, nec minus viſa eſt omnino tuta.

Innocentius Papa III. lib. 6. myſter. Miſſæ cap. 9. inquit; Romanus Pontifex ideo non communicat ubi frangit; ſed ad Altare frangit, & ad ſedem cōmunicat; quia Chriſtus in Emaus duobus Diſcipulis fregit, & in Hieruſalem coram decem Apoſtolis manducavit: in Emaus fregiſſe legitur, ſed manducaſſe non legitur: In Hieruſalem non legitur fregiſſe, ſed legitur manducaſſe. Quæ opinio congruere nec minus videtur, qui in Hieruſalem non panem, ſed piſcem, & favum mellis

Chri-

Christum manducasse legitur: & in sacrificio Altaris non piscis, sed panis solum transsubstantiatus: nec minus desunt qui Christum in Emaus manducasse velint. Gregor. Magn. in homil. 23. in Lucam 24. inquit: *Ecce Dominus non est cognitus, dum loqueretur, & dignatus est cognosci, dum pascitur.*

Angelus Roccha Sacrarij Apostolici Præfectus in opusculo, de sacra summi Pontif. Communione cap. 2. Roman. Pontifex (ut ipse probabilius affirmat) ad Altare consecrat, & frangit Hostiam; & ad sedem communicat: Quoniam dum Missæ sacrificium ultima illa in cœna sine cruore institutum, atque illud alterum cruentum post cœnam præstitum, repræsentare studet; ad altare quasi cœnaculum illud, Hostiam consecrat, & ad solium quasi ad Crucem ascendens: quod Seraphicus Bonaventura in Exposit. psalm. 21. dum in communicando Ritum à solo Papa observatum, contemplatur: eum ad ipsius Christi passionem coram omnibus in sacratissima Crucis Ara consummatum, apertè refert in hæc verba. *Christus in communi, & omnibus videntibus passus est: Unde Papa quando sumit corpus Christi in Missa solenni, sumit omnibus videntibus: nam sedens in cathedra convertit se ad populum.* Cujus opinio satis amplectenda, quoniam consummatio Hostiæ in sanctiss. Communione assimilatur etiã Christi crucifixi, ubi ipse dixit, *Consummatũ est:* & postea tradidit spiritum.

Præterea per Augustinum Altaris sacrificium non solum Christi Salvatoris nostri Cœna cum Apostolis postremo celebrata, sed sacratissima item ipsius Passio in Ara crucis consummata recolitur, ac repræsentatur, ut ait S. Thomas in sequentia Missæ Corporis Domini, dum ait. *Quod in cœna Christus gessit faciendum, hoc expressit in sui memoriam:* Hoc est in Dominicæ passionis memoriam. Hinc Lyranus illum Lucæ locum explicans; *Hoc facite in mei commemorationem.* dicit: *Eucharistia commemoratio est quædam Dominicæ passionis, & mortis rememoratio.* Idem sentit Alcuinus de Div. Offic. Amalarius in præfat. de Divin. Offic. Micrologus de Ecclesiast. Observat. & alii. Quin imo S. Paulus 1. Corinth. 22. *Quotiescunque enim manducabitis Panem hunc & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Et propter hoc ait Lyranus in cap. 22. Lucæ. *Consecratur corpus separatim à sanguine: quia in passione sanguis fuit separatus à corpore.*

Hinc factum ut Romanus Pontifex Christi in terris Vicarius dum Missæ sacrificium in illa ultima Cœna sine cruore institutum, atque illud alterum cruentum post cœnam præstitum repræsentare studet; ad Altare quasi ad Cœnaculum Hostiam consecrat; & ad solium quasi ad crucem ascendens Hostiæ consecratæ medietatem manducat, unaque Missæ celebratione utrumque sacrificium magno cum mysterio complectitur, & expressius insinuat; quoniam Christi passioni, nomen Cœnæ aptè, congruenterque dari solet, ut S. Bonaventuræ placet in dicto psalm. 21. his verbis. *Nam sicut Cœna in vespere, vel in fine diei sumitur; ita in vespere, in fine scilicet mundi, vel in ultima mundi ætate passus est Christus.*

Quod autem inquit D. Bonaventura in prædicto psalm. 21. *Sedens in cathedra, ad populum se convertit:* Dicitur namque summus Pontifex sedere, dum communicat; vel quia ipse antiquitus in communicando sedebat, vel quasi sedentis instar

communicabat, ſicuti præſens in tempus fieri ſolet. Summus namque Pontifex ad ſolium ſtans, non ſedens, ad majorem venerationem repræſentandam, ipſi tamen ſolio, populo univerſo ſpectante, innixus, & incurvus, quaſi ſedens communicat, Chriſtum Dominum cruci affixum, in eaque quodammodo reclinantem repræſentans.

Cur ſanguis è dextro latere, Hoſtia è ſiniſtro ſumatur?

Dignum ſane eſt modo perſcrutari: Quare Romanus Pontifex ad Sedem communicans ſacratiſſimæ Hoſtiæ ſiniſtro è latere ſibi allatæ partem; pretioſiſſimi vero Sanguinis è latere dextero, ſibi porrecti quoque partem ſumere ſoleat. Id quod non absque myſterio eſſe reor; & forſan hunc ritum referendum ad Evangelicam hiſtoriam, quæ ſanguinem, & aquam è Chriſti latere fluxiſſe narrat. Quod autem Latus non ſiniſtrum, ſed dexterum fuiſſet, non ſolus vetuſtiſſimus pingendi, effingendique ſacrum Chriſti corpus cruci affixum uſus docet, verum etiam ſcriptores, qui de hoc Evangelij loco mentionem fecerunt, illud ipſum conſtanter affirmarunt. S. Bernard. in Cantic. dum de ſacroſancto latere dextro aperto, inquit, *Dextrum mihi latus effodi permiſit, ut à dextera in dexteram tranſeamus*.

Sicut itaque Diaconus Romano Pontifice ſolenniter celebrante, ad hanc rem inſinuandam, Calicem in altari ad dextrum oblatæ Hoſtiæ latus præparare antiquitus ſolebat; Ita ſummus Pontifex ad ſanguinem à Latere Chriſti dextro effluxum repræſentandum, ſanguinem cum calamo è latere ſolij dextero ſibi porrectum ſumit. Hoſtiam vero è ſiniſtro ejusdem ſolij latere ſibi allatam percipit, ut myſterium ſanguinis è dextro Chriſti latere emanati ſignificantius, & expreſſius repræſentet. Si enim Sanguis & Hoſtia eadem è latere ſibi porrigerentur; myſterium effuſi ſanguinis non ita ſignificanter exprimeretur.

Occurrit modo altera quæſtio, Quare conſecratæ Hoſtiæ, & Vini conſecrati, hoc eſt Chriſti ſanguinis pars à ſummo Pontifice, altera vero eorundem pars inter Cardinalem Diaconum, & Subdiaconum Apoſtolicum diſpertita, ab iisdem ſumantur? Cujus Ritus expoſitio ab Evangelica pendet hiſtoria. Chriſtus enim poſtquam panem conſecravit, inſtituto Euchariſtiæ ſacramento, eundem ſtatim Panem conſecratum & transſubſtantiatum fregit, ſuisque dedit diſcipulis, ut Matthæus, Marcus, & Lucas teſtantur: Ad quam panis fractionem indicandam, eundemque Panem non jam fractum diſcipulis datum repræſentandum, major ſacratiſſimæ Hoſtiæ medietas à ſummo Pontifice ſumitur: altera medietas in duas diviſa partes à Cardinali Diacono, & à Subdiacono Apoſtolico idem ſumitur: particula illa minima non ſine myſterio in calicem jam demiſſa. Plurimæ adducuntur rationes ab his, qui de Miſſæ expoſitione ſcripſerunt, (ut etiam nos diximus ſupra in cap. X.) Vinum item à Chriſto Domino in cœnaculo conſecratum, & in ipſius Chriſti ſanguinem jam transſubſtantiatum, inter diſcipulos diſtributum fuiſſe conſtat, ut ex Matthæo 26. Marc. 14. Luc. 22. & propterea vini conſecrati pars à ſummo Pontifice ſumitur, ejusdemque reſiduum inter Diaconum Cardinalem, & Subdiaconum Apoſtolicum diſtributum ab iisdem ſummi ſolet.

Præterea hoc ritu Romanus Pontifex ſub utraque ſpecie communionem in cœnaculo illo à Salvatore noſtro inſtitutam non ſolum exprimit & repræſentat, ſed etiam vete-

veterem illam ſub utraque ſpecie communicandi retinet conſuetudinem, quæ diu in Eccleſia viguit,& nos diximus ſupra diffusè cap. 19.

Ad præfatum Ritum antiquitus repræſentandum Amalarius lib. 1. de Offic. Eccleſ. cap. 12. Innocent. deMyſter. Miſſæ lib. 4. cap. 25. & alii teſtantur, quod Cardinales Presbyteri ſummum Pontificem ſolenniter celebrantem circumſtabant, cum eo pariter celebrantes: Poſtremo autem, ſacrificio jam peracto, Communionem è manu ipſius Pontificis ſuſcipiebant, ad Apoſtolos repræſentandos, qui cum Chriſto Domino diſcumbentes ſacratiſſimam è manu ipſius Euchariſtiam ſumpſerunt. Quamvis autem Apoſtoli, Chriſto Panem & Vinum conſecrante, non concelebraverint; nunc tamen ſacrificij ritum ab eo didicerunt: & hanc ob cauſam Presbyteri olim Cardinales, ut inquit Innoc. lib. 4. Myſt. Myſſæ cap. 25. ſummo Pontif. ſolenniter celebranti concelebrabant. Ad quam item rem demonſtrandam Presbyteratus ordinem ſuſcepturi, Epiſcopo ordinanti, & celebranti adhuc concelebrant: quia ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti, ait S. Thom. 3. part. quæſt. 82. art. 2. concœnaverunt: ita novi ordinandi Epiſcopo ordinanti concelebrant. Ad hanc fortaſſe rem antiquitus obſervatam repræſentandam, nunc etiam Cardinales Epiſcopi cum Pluvialibus, Card. Presbyteri Romano Pontifice ſolenniter celebrante cum Caſulis, vel Planetis Papam circumſtare ſolent.

Cardin. presbyteri olim Papa concelebrabant.

Hæc deinde conſuetudo de celebrantibus cum Papa ad periculum in conſecratione devitandum omnino exolevit, ut ſcribit Duran. lib. 4. ſentent. diſt. 13. quæſt. 3. Scholaſtici enim Doctores non parum olim altercati fuerunt: Num ſcilicet plures Sacerdotes unam & eandem Hoſtiam conſecrare queant. Poſtea vero ſancta Mater Eccleſia affirmativam partem ſequuta, ritum concelebrantium, Epiſcopo Sacerdotalem Ordinem conferente, approbavit, & omnibus in locis recepit, nullum hac in re dubitandi locum relinquens. Hunc tamen ritum ſummo Pontifice Miſſam ſolenniter celebrante, quamvis in præſentia dimiſſum; tamen hoſtiam plures in partes diviſam, Diaconumque Cardinalem, & Subdiaconum Apoſtolicum cum ſummo Pontifice ſub utraq; ſpecie communicantes; & ab Apoſtolis cum Chriſto diſcumbentibus, & cum eo ipſo communicantibus, originem trahentes, actionem Chriſti hac in re perbellè repræſentat.

Quare vero Calamum, quem alij Fiſtulam, alij Cannam appellant, à ſummo Pont. cum Diacono Card. & Subdiacono Apoſtolico, rem divinam ſolenniter faciente, in Chriſti ſanguine hauriendo è Calice, adhibeatur? Hunc Calami uſum in Ordine Romano de officio Miſſæ videmus obſervatum, qui ſupra annos 800. editus fuit. Fit quoque de ipſo mentio in lib. de Theſauris Eccleſiæ Moguntinæ ſupra 400. annos conſcriptus: ubi inter Cruces, Calices & alia argentea donaria Fiſtulæ quoque recenſentur in hunc hauriendi ſacroſancti ſanguinis uſum inſtitutæ. Similiter Lindanus in ſua Panoplia Evangelica lib 4. cap. 56. poſt medium inquit. *Quia ſanguinis effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur; Calicibus Canna eſt ferrum nata, affabreque inſerta. Unde Chriſti ſanguinem licet ſugere, non bibere. Tales duos Calices vidimus Boltzvvardiæ Friſiorum. Habet Monaſterium Thabor,* &

Papa cur hauriat ſanguinem canna.

& Bergum poculum simile, sed argentea fistula veterem in ritum factum, quo post Communionem hodie utuntur. Similiter in lib. Signorum apud Benedictiones fit mentio de hujusmodi fistulis, easque etiam hodie reperiri in monte Cassiano, iisque olim Abbatem uti solitum ad hauriendum sanguinem: Præterea in Vetustioribus Carthusianorum statutis à Guigone sancti Bernardi Coætaneo capit. 40. hæc verba leguntur. *Ornamenta aurea vel argentea præter Calicem & Calamum, quo sanguis Domini sumitur, in Ecclesia non habemus.* Denique aliis testibus prætermissis, Nicephorus Calistus lib. 17. histor. Ecclesiast. cap. 26. referens de Papa Vigilio declinante iram Imp Justiniani, inquit. *Vigilius sibi metuens ad Sergii Martyris Aram confugit, & sacris fistulis implicitus, non prius extractus cessit, quam eas evertit.*

Non solum propter Sacerdotes, verum & Laicos, ad evitandum periculum effundendi sanguinem, inventam fistulam in usu frequenti antiquitus dicendum est, teste Lindano dicto cap. 56. Nam in primitiva Ecclesia Laicis etiam non consecrantibus sub utraque specie communicabatur: ut nos alias diximus cap. 19.

Innocentius III. lib. 3 de Myster. Missæ, quamvis in iis, quæ in Communione summi Pontificis rem sacram solenniter facientis observantur, profunda latere Sacramenta arbitretur: verum subticendum censuit, quoniam aliquorum communionis hujusce rituum causam non allegoricam, sed historicam supponit. Possumus nos tamen asserere, ut iste calami, seu cannæ usus pro acetosa potione Christo Domino sitienti & Cruci affixo subministranda, ut ex B. Marco cap. 11. his verbis. *Currens autem unus & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei.* Et satis clarum, per Calicem etiam Passionem & Martyrium denotari; ut ex Matth. 20. ad filios Zebedæi. *Potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum?* & alibi, *Pater transeat à me Calix iste.* Sancta itaque Mater Ecclesia, ut in sacro Missæ sacrificio, in quo memoria Passionis Christi recolitur, amaritudinem Dominicæ Passionis repræsentaret, instituit ut Romanus Pontifex in hauriendo è Calice sanguine, utatur calamo, per quem ipsi Christo Acetum potandum fuerat datum in Cruce: sed quoniam membra suum caput sequi debent, acerbissimam Christi passionem per imitationem, vel saltem per affectum, aut promptam voluntatem, sua in membra derivare necesse est; ut ex prædictis Christi verbis ad discipulos; *Potestas bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei: possumus, ait illis; Calicem quidem meum bibetis, &c.* Idcirco nos videmus, ut non solum Romanus Pontifex, sed & Diaconus Card. & Subdiaconus Apostolicus in ea sanguinis potione sumenda, eodem utantur calamo ad ipsam passionis communicationem insinuandam.

Rosa in Dominica Lætare.

Inter Apostolicos ritus non reticendum, quomodo *in Dominica Lætare* in Quadragesima, summus Pontifex Florem, seu Rosam auream fidelibus populis repræsentet: quoniam inter continuas Quadragesimæ asperitates gaudia etiam interponuntur; & hodiernum officium plenum est lætitia, & exultatione refertum. *Lætare Jerusalem,* inquit Isaias cap. 66. *& conventum facite omnes, qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis: & satiamini ab uberibus consolationis vestræ.* Unde tria quoque designantur in tribus proprietatibus hujus Floris, quem visibiliter repræsentamus: Cla-

Claritas in colore, Jucunditas in odore, ſatietas in ſapore: Roſa quippè præ cæteris floribus colore delectat, odore recreat, ſapore confortat. Delectat viſu: Recreat olfactu: Confortat guſtu.

Et ut de carnalibus ad ſpiritualia tranſeamus: Flos iſte florem illum ſignificat, qui de ſe dicit in Canticis. *Ego Flos campi, & Lilium convallium:* quia delectat; & ideo *Speciosus forma præ filiis hominum.* Recreat olfactu, recreat odore, *Quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Et adoleſcentulæ currunt in odorem unguentorum tuorum. Confortat in guſtu, quia panis, quem ipſe dat, *Caro eſt pro mundi vita*, omne delectamentum habens, & omnis ſaporis ſuavitatem.

Triplex in hoc Flore materia, Aurum, Muſcus, Balſamum; quia triplex in Chriſto ſubſtantia, Deitas, Corpus & anima. Bajulus hujus floris eſt Romanus Pontifex Vicarius Chriſti, ſucceſſor Petri: ſicut plenitudo ſenſuum abundat in capite, in cæteris membris pars eſt aliqua plenitudinis, ita cæteri vocati ſunt in partem ſolicitudinum, ſolus autem Petrus in plenitudine poteſtatis; ut oſtendatur illius eſſe Vicarius, qui de ſe dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.*

Hunc florem Romanus Pontifex repræſentat ſolum in hac Dominica Lætare, quæ ſeptima eſt ab illa, quæ Septuageſima nuncupatur. Quia Chriſtus in ſeptima tantum ætate videbitur ab illis, qui beata requie conſolantur. In ſexta namque cernitur Chriſtus per fidem, in ſeptima cernitur per ſpeciem. *Non videbit me*, inquit, *homo & vivet:* quia Deum nemo vidit unquam; ſubintelligendum in hac mortali vita: nam videtur in vita beata, non per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem ſicuti eſt; propter quod dicit Apoſtolus: *Manifeſtabo eis me ipſum.* Ita Innocent. Papa III. ſerm. 1. in Dominica Lætare.

Enſis Benedictio.

Præter auream Roſam, quàm Romanus Pontifex in Dominica Lætare benedicit: mos etiam à priſcis temporibus, ut idem in ſacra Nativitatis Dominicæ nocte Enſem benedicat, & variis Principibus idem Pontifex dono illum transmittat, ut inter cæteros refert Pius II. in ſuis Commentariis lib. 5. ſe illum miſiſſe Philippo Duci Burgundionum, quem attulit Roxetanus Pontificis Aulicus, Græcis & Latinis litteris eruditus. Ac etiam idem Pius refert lib. 7. eorundem Commentariorum dono transmiſiſſe Ludovico Franciæ Regi ſimilem enſem vagina incluſum ornata gemmis, & auro: his verſibus inſcriptum.

Exerat in Turcas tua me Ludovice furentes
Dextera: Graiorum ſanguinis ultor ero.
Corruet Imperium Maumethis, & inclita rurſus
Gallorum virtus, te petet arſtra Duce.

Quare autem transmittatur ad Principes Enſis iſte in nocte Dominicæ Nativitatis benedictus? Id inductum ſuadeo, ut dum Chriſtus Dei Unigenitus naſcitur in terris ad expugnandum Tartarum, accingant ſe eodem tempore Principes terræ ad debellandos hoſtes Chriſti virentes, & hoc virtute etiam Pontificiæ poteſtatis, cujus ſymbolum eſt ille gladius.

Juvat etiam hic aliquid referre de Titulis honorum delatis ſummo Pontifici: inter quos communior, & antiquior eſt ille, quo nominatur PAPA, ut refert

S. Ignatius Martyr. epist. ad Marcianum Cassioboliten. Biblioth. Patrum tom. 1. *Verus est sermo, quem audivi Romæ de te apud beatum Papam Anacletum, cui successit beatitudine dignus Clemens, Petri & Pauli auditor*: quod verbum Græcè, & Syriacè idem est, quod magnus Pater; & antiquitus hæ tuæ litteræ P.P. non aliud denotabant, quam quod Pontifex Romanus esset Pater patrum, à quo cæteræ Ecclesiæ dignitate pendent. Advertendum in hoc, quod Titulus Pater patrum tribui consuevit Romano Pontifici, ut totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopo: quamvis hujusmodi dignitatis nomen competeret primis temporibus omnibus venerandis Clericis: postea tamen illud nomen cœpit esse peculiare Episcoporum, ut ijdem *Papæ* dicerentur: sicut innumera sunt exempla apud Augustinum, & alios patres, & novissimè apud Eulogium Cordubensem, qui vixit ann. 850. & usque illud tempus commune fuit illud nomen omnibus Episcopis. Sed cum futuris temporibus obtinuisset communis usus, ut papæ nomen tantummodo Romano pontifici tribueretur; cum Schismatici illud in odium Romani Pontif. sibi vendicarent, Gregorius VII. Papa anno 1073. habuit Romæ Synodum adversus Schismaticos; ubi statuit inter alia plura, ut papæ nomen unicum esset in universo orbe, nec liceret alicui se ipsum vel alios appellare nomine papæ præter Roman. Pontif. Ita latè Baronius ad Martyrolog. Rom. 10. Januarij.

Dicitur Papa SANCTUS, ut propter Sanctitatem, quæ in eo debet esse, tum propter virtutem, tum propter eminentiam Sedis à Christo institutæ, & in qua Petrus sedit: alias male reprehenderetur sacer textus, ubi nominantur S. presbyteri, sancta sacra olea, sicut & vasa Sanctuarij, templa ac similia: ac etiam male reprehenderentur Concila Oecumenica, quæ sic de papa loquuntur, ut initio Concilij Chalcedonensis tom. 2. Conciliorum: *Domino & beatissimo, & Deo amabili Patri Leoni, &c.*

Nominantur quoque BEATI, ut ab antiquis & sanctis Patribus. Hieron. epist. 57. ad Damasum tom. 1. *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.*

Et verè beatum papam nominamus, qui cum sit Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ caput visibile; eidem invisibiliter assistit verum, essentiale, naturale, & supranaturale caput Jesus Christus, Filius Dei, Rex Angelorum, & hominum, in regimine dictæ Ecclesiæ, cui præsidet ipse papa.

Præterea ut videas, quanto etiam honore priscis temporibus consueverant sanctissimi Antistites Romanorum Pontificum majestatem venerari: Hormisdæ papæ Andreas Episcopus in Epyro in Epist. inscriptione sic inquit: *Angelicis meritis coæquando Patri patrum Papæ Hormisdæ.* & infra. *Commendans me humillime vestigiis vestris piissimis,* refert Card. Baron. ad ann. 519. ubi Spondanus num. 4.

Et ab Episcopis Cypri in Consilio Synodali, ubi de Monothelitarum Hæresi ab ipsis damnata, in epist. ad Theodorum Romanum Pontif. quem patrem patrum, & universalem papam nominant, ex eodem Baron. sub ann. 643. ubi Spond. num. 3.

Ac etiam quatuor Primates Aphricani in Synodo congregati ad eundem Theodorum

dorum Papam, quem nominant *Patrem patrum, & summum omnium Præsulum Pontificem*, Baron. sub anno 646. ubi Spond. num. 1.

Item Sexta Synodus petiit ab Agathone Papa ejus acta confirmari, tanquam *A Primate Sedis Antistite universalis Ecclesiæ, stante supra firmam fidei petram*, ex Baron. sub ann. 681. ubi Spond. num. 11.

Et ex duabus epistolis Theodori orientalis Episcopi ad Papam Leonem III. quibus eum nominat *sanctissimum summum Patrem patrum, æqualem Angelis, beatissimum & Apostolicum Papam*, & infra: *Archipastor Ecclesiæ, quæ sub cœlis est*, & infra: *Divinissimum omnium capitum caput:* ex Baron. ad ann. 809. ubi Spond. n. 10.

Rursus ex eodem Baronio ad ann. 825. ubi Spond. num. 3. referuntur epistolæ Ludovici Imperatoris ad Eugenium Papam II. quem nominat *universalem Papam.*

Et præter alia innumera, ex Legatione orientalium Antistitum ad paschalem Papam, in qua nominatur *Princeps Sacerdotum, primus universalis, supremum Lumen, Apostolicum caput à Deo præpositum, Pastor ovium Christi, Janitor Regni cœlorum, Petra fidei, supra quam fundata est Catholica Ecclesia*, ex Baron. anno 817. ubi Spondan. num. 6.

Quanquam excelsi & sublimes fuerint tituli, quos erga Romanos Pontifices detulit Antiquitas omni tempore: lubet hic etiam referre titulum venerandum, quem etiam à priscis temporibus sibi ascribunt in suis Diplomatibus, & aliis monumentis Romani Pontifices; utpotè *Servus servorum Dei:* Indicantes ex hoc, ut quamvis iidem in terris supra cæteros eminentiores; memores sint tamen eorum pristinæ conditionis, & humillimæ originis.

Nec prætereundum referre in proposito priscum illum ritum consuetum in electione Romani Pontificis, de quo nos diximus supra in cap. 79. quod ipse Pontifex statim electus apponeretur in quadam *Sede stercorata* nuncupata; dum interim schola Cantorum caneret versiculum psal. 112. *Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Et cum origo humilis ipsius electi denotaretur etiam ex hoc præfato ritu, qui temporis successu in desuetudinem abit; fuit in ejusdem locum forsan alter non penitus dissimilis subrogatus; ut per tres vices Magister Ceremoniarum ante ipsius Pontificis Coronationem manipulum stuppæ accendens, ad eundem Pontificem electum respiciens, dicat: *Beatissime Pater, sic transit gloria mundi.*

CAP. LXXXIII.

De Cardinalibus S. R. E.

DUm de prærogativis summi Pontificis, seu Papæ agitur; etiam aliquid breviter de Cardinalibus recensendum, qui sunt de corpore ejusdem, cap. si quis 6. quæst. 5.

De prima Cardinalium origine supponendum, quod D. Petrus Apostolorum Princeps, ex Antiochia Romam profectus ad exstruendam ibi Ecclesiam; virorum habilium numero electo, quibus manus imposuit: creavit ex his Presbyteros aliquos, qui

Origo Cardinal.

qui vacarent Sacramentorum administrationi: alios Diaconos, qui curam haberent pauperum, viduarum, orphanorum, & ut assisterent Presbyteris tempore sacrificiorum. Tales fuerunt apud Petrum, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Marcus Evangelista & alij, qui Pontificatus munia, Coadjutores, & Consiliarii in re gerenda, & administranda fuere. Qui licet nomen Cardinalium tunc insuetum non habuerint; munus tamen & officium quod nunc Cardinales exercent, procul dubio præstiterunt.

Principio igitur Ecclesiæ pusillus erat prædictorum numerus: nam & tunc non multo post Neronis Imperium, sicut septem Curatores, aut Capita erant Regionum Urbis, Civilia tractantia; ita totidem iisdem Regionibus Curatores instituti septem primores Diaconi, qui Religionem sacram promoverent, & vita, si opus esset, exposita, pietatem tuerentur. Quod ex decretis Symmachi, Hormisdæ, Gelasij, ac Gregorij Magni Pontificum Maximorum elucescit. Floruit autem Symmachus anno Domini 499. in cujus decretis Diaconi Regionarii ita subscribunt. *Cyprianus Diaconus S. R. E. Regionis septima his suscripsi, & consensi Synodalibus constitutis, atque me profiteor in hac manere sententia*, & rursus. *Anastasius Diaconus Regionis prima subscripsi. Citonatus Diaconus Regionis quinta subscripsi. Joannes Diaconus Regionis secunda subscripsi. Tertullus Regionis quarta subscripsi.* Sed ante Symmachum S. Sylvester I. in Concilio Romano, intra Thermas Domitianas celebrato, septem Regiones fecisse traditur, easque divisisse septem Diaconis Fabiano, Marco, Liberio, Archidamo, Julio, Prisco & Theodoro, ad hunc faciendum numerum ordinatis. Origo igitur Cardinalium ex antiquis Curatoribus, seu Capitibus Regionum urbis Romæ primitus desumpta, & ab Evaristo & Hygino sanctissimis Pontificibus inchoata, & à B. Sylvestro non tam instituta, quàm renovata. Cæterum factum est, suadentibus aliis post Evaristum, & Hyginum temporibus, ut se non amplius à Regionibus, quibus præerant; sed passim ab ædificiis, & patrimoniis Ecclesiæ à piis viris & matronis potentioribus in subsidium Presbyterorum, & Diaconorum legatis, discriminis se causa nuncuparent. Ex collationibus namque & legatis virorum, & piarum, & potentium matronarum, non solum comperimus Ecclesiam Romanam fuisse ditatam; ut & Ammianus Marcellinus Ethnicus l. 27. testatur; verum etiam Presbyteros, & Diaconos Cardinales suos Titulos adeptos, ut quisque in talibus domibus donatis habitabat, vel prædijs vel aliis facultatibus relictis fruebatur. Hinc tituli orti, Equitij, Vestinæ, Pammachij, Lucinæ, Julij, Calisti, Pastoris, Eudociæ, Æmilianæ, Crescentianæ, Fasciolæ, Tigridæ. Tituli autem hujusmodi nihil aliud erant, quam redditus, vel proventus ex villis, prædiis, fundis, aut agris; à pijs sive viris sive fœminis ad alendos Ecclesiæ Ministros relicti, in qua significatione dicitur quemquam ad titulum beneficii, sive patrimonij ordinari; hoc est ad redditus, qui vel ex beneficio, vel ex patrimonio percipiuntur, in sustentationem ordinandi. Quando autem proventus Legatorum copiosi erant, & opulenti; tunc non unus Cardinalis, sed duo vel tres singulis titulis præficiebantur. Titulo namq; Julij unico tres se Cardinales subscribunt, Paulus, Marcellinus, & Septimius. Titulo Equitij totidem, Felix, Sebastianus, & Adeodatus. Titulo Marcelli Timotheus, Venantius: & in antiqua Synodo relata lib. 4. registr. S. Gregorij cap.

cap. 88. legimus tres Cardinales presbyteros sanctæ Balbinæ, duos sancti Sylvestri, & alios duos sanctorum Apostolorum. Sicuti quoque auctis fidelibus sub Cleto & Evaristo Pontificibus, ita prædicti Presbyteri, seu Diaconi Regionarii, seu Cardd. crevere; ut Evaristus Pontifex VI. post Petrum, facta prima Ecclesiarum divisione inter dictos Presbyteros & Diaconos; qua iterum aucta ab Hygino anno 154. necesse fuerit etiam augere numerum eorundem Diaconorum & Presbyterorum; etiam plures in unaquaque parochia; imo in quolibet Titulo, ut ex supra relatis. Quod etiam similiter contigit sub Fabiano Papa anno 140.

Hujusmodi autem forma tamdiu observata, quamdiu Christiani intra Cœmeteria, & occulta loca se abdebant, Sacramenta ministraturi Baptismi, & Eucharistia ob metum Principum, & Sacerdotum Gentilium, qui eos inquirebant, & morte etiam mulctabant. Postquam autem Ecclesia sub Principibus Christianis cœpit libertate frui, & templa publica in suis titulis, vel domibus legatis ædificari, tunc primum Cardinales titulis etiam S S. Martyrum & Confessorum nomina adjecerunt: ita se subscribentes, Laurentius Presbyter Cardinalis sancti Sylvestri in Exquiliis titulo Equitij, Deus-dedit Presbyter Card. SS. Joannis & Pauli tituli Pammachij. Joannes presbyter Card. SS. Vitalis, Gervasij & protasij tituli Vestinæ. petrus Presbyter Card. S. Mariæ in Transtiberim titulo Julij, & Calixti. Bassus Presbyter Card SS. Pudentis & Pudentianæ in titulo pastoris. Andromachus presbyter Card. S. Petri ad Vincula tituli Eudociæ. Ut quoq; Cardinales sic appellati in Concilio Romano sub Sylvestro Papa, & Constantino Imper. ut in Act. 1. cap. 6. & 7. tomo 3. & Act. 2. canon. 11.

Post varia prædictorum augmenta Honorius II. ann. 1125. statuit septem Episcopos Cardinales, ut Papæ solenniter in Lateranensi Ecclesia celebranti assisterent; quorum tituli iidem sunt, ut in præsentia: nempe primus, Hostiensis, cujus munus est Papam consecrare, & deferre pallium. Secundus, Portuens. Tertius S. Rufinæ. Quartus, Sabinensis. Quintus, Prænestinus. Sextus, Tusculanus. Septimus, Albanens.

Et quamvis ad evitanda schismata in creatione Nicolai III. non esset numerus Cardinalium amplius quàm septem, tunc viventium; nempe tres Presbyteri, & totidem Diaconi: tandem Paulus IV. usque ad septuaginta Cardinales numerum auxit; ad exemplum septuaginta Seniorum, quos habuit Moyses, vel potius septuaginta Discipulorum Christi Domini, ut etiam in Bulla Sixti Papæ V. anno 1586. incipit. *Postquam verus ille*, &c.

Munus Cardd.

Munus prædictorum Cardinalium præcipuè est circa spiritualem jurisdictionem in propriis Ecclesiis, quæ modicum ab Episcopali differt. Secundo, quo ad particularem assistentiam, quam reddunt papæ, quotidie inservientes illi à consilijs, quomodo antea evocabantur Episcopi è provinciis. Tertio, cognoscunt de negotiis sibi à Papa participatis. Quarto, ut ornant palatium primi Ecclesiæ Principis. Quinto, ut durante interregno post obitum Papæ ipsi Ecclesiam administrent. Sexto, ut in gravioribus negotijs Cardinales ipsi expediantur titulo Legatorum à latere. Septimo, ut sine ipsis non terminentur Synodi, Concilia, & Decreta Ecclesiæ. Demum, ut ex eorum gremio ipsi eligant Papam; cum aliis multis, de quibus Card. Paleottus, & alii scripsere.

Quare dicuntur Cardd.

Dicuntur Cardinales, quia ipsi sustinent pondus negotiorum Ecclesiæ, seu quod ipsi Principes sint inter alias Ecclesiæ dignitates. Et quamvis Card. Baron. ad ann. 431. ubi etiam Spondan. num. 13. velint Cardinal. Presbyteros S. R. E. jam olim nonnunquam tunc prælatos Episcopis; nihilominus tamen fuit Episcoporum dignitas præcipua usque ad Pontificatum Clementis V. & Joannis XXII. seu Innocentij IV. ann. 1243. quando Cardinalibus in Concilio Lugdunensi concessus fuit Galerus Rubeus; ex Platina, & alijs; sicut etiam postea à Paulo II. permissum purpureum indumentum; quamvis ex Græcis auctoribus, etiam sub Innocentio III. indutos Cardinales indumentis rubeis, patet ex Annalibus Ecclesiast. auctore Raynaldo anno 1213. num. 6. Quin imo etiam probabile, tale augmentum hujus dignitatis potissimum cœpisse sub Stephano IV. quando in Concilio Romano fuit confessum ex eorundem Cardinalium corpore eligendum summum Pontificem, ut ex Baron. an. 769. ubi etiam Spond. in Epit. num. 1. licet Tursellinus in suo epit. videatur annuere id actum, seu renovatum in Romano Concilio, sub Nicolao II. Pont. ann. 1055.

Refert quoque Cardinal. Papiens. lib. 2. Commentar. quod Paulus II. Roman. Pontif. indulserit Cardinalibus, qui sacris induti vestibus à Prælatis inferiorum ordinū præterquam loco non noscebantur, usum mitræ sericeæ Damasceni operis, & rubra capitia, seu cappas: quibus soli Romani Antistites antea utebantur. Subsellia quoque, tam ad senatus, quam ad sacrificiorum consessum altius elevavit. Aureos mensurnos centum singulis Patrum instituit, quibus annua quatuor millia ex sacerdotiis non minus provenirent. Hæc ille. Concessum etiam Cardinalibus, ut equitarent rubris stratoriis.

Ritus in Cardinalium creatione.

Porrò, quoniam etiam elapsis sæculis Rom. Pontifex per omnia perfectus non habebatur, nisi novos Cardinales assumpsisset: propterea, ut refert Rom. Pontifex Pius II. in suis Comment. lib. 2. de suo Pontificatu, quod vulgata fama velle Papam Cardinales creare, jam tunc preces à Regibus, & Principibus porrigebantur; & Papa quando ex nominatis aliqui non placebant, ipse alios suo judicio digniores, & quos sibi fidos existimabat, singulis Cardinalibus præconizabat, ut eorum præsentiret animos, qui essent idonei: & de numero cognoscerent, ne vel nimietate vilesceret dignitas, vel paucitate Reipublicæ non satisfieret; & nominabat dein Papa quos Cardinales Diaconos, seu Presbyteros existimaret: respiciens etiam ad pauperes Monachos angustæ cellæ cultores; dummodo egregios doctrina, verbi Dei prædicatores, sanctos præstantesque viros, inter Cardinales assumendos; cum in paupere etiam virtus honoranda: haud ignotum, primos Ecclesiæ Principes pro mundi consuetudine ignobiles, pauperesque fuisse.

Lubet hic adjicere ritus jam solitos in traditione Pilei, (non satis alienos, ut etiam hodie mos est:) ac etiam orationem, quam habuit in simili occasione præfatus Pius II. Indicto siquidem Consistorio jussit Cardinales novos, qui aderant, accersiri: Et priusquam advenirent, de creatione facta, deque meritis singulorum pleraque loquutus: ostendit omnibus, & dignam & necessariam ordinationem fuisse. Post, adventantes illos, ad cancellum stare præcepit, & dirigens ad eos verba. *Maxima* inquit, *filii*, & *excellentissima dignitate donati estis: ad collegium Apostolicum vocati, Consiliarii nostri*

nostri, & conjudices orbis terrarum eritis, inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & lepram discernere vos oportebit; successores Apostolorum circa thronum nostrum sedebitis. Vos senatores urbis, & Regum similes eritis, veri mundi cardines, super quibus militantis ostium Ecclesiæ valvendum, ac regendum est. Cogitate animo, quos viros, quæ ingenia, quam integritatem, hæc dignitas requirit: humilitatem non superbiam, liberalitatem non avaritiam, abstinentiam non ebrietatem, continentiam non libidinem, scientiam non ignorantiam; virtutes omnes, nullum vitium, hic honos exposcit. Si fuistis hactenus vigilantes, nunc vigiletis oportet adversus malignum hostem, qui nunquam dormit, cogitans quem devoret: si liberales fuistis, nunc opes in rebus honestis profundite, & maximè in alendos pauperes: si cibi, potusque abstinentes, nunc præcipuè luxuriam fugite; absit avaritia, facessat crudelitas, exulet arrogantia. Sint libri sacri semper in manibus vestris, dies noctesque, aut discite aliquid, aut docete; opera efficite, per quæ lux vestra coram hominibus luceat; & denique tales estote; quales esse debere Cardinales dijudicastis antequam ipsi hoc culmen ascenderetis.

Quibus dictis vocavit eos Papa ad osculum pedis, deinde manum, & os porrexit, & antiqui Cardinales ipsos pariter ad osculum exceperunt, locumque sedentibus præbuerunt. Mox Advocati causas aliquas perorarunt, quibus decisis, Cardinales antiqui stantes coram Papa fecere coronam: Novi genibus flexis, votum pro veteri formula voverunt: exin Pontifex uniuscujusque capiti insigne Cardinalatus imposuit rubrum de more galerum. Chorus hymnum cantavit, gratias Deo reddens. Cardinales antiqui pompam ducentes, exceptis duobus, qui cum Pontifice remanserunt, novos ad altare beatæ Mariæ Virginis deduxerunt, ibique senior Cardinalium orationem supra capita illorum fudit, bona eis & Ecclesiæ sanctæ multa precatus: atque ita rebus peractis ad Pontificem Maximum reversi sunt, qui dissoluto Consistorio in palatium abiit. Et hæc de ritibus in Creatione prædictorum.

Quales creandi Cardinales.

Subdimus etiam, Cardinales ex omni natione creandos. Ut in Bulla Sixti V. anno 1586. incipit. *Postquam verus ille.* Et hoc, ut unusquisque genti suæ, cujus mores, & aditus potiores habet, facilius, & certius justitiam ministrare possit: secundum Divos Bernardum, & Antoninum, quos refert, & sequitur Gomez in Reg. Cancel. quæst. 1. de Idiomate.

Mores & qualitas.

Ad Cardinalatum promovendi sint doctrina, probitate & aliis bonis qualitatibus ornati. Illegitimi nequaquam, etiam legitimati, aut super defectu natalium dispensati. Filium, aut ex eo nepotem habentes ad Cardinalatum non promovendi. Nec frater alterius Cardinalis germanus viventis, vel patruelis, consobrinus, aut amitinus: neque patruus, aut avunculus nepotis ex fratre Cardinalis viventis; & è converso; ut latè in Constitut. Sixti Papæ V. anno 1586. incipit. *Postquam verus ille.*

Residentia

Dicimus etiam, Cardinales, inspecto jure communi, teneri ad residentiam in Curia apud summum Pontificem, ut ex Text. in cap. Bonæ, el primo, de Postulat. Prælatorum, ibi, *Cardinalis præsentia utilior.* At vero Cardinales, si sint Episcopi, Archi-

episco-

episcopi, seu Patriarchæ; tunc in propriis Ecclesiis tenentur ipsi residere: ut ex Concilio Tridentino Sessione 23. de Reformatione cap. 2.

Cardinales non sed supra Mulas & Equos incessisse.

Addimus etiam prædictis, consuevisse in antecedentibus sæculis Dominos Cardinales, dum ad Consistoria, & alias pontificias functiones incederent; illos supra Mulas phaleratas comitantibus Prælatis, nec non eorundem familia, & aliis nobilibus equitantibus, magno urbis splendore tunc processisse. Inducto dein in urbe rhedarum, seu curruum usu; cum pristinum equitandi ritum Cardinales dimisissent; Pius IV. Rom. pontifex XV. Cal. Decembr. anno 1567. dixit in Consistorio: Non currus, non rhedas ætate sua Romæ in usu fuisse; Marchionissamque Mantuæ primam viam patefecisse: cæterasque mulieres, quæ pedibus prodibant in publicum, ejus exemplum sequutas, mox Cardinales omnes hortatus est, ut relicto mulieribus rhedarum usu, Senatoria majestate, quam Imperator Romæ, à se visam, demiratus fuerat, ad negotia publica prodeuntes, equitarent. Et XVIII. Cal. Jan. sequentis in Consistorio, Romam gaudio triumphasse, idem pontifex memoravit; quia iis diebus Cardinales dimissis rhedis, Romanæ Curiæ decorem, & splendorem equis vecti, restituerant; eosque ad idem faciendum imposterum, non elumbi sermone inflammavit: ut ex actis Consistorialibus refert D. Andreas Victorellus in additione per ipsum ad Ciacconum in vita ejusdem Pij IV. Sed inde brevi factum est, ut idem Cardinales ad pristinum rhedarum usum propter earundem commoditatem redierint: Quamvis ann. Jubilæi 1600. recordor ego jam juvenis Cardinales plurimos tunc equitasse ad publicas functiones, hortante Clemente VIII. summo Pontif. quod statim elapso illo anno in desuetudinem abijt.

Hæc est vera origo, & progressus Cardinalium, qui ad tantum splendorem, & auctoritatem pervenerunt, ut prima dignitas post Pontificiam habeatur; utpotè qui soli nunc Papam creent, & ex eorum Collegio eligendus assumatur.

CAP. LXXXIII.

Quòd omni tempore habitus fuerit recursus ad Papam, uti caput visibile Ecclesiæ; tum in difficultatibus Fidei, morum correctione & similibus.

Veritas temporum filia per historias manifestata, hoc nobis patefaciet; & primum: Illud ignorare non debemus, vel sola Apostolica Oracula potuisse errorum omnium portenta fugare, & silentium cunctis indicere: exemplo generalis illius Synodi, quæ primo habita fuit in Ecclesia in Act. Apostol. c. 15. ubi sic legitur. *Cum autem conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelij, & credere.* ubi subditur: *Tacuit autem omnis multitudo.*

Præterea de S. Polycarpo discipulo S. Joannis Evangelistæ refert Euseb. lib. 4. histor. c. 12. *Cum Anicetus Romanæ Ecclesiæ præerat, Polycarpum adhuc suppeditabat vita, Romam adventasse, & cum Aniceto in congressum, colloquiumque de controversia, quæ fuit de die Pascha celebrando suscepta venisse, commemorat Irenæus.*

Anno

Anno 153. Christo nato refert Epiphan. hæres. 42. *Venit Romam Marcion, cum mortuus est Hyginius Episcopus Romanus, & cum senibus adhuc superstitibus, à discipulis Apostolorum congressus petebat, ut in congregationem admitteretur, & nemo id ipsi permittebat.*

Anno 252. refert Cyprian. lib. 3. cap 1. quod Fortunatus, & Felix depositi in Aphrica ab eodem Cypriano appellarunt ad Papam, & cœperunt iter Romam versus. Et paulo post Basilides in Hispania degradatus appellavit ad Papam Stephanum, ut legitur etiam epist 4 lib. 1. d. S. Cypriani.

Anno 351. refert Sozomen. lib. 3. histor, cap. 7. *Athanasius autem fugiens Alexandria Romam adventavit; eodem tempore etiam Paulus Constantinopolitanus Episcopus fortè illa accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ, & Asclepias Gazæ Episcopus, &c. Quorum criminationes cum Episcopus Romanus intellexisset, &c. Singulis suam Ecclesiam restituit; scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quod inconsulto de hisce viris judicassent.* Hinc refert Card. Baron. in anno 340. ut ad hanc Roman. Sedem, ideo olim B. Athanasius varijs calumnijs exagitatus, magna alacritate convolaverit, quod sciret res ecclesiasticas ibi ecclesiasticè, non autem tyrannicè, sed secundum Canones pertractati.

Anno circiter 400. Joannes Chrysostomus depositus à Theophilo appellavit ad Papam Innocentium I, ut in Epist. 1. dicti Chrysost ad Papam Innocentium.

Eodem sæculo Flavianus Episcopus Constantinopolitanus appellat ad Papam Leonem Romæ Episcopum, ut in actis 1. Concilij Chalcedonens.

Quarto, seu quinto sæculo Gregorius Magnus triginta dierum spatio communione sacramentali privat Joannem Episcopum Græcum, quia judicasset Adrianum Episcopum Thebanum, non obstante appellatione ad Sedem Apostolicam, ut in lib. 2. epist. 6. ejusdem Gregorij.

Præterea Maximus Antiochiæ Episcopus confirmatus in Episcopatu per Leonem papam, ut in Concilio Chalcedonens. act. 7 tom. 2. concil. ibi. *Sanctus & beatissimus Papa, qui Episcopatum sancti, & Venerab. Maximi Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ confirmavit, justo satis judicio ejus approbavit meritum.*

Idem Leo epist. 57. ad Imperatorem Marcianum confirmat Anatholium in Episcopatu Constantinopolitano: & idem Leo epist. 87. ad Episcopos Aphricæ sic scribit. *Donatum autem Salicientem ex Novatiano cum sua (ut comperimus) plebe conversum; ita Dominico volumus gregi præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Novatiani dogmatis damnet errorem, & plenissimè confiteatur Catholicam veritatem.*

Et S. Gregorius conqueritur lib. 4. epist. 34. cap 78. *Salonitanæ Civitatis Episcopus, me, ac responsali meo nesciente, ordinatus est: & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit.*

Et ad ornamentum Archiepiscopale, quod *Pallium* nominatur, constat à Romanis Pontificibus concessum, & transmissum, *Juxta antiquum morem*, seu *Antiquæ consuetudinis ordinem*, pluribus Archiepiscopis Græciæ, Galliæ, Hispaniæ, &

 alio-

aliorum locorum; ut ex registr. dicti S. Gregor. lib. 4. epist. 54. cap. 98. & idem lib. 4. epist. 10. cap. 54. & idem lib. 4. epist. 51. cap. 9. cum similibus.

S. Cyprianus ad Stephanum Papam lib 4. epist 13. *Dirigantur in provinciam ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.*

Et D. Hieronymus ejusdem sæculi oraculum, nobis patefecit, nihil per ipsum absque Damaso Papa definiendum circa usum verbi *Hypostaseon*; ut in epist. 57. ad Damasum tom. 1. ibi; *Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixum mundi Salvatorem, Homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendorum, sive dicendorum Hypostaseon detur auctoritas.*

Quibus, & aliis pluribus actoribus hujusmodi nil aliud responderi valet à male sentientibus Novatoribus, quàm quòd historiæ, sancti Auctores, eorundemque impressiones mendaces sint, ut nihil ipsi quod displicet, credant.

CAP. LXXXIV.

Quòd Episcopus Romæ debeat ipse, seu qui ab ipso delegatus est, præsidere in congressibus Conciliorum.

BReviter ex hoc capite potissimum constat S. R. E. Auctoritas, quod universalia Concilia indicere, & confirmare, seu infirmare, eisdemque præsidere, sit solius Romani Pontificis.

Et primo in Act. Apost. cap. 1. vers. 15. exsurgit Petrus in medio discipulorum pro electione in Apostolatu successoris Judæ, & pariter in Act. Apost. cap. 15. vers. 7. cum essent congregati Apostoli & seniores circa differentiam de usu circumcisionis, & ceremoniarum, Petrus I. loquitur in Concilio, ejusdemque sententiam alii secuti sunt.

Et in primo Nicæno Concilio præsederunt nomine Papæ Sylvestri Hosius, Vitus, & Vincentius, ut colligitur ex subscriptionibus ejusdem Concilij tom. 1. *Hosius Episcopus civitatis Cordubens. provinciæ Hispaniæ: Vitus, & Vincentius Presbyteri urbis Romæ pro Venerabili viro Papa, & Episcopo nostro S. Sylvestro subscripsimus, ita credentes, sicuti supra scriptum est.*

Secundum generale Concilium Constantinopoli congregatum vigore literarum Damasi Papæ: Patres congregati se excusarunt erga illum, quòd ipsi Romam non transiissent, ut primum fuerant convocati; ut ex Concilio Constantinopolitano in epistola Episcoporum omnium, qui Constantinopolim convenerant, ad Damasum.

In tertio generali Concilio Ephesino S. Cyrillus Legatus Papæ Cœlestini præsidet, ut in secunda parte Concilij Ephesini act. 1. *Considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, Religiosissimis, & sanctissimis Episcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & Cœlestini quoque sanctissimi, sacratissimiq; Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinet; & Juvenali Hierosolymorum, &c.*

In quarto Chalcedonensi Concilio Paschasinus, & Lucentius, una cum Bonifacio Presbytero Romano præsederunt, & tanquam Pontificis Legati primi subscripserunt. Concilium Chalcedonens. act. 1. tom. 2. sic inquit; *Conveniente etiam sancto, & uni-*

universali Concilio secundum sacram praceptionem in Chalcedonensi urbe congregato; i.e. Paschasino, & Lucentio Reverendiß. Episcopis, & Bonifacio Religiosissimo Presbytero, tenentibus locum sanctissimi, & Reverendiß. Archiepiscopi almæ urbis Leonis.

Addimus prædictis, quòd universale Concilium, absq; Rom. Pontificis auctoritate colligi nefas fuisset. Socrates hist. Ecclesiast. lib. 2. cap. 8. Cassiodor. histor. Tripart. lib. 4. cap. 9. quod pluribus in locis clare demonstrat Card. Baron. ad annum 325. ubi Spond. num. 5. & 6. & idem Baron. ann. 341. ubi Spond. num. 2. in fin. & idem Baron. 342. ubi Spond. num. 8. & idem Baron. ann. 449. ubi Spond. num. 6. & idem Baron. ann. 450. ubi Spond. num. 5. ac idem Baron. anno 451. ubi Spond. num. 15.

Nec prædictis Conciliis extra urbem nisi per suos Legatos interesse consuevit Papa; ut ex Card. Baron. d. anno 449. ubi Spondan num. 9.

Nec Oecumenico Concilio opus est, ubi Romanus Pontifex aliquid definivit. Baron. dicto anno 449. ubi Spondan. num. 5.

Sicuti nec Imperatorum munus est eadem convocare absque Romani Pontificis auctoritate; ut ostendit Baron. dicto anno 449. num. 5.

Et quamvis impius Calvinus institut. lib. 4. cap. 7. conetur ostendere, non fuisse Concilia universalia convocata, nisi per Imperatores, & Episcopos; Tamen respondetur, non negari aliquando Imperatores Concilium revocasse respectu autoritatis temporalis, ut ea obligatoria redderentur in foro sæculari, ac etiam per Officiales, & Ministros Imperij mandarentur exequutioni, & ex hoc tolleretur impedimentum politicarum legum prohibentium congregationes fieri nisi permittente Imperatore, ut in l. 1. D. de collegijs illicitis: sed non infertur propterea, quod summi Rom. Pontifices ea quoq; principaliter non convocaverint intuitu spiritualis & Ecclesiasticæ auctoritatis: adeo ut mos fuerit concursus spiritualis auctoritatis in summo Pontifice, una cum auctoritate Imperatorum temporali, videlicet, ut convocatio Conciliorum Ecclesiastica obligaret in foro conscientiæ, ac spiritualiter: altera autem politica Imperatorum convocatio mandaret eadem illa exequutioni ope brachij sæcularis, ac temporaliter, ut latissimè & eruditè docuit Gallico idiomate Card. Peronus in replicatione ad responsionem Regis Magnæ Britanniæ lib. 1. capitulo 42.

Et licet aliqui etiam objecerint, in primis Oecumenicis Conciliis Legatos Papæ sedisse à sinistris aliorum Prælatorum; dedimus superius responsum in cap. 3. cum diximus de Imagine S. Petri ad sinistram S. Pauli, auctoritate Baronij ad annum 325. ubi Spondanus in epitom. num. 17. & seq. occasione Concilij Nicæni, ac etiam idem Baronius ad annum 451. & ibidem Spondanus num. 13. occasione Concilij Chalcedonensis. Quoniam in consessu, maximè apud Græcos, pars sinistra erat principalior, & præcedebat parti dexteræ.

Absolutis Ritibus de Ecclesia materiali: ac de Ecclesia spirituali, qui maximè apud Romanam Sedem sunt in usu: Addendum modò de statu Ecclesiæ Græcæ, & circa earundem Ritus: Quales à Catholicis tolerandi, nec non quales confutandi, in quibus eorundem Schismatici cum plerisque Sectariorum adhærent.

PARS

PARS QUINTA,

CAP. LXXXV.

De Græcæ Ecclesiæ Statu.

SCripsimus de plurimis Ritibus, qui jam primitus in Catholica Ecclesia, præsertim Romana, & occidentali, servati fuere; subnexui aliqua de primo statu Ecclesiæ, quam Christus fundavit, & Petrus hic Romæ instituit, aliaque complura de Petri Primatu, & summi Pontificis auctoritate; Responsiones præterea adversus eos adduximus, qui Catholicam in præsenti Ecclesiam, ejusdemque cultum, & vivendi rationem sugillant.

Non absonum erit forsan addere etiam aliqua de Statu Græcæ seu orientalis Ecclesiæ, cui ab eodem Petro primitus Antiochiæ præcipuam dignitatem esse collatam, ut cæterarum sedium maxima tunc diceretur; atque ibidem ipsum Petrum septem annis Episcopum sedisse, Majorum traditione, Conciliorum auctoritate, & Scriptorum testificatione constat; ut refert etiam Card. Baron. in annum 43. ubi Spondanus in epitom. num. 3. Verum cum Petrus Romæ Divino consilio primum sedere cœpit, quo etiam Antiochia Sedem transtulit; factum inde est, ut Romæ primatus tanto celebrior esset Antiochena Ecclesia, quæ mobilis, vel ad tempus, & quasi per transitum erecta: Romanam verò in Petri successoribus stabilivit, & firmavit Deus in æternum permansuram, quod nobis patefecere sanctissimi & eruditissimi viri, nempe Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, & alij mille (quos subsequentibus sæculis protulit deinde nobis Græca Ecclesia) qui omnes hanc sanctam Romanam Sedem, tanquam primam coluerunt, & semper venerati sunt; ac præsertim in electione Episcopi Antiocheni post mortem Meletij illius Antistitis, orta controversia, Ecclesiam orientalem præferendam occidentali, eo quod Christus in ea natus esset: Gregorius Nazianzenus gravissima sententia contrarium suasit, ut refert Baron. in ann. 381. ubi Spondanus num. 7. sicuti consuevit etiam Ecclesia orientalis à Romana, & occidentali Ecclesia in suis pressuris, & angustiis auxilium petere, & à Romanis Pontificibus ad eam dirigendam mitti soliti Legati, Baron. in anno 371. ubi Spond. num. 1. & idem Baron. anno 450. ubi Spond. n. 2. & idem Baron. ann. 458. ubi Spond. num. 2. & idem Baron. ann. 512. ubi Spond. num. 3. & aliàs sæpe, ut latissimè ostendit Gennadius Constantinopolit. Patriarcha in defensione Florentinæ Synod. c. 5.

Sicuti etiam, & ipse Justinianus Græcus Imperator primam Sedem agnovit Romani Pontificis, cæteris posthabitis, ut in ejusdem epistola ad Epiphanium Constantinopolitanum Archiepiscopum relata in sancta Synodo Trulli his verbis: *Sed per omnia servemus statum unionis sanctissimarum Ecclesiarum, quæ cum sanctissimo Papa, & Patriarcha veteris Romæ transacta sunt*, & paulo post. *Quia omnia ad statum Ecclesiasticum pertinentia ad illius beatitudinem, uti ad caput sanctorum*

Dei

Dei Sacerdotum deferantur; & quia quoties in his partibus Hæretici exorti sunt, sententia, & judicio illius veneranda Sedis sunt repressi: licet & nobis dicere sic, & concludere, quod omnes qui volunt, & habent ipsum pro capite, sancti sunt, & veri Dei Sacerdotes, & servi fideles; qui verò nolunt, neque habent eum pro capite, non sunt Dei sacerdotes.

Postea tamen in deterius Græci prolapsi, ex mala conscientia putaverunt ab ipso tempore sextæ Synodi intermissam omnino fuisse Catholicam communionem Græcorum Imperatorum cum Romana Ecclesia: porrò ipse prædictus Justinianus Imperator; eò quia primum adversus Romanum Pontificem moliri cœpit, justo Dei judicio per suos Duces prodita Armenia, pœnas luit impietatis suæ; & Callinicus Constantinopolitanus Episcopus malorum omnium concinnator, postea ab eodem Augusto oculis orbatus est, & in exilium missus: referunt Theophil. & Cedrenus ann. 8. Justiniani, & Baron. in ann. 692. ubi Spondan. num. 5.

Præterea Græci, ut sibi Romanam Ecclesiam subjicerent; postquam Tyrannicæ confirmationi Romani Pontificis tandem renuntiassent Imperatores; studuerunt alia via, ut in Collegium S. R. E. Clericorum adlegerentur Orientales, iidemque opera Exarchorum crearentur Pontifices: hinc tot annis sederunt ejusdem Romanæ Ecclesiæ Antistites ex Oriente prognati: sed factum est tandem miraculum à Deo, ut iidem creati Pontifices Apostolicæ Sedis, spiritum pariter hæreditaverint Apostolicum, steterintque adversus omnes conatus Imperatorum, & orientalium Episcoporum; ut de Joanne VII. & aliis refert Baron. in ann. 705. ubi Spondan. num. 2.

Successu temporis quoque ipsi Græci objectiones erroneas, & falsas criminationes etiam in Latinam Ecclesiam induxerunt, de quibus in annalib. Ecclesiast. per Baron. ann. 867. ubi Spond. num. 3. item ann. 1053. ubi Spond. num. 5. ac etiam ann. 1054. ubi Spond. num. 4. & ann. 1198. ubi Spond. num. 5 Fuit etiam Græcorum Imperatorum, & Patriarcharum recentiorum summa in Romanam Ecclesiam, & Latinos omnes invidia, ex eisdem Annalib. Baron. ann. 869. ubi Spondan. num. 12. & seq. & ann. 968. ubi Spond. num. 2. ac etiam ann. 1193. ubi Spond. num. 5. & 6.

Veris persæpè rationibus Græci superati sunt, qui nulla auctoritate authenticarum scripturarum suffragante ab Evangelica Romanæ Ecclesiæ consuetudine nimis pertinaciter semper abhorruerunt; nec non Constantinopolitanæ Sedis arrogantia multarum Hæresum genitrix, cedere dedignata est. Leo IX. hujus nominis Papa à B. Petro 148. per epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptam, animum ejus concilians. Apocrisarios suos, & Cancellarium suum Legatos Constantinopolim dirigens, multas Græcorum confutavit Hæreses, qui inter cætera Latinos vocabant Azymitas, & eos nimis persequentes, eorum Ecclesias claudebant. Ac etiam idem Romanus Pontifex Michaelem Patriarcham à gratia & Palatio Imperatoris remotum, excommunicationis gladio per eosdem Legatos percussit. Baron. ad annum 1054. ubi Spondan. num. 1. 2. & seq. Tantis autem hæresibus continuo fermentata est Græcia, ut mirum videri non debeat, quod etiam de fermento immolat: tantæ è contra synceritatis fuit semper Romana Ecclesia; ut cui quando etiam scripturarum

notitia,& argumentandi facultas deesset; sola illi de Azymo contra Græcos sufficere deberet ejus auctoritas. Etenim sicuti Azymum in bonam significationem, ita è contra fermentum in malam accipitur; ut nos diximus supra in principio cap. 8. & etiam infra cap 87. Hinc non mirum ut Constantinopolitana Sedes non solum Hæreticos, sed & Hæresiarchas protulerit multos: Romana vero Ecclesia, super Apostolicæ fidei petram altius fundata, semper firmiter stetit, & tam Græciæ, quàm totius orbis Hæreticos, semper confutavit, & de excelso fidei tribunali data sententia judicavit. Rupert. Abb. de Divin. offic. lib. 2. cap. 22.

Et inter cætera adversa, quæ passa est Græcia propter proterviam suorum Schismaticorum, Divinæ providentiæ fuit, ut ipsi Græci, qui tot mala aliàs Crucesignatis, & aliis Catholicis invexerant, irrogaverantque injurias; à Crucesignatis quoque exercerentur, punireturque eorum scelus, non autem à Saracenis (qui Reliquias Sanctorum, & alia eorum sacra conculcassent) sed à Christianis, qui ipsas per totum Occidentem sparserunt, ut majori honore colerentur: & maxime apud Venetos, qui ornamenta Templi sanctæ Sophiæ, quod Imp. Justinianus augustissimo cultu extruxerat, Venetias cum ingenti auri vi, innumerisque reliquiis ea adduxerunt. Martinum quoque Abbatem Cisterciensem partem Dominicæ Crucis cum aliis multis sacris spoliis in Alsatiam transtulisse: ac præterea plures urbes, & Provincias ab iisdem nobilitatas fuisse; latius ex Annalibus Ecclesiast. tom. 13. Raynaldo auctore ann. 1205. num. 42.

At quamvis Græca Ecclesia à nostra Romana jam sejuncta: in Florentina Synodo nihilominus circa annum Domini 1439. concordia fuit transacta, & firmata inter Græcos, & Latinos, à qua paulo post impudenter Græci desciverunt; siquidem post obitum Joannis Palæologi Imperatoris pii profecto, & Catholici, cum successisset in Imperium Constantinus Dagrases (cujus vicem vehementer doleo) non eadem, qua frater, erga Romanam Ecclesiam pietate: opera, & scriptis Marci Ephesini Episcopi omnia iterum perturbata sunt: cum nec Græci conventis stare voluerint; non solum renovarunt aliqua antiquorum Hæreticorum dogmata, maximè Photii, circa processionem Spiritus sancti, de qua Baron. ann. 883. ubi Spondan. num. 3. verum, & alia plurima juniorum Hæreticorum amplexati sunt, nempè de sacrificio tantum in fermentato, non autem in azymo faciendo: De Purgatorio: De Fruitione Sanctorum: De Petri primatu in Ecclesia Romana: Ut propterea nil ferè inter Græcum Schismaticum, & Hæreticos Latinæ Ecclesiæ hostes interesse videatur. Hinc factum, ut Græci, qui Christi fidem profitentur, sed erroribus infectam gravissimis, post obedientiam Romano Pontifici subtractam misera servitute oppressi, & virga furoris Assur conterriti, infame Mahometis jugum subierint. Etenim ut pia Mater Ecclesia, Catholica, & Apostolica non destitit unquam eosdem sic delinquentes jugiter admonitionibus excitare: sic etiam Nicolaus V. P. M. cum Legatis à dicto Constantino Dragase Imperatore missis ad eum, quibus pertinacissime asserebat omnes gentes decretum, quod dicta synodo sancitum erat, recepisse: cumque omnia convicia, & probra resciviset ipse Nicolaus summus Pontifex, quæ à Græcis quoti-

dic

die impudentiſſime jactabantur, litteras dedit plenas timoris, & horroris, ubi execratione prophetizat excidium, & internecionem extremam infelicium Græcorum. O magnam calamitatem! anno 1451. hanc conſcripſit epiſtolam Nicolaus, & anno 1453. capta eſt Conſtantinopolis; omnia impii occuparunt, omnia Barbari vicerunt: unde Aræ, & Templa prophanata, magna ſanguinis effuſio ſequuta, pollutæ Moniales, virgines corruptæ, impiorum manibus Principes occiſi, ſicuti etiam Monachi ſacri, & Sacerdotes: ac etiam ſacra vaſa, & ſanctæ imagines conculcatæ, & conſpurcatæ: præterea Græcorum natio, quæ fuit quondam ſapiens, clara, & generoſa, prudens, fortis, & quæ omnem terram ſuo ſubjecerat Imperio: ac etiam, quæ virtutis ſtudio, & ſanctitate omnes gentes eſt ſupergreſſa, jejuniis, vigiliis, & orationibus Deo ſemper accepta: at in præſentia, proh dolor, omnia interciderunt, & ita propriam patriam deplorat Gennadius Conſtantinopolitanus Patriarcha in defenſione Florentinæ Synodi cap. 5. ſeſſ. 14. & 15. à qua Synodo ille reverſus vidit, & expertus eſt etiam ipſe dictas calamitates propter perverſam ſuorum Civium mentem. Et in præſenti adeo etiam adaucta eſt Græcorum ignorantia, ut ab ipſis Græcis etiam defecerit ipſa Græca lingua, omnes libri, omnia Commentaria non ſolum Eccleſiæ Doctorum, ſed ipſæ etiam Divinæ ſcripturæ, & ipſum dico ſacrum Evangelium. Similibus etiam rationibus reprehendit ſuos Græcos Cardin. Beſſarion in epiſtola, quam in hoc argumento ad illos ſcribit.

Nec multum abſimile eſt, quod noſtri temporis Hæretici in maximas calamitates etiam ipſi inciderunt; ex quo humana, & divina jura (quantum in ipſis fuit) funditus perverſa ſunt, atque conturbata: Turcæ etenim poſt Lutheri & Calvini dogmata, totam ferè Pannoniam occuparunt: & apud Anglos, Scotos, Germanos, & apud Gallos, quot mala iis populis contigerunt, poſtquam Ugonotti ſe à Romana Eccleſia ſejunxerunt; omnibus eſt cognitum: etenim ab impia primæ ſedis abnegatione, Hæreſes, & alia prædicta mala potiſsimum devenere, S. Cypriano teſte, qui lib. 1. epiſt. 3. inquit; *Neque aliunde hæreſes ſubortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata; niſi inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.*

Faxit Deus, ut propter prædicta mala, in quæ ſchiſmatici Græci, & alii Hæretici incurrerunt, remedium idem inveniant contra ſuperbiam, & pertinaciam in Romanam Sedem, ut non dubitaverit ex hoc D. Auguſtinus in fortia hæc verba prorumpere lib. 14. de Civit. Dei cap 13. *Audeo dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit; quàm ſibi placuit, quando præſumpſit: hoc dicit ſacer Pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.*

Quamvis non ſit propoſitum meum velle ſingulos prædictos Græcorum errores diſcutere, & confutare; nec minus lectorum tædio magis protrahere hoc meum opus: ſolum ut minus eruditis ſatisfaciam, unumquodque prædictorum dogmatum, quam breviſſimè paucorum doctorum auctoritate conabor firmare; referens Lectorem ad ea, quæ ſanctiſſimè decrevit prædicta ſacra Florentina Synodus, ac etiam, quæ

eruditissimè scripserunt Eminentissimi Cardinales Bellarminus,& alii,nec non etiam prædictus Gennadius in defensione dictæ Synodi Florentinæ.

Hoc tamen solum in confirmationem prædictæ Synodi Florentinæ non reticebo, prout in actis ejusdem habetur, quod dum Florentiæ illa ageretur, in ultima sessione subita morte defunctus est Patriarcha Constantinopolitanus, quærentibus Græcis & Latinis causam tam subitæ mortis: Dixerunt famuli, ipsum dum scriberet post cœnam, tremore, & languore affectum, statim occubuisse; litteræ autem sequentia continebant.

Joseph, miseratione Divina Constantinopolis, & novæ Romæ Archiepiscopus, & Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni; idcircò pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam iis litteris palam facio: Nam quæ Domini nostri Jesu Christi Catholica, & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat, & celebret: omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimum acquiesco: Beatissimum, ac Patrum Patrem, ac summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini nostri Jesu Christi Vicarium esse concedere, atque animarum Purgatorium esse, non inficior. Datum Florentiæ, die 8. mensis Junii anno 1439. Et hæc satis, ad Græcorum schismaticorum cognitionem dicta sufficiant.

CAP. LXXXVI.

Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere: non ex Patre tantum.

Quatenus autem Spiritus sanctus ex Patre, & Filio procedat, non ex Patre tantum (ut Græci schismatici supponunt) hoc nobis Christus ostendit, qui illuminat omnes homines. Etenim apud Joann. cap. 16. ad discipulos suos ait; *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hinc nos primo inferamus; Quod Spiritus sanctus audivit, audiet, & audit, à quo procedit, sed Spiritus audit à Filio, ut etiam Filius à Patre sapientiam, & reliqua. Ergo Spiritus sanctus etiam procedit à Filio.

Præterea cum Christus dixerit supra: *Quia de meo accipiet:* nil aliud ostendit nobis, nisi quod etiam ab eo procedit; non enim possumus aliter intelligere, quia à quo Spiritus accipit, ab eo etiam esse habet; à quo habet esse, ab eo etiam procedit: accipit autem à Filio, & habet esse ab eo, ut diximus; ergo & ab eo procedit, ut declarat S. Basilius.

Ac etiam Spiritum sanctum dici Spiritum Filii, ipse Filius asserit, ipsum appellans Spiritum Veritatis: est autem ipse Veritas. Et multis in locis magnus Paulus id prædicat. *Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Et, si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Est enim ipsius spiritus naturaliter, & essentialiter, non autem adventitiè. Et cujus esse ad aliquid dicitur, necesse ut si producentis ad productum.

Quæ

Quæ autem ajunt nonnulli veritatem effugientes: Spiritum dici esse Filii, consubstantialitatem cum Spiritu demonstrare, vel à Filio mitti, & similia. Hoc enim mittere & effundere, præsupponit & essentialem processum; & fieri non potest, ut is qui non producit, mittat, ita Cardin. Bessarion in epist. ad Græcos circa susceptionem Synodi Florentinæ.

Ulterius, quæcunque habet Pater, ea & Filium habere ipse testatur, cum dicit Joann. 17. *Pater, omnia tua mea sunt, & mea tua*: unde Damascen. Omnia quæcunque habet Pater in generando tradidit Filio, præterquam esse Patrem: habet autem Pater productionem Spiritus; id ergo habet & Filius: & ex hoc apertè ostenditur, quia non solum à Patre est Spiritus, sed & à Filio: quia non sunt separati essentia Pater, & Filius.

Magnus Chrysost. homil. de Incarnatione Domini, inquit; *Venit Christus ad nos, dedit nobis descendentem ex eo spiritum, & corpus nostrum suscepit.* Adverte, verbum illud, *ex eo*, aliud non significare, quàm quod, qui ex eo procedit.

Gregorius Nissenus homil. 4. in expositione super Pater noster, inquit; *Unigenitus Filius ex Patre à sacra Scriptura nominatur, & huc usque Verbum suam constituit proprietatem: sanctus autem Spiritus, & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea esse ostenditur, ad Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus,* unde nota verba illa, *ex Filio esse ostenditur.*

Magnus Basilius in tertio adversus Eunomium, inquit; *Quæ necessitas urget, si auctoritate, & ordine tertius est Spiritus, eum natura etiam tertium esse? quod auctoritate quidem secundus à Filio sit, & ab eo habeat esse, & ab eo accipiat, & annuntiet nobis; & in summa ab ea dependeat causa, religionis ratio tradit.* Nota verba illa: *Ab eo* (scilicet Filio) *accipiat, & ab eo habeat esse*: ergo non ex solo Patre.

Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Nestorium, quæ incipit: *Cum Salvator noster*, inquit: *Et si Spiritus in hypostasi est propria, intelligitur quoque per se, quatenus Spiritus est non Filius; non tamen ab eo alienum est: nam Spiritus veritatis nominatur, & Christus est veritas, & ab eo profluit, quemadmodum utique à Deo, & Patre.* Audis quod à Christo profluit: ergo ab eodem procedit.

Metaphrastes in Areopagitæ sermonem. *Et in Cœlum Christus meus effertur, ac in patriam revertitur sedem, & procedentem ab eo Spiritum discipulis suis mittit ad infidelium gentium conversionem.* Nota verbum, *procedentem ab eo Spiritum*, id est, qui ab eo procedit.

De hac veritate processionis Spiritus sancti à Patre & Filio, refert Cardin. Papien. in suis Commen. lib. 6. quod Bessarion natione Græcus, summi ingenii, summæque eloquentiæ vir, clarus legationibus tribus: Hic sedente Eugenio, cùm de processione Spiritus sancti in Synodo Florentina inter Latinos & Græcos magnis contentionibus ageretur: ad quem Imp. Constantinopolitanus cum Patriarcha, & Episcopis Græcis convenerat: primus veritatem agnoscens, suorum pertinaciam condemnavit, atque ad nostros concessit; quam ob causam donatus Cardinalatu ab Eugenio est.

Præterea multæ & egregiæ pro hoc dogmate in Florentina Synodo jactæ sunt quasi fundamenta rationes: multa ex utraque parte dicta sunt, quæ propriam opinionem commendabant. Tandem vicit apud omnes, Patrem, & Filium unum esse principium Spiritus, & ex ambobus ipsum tanquam ab uno productore procedere. Multa Sanctorum & Doctorum non tantum occidentalium, sed etiam orientalium producta sunt testimonia hoc significantia, & multis ostensum est considerationibus. Num enim negligenter, num obiter circa rem tanti ponderis exhibuerunt se eruditissimi illi Patres? multum evigilarunt, multum soliciti fuerunt: Verum cesserunt tandem veritati, locum dederunt Doctoribus; ne animus probus, & Christianus ostensæ veritati oculos clausisse videretur: & opinionem, quam olim, & modo Catholica Romana Ecclesia docet, & tenet, amplexati sunt.

Hinc Clemens Papa VIII. in Brevi super Græcorum Ritibus anno 1597. relato in summa Quarantæ pag. mihi 262. decrevit his verbis: Græci credere tenentur etiam à Filio Spiritum sanctum procedere: sed non tenentur pronuntiare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oportet etiam pronunciare.

CAP. LXXXVII.

Quod in Azymo apud Latinos, & Fermentato apud Græcos orthodoxe, & vere Christi Dei corpus conficiatur.

DEcrevit sacrosancta Florentina Synodus; *In Azymo, sive fermentato Pane triticeo Corpus Christi veraciter confici: sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere: unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis, consuetudinem.*

Non legitur in sacro Textu, nec apud Catholicos Scriptores, in fermentato necessario sacrificari debere, ut volunt Græci, (tam à legali, quàm Evangelica Romanæ Ecclesiæ consuetudine nimis pertinaciter abhorrentes) sed tantum in pane, & vino sacrificium confici debere omnes Scripturæ ajunt: Evangelistæ enim dicunt; *Quotiescunque comederitis panem hunc, & biberitis Calicem hunc*. B. Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. ait; *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* & D. Jacobus I. Hierosolymorum Episcopus in sua Liturgia. *Magnus Pontifex, & Magister noster Jesus Christus Deus, nocte illa, in qua ad passionem adductus est, accepit panem.* & D. Basilius in Liturgia, inquit; *Cum panem in sanctas & immaculatas manus suscepisset.* & D. Chrysost. inquit; *Sumpto pane.* Et uno ore omnes sacræ classis Doctores sic afferunt: unde patet eos Azymum non repudiare, cum Ecclesia nullum discrimen intercedere arbitretur inter Fermentum, & Azymum; dummodo ex tritico confectus sit panis, secundum verbum Domini, dum se frumento similem facit, Joann. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum fructum afferet:* Sic & Christus moriens omnes ab Inferno liberavit.

ravit. Et vitis fructus ejusdem verbis ostenditur, Marc. 14. dum ait; *Ego sum vitis vera; jam non bibam ex genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei*: Resurrectionem suam significans: unde ostenditur non posse nos sacerdotes uti neque hordeo, neque avena, vel alio semine: quemadmodum neque vino ex alia re conflato, sicera, melle, vel lacte, sed ex vite secundum verba Domini.

Approbat Deus Azymum, non propter ipsum, sed propter id, cujus est signum: significat quippè sacrificantibus nobis, ut epulemur Paschali convivio non in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in Azymis synceritatis & veritatis, ut in 1. Corinth. cap. 5. Nec ideo rei tam necessariæ significatio hæc rejicienda est, quia de legis antiquæ ceremoniis illam constat esse profectam. Neque cunctæ legis antiquæ significativæ consuetudines abjiciendæ, ut illæ quæ significantur, quoniam bona sunt moralia. De gentibus quoque exemplo Apostolorum atque Doctorum non solemus auferre, si quæ ab illis probè dicta vel facta sint. Ex Origene in Exod. cap. 17. habetur. *Unde & nos si fortè aliquando invenimus aliquid sapienter à Gentilibus dictum, non continuo cum auctoris nomine spernere debemus & dicta; nec pro eo quod legem à Deo datam tenemus, convenit nos tumere superbia, & spernere verba Prudentum: sed sicut Apostolus dicit, omnia probantes, quod bonum est tenentes*: quod idem latè docuit D. August. de unico Baptismo contra Petilian. cap. 4.

In proposito autem Azyma non propter hoc abjicienda erant, quia significationis gratia in antiqua lege tradita fuerant; quin potius ideo retinenda, quia quod significant, optimum, & huic tempori gratiæ magis congruum est: significant enim, ut Apostolus personat 1. Corinth. cap. 5. Ut inter Christum, qui de massâ peccatrice carnem sine peccato, tanquam Azymum assumpsit de fermentato; & Christianum populum ita malitiæ & nequitiæ nihil intersit; quomodo in Azymo pane cum fermento & aqua nihil veteris massæ aut alienæ confectionis intervenit. Cum ergo monumentum sit synceritatis & veritatis ejus, in cujus azymis nos epulari hortatur Apostolus, expurgato veteri fermento, ut simus nova conspersio; jure inter utilia legis antiquæ signa, reservata sunt Azyma, auctore magno Pontifice Christo, & per succedentem sibi B. Petrum Romanæ Ecclesiæ fideliter delegata. Rupertus Abb. de Divin. offic. lib. 2. cap. 22.

Azymum fermentatum fuerit in ultima Christi cœna.

Dubium exoritur: fueritné Azymum vel Fermentatum, quod Dominus fecit in ultima sua Cœna, cum tradidit hoc mysterium? Et sicut à nemine sanctorum Doctorum deprehenditur apertè de fermentato, ut Græci supponunt; ita fuisse in Azymo nos ex Doctoribus clarum faciemus, Matth. cap. 26. inquit; *Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes; Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* & paulo post. *Et fecerunt Discipuli sicuti constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.* Luc. vero cap. 22. ait; *Appropinquabat autem dies Azymorum, quæ dicitur Pascha.* & post pauca: *Venit autem dies Azymorum, in quo oportebat immolari Pascha, misit Petrum & Joannem, dicens; Euntes parate nobis Pascha, ut comedamus: & cum discessisset, paraverunt Pascha.*

Considera, quod Vespere illo oportebat eos comedere Pascha, ut Evangelistæ dicunt,

dicunt, *die prima Azymorum.* Qualisnam est hæc prima dies Azymorum, quam tres Evangelistæ concorditer prædicant? Hoc nobis declarat D. Chrysost. homil. 81. in Matth. *Primam Azymorum diem esse eam, quæ præcedit Azyma; nam à Vespere semper numerare Judæi consueverunt; & hujus mentionem facit, in qua Vespere Pascha immolari oportebat.* Hoc idem Baron. in ann. 34. Can. 34. ubi Spondan. num. 17.

Quæritur modo, qualenam Pascha quærebant discipuli parare: Legale, & consuetum illis, an novum aliud? Nam cum Judæi essent; idem Pascha, quod transitum maris rubri significat, celebrant: Pascha enim transitus exponitur; ideo quod de more significare debebant, id parare quærebant: siquidem scriptura de Christo testatur, ipsum auctorem fuisse servandi, & adimplendi legem, Matth. 5. *Ego non veni solvere legem, sed adimplere.* Et hoc quam verum sit, D. Chrysost. homil. 81. in Matth. inquit; *In omnibus usque ad extremum diem ostendens, legi se non esse contrarium: ne autem legi contrarius esset, legem peragebat.* Exacte igitur ex eo ostensum est, quod legale Pascha pararunt, ut alter Evangelistarum testatur. *Erat autem Pascha, & Azyma.* Præterea Salvator noster tempore legis peregit, neque ante peregit, neque postea, sed suo tempore & hora, ut jussum erat: hujus testis est D. Luc. cum dicit. *Et cum facta esset hora, discubuit cum duodecim.* Nec prædicta hora in alio erat die, quam in eo, de quo dicit. *Venit autem dies Azymorum, in quo immolabant Pascha.*

Objiciunt in hoc male sentientes Græci non id Legale fuisse Pascha, in quo debebant omnia esse assa igni, & azyma; atque in eo sunt, Jus, Panis, Catini, Vinum; ergo non illud erat. Respondetur, Græcos unum & idem supponere Pascha & Cœnam, quæ sunt satis diversa; In Paschate enim oportebat esse cuncta assa igne, ut dictum est, quòd Pascha stantes comedebant, sicuti Christus fecit ante cœnam; postea in cœna Christus discubuit, & comedit jus, & alia quæcunque libuit, (ut nos diximus latè supra de triplici Christi cœna:) quod autem Legale Pascha tunc peregerit Christus, id testatur Damascenus cap. 24. Theolog. his verbis. *In Cœnaculo igitur sanctæ & gloriosæ Sion antiquum Pascha cum comedisset, & vetus Testamentum omne complevisset, Discipulorum pedes lavit.*

Unde diversa oblatio.

Quomodo autem Romana Ecclesia offerat panes azymos, Græci autem fermentatos? quodque indubitate utroque modo conficitur corpus Domini; idque jam diu usus obtinuit in Ecclesiis apud Occidentales, & Orientales. Respondemus enim ex Gennadio Patriarcha Constantinopolitano in defensione Florentinæ Synodi, de sacrificio in azymo sect. 8. Romanam, & occidentalem Ecclesiam Azymo usam esse propter synceritatem, & puritatem carnis Domini, quia immunis & expers est omnis vitii: Græcam & Orientalem fermentato, propter Divinitatis & Humanitatis unionem in ipsius hypostasi: Nam ut Azymum purissimum Domini corpus in Azymi sacrificio conficitur; at per fermentatum, sic & Domini Corpus humanæ carnis conspersione in unam Divinitatis, & Humanitatis personam per fermentum indicatur. Itaque per fermentum, & Azymum, Domini corpus conficitur, & apud credentes salutaris est communio. Ut habetur etiam in Annalibus Ecclesiasticis tom. 13. Raynaldo auctore sub ann. 1233. num. 4.

CAP.

CAP. LXXXVIII.

De Purgatorio.

PUrgatorii denominatio est verbum generale, significans omne quod inservit purificationi, & expiationi peccatorum nostrorum; & hoc primum, & originariè convenit sanguini Jesu Christi Agni immaculati: ut apud Hebr. cap.1. vers.3. *Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.* Secundo attribuitur bonis operibus, quæ inhærent meritis filii Dei, ut de eleemosynis dicitur Lucæ 11. vers.41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Tertio significat flagella, quibus utitur Deus erga nos in mundo, ut etiam adversitates, quas sufferunt Sancti: etenim ista etiam Purgatoria dicuntur Sapient. cap. 3. vers. 6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos.*

Purgatorium quid sit?

In nostro themate Purgatorium (quod Græci dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo & proprio nomine indicatum) Illud quidem juxta traditiones, & auctoritates sanctorum Patrum Purgatorium nos nominamus: Et est locus subterraneus supra Damnatorum Infernum, ubi animæ, quæ divinæ Justitiæ non satisfecerunt in hoc mundo pro peccatis, ignis temporalis miris, sed veris modis purgantur, de quo sanctus Augustinus lib.2. in Genes. cap. 30. *Qui fortè agrum non coluerit: & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis; & post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Christus Dominus apud sanctum Lucam cap. 12. vers. 58. appellat Purgatorium Carcerem, de quo quis non exibit, donec etiam novissimum minutum reddat. & Propheta Zacharias cap.9.vers.11. appellat Lacum sine aqua, ibi: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Unde in ea verba Psalmi; *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos refrigerium*; Origen. homil. 25. in Numer. cap.31. inquit; *Videte, quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitæ hujus.* Et D. Ambros. in Psalm. 36. & idem serm.3. in Psalm.118. *Igne purgabuntur filii Levi, Igne Ezechiel, Igne Daniel; sed hi etsi per ignem examinabuntur; dicent tamen, transivimus per ignem, & aquam: Alii in igne remanebunt; illis vero rorabit ignis, ut Hebræis pueris, &c.*

Advertendum tamen, quod efficacia Baptismi & Purgatorii, quo ad culpam, & pœnam, pendeat à sanguine & satisfactione Christi: quæ satisfactio mediante fide, & charitate nobis applicatur; Nec Christi passio prodest peccatori ad pœnarum remissionem, nisi condignam pœnitentiam, & ex parte sua faciat, & aliquam satisfactionem; hinc Apost. ad Roman. c.6. vers.8. *Si mortui sumus cum Christo: credimus, quia simul vivemus cum Christo.* Et sic etiam intelligitur locus ille Apostoli; *Adimplentes quæ desunt passioni Christi*: Quasi quod nisi nos per pœnitentiam, & bona opera cooperemus satisfaciendo divinæ Justitiæ, inanis erit nobis Christi passio.

Remissa culpa non aboletur pœna.

Et quamvis remiserit Deus culpam peccati; non propterea est abolita pœna ejusdem, pro qua etiam nobis remanet satisfaciendum. Hoc primum nobis ostenditur ex Sapientia Salomonis cap. 10. in princip. ibi; *Hæc illum, qui primus formatus*

est à Deo, & Pater orbis terrarum, &c. eduxit à delicto suo. Et nihilominus Deus eidem primo parenti dixit Genes.3. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi, &c. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Sicuti etiam ex eodem peccato primi parentis habemus nos intellectum ignorantia obtenebratum; voluntatem à vero& bono aversam; infirmitates, bella, fames, & alia innumera mala peccati pœnam. Ac etiam idem Baptismus, quo omnis culpa deletur, non impedit effectus funestæ prædictæ sententiæ: ita verum est, ut sit *Stipendium peccati mors.* Rom.6. Præterea Deus precibus Moysis parcit populo idololatriæ; sed nihilominus dicit Deus Exod. 32. vers. 34. *In die ultionis visitabo hoc peccatum eorum*, ut condignum tam execrando peccato. Tertio, Moyses dilectus Deo, cuique Deus facie ad faciem loquebatur, nihilominus propter peccatum commissum ad aquas contradictionis, ex hoc dixit Deus ad Moysen, & Aaron in Numer. cap.20. vers. 12. *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Quartò, postquam David recognovit peccatum suum, dixit ad eum Nathan 2. Regum cap.2. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur:* Præter alia mala, quæ advenere domui David, etiam post remissum peccatum: ut propterea in Ecclesiastico habeatur cap.5. vers.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Ex his infertur, quod si contingat hominem mori ante debitam satisfactionem pro commisso peccato; tunc est locus pœnarum, Purgatorium nuncupatus, ad quem Jesu Christi satisfactiones applicantur, dummodo is decesserit in gratia: Et præter alia plurima loca sacræ Scripturæ, quæ adducuntur, habetur 1. Corinth.3. vers.13. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*: Cum de Purgatorio id intelligatur ab Origene homil. 6. in Exod. & Ambros. cap. 3. epist. ad Corinth. & ab Augustino in Psalm. 37. Adducitur Propheta Michæas cap.7. vers.8. & 9. ibi: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus*; quem textum in hoc themate citavit D. Hieronymus in fine Visionum Isaiæ, ac etiam suo tempore inquit, esse illum textum in omnium ore.

Qualis baptismus pro mortuis.

Additur etiam Epist. 1. Corinth. cap.15. vers. 29. ibi: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Quæ verba non aliter de Baptismo sacramentali (qui ab alio, non à semetipso confertur) sed referuntur ad Baptismum pœnitentiæ, & afflictionis, de quo Christus loquebatur, Matth.10. Potestis bibere Calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? apud Lucam cap.12. vers.50. Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur. Est igitur sensus Apostoli in prædicta epistola ad Corinth. Quare igitur jejunant, orant, & plorant homines? quare eleemosynas faciunt, & offerunt sacrificia Deo pro mortuis, nisi sit Resurrectio?

Talis fuit afflictio Judæ Machabæi lib.2. cap.12. vers.43. *Et facta collatione, duodecim*

decim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret; superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) &c. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Quæ verba cum sint clara, non aliud objicitur ad ea, quàm negando auctoritatem, ad quam nos obligat Ecclesia: sicut etiam Concilium III. Carthaginens. cap. 47. circa tertium sæculum, inter Canonicas scripturas approbat libros Machabæorum; & sanctus Augustinus, lib. 1. de Cura pro mortuis gerenda cap. 1. inquit. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium: sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commemoratio mortuorum*: Et de eorundem librorum auctoritate testatur idem Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 36.

Ad hoc idem tendebant jejunia antiquæ legis, postquam quis decesserat: refert Ven. Beda in suis expositionibus allegoricis in Samuelem lib 4. cap. 10. vers. 12. & cap. 3. vers. 35. David jejunat post mortem Saulis, & Jonathæ, lib. 2. Reg. cap. 1. vers. 11. & cap. 3. flevit, & jejunavit David mortuo Abner; actiones, quæ ad pietatem & religionem potius, quam ad dolorem debent referri: sicuti etiam Salomon post obitum Regis Patris sui dixit, 3. Regum, cap. 2. vers. 33. *David autem, & semini ejus, & domui, & throno illius sit Pax usque in æternum à Domino.*

Liturgia Hierosolymitana, quæ Divo Jacobo Apostolo attribuitur: Liturgia Romæ sancto Petro: Liturgia Alexandriæ attributa S. Marco: Æthiopica S. Matthæo: Mediolani S. Ambrosio: Cappadociæ, & Syriæ S. Basilio: Constantinopolis S. Andreæ, & S. Chrysostomo: Demum omnes Liturgiæ Græcæ & Armenæ, nulla excepta, faciunt mentionem, & habent collectas etiam pro Defunctis; ut in Missis, quas nos hodie celebramus.

Suffragia prosunt defunctis & maxime sacrificium Missa.

Preces igitur offeruntur, & pia opera exhibentur, pro animabus eorum, qui in vera pœnitentia reperti fuerint, dum anima separatur à corpore, nondum plenè facta de his satisfactione: ex plurimis Conciliis per universum orbem: & adducam in hoc solum decretum in Florentina Synodo contra Græcorum proterviam his verbis; *Si vero pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus commissis satisfecerint, & omissis; eorum animas pœnis Purgatoriis purgari; ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse his virorum fidelium suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta.* Quam doctrinam ex traditione Apostolica, & miraculis confirmatam tradit Baron. in annum 34. ubi Spondan. in epitom. num. 93. & nos Patrum aliquorum tantum testimoniis contestabimur.

S. Damascenus in orat. de his qui in fide Orthodoxa dormierunt, inquit: *Quod Salvatoris Discipuli, & Divini Apostoli, &c. In tremendis, intemeratis, & vivificantibus mysteriis, commemorationem fieri de his, qui fideles obdormiere, sanxerunt;* quod etiam firmiter, & absque ulla controversia tenet à finibus usque ad fines Christi

Dei Apoſtolica & Catholica Eccleſia, ab eo tempore in præſens, & uſque in finem mundi,&c.

Areopagita etiam ipſe in Myſtica de mortuis conſideratione ait: *Cum Divinam Bonitatem precamur, peccata Defuncto condonari petimus, quæ ob humanam imbecillitatem admiſſa ſunt: in regione viventium eum collocari in ſinu Abraham, Iſaac, & Iacob; in quo loco abeſt mœror, triſtitia, & gemitus, &c.*

Chryſoſtomus in ſerm. de Mortuis, inquit; *Iterum excogitemus, quomodo mortuis proſimus, præſtemus his auxilium, quod valemus; eleemoſynas dico, & oblationes: quæ quidem res ipſis utilitatem, magnum lucrum, & commodum affert, &c.*

S Gregorius Niſſenus inquit; *Nihil inconſulto, neque abſque emolumento à Chriſti præconibus, & diſcipulis traditum eſt; ſed res plena utilitatis eſt, Deoque accepta, commemoratio, videlicet, quæ habetur in Divino & admirabili ſacrificio pro his, qui in fide obdormierunt:* Ac proinde de Purgatorio tanquam de re compertiſſima, & omnino credenda, Theodoret. 1. Corinth. cap 3. inquit; *Hunc ignem Purgatorium credimus, in quo animæ Defunctorum purgantur & repurgantur; ſicut aurum in conflatorio:* cui ſubſcribit S. Anſelmus ibidem dicens. *De quibuſdam levibus culpis ante corporum reſurrectionem Purgatorius ignis credendus eſt.*

Quod autem ex Apoſtolica traditione ſacrificia & alia pietatis opera offerri conſueverint pro Defunctis; teſtis eſt Tertull. de Carona Militis cap. 3. dicens; *Oblationes pro Defunctis non niſi ex traditione provenerunt.* Accedit illi Epiphanius Hæreſi 35. dum inquit; *Eccleſia neceſſario hoc perfecit, traditione à Patribus accepta.* Utrique ſubſcribit Auguſtin. ſerm. 32. de Verbis Apoſtoli. *Hoc à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro his, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, oretur; & pro illis quoque offerre commemoretur.* & S. Chryſoſt. homil. 69. ad populum Antiochen. *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis Myſteriis Defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam.* Obmuteſcant igitur pravæ Græcorum Schiſmaticorum & Hæreticorum ſynagogæ, quæ omitti debere Defunctorum commemorationes memorant.

Objiciunt tamen prædictis adverſarii, quod homini ſufficiat in extremo peregrinationis ſuæ die pœnitentia cum lachrymis, & fervens confeſſio ad ſalutem, & ad cœleſte Regnum obtinendum; præponentes exempla hujuſmodi meretricum, & latronum. Quibus reſpondemus, effuſas prædictorum lachrymas eos ſalvaſſe, & à ſempiterna vendicaſſe damnatione, quam procul dubio ſubiiſſent niſi pœnitentiam & lachrymas oſtendiſſent; ſed cœleſte Regnum nunquam impetraſſent, niſi Purgatorius ignis eos dignos effeciſſet, quo affligitur, & maceratur anima, ut apud Malach. cap. 3. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum purgabit, & mandabit filios:* Sed tempus abbreviant, & à cruciatu liberant preces, oblationes, & orationes, ut ſupra dictum eſt: at æternus ille ignis neminem mundat, neque lavat.

Ex quibus liquido conſtat, animas poſt mortem magnum capere emolumentum ex Eccleſiæ militantis & triumphantis precibus, maximè vero ex ſacrificio, &c.

Adver-

Advertendum tamen, quod ſicuti pro his, qui in Paradiſo cum Chriſto deliciis ineffabilium bonorum fruuntur; non ſunt ſacrificia, nec alia pia opera neceſſaria; cum illi in hoc mundo pro illorum peccatis ſatisfecerint, ita nec pro animabus, quæ hinc ſine fructu pœnitentiæ deceſſerunt, nulla poſt mortem utilitas accedit, ut in Pſalm. 6. *In Inferno quis confitebitur tibi?* ut propterea S. Auguſt. in Enchirid. ad Laurentium, cap. 109. dicat: (Neque negandum eſt Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui cum viverent, ut hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt: eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat iſta poſt mortem; nec tam malus, ut ei non proſint iſta poſt mortem.) & idem Auguſtinus infra ejusdem Enchridii c. 110. ait; *Cum ergo ſacrificia, ſive Altaris, ſive quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis, propitiationes ſunt: pro valde malis, & ſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt.*

Quibus proſint ſuffragia?

Advertendum poſtremo, illo tranſitorio igne non ſolum peccata criminalia, ſeu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remiſſa; verum etiam parva & minuta purgari, quæ poſt mortem etiam gravant, ſi non fuerint relaxata, ut habetur ex Diplomate Innocentii IV. Papæ. De quo in Annalib. Eccleſiaſt. Raynaldo auctore anno 1254. num. 11.

CAP. LXXXIX.

De Fruitione Sanctorum.

SUpponunt Græci, non ante communem reſurrectionem Sanctos præmia recipere; nec impios pœnas, quas merentur, luere; ſed in aliquo loco eos requieſcere uſque ad extremum Judicii univerſalis diem. Quid de his ſtatuendum qui Sanctis, & iis quidem non jam in terra Chriſto militantibus, ſed in Cœlo cum Chriſto regnantibus hæreſis crimen objiciunt, atque eorum inviolabili gloriæ fœdiſſimam maculam aſpergunt? Ut igitur liquido cognoſcamus, Juſtorum animas eſſe in Dei gloria, Deum in facie videre, ejusque viſione lætari, ut etiam impios jam æternis pœnis demandatos; Hoc nobis atteſtantur omnes Patres Græci & Latini, ex quibus Chryſoſtom. in ſermone: Quod valde proſunt mortuis ſacrificia pro iis oblata, inquit; *Oblectamur in commemoratione juſtorum, non ſolum viventium, verum etiam mortuorum.* & paulo poſt. *Hi, & qui eo demigrarunt, juſti videlicet, beati, qui ad Chriſtum profecti ſunt: juſti autem, ſive hic, ſive ibi, apud Regem ſunt, ibique magis prope ſunt, non per ſpeculum, non per fidem, ſed facie ad faciem.*

Iuſtos poſt mortem gloriam recipere.

Metaphraſtes in ſancti Ioannicii vita in fine orationis dicit. (Divus Joannicius, ſpiritu quidem ad eum, quem diligebat, demigrat, Angelorum choris comitatus, corpore verò urna clauditur. Quæ ſunt igitur ea, quæ poſt obitum hujus admirabilis Joannicii contigerunt? fractorum conſolidationes membrorum, quidam à pravis Dæmonibus liberati ſunt, cum ad ejus tantum monumentũ acceſſiſſent: & quo pacto

post obitum poterat Joannicius hac gloria spoliari, cujus discessum columna ignis apud montem Olympum significavit? quem Angeli præcedebant, Paradisi januas aperientes,& in cœlestem Beatitudinem deducentes,ut purificatus in conspectu Domini perveniret, & cum Angelorum ordinibus versaretur &c.

Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 25. inquit: *Nam sunt quorundam justorum animæ, quæ à cœlesti Regno quibusdam adhuc mansionibus differunt, in quo dilationis damno nihil aliud innuitur, nisi quod de perfecta justitia aliquid minus habuerunt: & tamen luce clarius constat, quia perfectorum animæ mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestis regni sedibus recipiuntur; quod & Paulus testatur: Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Et aliis omissis,decrevit nobis præter Decisionem præcedentem Benedicti Papæ XI. etiam sancta Florentina synodus in hunc modum. (Illorum etiam animas, quæ post Baptisma susceptum,nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam,vel in suis corporibus, vel exutæ corporibus sunt purgatæ,in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & Unum,sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas,quæ in actuali mortali peccato,vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere,pœnis tamen disparibus puniendos.)

Prædictis objiciunt Græci: Si animæ justorum ante resurrectionem æternam consequuntur fœlicitatem, supervacanea est resurrectio, & Judicium, & super throno tum assessus, & Judicii constitutio: quid tum recipient, si nunc receperunt? Quibus respondet S. Gregorius Magnus dialog. lib. 4. cap. 25. his verbis: *Hoc eis nimirum crescit in Judicio, quod nunc animarum tantummodo; postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruentur,ut in ipsa quoque carne gaudeant,in qua dolores pro Domino,cruciatusque pertulerunt: pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est: In terra sua duplicia possidebunt,&c.* Quibus etiam congruit, quod refert magnus Athanasius. *Animæ justorum post Christi adventum (ex latrone, qui in cruce pependit, intelligimus) sunt in Paradiso: non enim propter latronis justi animam tantum Christus Deus Paradisum aperuit, sed propter omnes denique Sanctorum animas.*

Sed omissis innumeris sanctorum Patrum auctoritatibus, adducam testimonium Apocal. cap. 6. his verbis: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? & dixi illi: Domine mi,tu scis; & dixit mihi: Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna,& laverunt stolas suas,& dealbaverunt eas in sanguine Agni, ideo sunt ante thronum Dei,serviunt ei die ac nocte in templo ejus.*

Opponunt etiam Græci nostræ veritati,ex epist. ad Hebr. cap. 11. in fin. ibi: *Et omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*; Inferentes ex hoc Sanctos non percipere æternam gloriam. Respondetur enim, ea verba à Paulo prolata propter universalem corporum resurrectionem, quam veluti Christiani omnes futuram esse credimus: cum sit hæc promissio, quam Patribus Deus fecit in Prophetis; id est se eos suscitaturum: cum autem in fine sæculorum totius mundi resurrectio fuerit consequuta;

ſequuta; tunc Salvatoris Dei noſtri promiſſio adimplebitur, & univerſa hominum corpora reſurgent,& utraque ſimul anima,& corpus,perfectionem unà recipient, id eſt perfectam beatitudinem: Hujus rei teſtis eſt Lucas in Act. Apoſtol. cap. 13. *Et nos vobis annuntiamus eam,quæ ad Patres noſtros promiſſio facta eſt,quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, ſuſcitans Jeſum, &c.* Hæc autem promiſſio Patribus facta eſt,nempe Reſurrectio mortuorum, ut ipſe Chriſtus reſurgens à mortuis primitiæ dormientium, in ſeipſo primam oſtenderet eam, cum ad mortuos veniſſet, & ab eis primogenitus reſurrexiſſet; ut apud Roman. cap.14. *Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit; ut & mortuorum,& vivorum dominetur.* 2. Corinth. cap.4. *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum,& nos cum Jeſu ſuſcitabit.* Ergo ex his unanimiter concludamus, Sanctos,quorum animæ cum Deo ſunt,laudare te Domine; ut & ii à nobis enixè intercedant apud præmiorum datorem Chriſtum Salvatorem noſtrum; ut nos ſuæ ſocietatis dignos efficiat. Fiat.

CAP. XC.

De Petri Primatu.

Reſtat quintus articulus de Petri primatu, nec non de ſummorum Romanorum Pontificum ſucceſſione; verum cum de his ſatis dictum ſit ſupra in præcedentibus capitulis: adducam hoc ſolum Decretum ſacroſanctæ Florentinæ Synodi his verbis; *Item definimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium,totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem,ac Doctorem exiſtere,ut ipſi beato Petro paſcendi,regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam geſtis Oecumenicorum Conciliorum in ſacris Canonibus continetur.* Datum Florentiæ in Seſſione Synodali anno 1339.

Cardin. Beſſarion in epiſt. ad Græcos exhortans eos ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ,inquit. (Hæc illa,re vera eſt,quæ Petri fidem tenet, & conſervat, aliiſque prædicat. Qui eam ſequuntur,unam cum eo Eccleſiam faciunt: Qui ab ea diſciſſi ſunt,& à ſua communione disjuncti, ſalutem conſequi non poſſunt: Quippe extra Chriſti aulam ſalus non eſt: In Lupos,& Raptores, atque Latrones incidere neceſſe eſt eos,qui vocem Paſtoris non audiunt. Quod ne aliquis Chriſtianus patiatur, illa fides credenda eſt atque docenda, quam Catholica hæc Eccleſia confitetur, & colit. infra. Et ne putetis me novam ſanctionem introducere, novum dogma vos docere, redigite in memoriam quotquot in antiquis hiſtoriis,quotquot in actis univerſalium Conciliorum culti,& exercitati eſtis,quantam poteſtatem Romanus Pontifex ſupra omnem Eccleſiam habet. Papa Cœleſtinus ſolus ipſe Synodum Epheſinam approbavit,atque indixit, licet tota orientalis Eccleſia, & ipſi Patriarchæ in idem convenerint. Leonis Magni Epiſtolam Patres ſexcenti & triginta numero, qui fuerunt Chalcedone Epiſcopi exiſtentes, ut ſacra Evangelia acceptarunt, & Columnam orthodoxiæ appellarunt, & juxta illam de propoſita quæſtione judicium tulerunt, ejusque

que vestigiis insistentes, ejus dogmata sequuti sunt. Iidem inter Patriarchas secundis partibus Alexandrinum privantes, & Constantinopolitano eas concedentes ad imitationem secundæ Synodi, nihil fecisse existimarunt, nisi eidem etiam Leo sanctissimus Papa ipsum confirmasset; & ut hoc faceret, per epistolas & Legatos ipsi supplicarunt: ipse tamen non abnuit; & nisi alius deinde Pontifex confirmasset, non prævaluisset. Ante hunc Innocentius Arcadium & Eudoxiam Impp. qui aureum illud os immerito exilio mulctarunt, anathemate percussit, & à communione Christianorum alienos effecit: quod utique non fecisset, nisi supra omnem Ecclesiam principatum haberet. Nisi enim universalis esset Pastor, & communis Christianorum Pater, & Magister, & Constantinopolis, & ibi Imperatores illius essent oves, non utique eas à communione, & unitate Ecclesiæ separasset: Nullum enim robur illius sententia habuisset, nec eos læsisset, nec tantulum quidem non illi subjectos: Post hæc Photium Constantinopolitanæ Sedis invasorem, qui sanctissimum Ignatium expulerat, ab Ecclesia ejecit, & introduxit Ignatium. Quo jure? nimirum, quòd supra omnes habebat potestatem. Postea, cum sacer Ignatius ad Deum migrasset, & Imperatores multis, & frequentibus pro Photio urgerent precibus; nonnè Joannes post Nicolaum, & Adrianum Romanæ Ecclesiæ adeptus Imperium, in Patriarchalem sedem restituit, Pallium illi per Episcopum Paschasium mittens? Quid hæc omnia significant, Fratres, quàm maximum Romanorum Pontificum supra totam Ecclesiam principatum, & dignitatem &c. (& infra.) Vosque Romanorum Ecclesiæ Factorem, & verè Oecumenicum Patrem, & Doctorem atque Pontificem existimantes ipsum veneramini; & ut par est honorate.) Hæc, & alia plura Doctissimus, & piissimus Cardin. Bessarion Constantinopolitanus Patriarcha ad suos Græcos, illos exhortans ad Obedientiam sanctæ Romanæ Sedis, & ad susceptionem Florentinæ Synodi. Et hæc eadem est Apostolicæ Sedis de Primatus auctoritate à primis Ecclesiæ temporibus ad nostram usque ætatem nunquam interrupta traditio. Hæc est mens, hæc sunt oracula sanctissimorum Patrum, & œcumenicorum Conciliorum.

Qui plura de hoc articulo habere desiderat, præter à nobis superius præfata, videat allegatum Gennadium virum eruditum, & Constantinopolitanum Patriarcham cap. 5. per totum: & faxit Deus, ut Græci aliquando à falsa suasione resipiscant, & unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Matrem Ecclesiam recognoscant; ut fiat unus Pastor, & unum Ovile.

CAP. XCI.

De plurimis Græcorum Ritibus.

QUanquam plura fuerint supra discussa de statu Græcæ Ecclesiæ, nec non de pravis aliquibus dogmatibus, in quibus etiam in præsens schismatici Græci aberrant à vera Catholica Religione: superest scrutari de aliquibus eorundem Græcorum Ritibus, qui licèt à Latinis diversi, tolerabiles tamen existunt plurimi ex prædictis: & inde illud nos tentare aggredimur, si fortè Latinos ritus cum Græcis, sive

Græcos cum Latinis conciliare, conjungere, & consociare fas sit: quamquam in his, quæ periculum generant animarum, & ecclesiasticæ derogant honestati, Ritus Græcorum tolerandi omnino non sint. cap. fin. de Baptismo.

Et primò, de Forma Baptismi apud Græcos, nempe *baptizetur* (à me scilicet, vel per me: Hoc enim deest, sed necessario intelligitur) *Servus Dei N. seu serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Non enim dicunt Græci, *baptizetur*, deprecatoriè; sed imperativè, seu enuntiativè. Quocirca Concilium Florentinum in Bulla Armeniorum utramque formam commemorat, & approbat. Gabriel Philadelphiæ Antistes in Libello de Sacramentis, ubi agit de Forma Baptismi, duplicem reddit hujus rei causam. Alteram, quòd divina Scriptura etiam verbo passivo utatur, ut inquit Joannes ad Christum: *Ego debeo à te baptizari*, apud Matth. 3. non minus propriè enuntiant Græci, *baptizetur servus Dei*, &c. Alteram causam, quod Græci modestè de seipsis sentiant; & ad hoc probandum affertur Chrysost. homil. 1. in acta Apost. ponderans verbum illud, *baptizabimini*; ubi inquit: *Non dixit Christus: Vos verò ego baptizo in Spiritu sancto; sed, baptizabimini; nos docens, ut modestè de nobis sentiamus.*

Forma Baptismi apud Græcos.

Præterea reddenda etiam causa magis propria, cur Græci passivo verbo actum Baptismi promant? Non defuerunt enim in Oriente, ut etiam postea in Aphrica, qui pro Ministri meritis Baptismum meliorem aut deteriorem fieri crederent, hoc est, eum sua virtute baptizare, cæteraque administrare sacramenta arbitrarentur: & per consequens seipsos primarios quodammodo constituebant auctores, quos reprehendit D. August. in lib. Quinquaginta homil. serm. 23. ubi rationem reddit, cur Christus loquendo de Magdalena dixerit: *Dimittuntur ei:* & dum Pharisæi interrogarent; *Quis est iste, qui peccata dimittit?* Non responderit Filius Dei, Verbum Dei. *Medicus* inquit, *bonus ægros non solum præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, ego peccata dimitto; ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcunque baptizo.* sic Augustinus. Et nota, quod Augustinus non reprehendit Hæreticos dum dicerent, *Ego baptizo.*; sed in eo quod dicerent, *Ego sano quemcunque baptizo.* Et de hoc modo loquendi passivo in hac materia quasi modesto, Chrysost. homil. 38. in Joann. inquit: *Intuere modum loquendi Christi ab omni jactatione, & ostentatione alienum: Non enim dixit, sanum te feci; sed, sanus factus es; jam noli peccare: neque dixit, Ne te puniam; sed, Ne deterius tibi aliquid contingat: In neutro personam ponens, & ostendens, sanitatem potius tribuendam esse gratiæ, quàm meritis.* Non ergo mirum, si Græci Patres antiqui in formis sacramentorum Baptismi, Confirmationis, & sacrorum ordinum, non propriam personam, sed divinam exprimant gratiam. Nec in hoc reprehendendi Latini, qui tam de principali auctore Christo, quàm de ejus legitimo Ministro, quæ consona sunt rectæ & orthodoxæ fidei, semper senserunt, & docuerunt; ut propterea neque in hac lege loquutionis fuerint astricti: & de his late Arcudius, de Concordia Ecclesiæ orientalis & occidentalis lib. 1. cap. 8.

Quare autem in hoc Sacramento Baptismi corpus ter in aqua abscondatur? Respondet Cabasilas in Interpretat. Divini Sacrificij cap. 4. Quia Salvator,

qui & mortuus erat, & resurrexerat, novam suam vitam dum nobis quoque voluit impartiri: jussit nos etiam ex hoc magno dono ipsi aliquid offerre; nempe ejus mortem nos imitari, cum in Imagine, & pictura corpus in aqua tanquam in sepulchro abscondimus; tanquam jam mortis & sepulchri nos socios acceperit; & inde novam suam vitam voluit nobis retribuere.

De Liturgia.

Lubet aliquid hic etiam annectere de Ritibus in sacris Græcorum Liturgijs, maximè Jacobi Apostoli, Basilij, & Chrysostomi: Ut omnes cognoscant, quod non sit recens inventum Missæ sacrificium in Ecclesia Catholica frequentatum: quod unicè hoc tempore impugnant omnes Hæretici. Admonendi tamen sunt ij, qui hac divina fruuntur doctrina, nec non qui tremendæ & mysticæ victimæ participes fiunt; alienos esse omnes oportere à theatris, à comessationibus, scortis, & omnibus impudicitijs: quoniam hic Dominus adest, qui mentem cujusque metitur, & conscientiæ rationem habet, ubi Angelorum exercitus huic stupendæ assistunt mensæ. Hæc & similia pluribus in locis hortatur Chrysostomus. Officium hoc *Missam* Latini, Græci aptè & propriè *Liturgiam* nominant.

Oblatio panis & vini.

Ante sacrificium dona Deo offeruntur, tanquam humanæ vitæ primitiæ. Antiqui offerebant primitias fructuum, pecorum, vel armentorum: nos tanquam vitæ nostræ primitias hæc dona Deo consecramus, quæ sunt humanum nutrimentum, nempè quod ad solum hominem pertinet: confectione autem panis opus habere, ut comedat, & vinum conficere, ut bibat; est solius hominis proprium: & hæc quidem forma donorum oblationis. Quare autem hæc dona humanæ vitæ primitiæ sint? Dicimus, quòd ipse Christus jussit Panem & Vinum sibi offerri; dum ipse pro eis retribuit Panem viventem, & Calicem vitæ æternæ. Et quemadmodum Apostolis pro piscatione piscium reddidit piscationem hominum: & diviti, qui de regno interrogaverat, pro terrenis divitijs cœlestes divitias pollicitus est: ita contra hic, quibus vitam æternam Christus erat daturus, nempe vivificum suum corpus & sanguinem, eis offerre jussit ea, quæ brevis & momentaneæ vitæ causa sunt; ut pro vita vitam reciperemus, & pro temporali æternam: & nostri misericordia sit gloriæ retributio: Cabasilas in interpret. divini sacrific. cap. 4.

Præterea, panis propositionis sanctificatus indicat purgationem mundi, & eximias divitias bonitatis & clementiæ Dei: in eo quod filius Dei homo factus est, & seipsum proposuit hostiam & oblationem, & redemptivam propitiationem pro mundi vita, & salute: oblatus est, ut primitiæ, & holocaustum selectum Deo & Patri pro genere humano, ut ipse ait: *Ego sum Panis, qui de cœlo descendi*, &, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, de quo Hierem. *Venite & mittamus lignum in panem ejus:* Ostendens lignum Crucis, in quo Corpus ejus infixum est. Ita S. German. in Theoria Rer. Ecclesi.

Quare gloria Dei in principio Liturgiæ.

In principio verò Liturgiæ ante omnem orationem Sacerdos gloriam Dei celebrat, non semel duntaxat, sed personis distinctis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quia per incarnationem Domini primum didicerunt homines, tres esse personas: unde oportebat in procemijs prælucere, & prædicari Trinitatem.

Anti-

Antiphonæ sunt prophetarum prædictiones, prænuntiantes adventum Filij Dei ex Virgine super terram, & clamantes: *Deus noster super terram visus est, & decorem induit:* id est, incarnationem ejus manifestantes, quam nos suscepisse, & didicisse per ministros, & oculatos testes Verbi, Apostolos profitemur. Sciendum, initio omnis officij primùm V. Testamenti cantari psalmos, deinde novæ Gratiæ Cantica: cujus legislator natus extremis diebus oracula fudit; ut omnes intelligant, unum & eundem Deum ac Dominum esse, qui has & illas leges sancivit, Christus; ut inquit S. Germanus in Theoria.

Antiphonæ.

Peractis alijs observationibus, Sacerdos stans super altare in altum tollit Evangelium, & ostendit: Domini ostensionem significans, quando cœpit multis apparere. Per Evangelium Christus significatur, quemadmodum & prophetici libri dicuntur Prophetæ. Quia verò qui prædicitur, ostenso, & per se ipsum apparente; verbis prophetarum nemo vult attendere: Propterea ostenso Evangelio cessant prophetica. Canimus autem si quid est N. Testamenti; vel etiam Deiparam, vel alios Sanctos laudamus, vel ipsum Christum canticis celebramus, ob ea, quæ dum nobiscum versaretur, passus est, vel fecit. Deinde etiam ipsum, ut Trinitatem Deum decantamus, hymno quamvis Angelorum: Hoc enim, *Sanctus*, quod ter canitur: Illud verò, *Deus fortis & immortalis*, desumptum ex psalmo David, *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Hæc autem suscepisse, & illis conjunxisse, & supplicationem adjecisse, nempè *Miserere nostri*, est Ecclesiæ eorum, qui Trinitatem unum Deum, & sciunt & prædicant: partim, ut ostendatur V. Testamenti cum novo convenientia: partim, ut Angeli, & homines fiant una Ecclesia, & Chorus unus per Christi adventum, qui est supercœlestis & terrenus. Propterea, postquam est ostensum Evangelium, hunc hymnum canimus, propemodum clamantes, quod is nobiscum versatus, nos statuit cum Angelis, & in illo Choro posuit. Cabasilas in Liturgiæ expositione cap. 20.

Evangelii ostensio.

Trisagion.

Alleluja, Præco Evangelij vociferans, *Dominus venit*; vel, *Laudate, celebrate*, Alleluja clamat David, & ait: *Deus noster manifestè veniet, & ignis coram ipso præcedet.* Apparuerunt fulg[ura] Evangelistarum ejus orbi terrarum. Hebraica enim lingua est *Al*, venit, apparuit: *El, üia*, laudate & celebrate viventium Deum. *Aliter Al* Pater: *El* Filius: *üia* Spiritus sanctus. Aliter *Alleluja*, divinam laudem significat trifariam propter tribus personis distinctam Patris, Filij, & Spiritus sancti singularem Deitatem. S. Germanus in Theoria.

Alleluja.

Thuribulum statim defertur, quod humanitatem Christi subindicat. Ignis Deitatem: Odoratus fumus indi[cat b]onum odorem Spiritus sancti præcedentem: Incensum est fragrantissima lætitia.

Thuribulum.

Recti audiamus sanctum Evangelium, id est, erigamus mentes nostras cum operibus à terenis, & intelligamus bonorum declarationem.

Quatuor Evangelia sunt quatuor universales venti, juxta quadriformia animalia; duo sanè Cherubim illa, in quibus sedet universorum Deus: ex quibus constat seden-

Evangelii

ſedentem ſuper Cherubim Deum, & continentem hoc univerſum, patefactum dediſſe nobis quadriforme Evangelium; id eſt uno ſpiritu contentum. Quatuor enim facies habent: ac facies eorum imaginem referunt adminiſtrationis filij Dei. Primum enim animal Leoni ſimile eſt, denotans efficaciam ejus & principatum, & regnum. Secundum ſimile vitulo, ſacrificium, & ſacerdotalem Ordinem indicans. Tertium habens faciem hominis, adventum ejus ſecundum hominem manifeſtò præſcribens. Quartum ſimile Aquilæ volanti, ſancti Spiritus advolantem largitionem declarans. Igitur & Evangelia his conformia ſunt, in quibus inſidet Chriſtus: nam Aquila, quæ eſt ſecundum Joannem Evangelium, quem habet à Patre principatum ejus, & glorioſam generationem enarrat, inquiens: *In principio erat Verbum: & omnia per ipſum facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Quod factum eſt.* Taurus, qui eſt ſecundum Lucam Evangelium, cum ſacerdotalem ſpeciem præſeferat, à Zacharia ſacerdote Incenſum offerente incipit, inquiens: *Fuit in diebus Herodis ſacerdos quidam nomine Zacharias &c.* Matthæus verò in humanam ejus generationem concionatur inquiens: *Liber generationis Jeſu Chriſti: &c.* Hominis verò conformatione habet hoc Evangelium à Chriſti Nativitate. Leonis ſpecie Marcus à prophetico Spiritu ex alto adveniente hominibus initium fecit, inquiens: *Initium Evangelij Jeſu Chriſti, ut ſcriptum eſt in Prophetis; Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* His vero ſic ſe habentibus, imperiti & temerarij ſunt omnes, qui abrogant ideam Evangelij, & ſive plures, ſive pauciores, quàm quæ dictæ ſunt, circumferunt Evangeliorum facies.

Catechumeni. Poſt divinorum Evangeliorum lectionem, preces & petitiones interim fiunt, pro ipſis Catechumenis, fidelibus, & ipſo Pontifice. D. Auguſt. ſerm. 137. de Tempore; *Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.* Quibus expletis Diaconus tribus vocibus clamat. *Quicunque Catechumeni recedite.* Catechumeni & nondum admiſſi ad Chriſti myſteria foras migrant; quoniam ad ſacrificium proceſſurus ſacerdos nefas eſt intereſſe illos, qui non ſunt myſteriis initiati, Cabaſilas in Liturgia cap. 23. & de his nos diximus ſupra cap. 20. Hinc Chryſoſt. in Matth. homil. 24. *Myſteria clauſis januis celebrantur, ut eos, qui nondum initiati ſunt, adeſſe prohibemus: non quia infirmitatem aliquam myſteriorum eſſe deprehendamus, ſed quia ad participationem eorum, illi adhuc quos arcemus, infirmi ſunt.* Et idem D. Chryſoſt. homil. 4. in Matth. *Ut inter fideles infideleſque diſtinguas, ſolo celebrandi myſterii tempore dignoſci poſſunt, dum videlicet alios excludi videris, alios vero intus teneri.*

Offertoriū Sacrorum ad ſanctam Menſam depoſitio ſepulturam deſignat, & reſurrectionem, & illinc aſſumptionem: meritò ſancti Patres ita perfici hæc & offerri cenſuerunt. Ablutio manuum innuit nobis ſacerdotibus, puri conſcientia, mente & cogitatione, quæ ſunt manus animarum noſtrarum, cum timore & manſuetudine, & clementia omni accedamus ad ſanctam Menſam. Et diximus nos ſupra cap. 10. ubi de Offertoriis.

Manuum ablutio. Manuum Ablutio indicat, ut Sacerdos à peccatis ſit mundatus. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 5. Myſtig. Vidiſtis igitur aquam manibus Diaconum porrigentem ſacer-

ſacerdoti, & illis, qui circum altare Dei ſtabant Presbyteris: num ideo prorſus dabat, ut ſordes corporis abluentur? nequaquam: ſed illa manuum ablutio ſymbolum eſt oportere nos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari: non de auditis David myſteria iſta tractantem & dicentem. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine.*

Januarum Clauſio. (ut mos eſt Græcorum Liturgia,) & ſuper has Veli, ſeu Cortinarum explicatio, quod aër appellatur: Divinorum velatio noctem indicat illam, in qua diſcipuli proditio proceſſit; & ad Caipham & Annam abductio & alia, quæ tunc contigerunt: Quam ob rem hoc velamen *Aër* nominatus eſt, quia occultatus ab eo tenebroſus aër dictæ noctis, deſignatur. Sublato aëre & velo contracto, januisque apertis, tempus matutinum illud innuitur, quando poſt mortem & ſepulturam reſurrexit: ac etiam manifeſtata ſunt nobis & revelata omnia antiquæ legis arcana. Vel etiam dicas ex velo amoto Cœli aperitionem denotari D. Chryſoſt. in cap. 1. ad Epheſ. homil 3. his verbis. *Quando autem precamur pariter omnes: dum vides vela ſublata, tu cogita cœlum ipſum reſerari, Angelosque deſcendere.* Velum dicitur etiam propter Apoſtolum inquientem: *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Jeſu Chriſti, quam renovavit nobis viam ſalutis novam & viventem per velamen*: id eſt, per carnem ſuam. S. Germanus in Theoria.

Velum.

Deinde progreditur Sacerdos cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, cum veraci corde, conferens ſermones cum Deo, non jam per nubes, ut aliquando Moſes in Tabernaculo Teſtimonij, ſed revelata facie gloriam Domini oculis cernens: ac ſanctæ Trinitatis divina cognitione & fide initiatur. Deinde populus vice Cherubicarum virtutum, & quadriformium animalium clamabat, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; i.e. ter Sanctus: & unus Deus virtutum: ſingularis, natura in Trinitate.

Flabella, quæ ſuper ſacrificio tenent in manibus Diaconi Græci, ut in Liturgia D. Baſilij, de quibus nos diximus ſupra etiam in cap. 35. Hæc inquam indicant Seraphim ſex alis prædita, & multi oculorum Cherubim effigiem. Dicimus igitur ſemper & inſeparabiliter adfuiſſe virtutes cœleſtes unà cum Domino Chriſto: præcipuè verò in nocte, qua traditus eſt: Eæ verò cernentes in Chriſtum execrationes, colaphorum inflictiones, ludibria Judæorum, aliaque omnia tremenda: admirantes & ſtupentes in ſingulis, quæ fiebant longanimitatis & patientiæ magnitudinem: velantes ſuas facies ſe avertebant; & iterum Domini majeſtatem reverentes, ad ſe redibant; id autem faciebant uſque ad ejus in Cruce exaltationem, quæ gloria potius eſt, ac non dedecus: hæc enim eſt initium operationum, & virtutum divinarum; hinc terræmotus, trium horarum tenebræ, veli & petrarum diſruptio, monumentorum patefactio & mortuorum reſurrectio, & alia quæcunque. Itaque, per hujusmodi Flabella, contegi alarum compage id quod Deitatis ignotum eſt & occultum, indicatur, refert S. Germanus in Theoria.

Flabella.

Elatio autem in altum venerandi corporis repræſentat Crucis elationem, & mortem in ea, & ipſam reſurrectionem. Quod autem Sacerdos ter faciat in aëre ſignum Crucis cum venerabili, & vivifico pane, innuit Sanctiſſimæ Trinitatis

Elatio.

mysterium: passus est enim Filius, & sermo Dei, beneplacito coæterni Dei, & Patris, cooperatione Spiritus sancti Ex S. Germano in sua Theoria. Unde D. Chrysost. homil. 60. ad Antioch. Popul. inquit. *Cum ergo Sacerdotem videris offerentem non ut Sacerdotem putes hoc facientem, sed invisibiliter Christi manum extensam.*

Sancta Sanctis.

Quoniam non absolutè omnibus Sacramentorum communio est licita, ipse Sacerdos quoque non omnes vocat: sed vivifico pane accepto, & ostenso, eo qui digni sunt ipsius participes futuri, vocat & ait: *Sancta Sanctis.* Propemodum dicens: Ecce panis vitæ, quem videtis. Accurrite ergo, participes futuri, sed non omnes; sed si quis Sanctus. Sancta enim Sanctis solum permittuntur. Sanctos autem hic non dicit virtute perfectos, sed quicunque ad illam tendunt perfectionem, sed nondum sunt assequuti; etenim eos nihil prohibet Sanctorum effectos mysteriorum participes, sanctificari: & Apostolus scribens ad universum populum, inquit: *Fratres sancti vocationis supercœlestis participes*, donec ei conjuncti sumus, aptamque compagem & connexionem servamus, vivimus, vitam & sanctificationem per sacramenta ab illo capite, & corde trahimus; postquam autem abscissi fuerimus & à sanctissimi corporis integritate exciderimus, frustra sacra mysteria gustamus, nec enim transmittetur vita ad membra mortua & abscissa. Et ideo cum clamavit Sacerdos; *Sancta Sanctis*, fideles contra exclamant. *Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris.* De quibus vide Cabasilam cap. 36.

Oratio Dominicalis.

Dicitur in Missa Oratio Dominicalis: ut D. Hieronym. lib. 3. adversus Pelagium inquit. *Sic enim Christus docuit Apostolos suos, ut quotidiè in corporis illius sacrificio, credentes audeant loqui Pater noster, qui es in cœlis, &c.* Et Cyrillus Hierosolym. Catech. 5. inquit. *Deinde dicitis illam orationem, super propitiationis hostiam, quam Salvator discipulis suis tradidit, cum pura conscientia Patrem nuncupantes Deum, atque dicentes Pater noster, qui es &c.*

Osculum Pacis.

Peracta Dominica oratione Osculum pacis præstatur Cyrill. Hierosolym. Catech. 5. inquit. *Deinde clamat Diaconus: osculemini vos invicem: atque tunc mutuo nos osculo salutamus; non hoc ita accipias quasi osculum illud sit ejusmodi, quale in foro inter communes amicos esse consuevit, sed hoc osculum animas mutuo conciliat, & omnis iniuriæ oblivionem illis spondet.* & D. Chrysost. lib. 1. de Compunctione cordis. *Osculum pacis porrigere tempore quo afferuntur munera in usu est: sed vereor ne plures ex vobis labiis tantum hoc faciant, cum Christus non ex ore sed ex corde pacem desideret & affectu velit proximum, non labiis salutari.*

Fractio Panis.

Ex hujusmodi Panis fractione immensus Christi amor ostenditur. Chrysost. 1. ad Corinth. homil. 24. ait. *Sed quare addit Paulus Panem scilicet, quem frangimus? hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minimè, sed omnino contrarium: os enim ejus (inquit) non conteretur: sed quod in Cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te sustinet, ut omnes satiet.*

De ritu ferventis aquæ in Calice.

Præter vinum & aquam frigidam, quæ à principio sacrificij in Calice miscent, ac temperant; infundunt Græci etiam aquam ferventem in Calicem, peracta jam consecratione, immediatè ante Communionem. Et quamvis Balsamon in responsione 18. ad quæ-

ad quæsita Marci Patriarchæ Alexand. velit id fieri ad demonstrandum, quod sanguis & aqua, quæ fluxerunt è sancto latere Salvatoris tempore passionis ejus, vivifica esse constet, quæ ferventia effluxerunt, quod etiam retulit. S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, qui floruit anno 730. in Theoria Liturgiæ: sed quod ex vivo latere effluxerint, sano modo intelligendum (nam ex D. Jo. post emissum spiritum unus miles lancea latus ejus aperuit) & vivum latus appellat propter Divinitatem: Quare non ex vivo, sed veluti ex vivo corpore manasse dicendum est: miraculosè enim ex mortuo corpore veluti ex vivo sanguis & aqua effluxerunt: estque hoc modo triplex miraculum: quod ex mortuo corpore, quòd sanguis & aqua, & ea calida, effluxerint. Et ita immerito Græcos à Latinis reprehensos, voluit Arcadius de Concordia Ecclesiæ occidentalis & orientalis lib. 3. cap. 39. Voluit Angelus Roccha in Libello de solenni Communione summi Pontif. quæst. 5. Per aquam calefactam vino mixtam Populum charitate ferventem, atque ad martyrii passionem præparatum significari posse, ut in Apocal. cap. 3. & 17. Hinc, ut inquit Papias, Calix potionem calidam, vel Passionem; vel Hieronymo teste, mortificationem carnis, seu animum ad martyrium semper paratum significat: sive ut Origeni placet, passionem dolorum, aut martyrij, quod sine Igne, & fervore charitatis esse non potest. Quem profectò fidei, vel charitatis fervorem, ut videre est in Missa SS. Basilij & Chrysostomi, insinuant Græci, dum aquam calidam calefactam, seu fervidam vino jam consecrato adjungunt. Cæterum, circa prædictum Græcorum Ritum Innocentius Papa IV. in Bulla ad Legatum Regni Cypri in Registro Bullarum Pontific. sui anno 11. super Ritibus Græcorum, qui tolerari, vel tolereri non possint, num. 7. inquit *Porro in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, sive tepidæ, in Altaris sacrificio suam, si velint, consuetudinem Græci sequantur; dummodo credant & asserant, quod servata Canonis forma conficiatur pariter de utraque.*

Communio. Quid maximè in Communione agendum? Chrysost. homil. 83. in Matth. inquit. *Christus gratias egit, antequam discipulis daret, ut etiam à gratiarum actione incipiamus: posteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut & nos similiter faciamus.*

Communio puerorum. Communicare pueros & infantes; fuit antiquus usus in usu etiam in occidentali Ecclesia, ut refert Clemens Rom. lib. 8. Constitut. Apostol. cap. 20. sed potissimum hoc etiam in præsenti servatur apud Græcos, ut pueris porrigant Eucharistiam; cum isti propter innocentiam nullum ponant, neque possint ponere obicem, unde Sacramentum illis infallibiliter conferat gratiam: Quod miraculo comprobatum est Costantinopoli tempore Justiniani Imp. refert Evagr. Ecclesiast. hist. lib. 4. cap 35. & Nicephorus lib. 17. cap. 25. Verum est etiam, veteres Latinos aliquando communicasse infantes, sed sub una specie tantum; nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini, cum non possint illi solidum cibum sumere. Hugo de sancto Victore de Sacram. lib. 1. cap. 20. D. August. epist. 23. ad Bonifacium, & idem epist. 107. quæ consuetudo non solum in toto oriente, & alicubi in occidente approbata priscis temporibus: Postmodum crescente numero Fidelium, & refrigescente charitate, cum minori cura, ac diligentia Sacramenta administrarentur, magis ac decentiam, & reverentiam

rentiam sacramenti expedire visum est, si parvulis ante usum rationis sacramentum denegaretur, quam si aliquali utilitati eorum provideretur. Quocirca si vellent Græci se in hoc conformes reddere Romanæ Ecclesiæ, melius facerent, quàm si persistant in antiqua eorum consuetudine, ut inquit Arcudius de concordia Ecclesiæ orientalis & occidentalis lib. 3. cap. 40. quod etiam damnat Pius Papa V. in Brevi anno 1564. 16. Febr. impresso apud Quarantam in summa Bullarij pag. mihi 267.

Communio sub specie vini tantum

Non solum apud priscos Græcos Patres fuit retentus usus se communicandi sub unica specie Panis; verum etiam urgente necessitate conferebatur Eucharistia sub unica specie vini tantum: Nam & pueris post Baptismum conferebatur Eucharistia sub specie vini tantum, ut diximus supra. Ac etiam Eucharistia sub specie vini dabatur interdum ægrotis, qui præ morbi vehementia panem consecratum deglutire non poterant: ut Lindanus ex Concilij Carthaginensis Decreto lib. 4 Panopliæ Evangelicæ cap. 56. his verbis. *Quare videre est, tunc unius speciei communionem fuisse nonnullis etiam magni nominis Ecclesiis, etsi non omnibus nec toto orbe solenniter usitatum. Quid quod alicubi videre est, fuisse interdum ægrotis sacram administratam Eucharistiam sub una Vini specie, cum Panem sacrum non possent præ morbi vehementia sumere aut deglutire.* Hæc Lindanus. Verba verò Concilij Carthaginensis 4. cap. 76. & 26. quæst 6. is qui cap. 8. hæc sunt. *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrænesin versus fuerit; dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Ita phræneticis morituris sub vini specie Eucharistia dabatur. Quod etiam ex Concilio Toletano sancitum: nec mirum; quoniam sub qualibet parte Hostiæ consecratæ, & qualibet vini consecrati, totus est Christus. Ut ex Concilio Florentino de Sacram. Eucharist. Quod etiam refert Arcudius de Concordia Ecclesiæ orientalis & occidentalis lib. 3. cap. 40.

Communio infirmorum.

Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam, usq; ad annum prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, quasi majoris efficaciæ: non reservent; liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, & per quindecim dies, & non longiori temporis spatio conservare, nec per diuturnam reservationem reddatur minus habile ad sumendum. Ut in Bulla Innoc. IV. super Ritib. Græcor. relata in summa Quarantæ pag. 265. n. 8. & fuit etiam supra dictum c. 13. & propterea talis abusus graviter reprehenditur à Divo Ambrosio lib. 5. de Sacrament. cap. 4.

Sacramentum pœnitentiæ.

In casu necessitatis presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere, dummodo utantur forma præscripta in Concilio Florentino; & postea, si voluerint, dicant orationem deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Matrimonium.

Tollendus Græcorum abusus ubi est, ut vir atque uxor simul, & eodem tempore eidem Presbytero confiteantur. Ita ex Brevi Clementis Papæ VIII. anno 1597. impresso in summa Quarantæ pag mihi 261.

De sacra-

Presbyteri Græci Baptizatos chrismate in fronte non consignent; Et soli Episcopi consi-

consignant chrismate in fronte Baptizatos, ut in Bulla Innocentii IV. de Ritibus Græcorum. Episcopi Latini infantes, seu alios Baptizatos à Presbyteris Græcis de sancto Chrismate in fronte consignatos, confirment: & tutius videtur, ut cum cautela, & sub conditione id faciant (nempe; *Si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego te consigno signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.*) Præsertim, cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati. Ut ex Brevi Clementis Papæ VIII. super aliquibus Græcorum Ritibus, impresso in Bullario Quarantæ.

Singuli Episcopi in suis Ecclesiis in die Cœnæ Domini possunt secundum formam Ecclesiæ Chrisma conficere, ex Balsamo quidem, & oleo Olivarum: nam Spiritus sancti donum in Chrismatis unctione confertur. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius servare voluerint, videlicet quod Patriarcha unà cum Archiepiscopis, & Episcopis ejus suffraganeis: & Archiepiscopi simul cum suffraganeis suis simul Chrisma conficiant in tali eorum consuetudine tolerentur, ut in Bulla Innocentii IV. super Ritibus Græcorum: de qua in summa Quarantæ pag. mihi 264. num. 5.

Sacramento ordinis.

Ordinati ab Episcopis schismaticis, aliàs ritè ordinati servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem. Proinde ordinati ab Episcopis schismaticis, correcti, vel emendati reconciliandi sunt, & absolvendi cum pœnitentiis salutaribus, dummodo errores vel saltem schisma ordinatoris abjurent in judicio, vel publicè, vel secretò pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias ritè susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super Irregularitate hujusmodi occasione contracta auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi schismatici, sive pro ordinibus, sive pro aliis sacramentis conferendis, sed detinendi quo ad sancta Sedes Apostolica desuper consulatur & responsum habeatur.

Græci sine litteris dimissoriis Episcopi Latini Diocœsani ad sacros Ordines promoti, suspensi sunt; etsi suspensi suis ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut & Latini. Super hujusmodi autem & similibus irregularitatibus, dispensandi facultatem à sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in Baptismo Chrismate in fronte de facto fuerit consignatus; debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, *Nisi es confirmatus, &c.* Ita ex Brevi Clementis VIII. Papæ super Græcorum Ritibus ann. 1597. relato in summa Quarantæ pag. 261.

Episcopi Græci septem ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum huc usque tres de minoribus circa Ordinandos neglexisse dicantur: illi tamen qui jam sunt taliter ordinati, per eos tolerentur, ut in Bulla Innocentii IV. super Ritibus Græcorum, in summa Quarantæ pag. 265. num. 19.

Animarum cura.

Nunquam Monachis Græcis, seu Calogeris, animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia justa causa.

Presbyteri seculares Græci, abjuratis schismate, & erroribus, atque in fide Catholica bene instructi, in Parochialibus, seu Curatis Ecclesiis Græcorum instrui

 possunt.

possunt. Ex Brevi Clementis Papæ VIII. super Ritib. Græcorum ann. 1597. impresso in summa Quarantæ pag. mihi 262.

Sacerdos quoque Conjugati, & alii, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licitè & liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsique pœnitentiam injungere pro peccatis; Ut ex Bulla Innocentii IV. super Ritibus Græcorum impressa in summa Quarantæ pag. 265. n. 16.

In sacramento Ordinis utrum sola manuum impositio sit sufficiens materia in Ecclesia Græca absque unctione, porrectione Calicis, & aliorum instrumentorum, sicut mos est in Ecclesia Latina. Articulis de Concordia Ecclesiæ occidentalis & orientalis lib. 6. cap. 7. quamvis in utraque Ecclesia velit solam manuum impositionem sufficientem esse materiam: nihilominus, quoniam satis ardua est quæstio: & hic Romæ annis præteritis jussu summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. plures fuerunt super hoc articulo habitæ Congregationes: Nihil in hoc firmabo.

Diaconissa apud Græcos.

Diaconissarum munus jam diu apud Latinos cessavit. Apud Græcos de prædictis Ritus recensentur à Matthæo Blastario in suo Nomocanone, ubi ita scribit: *Vetusti sane libri, qui Ceremonias omnium ordinationum complectuntur, etiam annos ætatis, quotus esse oporteat Diaconissæ præscribitur; scilicet quadragesimum; Et habitum Monachalem, & eum quidem perfectum, & institutum vitæ, quod nimirum deceat eam cum viris virtute præstantibus certare. Præterea ea omnia peragi in ejus initiatione exceptis paucis tradunt, quæ & in Diaconorum solent. Quippe ad sacram mensam adducta, pallio Pontificis contegitur, extremitatibus Pallii à parte anteriori Pontificis pendentibus, ac prolatis illis verbis, Divina gratia, quæ infirma sanat: neutrum pedum ad genu flectat: sed tantum caput inclinat; impositaque illi manu Pontifex precatur, ut sine reprehensione ministerii opus perficiat, castitatem atque perfectam conversationem sectetur. Ac ita sacris ædibus assidua præsto sit. Non autem permittit ei immaculata administrare Eucharistiæ mysteria; nec Flabellum in manu ipsi tradit, ut fit in ordinatione Diaconi sed Stolam Diaconorum subter Pallium Pontifex collo ejus imponit, deductis extremitatibus Stolæ ad partem anteriorem. Tempore vero Communionis post Diaconos divinorum mysteriorum participem efficit. Quæ accepto Calice ex manibus Pontificis impertit nemini, sed continuò ipsum Altari sacro imponit.* Hæc Matthæus. Circa prædicta docet Turrianus, quod impositio manuum Diaconissæ non eximat eam ex ordine Laicorum: accipitur enim impositio pro benedictione. Unde potius abusus Græcorum erat, si qui solita forma verborum, quæ sacris ordinibus convenit, Diaconissam consecrabant; imò ipsi permittere ingredi Sanctuarium minus licebat, ex Can. 44. Laodicens. & multo minus tangere Calicem. Omnium verò minimè fas erat accedere ad sacram Aram intra Sanctuarium & ibi sacris initiari: & ita latè refert Arcudius de Concordia Ecclesiæ orientalis & occidentalis lib. 6. cap. 10. Sicuti nec permissum mulieribus Græcis servire ad Altare, sed ab illius ministerio repellantur omnino, ut in Bulla Innoc. IV. super Ritibus Græcorum apud Quarantam in sua summa pag. mihi 265. n. 14.

Quam-

Quamvis Matrimonium sit indissolubile, ut quos Deus conjunxit, homo non separet. Fuit tamen Græcorum erronea opinio, in causa fornicationis dirimi matrimonia, etiam quo ad vinculum, & omni ex parte solutionem, & ita intelligunt illud Evangelium Matth.19. & plurimas in hoc rationes adducunt nempè: si Matrimonium sit inter Infideles & alter eorum efficiatur Fidelis, potest solvi etiam quo ad vinculum: cur igitur non in causa fornicationis? Ac etiam spiritualis fornicatio separat sponsum à sponsa; ita ut sponsus valeat aliam sibi deligere, cur hoc non admittatur in carnali conjugio? cum in carnali sit spiritualis significatio. Sed contra opinionem Græcorum est textus Rom.7. illamque opinionem diffuse impugnat etiam Græcus Arcudius de Concordia Ecclesiæ orientalis & occidentalis lib.7. cap.5. cum seq.

Matrimonium.

Ideoque Clemens Papa VIII. in Brevi de Ritib. Græcorum ann.1597. impresso in summa Quarantæ pag. mihi 262. decrevit, ut Matrimonia inter conjuges Græcos dirimi, seu divortia quo ad vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur; etsi quæ de facto processerint, nulla & irrita declarent.

Maritus Latinus uxoris Græcæ ritum non sequatur. Latina uxor non sequatur ritum Mariti Græci. Quod si fieri non possit, quisque conjugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi prævaluerit mater Latina.

Presbyter Græcus conjugatus ante sacrum sacrificium, seu sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum, abstineat ab uxore. Ita in dicto Brevi Clem. VIII.

Lubet hic referre de ceremonia poculi vino pleni, quod Græcorum Presbyter solet exhibere sponso, & sponsæ, dum eos in matrimonium conjungit. Cujus institutio forsan processit; Quoniam illud poculum, Eucharistia percepta, ablutioni potissimum inservit; simul etiam communiorem vitam conjuges inter se acturos significat. Igitur absolutis sponsalibus, si voluerint simul etiam coronari, hoc est solenniter matrimonium contrahere, ingrediuntur templum accensis cæreis, præeunte sacerdote cum thuribulo, ac suffimentis, & recitante Psalmum 127. Unde in Euchologio vetustissimo, quod asservatur in monasterio Cryptæ ferratæ, sic habetur: *Et postquam venerunt ante sanctuarium, manus non amplius tenent consortes, sed stant præ sacris foribus. Repositum est autem supra divinam mensam poculum habens præsanctificata, & coronæ duæ, item poculum vitreum vini plenum, Diacono dicente: In pace Dominum deprecemur.* & infra in m. f. *At tenens poculum (hoc est Calicem) Sacerdos dicit, præsanctificata sancta sanctis: & eos participes efficit communionis: deinde recitat consequentem orationem. Deus qui omnia fecisti.* Qua finita oratione, & ter exhibita ablutione in m. f. restituit poculum alicui, vel sicut nonnulli faciunt, frangit. Ubi per poculum intelligit vitreum, non autem Calicem, ubi erat Communio præsanctificata. Hæc de ceremonia, ex antiquis Euchologiis. Et notandum obiter, unicam speciem præsanctificatam sponso, & sponsæ distribui solitam fuisse. Quippe poculum vitreum vino minime consecrato plenum ablutioni eorum inserviebant. Cæterum quoniam bigamos non communicabant, imo in signum incontinentiæ, anno in-

De ritu Græcorũ in matrimonio.

tegro à communione abstinere jubebant; idcirco postea fortassis eum modum dandi poculum invenerunt, qui Bigamis inserviebat, ut voluit Arcudius de Concordia Eccles. orient. & occident. lib. 7.

De Conjugio Græcorum in sacris ordinibus.

Græcis, sive Latinis, sacris ordinibus initiatis, nunquam permissum fuit matrimonium inire Can. 51. quis eorum distinct. 22. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 28. num. 3. quod etiam ab initio nascentis Ecclesiæ prohibitum fuit; ut in Can. 27. Apost. ibi; *Qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores & Cantores tantummodo.* Et semper apud Græcos fuit irritum matrimonium contractum post ordines sacros, Azor, & Sanchez dict. num. 3. Quin imo ut Græcus sacris ordinibus post conjugium initiatus, non possit valide uxore mortua ad alias nuptias transire; ut post Azorium Sanchez allegatus num. 4.

Ea vero est differentia inter Græcos & Latinos in sacris ordinibus constitutos: Quod illis licuit post conjugium ad sacros ordines ascendere, & uti matrimonio ante contracto: quod Latinis est interdictum; ut constat ex capitulo cum olim, de Cleric. conjug. & cap. Syracusanæ 28. distinct. & Græcis quidem concedebatur usus matrimonii ante Ordinem initi, præter id tempus, quo altaris ministerio deservire, vel consuetudine, vel lege debent. Sanchez, ubi supra num. 5.

Sacerdotes Græci utentes matrimonio ante ordines inito, minime peccant, cap. aliter distinct. 31. cap. cum olim. de Cleric. conjug. cum aliis; quos refert, & sequitur Sanchez allegatus num. 6. Et de hujusmodi Græcorum Ritib. vide quæ etiam refert Arcudius de Concord. Eccles. occident. & orient. lib. 7. cap. 40.

De ritu extremæ unctionis.

Mos est orientalis Ecclesiæ septem convocare Presbyteros, qui extremam unctionem ægrotis administrent. Septem autem Presbyteros, quos Græca exigit Ecclesia, sive propter septem peccata mortalia, sive propter mysterium Jubilæi, sive propter septem dona Spiritus sancti, sive propter septem Sacerdotes, qui divino jussu circumvenientes urbem Jericho septies tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt; ut etiam hic septem Sacerdotes malitiæ urbem, duraque mœnia altitudinum peccati demoliantur. In necessitate autem etiam tres Sacerdotes apud Græcos sufficiunt, propter potentiam Trinitatis. B. Thomas lib. 4. contra Gentiles cap. 83. inquit: *Quia hoc sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ; competit huic sacramento, ut multi sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus sacramenti coadjuvet.* Unde Jacobus dicit: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & Oratio fidei sanabit infirmum.* Si autem unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister, & cujus personam gerit, & repræsentat. Arcudius de Concord. Eccles. occident. & orientalis lib. 5. cap. 3.

De partibus corporis, quas ungunt Græci: convenit inter Græcos & Latinos, Unctionem sacram solitam fieri ad expiandos, & sanctificandos sensus, per quos delinquimus. At verò in modo ungendi aliquo modo differunt inter se; Latini quidem in viris expresè ungunt oculos, aures, nares, os & manus propter quinque sensus; deinde renes, ubi sedes concupiscentiæ; & tandem pedes ob vim progressivam: in fœmi-

fœminis ratione honestatis renes non unguntur. Græcorum vero Sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videatur Unctio ad modum Crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes. Arcudius de Concordia Ecclesiæ occidentalis & orientalis lib. 5. cap. 7.

Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta præter Chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere; cum hujusmodi olea, nempè Catechumenorum, & Infirmorum, ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo (etiam juxta eorum ritum,) benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Episcopis Græcis externis Schismaticis, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti. Uti in Brevi Papæ Clementis VIII. de Ritibus Græcorum ann. 1597. ut in summa Quarantæ pag. 261.

Olea sancta.

Græci in Unctionibus, quæ circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant & observent. Ritus verò, quem habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel removeri non potest, cùm sive fiat, sive non, quantum ad Baptismi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur. Ut in Bulla Innocentii IV. Papæ super Ritibus Græcorum impressa in summa Quarantæ pag. 264. num. 1. & 2.

Græci inter cæteros ipsorum Ritus, aquam solenniter in festo Epiphaniæ purificant, & in Ecclesiæ vestibulo vase marmoreo clausam totum conservant anno, febricitantibusque concedunt tanquam febris expultricem. De quo ritu servari solito etiam à Monachis Græcis Cryptæ ferratæ in Agro Tusculano, refert Pius Papa II. in suis Commentariis lib. 11. Quod inductum credo, quoniam Christus ea die tripliciter est nobis manifestatus gratia Spiritus sancti (cujus symbolum est Aqua) unde Patres Græci sanitatem ægrotis dicta aqua concedebant.

De aqua benedicta

Et Clemens VIII. Papa in Brevi anno 1597. super Ritibus Græcorum, de quo in summa Bullarii per Quarantam pag. mihi 261. inquit: *Aqua ex Ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die mensis benedicta, conservetur in Ecclesia, ut illa fideles aspergantur.*

Missam celebrare non præsumant Græci, nisi prius compleverint officium matutinale. Ut ex Bulla Innocentii IV. super Ritibus Græcorum in summa Quarantæ pag. 245. num. 11.

Missæ ritus apud Græcos.

Præterea dignum scitu est, quòd Quadragesimali tempore Græci Missarum solennia, exceptis Sabbato, & Dominica, minimè celebrant; sed præsanctificatis (sicut nos in die Parasceves) utuntur; ut nos diximus etiam supra in cap. 9. de antiquis Missæ Ritibus.

Abusus Græcorum, qui Latino more; ut quoque Latinorum, qui Græco Ritu Missas, & alia divina officia celebrabant; fuerunt omnes revocati, non obstantibus quibuscunque licentiis etiam à Sede Apostolica concessis; ut in Bulla Pii V. Papæ ann. 1566. XIII. Kal. Septemb.

Notandum tamen in proposito, ut D. Gregor. Magnus, nisi fortè alius quispiam ante illum, induxerit in Romana Ecclesia in gratiam Græcorum ad Synaxin confluentium, lectiones, quæ solent statis aliquot diebus Latinè simul & Græcè auditoribus recitari. Ut in hunc usque diem in Festo Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Resurrectionis, & SS. Apostolorum Petri & Pauli Epistola & Evangelium Latinè & Græcè cantatur in solenni Missa Romani Pontificis. Ut notatur in Annotatione Liturgiæ S. Petri Antuerpiæ impressa ann. 1589.

De Presbytero concelebrante cum Episcopo.

Est consuetudo Græcorum Presbyterorum, qui sæpenumero etiam extra ordinationem cum Episcopo concelebrant. Quod non improbatur à simili consuetudine Latinorum, quando conferuntur sacri ordines: & refert Innoc. de Myster. Missæ, usitatum fuisse aliquando in Ecclesia Romana, ut interdum Cardinales simul cum Pontifice consecrent. Verum quia apud Latinos auctores graves, multi præsenti consuetudini minus favent; ideò diligentiùs hoc examinandum est. An plures Sacerdotes possint eandem hostiam consecrare; ita ut quisque consecret totam hostiam? Et communis sententia Theologorum in 4. dist. 13. quod possint plures id conficere, si omnes simul proferant & finiant verba consecrationis. Sed quæritur secundo: An omnes consecrent, si unus in proferenda forma alterum antecedat? Et opinio probabilior videtur, tunc non consecrare omnes, sed eum qui prius dixit formam consecrationis; cæteros verò nihil efficere, etiam si sit Episcopus, qui Presbyteros ordinet. Durand. dist. 13. quæst. 3. Cajetanus part. 3. quæst. 82. art. 2. Sotus dist. 13. quæst. 1. art. 2. Nam qui primus protulit, sive sit Episcopus, sive sit Sacerdos, consecrat; modò tunc habuerit intentionem consecrandi. Quod si non habuit intentionem consecrandi præveniendo Episcopum, tunc non consecrat, sed consecrat Episcopus; sed ipse Sacerdos, qui anticipavit, nihil facit, & ita refert Arcudius de Concordia Ecclesiæ occidentalis & orientalis lib. 6. cap. 11.

Tolerandus est apud Græcos usus carnium die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest; in locis tamen ipsorum & inter ipsos tantum.

Iejunium & abstinentia.

Item tolerandum est, ut ad Jejunium eadem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato sancto, ex antiqua traditione non teneantur; sed duntaxat ad abstinentiam. Ut in bulla Innocentij IV. super Ritibus Græcorum.

In jejuniis biduanis, vel triduanis, vel alia à Diœcesanis, vel in Jubilæis à summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus in alium diem pro plebibus Græcis, ab ipsis Diœcesanis Apostolica auctoritate sanctissimi D. N. Clementis VIII. permittitur commutari.

Si ipsi Græci ad observationem Jejuniorum & Vigiliarum Latinæ Ecclesiæ induci possent, optimum esset; sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta & sexta jejunent. Ut ex brevi Clem. VIII. super Ritibus Græcorum anno 1597. relato in summa Quarantæ pap. 263.

Non genu flectere.

Stare, & non genuflectere die Dominico Resurrectionis, ut mos Græcorum est, significat lapsuum nostrorum erectionem factam per triduanam Christi Resurrectionem. Non flectere genu ad Pentecosten usque, est septem dies post san-

ſanctum Paſcha in ſeptem multipticatos contineri dies Pentecoſtes. Nam ſepties ſeptem quadraginta novem, & Dominico addito quinquaginta. Sanctus Germanus in Theoria pag. 2.

Humerale Pontificis. Humerale Græci Pontificis ad exemplum Stolæ Aaron, quam geſtabant Legales Pontifices, ſudariis longis lævo humero circumponentes, ad ſignificandum jugum mandatorum Chriſti. Humerale autem, quo Epiſcopus circundatur, ſignificat ovis pellem, quam errantem cum Dominus inveniſſet, ſuper ſuis humeris aſſumpſit, & cum ijs, quæ non erraverant, recenſuit. Habet autem & Cruces, quia Chriſtus ſuper humero ipſe quoque geſtavit Crucem ſuam. Præterea, qui volunt ſecundum Chriſtum vivere, ſuper humeris tollunt Crucem, id eſt, afflictionem; ſymbolum enim afflictionis Crux eſt. S. Germanus in Theoria.

Additio ad ſymbolum. Nec non prædictis etiam annectam, acriter contra Latinos conqueri Græcos, quòd per illos fuerit Symbolo facta additio. Ad quod reſpondetur: Si recte velimus id conſiderare non additio illa fuit, ſed expoſitio, ſed explanatio, ſed declaratio. Additio namque illa eſt, quæ contraria, aut ſaltem ſatis diverſa dogmata introducit: quæ verò eadem ſimiliaque profitetur, declaratio, non additio eſt. Quippè ſi verum non eſſet, quod dicitur, fugienda utique hæc additio foret. Quod ſi verum eſt, & fidei Sanctorum conſonans, ibi timemus timorem, ubi non eſt timor, & ſuperſtitioni magis quàm pietati indulgemus. Multa Niceno ſymbolo ſecunda Synodus addidit de Divinitate Spiritus ſancti, de Unitate Eccleſiæ, de Baptiſmate, de remiſſione peccatorum, de reſurrectione mortuorum, de vita æterna. De quibus primum Concilium nullam omnino expeditè mentionem fecerat. Multa præterea alij quoque Doctores, qui illis ſucceſſerunt Latini, quàm illi fecerant, tradidere; quæ tamen non additiones, ſed declarationes fuerunt. Cur igitur & Catholicæ Eccleſiæ non licuerit hoc idem facere, ſimili Hæreticorum urgente neceſſitate? Et de his etiam ſupra in cap. 75. ubi de Traditionibus.

Demum circa hujuſmodi Ritus, quoniam ipſi Græci inter alias eorum blaſphemias, ut dixi, nullum eſſe Defunctorum Purgatorium; Romanum Pontificem aliquam in eos juriſdictionem, vel auctoritatem habere negantes: Indulgentias & Eccleſiaſticas Cenſuras ab illo conceſſas damnantes; Deiparæ Virginis, & Sanctorum feſtivitates ab Eccleſia indictas non obſervantes: Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuis infantibus in Baptiſmo exhibentes; inhumata Defunctorum cadavera ſuperſtitione pluſquam barbara è ſepulchris eruentes, igneque comburentes; Viſitationem, Juriſdictionemque Ordinariorum locorum quos habitant, contemnentes, & ſuis opinionibus erroneis atque ſacrilegis populos Latinos inficientes.

Subjiciuntur viſitationi Ordinariorum. Propterea Eccleſiæ Græcorum, eorumque Prælati, & Adminiſtratores tam Regulares quàm Sæculares, viſitationi & ſuperioritati Ordinariorum Latinorum, ubi illi habitant, ſubjiciuntur: non obſtantibus quibuscunque Privilegiis, & gratiis, etiam ab Apoſtolica Sede indultis. Ita Pius Papa V. in Brevi anno 1564. 16. Febr. impreſſo apud Quarantam in ſumma Bullarij pag. mihi 267

CAP.

CAP. XCII.

De Indulgentiis. De Poteſtate easdem concedendi, & de earundem Diſtinctione.

CUm de Purgatorio dixerimus, ac etiam de Petri Primatu: aliquid de Indulgentiis annectere viſum eſt, quæ à poteſtate ſucceſſorum Petri pendent, & animabus Purgatorii ſuffragantur. Namque hæc omnia etiam à Schiſmaticis Græcis pertinaciter impugnantur, & damnantur. Indulgentia igitur eſt remiſſio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ, extra ſacramentum facta, ex theſauri Eccleſiaſtici diſpenſatione. Toletus in ſumma lib. 6. cap. 21. in Princip.

Ad hoc duo conſideranda circa peccatum mortale, nempe Averſio à Deo, & Converſio ad Creaturam inordinata: ex parte Averſionis debetur pœna damni, quæ eſt non videre Deum in æternum: ratione Converſionis, debetur pœna ſenſus, juſtè enim torquetur is, qui propter ipſam creaturam reliquit auctorem Deum. Catholica autem Eccleſia hoc tenet, & docet, ut etiam deleta culpa per miſericordiam Dei, reſervetur tamen à Divina Juſtitia ſatisfactio pro pœna: & propterea quamvis Contritione, & Confeſſione Miſericordiæ Divinæ ſatisfiat; operibus tamen ſatisfactoriis ad Juſtitiam tenemur, ut ex Apoſtolo ad Roman. 6. cap. 23. *Stipendia peccati mors.* Nec proſunt Indulgentiæ ad remiſſionem pœnarum ei, qui eſt in peccato mortali: ex D. Thoma ad part. 3. quæſt. 27. art. 1. & virtute Indulgentiarum non remittitur culpa, docent Suarez Diſp. 50. ſect. 1. Cardin. Bellarm. de Indulgent. lib. 1. cap. 7. & nos in cap. 88. idem vidimus ex Adam, Moyſe, David, &c. quod certè non eſſet, ſi remiſſa culpa, remitteretur etiam pœna: nec minus nos quotidie diceremus, quod propter peccata veniunt adverſa. Adjicienda eſt igitur ſatisfactio divinæ Juſtitiæ etiam poſt reconciliationem; & hæc propter exuberantiam meritorum, ſeu potius ſatisfactionum Salvatoris noſtri, Deiparæ Virginis, & Sanctorum: ex his enim conſtituitur ditiſſimus in Eccleſia theſaurus pro conferendis in pios fideles Indulgentiis. Minima proinde pœna, unoque verbere, unaq; ſanguinis gutta, peccatis omnibus omnem debitam pœnam Chriſtus exſolvere potuit: ſatisque minima pœna ſufficiens erat ad omnem juſtitiæ expletionem.

Quatuor media docent Theologi, quibus ſanguis Chriſti meruit nobis remiſſionem culpæ; eademque nobis ad condonationem pœnæ applicantur.

Eſt ergo primum participatio ſacramentorum ex opere operato, ex quibus pars pœnæ debita peccatis, nobis remittitur. Dicitur pars, (& non tota pœna) alias ſola tantum participatio ſacramenti ſufficeret animæ ad confirmationem plenitudinis gratiarum: quamvis culpa ſemper tota, & non in parte remittatur; cum hæc deleatur mediante Gratia, quæ non poteſt dividi reſpectu particularis peccati, & ſit indiviſibilis: ac etiam ex quo dicta pœna compatitur ſe cum Gratia Dei; ut ex flagellis & tribulationibus, quæ quotidie experitur Eccleſia, Chriſti ſponſa; & propterea ex participatione ſacramentorum perſæpe ſolum pars pœnæ, & non tota aboletur.

Secundo,

Secundo, remittitur pœna per Charitatem, quæ idem posset operari, quod Martyrium ex 1. epist. D. Petri cap. 4. verſ. 9. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* & ex Cantic. cap. 18. verſ. 8. *Fortis est ut mors dilectio.*

Tertio, remittitur pœna ex operibus ſatisfactoriis; etenim ſicuti nos Deum offendimus in bonis fortunæ, corporis, vel animæ; ita condecens eſt, ut eleemoſynis, jejuniis, orationibus, & ſimilibus nos Deum honoremus.

Quarto, & facilius remittitur pœna ex bono Indulgentiarum uſu, quoniam ſicuti Jeſu Chriſti ſatisfactio regulariter nobis applicatur mediantibus ſacramentis, charitate, ac etiam pœnalibus operibus; ita extra ordinem de eadem ſatisfactione nos participamus ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi Indulgentias ex theſauris, quos Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit.

Diximus ſupra, quod temporales pœnæ remittuntur nobis per Indulgentias, quæ ſe non extendunt ad pœnas æternas, cum à culpa proveniant, nec ad eos, qui Deo non ſint reconciliati. Et quamvis aliquando publicentur *Indulgentiæ à culpa, & pœna*: intelliguntur tamen, quod tunc temporis conferatur poteſtas Confeſſariis approbatis abſolvendi pœnitentes à Cenſuris Eccleſiaſticis, & ab omni caſu reſervato absque exceptione: vel quod intelligatur talis Indulgentia de pœna remiſſæ culpæ.

Poteſtas conferendi indulgentias.

Et circa poteſtatem conferendi Indulgentias, quam Chriſtus tradidit Petro, & Succeſſoribus: habemus textum apud Matth. cap. 16. verſ. 19. dicit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Sancti Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus notant in hunc locum verborum generalitatem, nempe: *Quodcunque*; per quod verbum omnis exceptio prohibetur, & præcipitur credere, quod quæcunque ſint pœna, vel culpa, dummodo à Petro ſuper terram ſolutæ, ea quoque ſint ſoluta in cœlis. At quoniam Jeſus Chriſtus utitur eodem themate loquens Apoſtolis in plurali numero apud eundem Matthæum cap. 18. verſ. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Et apud Joann. cap. 20. verſ. 21. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Eccleſia nos inde docet, ut poteſtas conferendi Indulgentias, competat de jure divino directè Papæ legitimo Petri ſucceſſori, ac Epiſcopis: illi absque exceptione, & generaliter; cæteris particulariter, & determinatè circa ſibi ſubjectos: certum eſt autem, quod ſummus Pontifex habens auctoritatem, & juriſdictionem ſupra Epiſcopos, tanquam partem gregis, poteſt ille eorundem auctoritatem limitare, & reſtringere, ut ſic putaverit expedire, ſanctus Thomas in ſupplem. part. 3. quæſt. 26. art. 1. & 3. Concilium Lateranenſ. Can. 62 cap. noſtro, & cap. cum ex antiquorum, de Pœnis, & Remiſſion. etenim in dicto Lateranenſi fuit decretum, quod Archiepiſcopus in ſua provincia, & Epiſcopus in ſua Diœceſi poſſent concedere annum Indulgentiæ in die Dedicationis Eccleſiæ, & in anniverſario ejusdem 40. dies; ſi bonum expedierit.

Infertur ex his, quod ſuprema, & abſoluta poteſtas conferendi, & diſpenſandi indulgentias pertineat ad illum, cui dictum eſt: *Paſce oves meas: Paſce Agnos meos.* Sed tamen eſt ipſe ſummus Pontifex in hoc ſolum fidus diſpenſator: ut expediens judicabit Joann. 12. verſ. 15. & 17. *Et hic jam quæritur, ut inter diſpenſatores fidelis quis inveniatur.* Ut habetur etiam in cap. cum ex eo, extr. de pœnit. & remiſſ. & D. Thom. 4. ſent. diſtinct. 20. quæſt. 1. artic. 5. & idem in ſupplem. part. 3. quæſt. 25. art. 2. & 3.

Ipſa vero concedendarum Indulgentiarum poteſtas ſummo Pontifici collata, probatur non ſolum prædicto Chriſti oraculo ad Petrum & ejus ſucceſſores pronunciato, nempè: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum:* Sed & ratione ipſa ſuadetur; quod ſi erga Eccleſiam ita Chriſtus fuit miſericors, ut eam Sacerdotibus per Vicarium ſuum tradiderit poteſtatem, qua à culpa, & pœna æterna abſolverentur animæ; ejusdem miſericordiæ conſentaneum fuit, in ſuprema Eccleſiæ poteſtate alia relinquere media, per quæ à Purgatorii pœnis poſſent eædem animæ liberari.

Porro ex multorum ſententia eadem poteſtas colligitur etiam ex ſancti Pauli epiſt ad Coloſſ. cap. 1. *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Ex quibus Apoſtoli verbis Origenes, atque Auguſtinus probant quoque Indulgentias.

Ideoque Apoſt. 2. Corinth. cap. 2. Jam indulgens abſolvit inceſtuoſum illum, quem prioribus litteris tradiderat Satanæ, & inquit: *Cui aliquid donaſtis & ego; nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur à Satana.* Et ita intelligunt Ambroſ. Anſelmus, ac Dionyſ.

Plerique vero Patrum, & Theologorum confirmant hanc poteſtatem Indulgentiarum, ex Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Et ex illo Apoſtolici ſymboli articulo *Sanctorum Communionem* confitemur.

Quid requiratur.

Advertendum ex his, quod Indulgentiæ tantum valeant, quantum pronuntiantur: dummodo adſit auctoritas dantis; charitas accipientis, & pietas cauſæ; ut propterea poſſit dari major, & minor Indulgentia. S. Thomas in ſupplem. part. 3. quæſt. 25. art. 2.

Indulgentia etiam pro ſubſidio temporali.

Ac etiam pro ſubſidio temporali conferri valent Indulgentiæ; ſi ſint ordinata hæc temporalia ad ſpiritualia, nec intercedat labes ſimoniæ, ut dicta quæſt. 25. art. 3. Quoniam præter collectas, quarum meminerunt Paulus 1. Corinth. 16. & Tertull. in Apolog. quæ olim fiebant in templis Chriſtianorum: quasque in concione ipſemet ſupremus Pontifex indicabat, ut Chriſtianis, qui Hieroſolymis exuti bonis, & fortunis fuerant, ſubſidia transmitterentur; idem Apoſtolus adhortans Corinthios ad ſupplendam bonis temporalibus, quibus abundabant, paupertatem miniſtrorum Chriſti; ut eorum opera bona Corinthiorum egeſtati in bonis ſpiritualibus eſſent ſupplemento, inquit 2. Corinth. cap. 8. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum* (ſcilicet pauperum miniſtrorum Chriſti) *inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Ex quo patet Apoſtolico etiam exemplo eleemoſynas exigi occaſione Indulgentiarum.

Ex

Ex dicta libera potestate, quam habet Papa concedendi Indulgentias, variæ distinctiones Indulgentiarum deducuntur: sicuti dum confertur *Indulgentia unius Quarantenæ, seu Quadragesimæ*: quæ non aliud denotat, quam condonationem ejusdem pœnæ, qua pœnitentia Ecclesiastica quadraginta dierum fuisset deleta: sicuti etiam *Indulgentia septennii, seu decennii*, est illa, cujus pœnam pœnitentia totidem annorum remisisset; talis est illa, quam Innocentius IV. Papa concedit toties, quoties iis, qui pro Christianissimo Rege ad Deum orarent, de qua D. Thomas in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 3. & refert Navarrus de Oratoriis, & horis Canonicis num. 90. Et in hoc advertendum, quod in pœnitentiis septem, decem, aut duodecim annorum intererant aliqui particulares dies, quibus magis arctam faciebat pœnitens pœnitentiam, quam in cæteris diebus, ut in Canon. Presbyter. distinct. 82. ubi de Presbytero fornicatore, & similibus.

Distinctio indulgentiarum.

CAP. XCIII.

De Jubilæo, & Anno sancto.

JUbilæum additur Indulgentiæ: & Primo, publicatur propter evidentem causam, & magis universalem, quam illa aliarum Indulgentiarum. Secundò, defert secum gaudium magnum, & jubilum in domo Dei. Tertiò, confertur tunc potestas omnibus Confessariis (ab Ordinario approbatis) absolvendi ab omnibus Casibus reservatis, & ab omnibus Censuris, Excommunicationibus etiam majoribus, suspensionibus Officiorum, seu Beneficiorum, & Interdictis, ac etiam confertur auctoritas commutandi Vota, absque exceptione, præter Votum Religionis, Castitatis perpetuæ, & peregrinandi Romam, Jerusalem, seu Galitiam.

Fuerat de hoc figura Jubilæum illud, quod in Levitico cap. 25. vers. 9. ibi: *Clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra: sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque adiet ad familiam pristinam, quia Jubilæus est, & quinquagesimus annus, &c.* Erant præterea leges hujus Judaici Jubilæi, quod servi liberi devenirent, obligationes delerentur, debita remitterentur, parceretur injuriis, & quisque possessionem terrarum, quas alienaverat, recuperabat.

At quoniam *Omnia in figuris contingebant illis.* 1. Corinth 10. vers. 11. fuit opportunè habitum, ut Christianorum Jubilæum etiam indicaretur, quod prius nisi semel in quolibet sæculo publicabatur, ut in Extravagante Bonifacii VIII. ibi: *Et quolibet centesimo anno deinceps secuturo.* Quam sanè vetustam institutionem anni centesimi non vana Gentilium superstitione circa sæculares ludos, sed Religioso cultu, & Christianorum concursu Romæ celebrandum, Bonifacius VIII. Papa in suo decreto confirmavit. Nam sicut in Mosaico Jubilæo quisque revertebatur ad possessionem suam & ad familiam pristinam, sic quoque Christus Dominus per mortem suam, mediantibus sacramentis, peccatorum remissionem condonat, à Diaboli tyrannide liberavit, & Paradisi januam nobis aperuit.

Centesimus Iubilæi per Bonifaciū

Bonifacius VIII. igitur, ex Cajetanorum familia Romanus Pontif. ann. 1300. ut in sua Extravaganti continetur. Incipit: *Antiquorum habet fida relatio*: tit. de Pœnit. & remiss. centesimo quoque anno visitantibus basilicas Apostolorum Petri & Pauli plenissimam peccatorum veniam concedit. Quanquam hoc institutum non à Bonifacio primum, sed bene renovatum ex plurimorum testimonio, ut infrà.

Renovatio centesimi decreta.

De quo Torsellinus in histor. Virginis Lauretanæ lib. 1. cap. 15. inquit: *Annum sæcularem vel instituit, vel instauravit.* Angelus Pientinus Dominicanus lib. 2. cap. 7. de Jubil. inquit: *Antiquorum habet fida relatio*: nempe longe ante Bonifacium consuevisse celebrari centesimum, quin immo Pancirolus in lib. *De Tesori nascosti di Roma*, testatur ante mille annos Fideles Romam accessisse quolibet centesimo: etiam de prædicta Antiquitate Navarrus in Commentar. Indulgentiarum. Sanctus Antoninus part. 1. summæ tit. 10. cap. 10. præter alios multos, quos refert eruditus D. Andreas Victorellus in Historia Jubilæi Pontificii part. 1. qui omnes quamvis de Antiquitate testantur, ignorant tamen ejusdem originem.

Iubilæum de quibus absolvat.

Et advertendum circa prædictum Jubilæum, seu centesimum Bonifacii, dum ipse in suo Diplomate inquit: *Omnium suorum concedimus veniam peccatorum*: non id intelligendum de culpa peccatorum, quæ sacramentali absolutione delentur, sed de pœnis temporalibus debitis culpæ remissæ, nec remittuntur pœnæ temporales nisi prius remissa culpa, nec prosunt indulgentiæ ad remissionem pœnarum ei, qui est in peccato mortali, ut ex D. Thom. ad part. 3. quæst. 27. art. 1. & vidimus supra in cap. 92. de Indulgentiis.

Centesimus redactus ad annos 50.

De concursu Peregrinorum ad Urbem in dicto centesimo Bonifacii refert præter cæteros S. Antoninus part. 1. tit. 20. cap. 8. §. 11. *Ex omni autem natione, quæ sub cœlo est fidelium, & mares, & fœminæ ad eam Indulgentiam profecti sunt, adeo ut communiter dicatur, quod sine Romanis solum ex Peregrinis ducenta milia hominum essent per totum illum annum in Urbe sine iis, qui erant in via: & satis copiosè provisum est de victualibus.* & idem refert Joann. Villanus, Trithemius & alii.

Clemens VI. Papa dum esset Avinioni anno primo Pontificatus sui redegit ad annum quinquagesimum Jubilæum celebrandum; jam à Bonifacio centesimo quoque anno statutum: cum in hoc à Romano populo fuisset ille requisitus, ut in sua extravag. incip. *Unigenitus*, de Pœn. & Remiss. his verbis: *Attendentes & clamorem peculiaris populi nostri Romani, videlicet hoc humiliter supplicantis.* Cujus restrictionis prætextus; quod pauci propter vitæ brevitatem ad centesimum annum valerent pervenire, ut idem Pontif. testatur in dicta extravag. & numerus annorum quinquaginta, ad quos fuit redactus Pontificius Jubilæus, processit: quoniam annus quinquagesimus in lege Mosaica Jubilæus erat remissionis & gaudii: ac etiam quinquagesimus numerus in veteri Testamento ex legis datione; & in novo ex visibili Spiritus sancti in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio; singulariter honoratur: ut in eadem extravag.

Visitatio Basilicarum.

Quamvis Bonifacius in sua Decretali, incipit: *Antiquorum habet fida relatio*; decreverit in quolibet centesimo remissionem omnium peccatorum visitantibus so-

lummo-

ſummodo Baſilicas ſanctorum Petri & Pauli; Clemens nihilominus in reductione ad Quinquageſimum annum, ſuperaddidit, ut viſitaretur etiam Lateranenſis Eccleſia, ut in prædicta extravag. *Unigenitus.* Sicuti & Urbanus VI. dein voluit etiam viſitari in Jubilæo Eccleſiam ſanctæ Mariæ Majoris: ut teſtatur Paulus II. in Decretali *Ineffabilis providentiæ.* & idem refert etiam Sixtus IV. in Decretali, *Paſtoris æterni.*

Urbanus VI. Papa præterea reſtrinxit quoque annum Jubilæi celebrandum ſingulis triginta tribus annis, quamvis idem ſuperveniente morte non illum celebraſſet: & quanquam non reperiatur Decretalis dicti Urbani. Nobis tamen hoc patet ex Brevi Bonifacii IX. Papæ, incipit: *Exigunt devotionis integritas, & fidei puritas,* ad Richardum Angliæ regem, his verbis: *Urbanus VI. ſtatuit, ut univerſi Chriſti fideles verè pœnitentes, & confeſſi, qui in anno à Nativitate Domini Jeſu Chriſti MCCCXC. inſtante tunc futuro, & deinceps perpetuis temporibus de 33. in 33. annos Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas de Urbe, & Lateranenſ. & ſanctæ Mariæ Majoris Eccleſias viſitaſſent, &c.* Et ſimiliter hoc idem teſtatur Paulus II. Papa in ſua Conſtitut. incipit: *Ineffabilis.* his verbis: *Et deinde Urbanus VI. in ſua obedientia nuncupatus, provide conſiderans, quod ætas hominum amplius ſolito in dies laberetur pauciores; ac deſiderans, quam plurimos ejusdem Indulgentiæ fieri participes, cum ad annum quinquageſimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum minime perveniant, ut populorum augeretur devotio, fides ſplenderet, & charitas amplius incaleſceret, de Fratrum ſuorum conſilio annum quinquageſimum ſupradictum ad 33. reducens: ſtatuit, quod univerſi fideles verè pœnitentes, & confeſſi, qui in anno à Nativitate MCCCXC. & deinceps perpetuis temporibus de 33. annis in 33. annos Baſilicas Apoſtolorum, & Lateranenſ. & S. Mariæ Majoris prædictæ Urbis Eccleſias, cauſa devotionis, modo præmiſſo viſitaverint, eandem conſequantur remiſſionem, & veniam peccatorum.* Et idem teſtatur Sixtus IV. in Decretali, incipit: *Paſtoris æterni.* ac etiam Julius III. in Decret. *Paſtores ovium.* Ut etiam hoc idem teſtantur plurimi Hiſtorici relati per D. Andream Victorellum in hiſtoria Jubilæi Pontificii part. 2. ſed in hoc notandum, quod Pontifex Bonifacius IX. annum Jubilæum tertiò celebravit ab Urbano VI. indictum anno Chriſti 1390. ut volunt dictus Victorellus & plurimi Hiſtorici. Unde plurimi exterarum partium Peregrini ſe in hoc deceperunt, qui ad Urbem advenerunt etiam anno 1400. inhærentes diſpoſitionibus Bonifacii VIII. & Clementis VI. circa annum Jubilæi centeſimum & quinquageſimum.

Jubilæus reſtrictus ad an. 33.

Nicolaus vero Papa V. poſt ſedata ſchiſmata, & alias procellas ſanctæ Eccleſiæ, confirmavit conſtitutionem Clementis VI. Papæ circa Jubilæum ab illo redactum ad ſingulos quinquageſimos annos, ut in Decretali ejusdem Nicolai anno 1449. incip. *Immenſa, & innumerabilia &c.* & ſubdit: *Statuimus, & ordinamus, ut omnes Chriſti fideles, qui verè pœnitentes, & confeſſi juxta formam in ipſis litteris comprehenſam, in anno Nativitatis Domini Jeſu Chriſti 1450 proximè futuro præfatas ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas, & Lateranenſ. & beatæ Mariæ Majoris Eccleſias viſitaverint: omnium peccatorum ſuorum plenariam Indulgentiam conſequantur.*

Iubilaus ad annos 25.

Paulus II. Papa & ipse reduxit annum Jubilæi ad singulos 25. annos, ut in ejus decretali anno 1470. sexto Pontificatus sui incipit: *Ineffabilis providentia summi Patris.* & subdit: *Annum trigesimum tertium hujusmodi ad annum 25. reducentes auctoritate, scientia, & potestate præmissis, statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus annus Jubilæi, cum omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, &c.* Sed idem Pontifex Paulus morte præventus anno 1471. ejusdem successor Sixtus IV. Jubilæum celebravit anno 1475. ut in Decretali etiam ejusdem Sixti incipit: *Quemadmodum, &c.* his verbis: *Nos qui (dicto prædecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio) fuimus, Divina disponente Clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, ejusdem Pauli prædecessoris ordinationem, voluntatem, & statutum, ac omnia, & singula in eisdem litteris suis contenta, approbantes, similiter statuimus, & ordinamus, &c.*

Alexander VI. Borgia successivè anno 1500. annum Jubilæi celebravit, quem idem ante publicaverat anno 1498.

Clemens VII. Medices Jubilæum celebravit ann. 1525. juxta dispositionem Pauli II. singulis quibusque annis 25. quem idem antea publicaverat, ut in Constitut. *Inter solicitudines & curas.*

Julius III. Papa de Monte celebravit Jubilæum anno 1550. de quo ante Constitutionem fecerat Paulus III. qui morte præventus attingere non potuit; ut de aliis etiam summis Pontificibus diximus supra: & quoniam Vacante Sede Pauli III. non prius electus fuit in summum Pontificem dictus Julius III. propterea aperitio Portarum sanctarum dilata fuit usq; ad XXIV. Febr. diem Natalem sancti Matthiæ Apostoli, sicuti in anno sequenti 1551. clausæ fuere eadem die, ut testantur Panvinus, Ciacconus & alii.

Gregorius XIII. Bononiensis ex familia Boncompagni annum Jubilæi 1575. celebravit, ut in ejus Decretali incipit: *Dominus & Redemptor noster Jesus, &c.* qui fuit publicatus anno antecedenti 1574. die Dominica VI. Idus Maji.

Clemens VIII. Florentinus ex Aldrobandina familia ann. 1600. Jubilæum celebravit, quem ante XIX. Maji 1599. idem indicaverat, ut in ejus Decretali incipit: *Annus Domini placabilis, &c.*

Sicuti etiam Urbanus VIII. celebravit Jubilæum anno 1625.

Porta sancta aperitur & quare.

Circa vero Ritum in anno Jubilæi de Aperitione Portæ sanctæ, post aliquam ipsius perquisitionem, adhuc illius originem adinvenire nequivi. Sancta dicitur Porta, quod supernæ Civitatis aditum, ceu figura quædam insinuare videatur. Quo vero ad illius mysterium, ut refert Angelus Pientinus de Jubilæo lib. 3. cap. 6. aperitur Porta illa in ipsius Anni sancti inchoatione, primò, ut intelligatur eo anno nulli non patere Ecclesiam; nulli, si Jubilæum lucrari velit, ejus ingressus denegari; & quamvis quicunque in graviora prolaberetur facinora, ut ex Ecclesiæ limitibus pelleretur, quousque demandatas pœnitentias absolvisset. Qui ergo præsertim Jubilæi Anno extrinseco quoque signo pœnitentiam demonstraverit; Porta illa omnibus aperitur: quod à Sophonia Propheta cap. 1. indicatur his verbis: *Et erit in die illa, dicit Dominus,*

nus, Vox clamoris de Porta Piscium. Piscium quippè nomine Christianos quandoque intelligi debere ex Parabola Matth. 13. Sagenæ missæ in Mare,& ex omni genere Piscium congreganti. Rursus ditissimus Ecclesiæ thesaurus Jubilæi tempore largius elargiri designatur; propterea materialis Ecclesiæ Porta eo Anno reseratur, quo thesauri illius insolita indicetur distributio. Postremo si ob commissa crimina, & ob pœnas propterea subeundas Porta Cœli omnibus intercluditur; ut ex fatuarum Virginum Parabola Matth. 25. sacri Jubilæi virtute utraque dimittuntur & Cœli janua illis, qui Jubilæi participes effecti fuerint, sic reseretur; ut in eo statu in felicissimum Abrahæ sinum ab Angelis deferri valeant.

A quo aperitur?

Porro à summo Ecclesiæ Antistite Porta sancta reseratur, ut significetur illum tantum illius ditissimi thesauri claves habere, ejusque januam aperire, quatenus ei expedire videbitur, ut non incongruè de eo dici possit Apoc. 3. *Aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Rursus Petro ejusque successoribus illius cœlestis Civitatis claves à Christo collatæ fuerunt, dum dicitur apud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum.*

Tribus ictibus aperitur.

Nec absque mysterio tribus ictibus Porta illa à summo Pontif. aperitur; quoniam thesaurus ille cunctis Christianis communicatur, qui tribus terrarum partibus continentur; nimirum Europa, Africa, & Asia. Deinde cum ex sacri Jubilæi solenniis, qui in Cœlo, qui in terra, nec non qui in Purgatorio sunt; maximo cum afficiantur gaudio, id quoque sensibili signo innuitur, dum Porta illa trina mallei percussione convenit aperiri.

Quatuor Portæ aperiuntur.

Verum cum quatuor Ecclesias visere jubeantur, quicunque Jubilæi participes fieri concupiscunt; & in earum qualibet Porta illa, quæ merito sancta dicitur, debeat aperiri; ad hoc exercendum munus Papa suos destinat Legatos, ut hoc quoque pacto maxima prorsusque insolita ipsius thesauri insinuetur erogatio: & eos omnes, præsertim, qui Ecclesias illas adierint, Sanctorum meritis ditiores fieri designentur, ut in dicta Extravag. Bonif. VIII.

Clauditur Porta.

Porta illa, quæ adveniente Anno Jubilæi aperiri consuevit: eodem Jubilæi Anno peracto non absque solennitate clauditur ab eodem: quoniam supremus Jubilæi fructus nempè cœlestis, sempiternæque vitæ acquisitio illius interclusione demonstratur, ut inquit D. Gregor. *Ad illud enim convivium quisquis semel intraverit, ulterius non exibit.* Rursus convenientissimè statutum est, ut Anno Jubilæi elapso Porta illa claudatur, quo designetur periculum, ne superveniat obstinationis nox, quando nemo potest operari, quibus unà cum fatuis Virginibus claudatur salutis janua, eisque à Domino dicatur Matth. 25. *Nescio vos.*

CAP. XCIV.

De Indulgentiis pro Mortuis.

ANimæ, quæ in ſtatu gratiæ ex hac vita deceſſerunt: S. Sedis auctoritate Jeſu Chriſti, & Sanctorum ſatisfactionem recipiunt, cum illis Indulgentiæ (ut mos eſt) *per modum ſuffragii* applicantur, quæ verba non aliud ſignificant, niſi talis applicatio; *Non fiat per modum juridicæ abſolutionis; ſed per modum piæ, & certæ ſolutionis.* Navarr. de Jubilæo, not. 22. 4. Cardinal. Bellarmin. de Indulgent. cap. 14. ad quam ſufficit auctoritas Papæ. Secundò, requiritur, ut interveniat rationabilis cauſa, reſpiciens gloriam Dei, & bonum Eccleſiæ ſuæ. Tertiò, ut is, qui hanc charitatem erga Defunctos exercet, totum compleat, quod requiritur ad Indulgentiam; & ut magis proſit, quod hic non reperiatur in mortali peccato: tunc enim certum eſt, tale ſuffragium non fore defunctis animabus inutile, qui nobiſcum in charitate Deo communicant; quamvis in igne cruciati reperiuntur quacunque majori pœna vitæ hujus, ut inquit Auguſt. in Pſalm. 37. ibi: *Quia dicitur ſalvus erit, contemnitur ille ignis; ita planè quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita.* Et idem voluit Greg. in Pſalm. 3. pœnit. Beda in eundem Pſalm. & S. Bernardus ſerm. de obitu Umberti Monachi.

Quod autem vivorum ſuffragia defunctis proficua ſint, præter auctoritates Patrum, de quibus diximus nos ſupra cap. 89. probatur etiam ex apparitionibus, quæ leguntur apud ſanctum Auguſtinum in lib. de Cura pro Mortuis cap. 4. & in Enchiridio cap. 109. ibi: *Neque negandum eſt Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt.* Ac etiam idem refert S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 40. & Gregorius Turonenſ. lib. de Gloria Confeſſorum cap. 5. ex quibus infertur, quod pœna unius diei in Purgatorio in ſua intenſione reſpondeat extenſioni plurium annorum pœnitentiæ in hac vita; & propterea nil abſurdum, cum ſit mentio ſex, decem, aut centum mille annorum Indulgentiæ, quoniam juxta antiquum Eccleſiæ rigorem concedebatur pœnitentia ſeptem, decem, & duodecim annorum cuilibet peccato: & in Concilio Elibertino cap. 5. dabatur pœnitentia quinque annorum propter homicidium caſuale, & annorum ſeptem, quando illud fuiſſet ex propoſito, & in cap. 64. ejuſdem Concilii dabatur pœnitentia decem annorum propter adulterium, & in Canon. Presbyter. diſtinct. 82. eadem pœna injungebatur Presbytero fornicanti.

Certum eſt igitur ex his Theologorum axioma, quod Indulgentia tunc utilis, & infallibilis ſit; *Si adſit in concedente auctoritas, in cauſa pietas, & in ſuſcipiente charitas:* Contra erroneam illorum opinionem, qui ſibi ſuadent elevationem ſpiritus ſolum ſibi ſufficere pro Indulgentia, ſeu Jubilæo, ut in hoc adimpleatur, quod dicitur in Pſalm. 61. *Mendaces filii hominum in ſtateris ſuis.*

CAP.

CAP. XCV.

De Antiquitate Indulgentiarum.

DEi Filius apud ſanctum Joannem cap. 5. verſ.14. remiſit Paralytico pœnam peccatorum his verbis: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Eadem remiſſio, quoad culpam, & pœnam facta eſt Adulteræ, Joann. 8. verſ.10. ibi: *Vade, jam amplius noli peccare*: ut notavit ſanctus Auguſtinus in tract. 3. in Joannem: *Si peccatorum fautor eſſet, diceret, nec ego te condemnabo, vade, & vive, ut vis; de mea liberatione eſto ſecura, ego quantumcunque peccaveris, te ab omni pœna etiam gehennæ, & inferni terroribus liberabo, non hoc dixit, &c.*

Corinthii inſtanter rogarunt Paulum, ut remitteret pœnam, quam ordinaverat inceſtuoſis, quod in Chriſti perſona conceſſit, ut in 2. Corinth. cap. 2. verſ.10. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego, quod donavi, ſi quod donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.* Ita hunc locum exponunt Theodoret. & S. Thomas: & non ambigendum, quin S. Petrus potuiſſet etiam eximere à morte Ananiam, & Saphiram tribuendo illis Indulgentiam; eorundem demeritis non obſtantibus, ſi id expediens reputaſſet.

In ſæculo Apoſtolis ſubſequenti, circa remiſſionem, quam Epiſcopi faciebant ad interceſſionem, & preces Martyrum, Tertull. in lib. ad Martyres cap. 1. appellat Indulgentias pacem his verbis: *Quam Pacem, quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carere exorare conſueverunt*: ut notat Pamelius in hunc locum num. 12. ac etiam ſcribit Cyprianus lib.15. cap. 3. ubi idem admonet Martyres conſiderare, pro quibus intercedant.

Tertio, & quarto ſæculo ſunt antiqua Concilia Oecumenica, & Provincialia, in quibus Indulgentiæ pœnitentibus condonantur, juxta Epiſcoporum judicium, cum ante fuiſſent decretæ pœnæ delictis reſpondentes, ut in Nicena Synodo I. Can.12. *Licebit Epiſcopo humanius circa eos aliquid cogitare.* & paulo ante: *Placuit Synodo, licet indigni ſint miſericordia, tamen aliquid circa eos humanitatis oſtendi.* & in Concilio Ancyr. Can.5. *Statuimus ut Epiſcopi, modo converſationis examinato, poteſtatem habeant, vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi.* & in Concil. Laodicenſ. Can.2. *Oportet, ut parvo tempore transacto vacent orationibus, & jejuniis, quibus etiam juxta Indulgentiam communionem reddi decrevimus.*

Quinto, & ſexto ſæculo S. Gregorius Magnus confert Indulgentias his, qui inviſerent ſtationes Romæ; refert D. Thom. 1. Sent. diſtinct 20. quæſt.1. art.13. quæſtiuncula ſecunda.

Septimo, & octavo ſæculo, S. Leo Papa concedit Indulgentias Eccleſiis Germaniæ & Galliæ, ut ſcribit Ludgerus S. Svviberto, ut in tom. 2. Surii in vita ejuſdem ſancti ibi: *Leo multa alia Monaſteria, & Altaria, & Capellas per Alemanniam, & Galliam conſecravit, ubique multas indulgentias conferendo.*

Sergius Papa annò 884. concedit indulgentias trium annorum, & trium quadragenarum iis, qui viſitarent Romæ Eccleſiam S. Martini ad Montes in die feſtivitatis,

ut videre est in antiquo marmore ad altare ejusdem Ecclesiæ: unde non est apparens, quod S. Gregorius, S. Leo, & Sergius voluissent indulgentias concedere in Ecclesia, quando non licuisset eisdem.

Præterea in Concilio generali Claramontano anno 1116. Urbanus Papa concedit plenariam Indulgentiam his, qui ad recuperationem terræ sanctæ militarent. Et anno 1213. summus Pontifex Innocentius III. promulgat Indulgentiam plenariam pro subventione terræ sanctæ, & in Concilio generali deinde celebrato anno 1215. apud Lateranum inter alia ibi actum fuit de corrigendo abusu Indulgentiarum quarundam, ut refertur in cap. cum ex eo, de pœnitent. & remiss. & de simili correctione Indulgentiarum facta in Concilio Lugdunensi: refertur in capitulo 1. de Pœnit. & Remiss. in 6 & in Concilio generali Constantiens. (ubi VViclefus fuit condemnatus) Martinus V. concedit plenariam Indulgentiam, ut in sess. 8. Demum Concilium Tridentinum pronuntiat anathema contra negantes usum Indulgentiarum, ut in sess. 25. decret. de Indulgentiis ibi: *Cum potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit: eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, &c.*

Confirmantur prædicta ex miraculis, quæ pluribus in locis operatus est sanctus Bernardus prædicando Indulgentias publicatas per Papam Eugenium his, qui proficiscerentur ad Bellum Hierosolymitanum, ut ex eodem Bernard. lib. 2. de considerat. & lib. 3. ejusdem vitæ, cap. 4.

Et hæc ad solatium Catholicorum; ac simul ad sectariorum parænesin, de Indulgentiis satis sint dicta.

CAP. XCVI.

De Limbo sanctorum Patrum.

QUoniam de Purgatorio, & Fruitione Sanctorum diximus supra, aliquid etiam pro complemento operis, de Limbo, & Inferno annectamus. Duplex supponitur Limbus, vel ubi animæ Justorum ante adventum Christi permanebant; vel ubi Infantes, qui nondum baptizati moriuntur, damnantur.

Quoad primum, nempe de Limbo sanctorum Patrum; omnes confitentur fuisse sinum Abrahæ, in quo Lazarus quiescebat apud Lucam cap. 16. Et quamvis ex communi ferè omnium sententia hæc sit historia, nihilominus quando etiam esset parabola: certum est Christum Dominum fuisse loquutum juxta communem omnium sensum; ut tunc temporis communiter omnes crederent; fuisse sinum Abrahæ, cognitum Hebræis, & hunc denotantem locum quietis instar portus, ad quem naufragantes confugerent, ut exponit Theophylactus, ut etiam Christus Dominus intellexit apud Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Cœlorum.*

Notum

Notum est omnibus Paradisum terrestre clausum fuisse primis parentibus, eorumque posteris, donec in diem Ascensionis duxit secum Christus in cœlum sanctos Patres, quos ex Limbo eduxerat, ut inquit Apostol. ad Ephes. 4. vers. 8. *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Hinc quomodo negari valet, fuisse locum, ubi tam grandis captivorum multitudo Liberatorem suum expectaret? ut verè fuit Limbus, de quo loquimur.

Hunc locum fuisse sub terra, docet nos Apostolorum Symbolum: *Descendit ad inferos.* & Princeps Apostolorum prædicat Israelitis post Spiritus sancti adventum, in Actis cap. 2. *Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, &c. quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: David enim dicit in eum: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* & infra in dicto cap. 2. vers. 31. *Providens loquutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno: neque caro ejus vidit corruptionem.*

Idem S. Petrus scribit in 1. epist. cap. 3. vers. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritu veniens, prædicavit.* Nempe quod Christus veniens Spiritu (id est quoad animam) prædicaverit spiritibus, qui erant in Limbo; etenim de Damnatis id intelligi non potest, quorum desperata erat salus: maximè cum loquatur Petrus de his, qui in carcere erant, & consequenter hodie non reperiuntur in carcere; ut erant jam sancti Patres in Limbo.

S. Irenæus de mora Christi cum Patribus in Limbo lib. 4. cap. 45. quam prædicationem ibi ipse habuerit, inquit: *Eapropter Dominum in ea, quæ sunt sub terra descendisse; Evangelizantem & illis adventum suum, remissum peccatum, &c.*

Et quod Christus retraxerit ex Limbo animas sanctorum Patrum. Origen. homil. 15. in Genes. *Quod dixit ad Latronem: Hodie mecum eris in Paradiso; hoc non illi soli dictum est, sed & omnibus Sanctis intellige, pro quibus in inferna descenderat.*

Quod Christus Liberator fuerit mortuorum, S. Athanasius homilia de Semente ait: *Jesus autem propter nos mortuus est, descendit ad inferna in medium mortuorum, & inter mortuos incedens, non solum liber, sed & Liberator mortuorum erat.*

Et S. Chrysostomus appropriat prædictionem Isaiæ animabus in Limbo homil. 5. de Resurrect. *Hodie Sol justitiæ Christus ascendit evangelizatis Sanctorum animis ab inferis, elevans secum corpora Sanctorum.* & infra: *Exclamaverunt qui erant in tenebris, quia lumen viderunt magnum: & qui erant in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Sicuti etiam idem Isaias cap. 45. vers. 2. & 3. *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.*

S. Hieronymus explicans in proposito verba Jacob, inquit epist. 25. cap. 5. *Descendam ad filium meum lugens in infernum: quia necdum paradisi januam Christus effregerat, necdum flammam illam romphæam, & vertiginem præsidentium Cherubim sanguis ejus extinxerat.*

Sanctus Augustinus declarans promissionem Christi ad latronem, quod non intelligatur de cœlo Empyreo, epist.17. ad Dardanum sic inquit: Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem; & de carne quidem quod eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Evangelium. Quod vero illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat. Quamobrem S. Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, ubi de ipso prædictum esse demonstrat: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Hæc Augustinus quod idem sæpius confirmat, ut in epist. 99. ad Evod. lib. 20. de Civitate Dei cap. 15. in Psalm. 85. & tract. 110. in Joannem.

CAP. XCVII.

De Limbo Puerorum, & de peccato Originali.

Est alius locus pariter Limbus nuncupatus, ubi, qui mortui nascuntur, & alii infantes, qui absque lavacro Baptismi decedunt; à visione beatifica propter originale peccatum penitus excluduntur, ut dixit Jesus apud Joann. cap. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto; non potest introire in regnum cœlorum.* ut etiam de Circumcisione in antiquo Testamento, Genes. c. 17. vers 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.*

De primo, nempe de Baptismo, cujus Arca fuit figura, loquitur S. Petrus epistol. 1. cap. 3 vers. 20. & 21. *Quando in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ, salvos fecit Baptisma.* De secundo, nempe de Circumcisione, fuit figura, quod legitur in lib. Josue cap. 5. vers. 2. *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israel:* qualis circumcisio ex cultro lapideo denotabat, quod quis in terram promissam non ingrederetur, nisi Petra angularis, quæ Christus est, non applicasset virtutem ex Sacramentis.

Hoc autem provenit, ex quo nos omnes in peccato concepti sumus, quamvis ex laudabilibus parentibus, ut inquit Rufin. in Psalm. 50. *David natus erat de Jesse, viro justo, & conjuge ejus: quid est ergo, quod de se dicit: In iniquitatibus conceptus sum? nisi quia trahitur iniquitas ex Adam: nemo nascitur nisi trahens culpam, & culpa pœnam?* Sicuti etiam Apostolus natus ex laudabili tribu Benjamin, ut ipse de se ad Philipp. cap. 3. vers. 5. *Ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela.* Et nihilominus confitetur se natum in peccato, ut ad Ephes. cap. 2. vers. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.*

Idem hoc manifestè indicat S. Ambrosius in Apol. David cap. 11. *Antequam nascamur, maculamur contagio.* Et S. Hieronymus in epistola ad Lætam: *Christiani non nascuntur, sed fiunt.* quam eandem sententiam ante pronuntiaverat Tertullian. in Apolog. cap. 17.

Con-

Concilium Melevitanum Can.2. inquit: *Item placuit ut quicunque parvulos recenter ab uteris matrum baptizandos neget, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit.*

Concilium Florentinum session. ultima: *Illorum animas, qui in actuali peccato, vel solo originali decedunt; mox in infernum descendere: pœnis tamen disparibus puniendos.*

Sed cæteris omissis adducam solum S Augustinum epist. 28. ad Hieronym. his verbis: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabũtur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt: hic profecto, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse, &c.* idem testatur Augustinus in epist 106. ad Paulinum, & lib. 1. de Orig. Anim. cap. 9. & lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 23.

De Originali peccato.

Item de peccato Originali non solum habemus Regis Prophetæ dictum in Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sed etiam tergeminum suppetit D. Pauli testimonium ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Alterum: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Tertium: *Eramus natura filii iræ sicut cæteri.* ubi Gloss. interlinearis, *Natura*, id est per parentes, & Augustin. *Natura*, id est originaliter.

Hanc Catholicam veritatem testati sunt nobis alii quoque Patres, ex quibus Origen. homil. 8. in Levit. inquit: *Quæcunque anima in carne nascitur; iniquitatis, & peccati sorde polluitur, propter quod dictum est: Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* & S. Cyprian. lib. 3. epist. 8. *Infans recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* & S. Ambros. inquit: *Antequam nascimur, maculamur contagione, & ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam; in iniquitate concipimur.* & infra: *Omnes homines sub peccato nascimur.*

Et quatenus figmentum hoc esse contendant Sectarii; asserentes se non intelligere, quomodo omnes homines peccaverint in Adamo: aut quomodo Adami peccatum traducatur in omnes homines. Nam hoc præmisso ex Augustino de Morib. Eccles. c. 22. *Nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Quodque plerique Theologorum tradunt, & explicant, peccatum originale eodem momento ab anima contrahit, quo per seminalem generationem unitur corpori ex terreno Adam infecto procedenti. Primum illud, quod Sectarii non intelligunt, ab eodem discimus Augustin. lib. 3. de Peccat. Merit. & Remiss. *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes illi unus fuerunt, & quicquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.* & idem lib. 4. cap. contra duas Epistolas Pelag. inquit: *Restat ut in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccavit.* Cum quo consen-

consentit S. Hilarius super verbis Apost. ad Roman. 5. *In quo omnes peccaverant*, dicens: *Manifestum in Adam omnes peccasse quasi in massa.*

Ab eodem Augustino discimus illud secundum, quod non intelligunt circa peccati traductionem; illam enim explicat his verbis lib. 5. ad Jul. cap. 3. *Profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vase vitiato, ubi occulta justitia Divinæ legis includitur*, & subdit: *Quid autem horum sit verius, libentius disco, quam dico; ne audeam docere, quod nescio.*

Confitebuntur Catholici ex prædictis, ut pro his, qui rationis usum habuere, duo in fine mundi loca sint remansura; nempe Paradisum pro Beatis, & infernum pro damnatis. Præterea quod infantes, qui ante usum rationis moriuntur, & qui Baptisma in remedium originalis peccati non fuerint consequuti, isti damnabuntur, nec unquam essentiam beatificam Dei videbunt: locus autem in quo permanebunt isti, juxta communiorem sententiam, erit pars superior inferni (de quo infra solum restat dicendum) S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, & alii in lib. 4. Sententiarum distinct. 45. & Albertus in part. 2. summæ quæst. 113. & hoc solum inter tantos Theologos interest, quod alii constituunt infantes in parte inferni altiore, quam Limbum puerorum appellant: alii cum cæteris damnatis eos locum habere pronuntiant.

CAP. XCVIII.

De Inferno.

QUamvis Christus uti homo fuerit mortuus, & tanquam Deus satisfecerit, adeo ut minima ejusdem actio, sola gutta ejus sanguinis, lachryma oculorum ejus plenè de rigore justitiæ satisfecisset: nihilominus ultra passus est, & fuit *Copiosa apud eum redemptio*, ut in Psalm. 129. sicuti testantur Joann. cap 13. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* & ipse Christus apud Lucam cap. 13. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, &c.*

Sed non propterea censebuntur ullo unquam tempore remissæ pœnæ, quibus damnati in inferno cruciantur, ut credidere aliqui ex impiis Hæreticis futurum post diem Judicii.

Hanc veritatem apertè docet Propheta Isaias cap. 33. vers. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* & idem in fine suæ prophetiæ loquens de prævaricatoribus inquit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Et Christus ipsemet Judex contra impios sententiam fulminabit apud Matth. cap. 25. vers. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis ejus.*

Et alibi apud Matth. Christus assimilat paleas ipsis reprobis ibi: *Paleas autem comburet ignis inextinguibilis.* Quod expertus est infelix Dives, qui Abrahæ dixit apud Lucam cap 16. *Crucior in hac flamma.*

Similiter

Similiter Apoſtolus Judas in ſua epiſt. Catholica loquens de Sodoma & Gomorra, verſ.7. inquit: *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes.*

Et in Apocalypſi cap. 21. verſ.8. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

Dicta ſunt hæc circa pœnam ſenſus: nempè de inferni horrore, miſerandis pœnarum generibus, nec non earundem pœnarum acerbitate, ac de ejusdem ignis perpetuitate. Pœna autem eſſentialis, & principalior damnatorum in inferno, eſt privatio Divinæ viſionis; quamvis reperiantur homines in mundo non apprehendentes hanc privationem hujus beatificæ viſionis, quam non meditationes potius quam de ea ſcribentes, exoremus Deum, ut per immenſam ſui miſericordiam liberet nos ab his omnibus malis.

CAP. XCIX.

De Reſurrectione Mortuorum.

PRædictis videtur annectendum etiam de Mortuorum Reſurrectione, qua ſecluſa inanes eſſent Indulgentiæ, Purgatorium, Fruitio Sanctorum, Limbus & Infernus, de quibus diximus.

De hac igitur Mortuorum Reſurrectione Apoſt. 1. Corinth. cap.15. inquit: *Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus.* & S. Damaſcen. lib. 4. *Cecidit hoc corpus per mortem, quod in noviſſimo die de terra reſurget.* Unde S. Auguſt. lib.8. de Trinitat. *Reſurgere nihil aliud eſt quam reviviſcere; non autem reviviſcit, niſi idem numero:* & Theologi omnes advertunt, quod ſi anima aliud aſſumeret in reſurrectione corpus; quam quod in vita poſſedit, & in morte reliquit, hæc non eſſet Reſurrectio, ſed Aſſumptio. Quemadmodum Dei Filium in Incarnatione aſſumpſiſſe dicimus naturam humanam in unitatem ſuppoſiti. Dicimus etiam cum anima hominis ſecundum ſubſtantiam ſit rationalis, & ſenſibilis: hoc ſufficit, ut ſit idem numero homo: nam potentiæ ſenſitivæ, quæ corrumpuntur, non poſſunt totaliter tollere identitatem animalis, cum ſint accidentales proprietates: ex ſupplemento D. Thom. quæſt. 79. art. 2. Dicimus etiam, ut pulveres humani corporis oporteat redire ad eandem partem corporis, quæ in eis diſſoluta eſt; dummodo ſervetur eadem ſpecies; & congruentius videtur, quod ſervetur in reſurrectione ſitus partium quantum ad partes accidentales; ut ſunt ungues &c. dicta quæſt. 79. art. 3. Item reſurgent inteſtina plena nobiliſſimis humoribus; ac etiam capilli, & ungues, quæ ſunt ad conſervationem partium: urina, & aliæ ſuperfluitates, quæ expelluntur à natura, non erunt, nec ſemen, quod eſt ſolum ad perfectionem ſpeciei, non autem individui, ut in quæſt. 70. d. ſupplementi.

Idque adeo verum eſt, ut idem Apoſtolus dicat: *Omnes reſurrecturos in menſura ætatis plenitudinis Chriſti.* Hoc eſt in ætate, quam habuerunt, aut habituri fuerant circa trigeſimum tertium annum. Non reſurgent ejusdem ſtaturæ, ſed in quantitate, quæ debebatur in individuo, ſi natura non erraſſet: reſurgent autem in diverſis ſexibus, ſed non erit libido incitans, ut ex quæſt. 81. dicti ſupplementi.

Neque his obsistunt verba S. Pauli: *Surget Corpus spiritale.* Quia ut exponit August. *Spirituale dixit; non quia ipsum corpus spiritale erit; sed quia vivificante spiritu, immortale atque incorruptibile permanebit.* subditque: *Sic autem tunc dicitur spiritale corpus, cum non spiritus sit, sed permaneat corpus; sicut nunc animale dicitur, cum tamen non inveniatur non anima esse sed corpus.*

Non esurient neque sitient.

Et ex hoc etiam tollitur, quod aliqui insipientes futurum supponunt; si resurgant ut egeant cibis, ac potibus, & subsint aliis necessitatibus, quibus subsunt corpora: siquidem ut supra eundem Pauli textum notat S. Ambros. *Animale corpus est, dum cibis sustentatur, ut vivat: spiritale autem, cum horum nullo indigebit conversum ad vitam.* & Anselmus ibidem inquit: *Surget corpus spiritale; id est nullis alimentis indigens, ab anima separari jam non valens.* Advertendum tamen, quod comestio Christi post Resurrectionem non fuit necessitatis, quia cibo egeret, sed potestatis, ut ostenderet se veram assumpsisse naturam, quam prius habebat ex supplemento D. Thomæ quæst. 81. art. 4. & infra nos videbimus.

Resurgent omnes sine macula.

Nec minus leve est, quod blaterant, futurum etiam indecens, si resurgerent aliqui, ut erant, dum viverent, Cæci, Monoculi, Claudi & aliis vitiis obnoxii. Quia quicquid futurum de Reprobis sit; nam ut August. in Enchirid. cap. 92. inquit: *Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio.* De probis idem August. inquit: *Sic resurgent omnes, ut singulæ animæ singula sua corpora obtineant, cum membris omnibus, quibus humani corporis completur integritas; ut videlicet in Beatis resecetur, quod superabundavit, dum agerent in humanis. Potentia quoque divina reparet, quod fuit in membris truncatis, aut vitio deformatis.* ac rursus: *Resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate; sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate; & his tanta erit facilitas resurgendi, quanta felicitas.* Unde adverte, quicquid fuerit in membris hominis materialiter, non totum resurrecturum, quia esset monstruositas, sed considerata totalitate speciei, quæ attenditur secundum quantitatem, figuram, situm, & ordinem partium: sic capilli non resurgent considerata totalitate materiæ ab infantia, sed speciei; sic ossa & similia, ut ex supplemento D. Thomæ quæst. 80. art. 5.

Resurgent omnes in individuo

Levissimum quoque est, quod cum aliqui absumpti fuerint ab animalibus, vel ab hominibus, hi propterea non possint resurgere in corpore jam assumpto, minusque in eo, quod assumpsit, siquidem ut ait idem August. in Enchirid. cap. 88. *Non perit Deo terrena materies; sed in quemcunque pulverem, cineremve solvatur; in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel ipsa alimenta vertatur in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat; illi animæ humanæ puncto temporis cedit, quæ illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.* Ut etiam ex d. supplemento D. Thomæ quæst. 80. art. 4.

Portenta in Resurrectione.

Et nonne portentorum in nobis ipsis divites sumus? in Resurrectione enim surget hæc caro sparsa per orbem, redhibentibus eam undis, ignibus, ferarum alvis, rumis alitum, lactibus piscium, & ipsorum temporum gula; non Divinæ potentiæ sat magnum documentum hoc est? pascit humana carne, & sanguine aves, feras, pisces, ut de

ut de humana carne, caro illis & sanguis enascatur: sed & de homine apud barbaros pascit hominem, & de feris adhuc cruditantes alit homines: & post hæc omnia, & feræ, & aves, & pisces, & homines eunt in cineres, in terrã, in sterquilinia; & exinde in culices, formicas, tineas, locustas, papiliunculos, cochleas, vespurigines; & ex his rursum in terram, in spinas, in agrestium frondium amaritudines, in vermes venena ruminantes; ut in omni propè bestia videas hominem, ibi insultantem in aquila, alibi desultantem in anguilla, ibi transilientem in capram, hic in coturnicem, corvum, vulturem, etiam in leonem, ursam, asinum: & post tot hominum in bestias, bestiarum in homines revolutiones, redit in resurrectione eadem caro, idem sanguis ad originem suam. Postque tot subterraneas, tot subaqueas, tot aereas mutationes; idem qui vixit homo, in eadem per omnia carne, & sanguine redit homo, & Dei tribunali sistitur, eadem pro meritis punienda, aut præmianda caro, non alia. Neque enim stare cum Divina justitia posset, carnem unam peccasse, aliam ignibus tradi; unam cœlos promeritam, aliam præmiari. Eadem ergo, quæ peccavit, punitur; & quæ placuit Deo, præmiatur caro.

In illa igitur die tot prædicationibus, tot ante sæculis decantata; nulla erunt tunc amplius discrimina purpuræ, & sagi; non sceptri, & ligonis; non doctæ, & indoctæ mentis; non divitis, & pauperis: non Domini, Regis, servi; Sola enim virtute ibi discriminabimur; solis meritis, demeritisque discernemur. Dura nimis sors Regum, Principum, sæculi magnorum, divitum, nobilium, doctorum; ineruditæ, egenæ, vili, & toties pedibus calcatæ æquari plebi? Vera tamen nimis. Dum vivimus, versamur in hac mundi scena, in qua singuli partes suas tuentur; ille Regis, Domini, docti, divitis, nobilis: alter servi, mancipii, indocti, pauperis, ignobilis. Cortina per mortem reducta, redimus ad priora, ad animæ & corporis paritatem; ad unum patrem, & Judicem filii, & rei, peractæ scenæ rationem reddituri, præmiaque aut pœnas relaturi. Hic vides non inferiora præmia, aut pœnas à scenæ magistro referri, qui rusticum, & servum bene maléve expressit, quam qui nobilem, & Regem. Eadem in illa Domini die reperies: Sed & eum, qui hic Deum sequutus monentem, suadentem; servi personam sustinuit bene, regia non rarò inter cœlites æternatura donandum corona; cum non pauci regum servitutem servient omnium infelicissimam, nunquam inter æternos ignes deponendum. Mutat nimirum tribunal illud Domini, theatrum, scenam; & è Dominis servos, è servis Dominos statuit: præmiat servos, punit Dominos. Beati servi, quorum præmia felici commensurantur æternitate: meminit illius diei Joel. *A facici ejus contremuit terra, moti sunt Cœli: Sol, & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum, &c.*

Quid remanebit post judicium.

Præterea advertendum, ut communis est Doctorum consensus in 4. Sentent. distinct. 47. Post diem Judicii nullæ erunt amplius plantæ, nulla animantia, nulla corpora mixta (hominibus duntaxat exceptis) aqua ad suum locum naturalem redeunte. Neque perpetuo duratura sunt, nisi vel in toto, vel in parte incorruptionem ab ipsa natura sortita sint. Ejusmodi autem sunt primum corpora cœlestia, quia & secundum totum,

& secundum partes incorruptibilia sunt: deinde elementa, quæ secundum totum, non secundum partes à natura incorruptionem habent. Denique homines, qui secundum partem, quæ est anima rationalis; non secundum totum immortales sunt: cætera corpora sunt omnia tum in toto tum in partibus corruptibilia, Cardin. Bellarmin. de Amission. Gratiæ, & statu peccati lib. 6. cap. 2.

Post Resurrectionem an Christus verè comederit.

Occurrit modo aliquid scrutari de Christi comestione in Hierusalem una cum discipulis in Emaus proficiscentibus. Et quod vera fuerit illa comestio celebrata ad solam veramque Resurrectionem indicandam, patet. Quoniam si Christus Dominus verè manducare non potuisset, ejus corpus vivum non fuisset, nec verè resurrexisset; sed vera fuit illa manducatio, ut ait sanctus Thom. 3. Sentent. distinct. 21. quæst. 2. art. 4. ad 2. arg. *Vera fuit*, inquit, *quantum ad cibi divisionem, ejusque trajectionem in ventrem: non autem quantum ad cibi in humores, vel in substantiam comedentis conversionem.* & ut ait August. lib. 3. de Mirabil. Scripturæ sacræ cap. 10. tom. 3. *Cibus vero ille in spiritualem naturam conversus est, id est, in vaporem resolutus, sicut aqua per radium Solis.* Nam corpus glorificatum (ejusmodi erunt corpora nostra post Resurrectionem glorificata) cibo non indiget. Hinc Euthymius in cap. 24. Lucæ. *Christus Dominus post Resurrectionem supernaturaliter, vel dispensatoriè digessit.* Re ipsa tamen manducavit, hoc est, ut S. August. in epist. 49. quæst. 1. & Beda lib. 6. in cap. 24. Lucæ cap. 97. interpretantur. *Manifestissima veritate, nec tamen necessitate, sed potestate. Aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius candens: illa indigentia; iste potentia.* Manducavit tamen aliter Christus, quam Tobiæ Raphael in assumpto à se ad tempus corpore, quod vivum & animatum non erat, quamvis vera fuerit cibi contritio ac trajectio in interiorem corporis assumptam partem: non tamen in ventrem, quem habere non poterat. Ideo Angelus manducare & bibere videbatur, sed revera manducare & bibere non valebat: Christus autem, post Resurrectionem quamvis corpus glorificatum, cibo non indigens haberet; ad veram tamen Resurrectionem demonstrandam verè manducavit, eo quem diximus modo, nam ut ait August. lib. 13. de Civitate Dei cap. 22. *Non potestas, sed egestas edendi, ac bibendi talibus corporibus* (immortalibus scilicet) *aufertur.* Imo epist. 49. quæst. 1. idem August. ad Presbyterum scribens ait: *Futuræ Resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibis eguerit.* Christus itaque non ad communionem præstandam, sed ad suam Resurrectionem indicandam, manducationem ostentavit; quia nullum manducatione ipsa certius hominis vivi argumentum dari solet. Ideo Dominus Jesus puellæ ad vitam revocatæ cibum dari jussit: & Lazarum resuscitatum secum convivari voluit Marc. 5. Joann. 12. ne resurrectio eorum teste Hieronym. epistola 27. phantasma putaretur. Panem tamen in Emaus à Christo benedictum, non Eucharistiam; ut Joann. à Lovanio, & alii, qui cum eo sentiunt, sed quandam Eucharistiæ figuram, aut umbram extitisse: exemploque illo fructum, & utilitatem Eucharistiæ in una tantum specie demonstratum fuisse concedimus; & Auctores in contrarium, non nisi mysterium aliquid ad Eucharistiam pertinens, ex

Luca

Luca cap. 4. demonstrare voluisse, cum ipso Jansenio Concordantiarum Evangelic. in hunc locum affirmare non dubitamus.

Hæc dixi circa ritus, & alia dogmata semper in Catholica Ecclesia retenta etiam ab ejusdem exordio: sed quoniam quæ à nobis asseruntur, à Sectariis negantur; nec ii admittunt supremum Judicem Controversiarum, nempè Romanum Pontificem, qui oraculo suo rem definiat: Dei majestatem nos exoremus, ut ipse Spiritus sancti gratia in mentes non credentium veritatem instillet; eorundemque Sectariorum pertinaciam confundat, quod solus Deus patrare valet, & non alius.

CAP. C.

De Græcorum Imperatorum Triumphis.

DUm hæc scriberem, devenit ad me Numisma satis grande Heraclii Imperatoris ex ære hic delineatum, quod postea vidi idemmet expressisse quoque Lipsium in suo de Cruce tractatu: & cum de Græcis ritibus nos supra dixerimus; etiam de illius explanatione hic aliqua afferre non erit à nostro argumento alienum: quoniam de similibus Græcorum ritibus etiam nonnulla in præsenti superaddemus. In cujus Numismatis anteriori parte ejusdem Imperatoris effigies Divinum Lumen deprecantis his verbis: *Illumina vultum tuum Deus*; & sub ejusdem effigie posita est Luna, quæ magnam partem prædictæ figuræ circundat. Num. 17.

Luna siquidem, ut alieno Solis lumine coruscat, de qua Tullius de Somno Scipionis ait: *Luce lucebat aliena, hæc Solis discipula obsequitur cursibus superis; & prout accedit ad Solem, vel recedit, dispensat lumen.* Sic etiam Imperator Heraclius deprecatur à Deo summo Sole lumen Justitiæ, ut idem lumen ipse dispensare, & administrare valeat in populum sibi subjectum.

Præterea sicuti Luna semper instabilis, & variabilis est. Ovid. 11. metamor. *Nec par, aut eadem naturæ forma Dianæ esse potest unquam.* & Macrobius inquit: *Luna dispensationibus septenariis luminis sui vices, sempiterna lege variando disponit:* Ita Heraclius Lunam imitatus magna instabilitate bonorum, ac detestandorum operum vitam duxit inæqualem, eandemque malè, ac miserrimè tandem complevit. Ipse siquidem ad Imperium erectus adversus tyrannidem Phocæ victoriam obtinuit virtute imaginum Christi, & Deiparæ, ut ex annalibus Baronii ad annum 610. num. 1. sicuti etiam piè cœpit expeditionem, & insignes victorias reportavit de Persis Imperium devastantibus, & hoc prævia quoque prædicta imagine Christi non manu facta, & assistente auxilio Dei Genitricis, ut in prædictis annalibus ann. 621. & 622. & 623. 624. & 626. ac idem Heraclius extincto Cosdroe Rege pacem cum ejus filio composuit amplissimis conditionibus, & inprimis sanctissimum Crucis signum repetiit, accurrentibus ad Triumphi spectaculum ubique fidelibus cum palmis, & olivis, suffitibus, atque luminibus, & præ gaudio lachrymas emittentibus, atque ex more hymnos sacros tantæ victoriæ occinentibus, ipsumque Heraclium ejusdem venerandæ Crucis recuperatorem magnis acclamationibus excipientibus, refert Theophanes, & Ce-

drenus, ſicuti & Annales Baronii ann. 627. ubi Spondan. num. 3. & 4. Et veniens Heraclius cum triumpho Hieroſolymam Crucem in proprium Calvariæ locum ſuis humeris portat, illuſtri miraculo ea re commendata, ut per Baron. ann. 628. n. 1.

Sed non permanſit Heraclius diu in vitæ innocentia; inceſtuoſas ſiquidem nuptias contrahens, neptem ſuam Martinam in matrimonium duxit, Auguſtamque nominavit, coronatam à Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopo; quod deteſtandum facinus gravi vindicta à Deo punitum eſſe docent Theophanes, Cedrenus, & Baronius ann. 613. ubi Spondan. num. 1.

Præterea nullus unquam majoris in Rempublicam Chriſtianam cauſa cladis extitit, quam Heraclius, dum non ſe oppoſuit naſcenti Arabum Imperio poſt obitum Mahometis, refert Baron. ann. 631. n. 1.

Tertio idem Heraclius fidei conſulere imprudens exiſtimans, imbibit Monothelitarum hæreſin, referunt prædicti annales ann. 629. & 640. ac demum infelici exitu vitam clauſit confectus ærumnis animi, corporisque moleſtiis; ea paſſus, quæ pudet referre; qui quidem reliquit de ſe quaſi in tabula egregie effigiatum exemplar, quantum Deo inhærentes Principes poſſint; ut verè tunc de eo potuerit dici, quod in Nummo expreſſum habetur: *Super Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, conculcabis Leonem, & Draconem:* Quantumque ab eodem Deo Principes recedentes ſint invalidi, ac Reipublicæ & Eccleſiæ noxii, propagata etiam ad liberos ſuos infelicitate, quod clarè nobis in propoſito demonſtratur, dum præter alias ærumnas in Heraclio etiam ejus proſapia defecerit, refert idem Baron. ad ann. 641. Miſera mortalium conditio! Quanta venena perexiguo integuntur melle! Dubia, vana, doloſa; dum certis, ſolidis, æternaturis, neminemque fallentibus anteponuntur. Ita patimur nos ludi, & falli; ut meritò extimeſcere debeamus ad increpantem Prophetam Pſalm. 4. *Filii hominum, uſque quo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

In alia poſteriori parte dicti Numiſmatis eſt idem Imperator triumphans ſupra Quadrigam, Diademate gemmis, & margaritis repleto, habet præ manibus Crucem, & ſupra eundem Triumphantem Imperatorem ſunt Lampades ardentes; litteris quoque Græcis, & Latinis hinc inde exaratis.

Conſtantinopolitani ſiquidem Imperatores in ejuſmodi Triumphali pompa imitati ſunt priſcos Imperatores Romanos, quibus tunc victi Duces, ſimulachra oppidorum, aurum, argentum, Tribuni, & Legati in equis præcedebant, & undique clamor militum, de quo ritu Cicero in Piſonem ait: *Quid tandem habet iſte currus? quid victi ante currum Duces? quid ſimulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis? & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa?* Et inter cæteros auctores Plutarchus in vita Pauli Æmilii egregiè deſcribit Triumphum, quem ille devicto Perſe peregit; ſicuti etiam Zonaras lib. 2. annalium refert ſimilem Camilli.

Triũphus Græcorũ imperat.

Præcedebant autem præfatum Conſtantinopolitanum Imperatorem præter Deſpotas equitantes, cæteri quoque pedites, & ſupplicantium agmen; ex utraque autem

tem parte comitabantur illum Berengarii,& omnes Securiferi, & juvenes nobilitate eximii armati: refert Curopalata,cap.17.n.36.& 47.

Acclamatio.

Mos acclamandi Græcis Imperatoribus fuit valde frequens: Corippus lib.1. de laudibus Justini junioris relatus per Gretserum in Curopalatam lib. 3. Commentar. cap.1.n.13. his versibus.

Excubiæ primum, quæ summa palatia servant,
Imperium felix Dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant.

Et idem Corippus lib.2.

Intonuit Patrum subitus fragor, inde Clientum
Clamores crescunt, clamoribus adsonat æquor.
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt.
Justini vitam tercentum vocibus optant.
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat.
Mille canunt laudes, vocum discrimina mille:
Justinum, Sophiamque parem, duo lumina mundi
Esse ferunt: Regnate pares in sæcula dicunt.
Felices annos Dominis felicibus orant.
Insonuit vox illa diu, tandemque quievit.

Nicephoro Phocæ factas acclamationes suaviter irridet Luitprandus in Legatione sua Constantinopolitana de processione Phocæ ad S.Sophiam sic inquit: *Cumque quasi reptans monstrum illud prodiret, clamabant adulatores Psaltæ: Ecce venit stella matutina, surgit Eous, reverberat obtutus Solis radios, pallida Saracenorum mors, Nicephorus princeps: unde & cantabatur principi Nicephoro, plures anni sint, Gentes hunc adorate, hunc colite, huic tanto colla subdite. Quanto tunc verius canerent: Carbo extincte veni, anus incessu, Sylvanus vultu, rustice, lustrivage, capripes, cornute bimestris, setiger indocilis, agrestis, barbare, dure, rebellis Cappadox. Igitur falsidicis illis inflammatus næniis S. Sophiam ingreditur, Dominis suis Imper. se à longe sequentibus, & in Pacis osculo ad terram usque adorantibus.*

Multa profecto in his acclamationibus apprecabantur, quibus nihil jucundius accidere potuisset, quam si Imperator ille ipso die, quin & illo momento extinctus esset.

Acclamationem iteratam sæpius, immo sæpissimè à Senatu, cum Claudius Imperator renuntiatus esset, apud Trebellium: *Auguste Claudi, dii te nobis præstent, principem te, aut qualis tu es, semper optavimus. Claudi Auguste par Respublica requirebat: Claudi Auguste tu Frater, tu Pater, & tu Amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps,* & similia.

Non bonis tantum bona, sed & mala malis in hujusmodi acclamationibus apprecabantur, ut ex Lampridio de acclamationibus Senatus in occisum Commodum Imperatorem: *Hosti patriæ honores detrahantur, Parricidæ honores detrahantur, Parricida trahatur, hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lanietur, hostis deorum,*

Carnifex Senatus, qui Senatum occidit in spoliario ponatur, unco trahatur, &c. Similes fermè execrationes in Synodo sub Mena act. 4. in Petrum Zoneram, & Severum Hæreticos, & action. 5. extat longissima acclamatio, quæ partim bona Augustis, & Patriarchæ; partim mala in hæreticos Manichæos, Nestorianos, & Eutychianos, quorum ossa exhumentur, populus imprecatur.

Triumphat Imago Virginis

Mos fuit prædictis Imperatoribus Græcis in Triumpho, seu alia solenni processione Quadriga incedere, ut in nostro effigiato nummo est videre, & apud alios scriptores. At satis laudabilius fuit, quod gessit Joannes Comnenus Imperator, qui imaginem sanctissimæ Virginis Nicopteæ victoriæ effectricis, suo loco Currui Triumphali imposuit, ut Nicetas in Comneno inquit: *Cum dies supplicationis, seu Triumphi adesset, omnis generis tapetes auro, & purpura intexti vicos exornabant: nec deerant Christi, & Sanctorum effigies in iis ad vivum expressæ. Erant & tabulata utrinque propter spectatores structa digna admiratione. Fuit autem is locus urbis sic instructus, qui ab orientali porta usque ad magnum palatium pertinet. Quadrigæ à quatuor equis nive candidioribus trahebantur. Imperator vero non conscendit, sed Dei Genitricis imaginem in eo collocavit: ob quam lætitia exultabat, & animo penè linquebatur: cui victorias, ut collegæ Imperii invictæ acceptas ferebat: Habenas viris potentissimis moderandas, & Cognatis suis currum dedit curandum: Ipse Crucem manu gestans, pedes antecessit, & Dei sapientiæ templum ingressus, atque in conspectu omnis populi ob successus gratiis Deo actis, in Palatium abiit.* Et hoc idem refert Gretserus in lib. 3. Commentariorum in Curopalatam cap. 6. num. 1. §. 2. refert Baronius ann. 1123. ubi Spondan. num. 3.

Alium similem Triumphum de imagine sanctissimæ Virginis antea gesserat Joannes Zemis rediens Constantinopolim post devictos Russos, Bulgaros, Scythas, & Turcas numero trecentorum triginta millium, refert idem Baron. ann. 971.

Videntur hanc dictam Dei Genitricis Imaginem secum extulisse in expeditiones alii Imperatores, ac Reges; hinc Nicetas in Imperio Mutzuphili ait: *Imago Dei Genitricis, quam Romani belli sociam adsciscunt, ab hostibus capta est.* Etiam noster Heraclius Quadrigæ insidens, in nostro nummo effigiatus, in aliud tempus imaginem sanctissimæ Virginis in militiam præsidii causa abducebat. Arturus Britto: *In obsidione Badonici montis, fretus imagine Dominicæ Matris, quam armis insuerat, nongentos hostium solus adorsus, incredibili cæde profligavit.* Scribit VVilhelmus Malmesburgensis lib. 1. de Gestis Regum Angliæ cap. 1.

Quid venerationis Michael Palæologus Imperator imagini Hodegetriæ expulsis Latinis Constantinopoli, detulerit, his verbis exposuit Gregorias lib. 4. *Post dies complures Imperator Constantinopolim intrat, non prius tamen quam sacrosanctæ Deiparæ, quam quasi viæ monstratricem Hodegetriam vocant; imago per portam, quam auream dicunt, ingressa esset: ubi cum illi gratiæ hymnis actæ fuissent, cum demum pedes præcedente sacrosancta imagine est ingressus, & in palatio, quod Hippodromo proximum est, habitari cœpit.*

Diade-

Diadema, seu stemma gemmis, & margaritis repletum defert in capite noster Heraclius: quando hoc ipsum stemma portabat Græcus Imperator, aliud indumentum non gestabat, quam saccum, inquit Curopalata de officio Constantinopolit. cap. 6. num. 33. & 35. Quanta autem in veneratione haberetur prædictum stemma, seu diadema Græcorum Imperatorum, quod in eorundem inauguratione intra sanctum tabernaculum illud teneretur, & à Diaconis sacras stolas ferentibus, deportaretur in ambonem, refert d. Curapalata, cap. 17. num. 19.

Sed idem Imperator in eadem solenni Coronatione communicaturus, in signum profundæ reverentiæ, deposito è capite diademate, tradebat illud Diaconis: & Patriarcha postquam ipse pretiosum Domini Corpus sumpserat, tradebat quoque Imperatori in manus Dominici Corporis particulam: qua sumpta sumebat etiam vivificum sanguinem: communicabat autem, Patriarcha sanctum Calicem tenente, & ipso os ad Calicem applicante, quemadmodum Sacerdotes solent. Ac post participationem Divinorum mysteriorum rursus Imperator imponebat capiti diadema, refert Curopalata dict. cap. 17. n. 44. & 45.

Imperatore coronato eidem mortuorum ossa, pulvis, & stuppa accensa objiciuntur: refert Petrus Damianus lib. 1 epistol. 17. *Apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, ut cum Imperator quis in dignitate creatur, mox ut Imperialibus infulis fuerit redimitus, Coronæ simul, ac Sceptri gloria decoratus; cum denique Procerum vallatur obsequiis, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit, qui videlicet una manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus offerat; in alia verò stuppam lini subtiliter pensam, ac piliis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repentè in ictu oculi flamma subito vorante consumitur: ut in altero debeat considerare, quod est: in altero valeat videre, quod habet. In cineribus siquidem se cinerem recognoscit; in stuppa jam colligit, in die Judicii, quam subito mundus ardebit; quatenus dum se simul, ac sua tam vana: tam floccipendenda; nullatenus insolescat; & dum possessor, atque possessio subjacere communi omnium casui non ambigitur; jam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa provectus est, non infletur.* Hæc Damianus.

Nec absimile est, quod servatur hic Romæ in summi Pontificis Coronatione, cui per tres vices objicitur stuppa, quam ignis momento comburit; dicente Ceremoniarum Magistro totidem vicibus alta voce: *Beatissime Pater, sic transit gloria mundi.*

Mos etiam fuit Romanorum Imperatorum, dum triumpharent, quod publicus minister in ipso curru veheretur, Coronam auream gemmis interpolatam super caput ejus tenens; & retro videre jubens, quo monebat, ut reliquum vitæ cursum provideret; & ne eo honore elatus superbiret: non enim est minus insigne fragilitatis exemplum is, qui triumphat, quam is, de quo triumphatur. Appensa propterea erat eorum currui Nola, & flagellum, quo innuebatur eum in tantas calamitates posse incidere, ut aut flagris cederetur, aut capite damnaretur: nam qui ob facinus extremo suppli-

supplicio afficiebantur, Nolas gestare solebant, ne quis contactu illorum piaculo obstringeretur; refert Zonaras de Camillo lib. 2. Annal. Illustre proditur in hoc exemplum de Sesostre Ægypti Rege tam superbo, qui annis quibusque sorte Reges singulos è subjectis jungere ad currum solitus, sicque triumphasse; refert Plinius lib. 34. cap. 3. At vero alter Rex triumphans, ductus à similibus Regibus currum ducentibus; cum isti ductores à triumphante exprobrarentur, quod retro respicerent, respondisse fertur ex iis unus: *Se continuum rotarum motum aspicere*, alludens ad instabilitatem fortunæ, cujus Symbolum est ipsa Rota, è qua etiam ipse triumphans poterat continuò in præceps ruere.

Pulchrum ergo mundanæ conditionis ordinem homo consideret, & dum suis usibus omnia cernit attribui, non sibi, sed suo referat gratias conditori; lenocinantem mundi gloriam sub judicii sui calcibus deprimat; virorem carnis aridum jam pulverem credat, diem suæ vocationis tanquam speculum suis obtutibus anteponat, districtum ultimæ discussionis judicium contremiscat: quatenus dum nunc Creatoris sui legibus subditur, qui inter creaturas, quæ terrenæ sunt, videtur insignis, in cœlesti quoque gloria veraciter sit sublimis, ut etiam inquit Petrus Damianus loco citato.

Sanctissimam Crucem manu dextera Græcus Imperator, ut in nostro Nummo solitus erat portare. Curopalata cap. 6. n. 37. & 39. tum quando coronatus considebat in thronis unà cum Imperatrice, quæ & ipsa tunc ramum, seu palmam tenebat; idem Curopalata cap. 17. n. 3. tum etiam quando solenniter gestabat stemma, seu diadema, similiter Crucem tenebat dict. cap. 17. n. 35. Quæ gestatio Crucis, non aliud indicabat, quam signum Dei, aut Christi, sicut libenter Christiani ipsam Crucem appellabant; ac etiam quasi Imperatoris illius tesseram, seu vexillum, ut in codice Justiniani: *Vetatur signum Salvatoris Christi humi, vel in silice insculpi.* sic Græci interpretes legem 38. Scævolæ accipiunt; de auro, argentoque mundo. *Fieri volo, jubeoque signum Dei ex libris centum.*

Aliquando prædicti Imperatores ipsi manu gestabant Crucem, ut diximus, aliquando gestabant Globulum, cui illa met erat supernè infixa. Suidas in Justiniano: *Imaginem suam posuit columnam in equo: ea sinistra manu fert globum, Cruce in eo infixa: significante, quod per fidem in Crucem, terræ Dominus sit factus: Globus enim terra est ob hanc ejus rotundam formam: fides autem Crux ob Deum, qui in carne in ea affixus.*

Hoc idem salutiferæ Crucis signum idem Imperator habebat supra diadema, ut etiam in nostro nummo habemus expressum, unde S. Hieronym. ad Lætam. *Vexilla militum Crucis insignia sunt, Regum purpuras, atque ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.* & Chrysost. advers. Gentil. *Hoc extremi supplicii symbolum, Crux diadematibus, & coronis clarius factum est*, sicuti in ipsorum etiam militum armis erat expressa. Euseb. de Vita Constantini: *Jam vero in armis ipsorum militum salutaris trophæi signum jussit extare.* Prudentius contra Symmachum: *Clypeorum insignia Christus scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.*

Sed

Sed quod omnem videtur fidem excedere, etiam Gentiles aliquando in eorum Triumphis non solum Crucem; verum & Crucifixum adumbrasse, ut ad eosdem Gentiles loquens Minutius Felix in Octavio sic inquit: *Trophæa vestra victricia non tantum simplicis Crucis faciem; verum & affixi hominis imitantur.* Quod etiam probat Pamelius ex quodam numismate Lucii Septimii, ut propterea SS. Patres Triumphi nomine appellaverint Crucem; ita S. Ambros. in c. 7. & 9. Luc. *Est autem Ecclesiæ filius, qui Crucem Triumphum putat*: Et D. Augustin. de Symbolo ad Catechum. cap. 5. *Crux fidelibus non est opprobrium, sed Triumphus, Crux vexillum contra adversarium Diabolum.* Et ex hac omnis honor pendet & gloria, ut dixerit Cyrillus Catech. 13. *Gloriatio gloriationum est Crux.* Et idem Redemptor noster cum morti appropinquaret, nominat eandem suam gloriam & exaltationem. Joann. cap. 8. & 12. *Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.* & infra: *Oportet exaltari Filium hominis.* In qua etiam Apostolus ad Galatas omnem suam Gloriam reposuerat, his verbis: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.*

In sinistra vero manu solitum fuit prædictis Imperatoribus deferre involucrum Codici simile, ligatum mantili, habetque intus cavitatem, & hoc vocatur Acacia, quasi dicat illud: Imperatorem humilem esse, atque mortalem; neque propter Imperii sublimitatem efferri, neque insolenter se jactare: per mantile significatur ejusdem Imperii inconstantia, & mos ab uno ad aliud transeundi, ut ex Curopalata cap. 6. num. 37. quamvis Gretser. in d. Curopalatam cap. 12. in fine velit Acaciam, quam Imperator ferre altera manu erat solitus, vitæ innocentiam denotasse.

Præferebant quoque Imperatori Lampades, etiam in nostro nummo effigiatas, propter illud Christi dictum Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Curopalata cap. 6. num. 37.

Extat etiam Theodori Balsamonis disceptatio de hoc more præferendi lampadem Imperatori, ut Imperatrici, & quinque Patriarchis, Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano; ineptè supponens ille Imperatori duplicem ob causam deferri lampades; tum quia humana, tum quia Divina curat; tamque ea quæ ad corpus; quam quæ ad animam pertinent: (hujus enim geminæ potestatis concessione blandiebantur recentiores Græci suis Imperatoribus) eaque de causa Lampades Imperatoris duplicibus aureis Coronis cinctas esse: Patriarcharum vero Lampades, ut & Imperatricis una tantum: eo quod Patriarchæ Spiritualium tantummodo curam habeant: mulieribus temporalia duntaxat spectent; quippe quibus in Ecclesia docere interdictum sit; refert Gretserus lib. 3. in Curopalatam cap. 1. num. 7. & hæc satis de Numismate.

NOTABILIA.

ABsoluta impressione hujus Centuriæ de Veteribus Christianorum Ritibus superaddendas etiam aliquas Appendices, seu Notabilia, ex eruditorum etiam Virorum judicio credidi: quæ sicut ad argumentum & elucidationem mearum lucubrationum non erunt importuna; nec minus spero injucunda Lectori futura.

Erit autem unaquæque Appendix addenda ad quodlibet Capitulum.

Capitulo primo. §. Ipsa quoque &c.

De Symbolo T.

DUm agitur de Symbolo T. seu Tau ad Crucem denotandam: attendendæ in hoc sunt picturæ, in quibus passim hodie videmus D. Antonii vetustissimi Anachoretæ penulæ, & manui imponi hanc Crucem seu Tau; siquidem Ægyptio illi viro notum inter sacra erat hoc signum: Quod pariter Obeliscis, qui inde Romam vecti sunt, insculptum sæpissimè videmus; Et forsan hunc Crucis characterem Ægyptii primum sumpserunt à Moyse exaltante serpentem in deserto, aut ex Virga ejusdem mirifica, in qua Tetragrammaton Dei nomen forma Crucis incisum fuisse traditur, ut refert P. Kircherius, Soc. Jesu in suo Prodromo.

Num. 18.

DUm adhuc essent sub prælo hæc à me scripta de Veteribus Christianorum Ritibus, Reverendiss. D. Ferdinandus Ughellus Abbas SS. Vincentii & Anastasii ad Aquas Salvias Ordinis Cisterciensium, vir maximè eruditionis ut ex ejus lucubrationibus nuper in lucem proditis titulo, *Italia sacra, seu de Episcopis Italiæ.* Ipse, inquam, diebus præteritis dono mihi obtulit Crucem ex ære antiquissimam, quam in hoc argumento ad æternam grati animi memoriam, hic delineatam propono. In qua quinque Leones erecti alis expansis apparent.

Circa cujus explicationem, Leo fortitudinis est symbolum, ut de Christi persona in cap. 5. Apocalypseos. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David aperire librum, & solvere septem signacula ejus*: In quem locum D. Ambros. per Leonem de tribu Juda Christum intelligit, qui ex tribu Juda, & progenie David ortus est. Leo autem propter fortitudinem est appellatus, quia Diabolum vicit, ut aperiret librum, & solveret

res ſignacula ejus, quoniam liber non potuiſſet aperiri, niſi prius vinceretur Diabolus, quæ victoria aperitio fuit veteris Teſtamenti, cujus ſpirituales intelligentiæ nobis antea latebant.

Hanc victoriam Chriſtus reportavit, dum ſupra Crucis trophæum ipſemet Redemptor noſter immolatus vicit: unde Regius Propheta cum Eccleſia canit: *Regnavit à ligno Deus:* & inde in noſtra Cruce merito expreſſi Leones fuerunt.

Alas expanſas habent iidem Leones erecti: tanquam ſymbolum, Chriſtum evolaſſe ſupra Crucem, ut mundum redimeret; ſicuti jam prænuntiaverat idem Chriſtus; *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

Quinquenarius eorundem Leonum numerus: in eadem Cruce, forte denotat quinque plagas, quas ex fixuris clavorum, & lancea pertulit fortiter Chriſtus noſter in Cruce.

Poſſumus ſic etiam interpretari, ut Martyres & Confeſſores in eorum preſſuris tormenta omnia ſuperando, tanquam fortes Leones fuerint in noſtra Cruce expreſſi: ac etiam iidem ſupra Crucem evolantes, & in fiſſuris Chriſti crucifixi meditantes, tanquam Columbæ in foraminibus petræ tuti ſemper remanſerint, & circumvolantem Accipitrem intrepidi fuerint ſemper intuiti: ut dixi etiam ſupra in cap. I. hujus operis.

De Crucifixo in arbore.

De Hieroglyphicis & Symbolis exprimentibus ſanctiſſimam Crucem, vidimus plura in capitulo primo, quæ non à fidelibus ſolum, verum & ab Ethnicis diverſarum Religionum habita in veneratione fuere. Nec minus prædictis prodigioſa eſt arbor illa, quam noſtris temporibus naturæ auctor in partibus Indiarum Americæ Auſtralis in Regno Cili, naſci voluit in teſtimonium Chriſtianæ religionis ibi exortæ; ac etiam ut ibidem paſſio & mors Salvatoris noſtri unicum & efficax redemptionis remedium ibi recolatur. Quidam illius regionis incola anno 1636. cum cæderet in ſilva arbores ad conſtruendas domos, invenit, & amputavit inter cæteras, arborem ſatis grandem duorum hominum magnitudine, quam poſtea cognovit duobus expanſis ramis perfectam Crucem formaſſe; ſed augebatur portentum, ex quo ſuper eadem Cruce ex eodem ligno à natura formatus, tanquam à ſcalptore fabrefactus, extendebatur quoque Crucifixus hominis magnitudine, qui manibus, facie & corpore perfectè & diſtinctè inſpiciebatur. Hujusmodi prodigio in Regione tunc propalato fœmina quædam nobilis, & erga ſanctiſſimam Crucem pia, in propriam domum collocavit hoc redemptionis pignus, ubi etiam ſuis ſumptibus Eccleſiam conſtrui fecit, in qua hoc ſanctuarium magno etiam hodie veneratur cultu: ut inde agnoſcant Gentes etiam in rebus naturalibus, & inſenſibilibus voluiſſe Deum ibi Fidem, & Fidelium pietatem augeſcere & confirmare. Hæc ita relata ſunt à P. Alphonſo de Ovalle Soc. Jeſu, oriundo ex Regno Cili, ejusdemque Romæ Procuratore in ſua Hiſtoria Regni Cili impreſſa hoc anno 1646. ubi atteſtatur ſe ipſummet arborem hanc vidiſſe.

Cap. II. §. Additur quandoque tertia Clavis.

NOta tertiam Clavem, quæ etiam addi aliquando eſt ſolita ad imaginem D. Petri; eſſe quoque Clavem ſcientiæ; & ex ſcientia regendi Eccleſiam juxta illud:

Pasce oves meas. Eadem Clavis est diffiniendorum ex revelatione, qua docend. sunt Christiani: & de hac clavi dici solet, Clave non errante.

Eodem cap. II. §. Est etiam quæstio.

cur Petrus ad sinistrã Pauli?

PRæterea, quæ in hac quæstione deducta sunt; Quod Paulus aliquando à dextris ponatur Petro. Id potius apparet ratione diversi situs intuentium, ex positione templorum juxta Orientales, & Occidentales. In quibusdam sigillis id observatum, namque in incisione sinistra est imago, in impressione fit dextra.

Idem §. De sancto Christophoro.

De S. Christophoro.

DE figura D. Christophori magna seu Gigantea; non tam hieroglyphica est, quam vera; ut ex authenticis scriptis de mensura pedis cum crure, & coxa ejusdem Martyris, carne, pelleque ita integra ut usque ad digitos nil mutilatum haberet: nam capta per Turcas Constantinopoli illa reliquia cum publica attestatione Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani ejusdem sigillo, & subscriptione munita, qua mira observatione tota illa sacra reliquia describitur, ut omnis de ea dubitandi occasio adimatur: eam patroni Ecclesiæ, ubi illa servabatur, Sibenicensi Episcopo donarunt, cum ipso Patriarchali authographo Græcis & Latinis literis exarato, adhuc in Ecclesia cathedrali Sibenicensi extante.

Ea porro magnitudo est mensuræ A. B. vicies ac semel repetitæ, cum excessu C. D. semel adjuncto.

A.——————————————B.

C.——————D.

Quibus firmatis, necesse fuerit ad symbolicas transire interpretationes. Ut late refert Rev. P. Melchior Inchofer in conjectione de epistola B. Virginis Mariæ ad Messinenses; ut in Appendice 76. ad pag.

Cap. II. §. Inde est.

De oculis sanctæ Luciæ.

QUæ de Luciæ Virginis, & Martyris oculis plures scribunt, error subrepsit; nam illud de oculis non habetur in vera lectione Luciæ Martyris Syracusanæ; sed Luciæ Romanæ tribuitur, de qua Beda, Usuardus, Ado; Mombrit. tom. 2. & Martyrolog. Romanum 16. Septemb. ubi notationes Baronij, & idem Baron. anno 303. num. 115. Confundunt aliqui hanc Luciam Romanam cum illa Syracusana; Sicque & Ecclesia ab Honorio Papa erecta Romæ in Esquilino, dicta Diaconia sanctæ Luciæ ad septem Solia apud Basilicam sancti Silvestri posita, tribuitur illi Romanæ. Quanquam Bzovius in Annalib. Ecclesiast. anno Domini 1057. num. 4. referens statum Ecclesiæ Romanæ ex codice Vaticano tempore Petri Damiani Card. Episcopi Ostiens. inquit fuisse Romæ Ecclesiam sanctæ Luciæ in capite Suburræ (quæ est eadem cum supradicta apud Ecclesiam sancti Silvestri) & aliam ecclesiam sanctæ Luciæ ad septem Solia seu Septizonium, quæ hodie est diruta intra montem Scauri, & Palatium. Est præterea juxta Tiberim ad quatuor portas vetus memoria ejusdem, ubi corpora d. S. Luciæ Romanæ, & S. Geminiani condita dicuntur: ut in dictis Annotationibus ad Martyrolog.

Cap. IV. §. De numero Sacramentorum.

SEptem autem esse Ecclesiæ Sacramenta à Christo Domino instituta, nec plura aut pauciora, quam septem adducta, ac etiam singula prædictorum Sacramentorum esse vere, & propriè Sacramenta. Unde refellendi inter cæteros recentiores quidam, dum erronee docent octo esse Sacramenta, annumerantes etiam inter illa Regum unctionem; sicuti nec in veteri Lege oleum, quo ungebantur Reges per Prophetas, ut Regni gubernacula tenerent, plerumque non erat sanctum: ut infra in Appendice ad cap. 37.

De septem sacramentorum congruentia.

De connexione & congruentia inter hæc septem sacramenta nobis apertè constat. Quoniam per Baptismum renascimur in vitam quandam novam, qua non jam nobis vivimus, sed vivit in nobis Christus, quem in Baptismo sumus induti: unde Baptismus dicitur sacramentum fidei; Sed postquam in Baptismo semel Christo desponsi sumus, non ad fidem otiosam, sed ad pugnam periculosam nos cum Satana vocati sumus: ut ex Job. cap. 7. *Militia est vita hominis super terram.* Quo igitur simus in prælio gerendo fortiores, signamur in fronte & ungimur Chrismate salutis; quo signo datur nobis Spiritus sanctus, qui præsto nobis sit pugnantibus, robur præstet, fiduciam resistendi suppeditet: Unde vocatur confirmatio spei sacramentum, eo quod per illud in bonam spem erigimur ex hostibus victoriæ deportandæ. Sed quia qui pugnant, indigent alimento, alias vires non suppeditarent, de illo Pater misericordiarum nobis providit; non ea carne, quæ videri, quæ tangi, & quæ sensu aliquo comprehendi possit, sed ea quæ sola fide complecti licet, sua videlicet vera, & viva carne, suo vero & vivo sanguine nos reficere dignatur. Qua in re cum maxima sit illius in nos charitas, qua nos ad illum amandum vicissim inflammamur, rectè dicitur Eucharistia sacramentum charitatis, per quam unum cum Christo capite, unum inter nos corpus efficimur. Sed quia sæpe nostra culpa fit, ut cum hoste dimicantes succumbamus, graviterque sauciati prosternamur; hac quoque in parte de remedio Pater cœlestis providit, pœnitentiæque medicinam concessit, qua sauciati resurgere possemus, & Deo per hoc sacramentum reconciliaremur; requiritur tamen in hoc aliquid à nobis, si redire velimus in gratiam, ut scilicet à peccatis cessemus, ut ea detestemur, & odio habeamus, ut corde contrito, & humiliato non solum recogitemus in amaritudine peccata nostra, verum etiam ministro reconciliationis Evangelico Sacerdoti ea confiteamur, & ab eo absolutionis beneficium petamus. Postremo ut per jejunia, orationes, eleemosynas, ac alia pia vitæ spiritualis exercitia, dignaque pœnitentiæ opera satisfaciamus; non quidem pro pœna æterna, quæ merito Christi passionis, & mortis per sacramentum, vel sacramenti votum una cum culpa nobis remittitur, sed pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut fit in Baptismo, remittitur: Sacramentum enim hoc ad justitiam refertur, cum justum sit, ut qui gratiæ, quam acceperat, ingratus Spiritum sanctum contristavit & templum Dei violavit, non sine satisfactione reconcilietur. Sed quoniam non alio tempore gravius, & periculosius certamen instat, quam cum gravi infirmitate conflictatis ex hac vita migrandum est, qua de re non dedignata quoque

est Dei benignitas; deditque sacramentum extremæ Unctionis, quo vires tam corporis quam animi refocillari possint; ut cum ad congrediendum cum tam potenti adversario accedimus, illius gratia adjuti, non omnino ei impares esse possemus. Hoc sacramentum ad fortitudinem refertur, cujus pars est perseverantia, quam hujus unctionis beneficio consequimur fortes in pugna perseverantes, ac sumpto scuto fidei omnia tela nequissimi ignea extinguimus. Sed quia sine ministris vita constare non potest, de illis etiam Ecclesiæ suæ Deus providit non sine ordine, qui non solum ad decorum facit plurimum, verum etiam ad concordiam, & unitatem retinendam: inde dedit minores ordines quatuor: dedit & majores, subdiaconatum, diaconatum, & sacerdotium. Refertur autem hoc sacramentum ad Prudentiam; quandoquidem fidelem esse servum, & prudentem oportet, quem constituit Dominus super familiam suam: Fidelem, ut bonum in communem utilitatem ordinet: Prudentem, ut rationem dispensandi agnoscat. Quoniam vero unius hominis ætas longa non est, brevi defuncturi erant, qui per Baptismum renati Christo se militiæ ascriberent; etiam huic rei remedium Deus contulit ac matrimonium in ipso paradiso instituit, ut novi Christi milites conscriberentur: si modo parentes non alia voluntate liberos procrearent, quam ut per Baptismum ex membris primi hominis in membra Christi translati, in ejusdem Christi militum locum sive album referrentur: atque iis, qui vita functi essent, novi semper succederent. Hoc sacramentum ante Adæ peccatum erat tantum in officium, & ministerium; post vero non modo in officium, sed & in remedium institutum erat: quapropter ad eam virtutem refertur, quæ Temperantia dicitur, ut est incotninentiæ remedium.

Cap. VIII.

Christus se communicavit.

QUod autem Christus communicaverit, & sibi sanctissimam Communionem impert erit, quamvis apud Evangelistas in Cœna jam peracta non fiat de hoc mentio apertè; id tamen totum ab eo factum esse affirmare non dubitamus, sanctorum Patrum doctrina suffulti. S. Thomas part. 3. quæst. 81. art. 1. inquit: *Etenim quæ Christus ab aliis facienda voluit, ipse jam prior executioni mandavit, sicut ab eo de Baptismo factum esse constat, juxta illud Actuum 1. Cœpit Jesus facere, & docere.* Hinc Gloss. in cap. 3. Ruth explicans comestionem Booz. inquit in hunc modum: *Comedit Christus & bibit; cum in Cœna corporis, & sanguinis sui sacramentum tradidit Apostolis.* Euseb. Emissenus homil. de Paschate, dum explicat illud Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Hoc est, inquit, novum mysterium novi Testamenti, quod tradebat Discipulis: quod plures ante eum Prophetæ, & justi concupierunt.* Qui per Pascha à Christo desideratum, sive esuritum, novum Pascha, Eucharistiæ scilicet Sacramentum interpretatur. Et Glossa Moralis Lyrani in hunc locum; *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum: hoc est Eucharistiæ Sacramentum, quod nos per fidem spiritualiter manducamus, & ipse manducat nobiscum, incorporando nos sibi per hoc Sacramentum.* De quo loquens D. August. lib. 7. Confess. cap. 10. ait: *Cibus sum grandium; cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Christus itaque Cœna illa ultima jam per-

acta,

acta, prius Corpus suum comedit & sanguinem suum bibit, deinde Apostolis eadem sumenda præbuit, quando dixit: *Accipite & comedite: Hoc est enim Corpus meum*; deinde: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.*

Christus igitur novum Pascha, hoc est Eucharistiæ Sacramentum, seipsum videlicet manducavit spiritualiter, & sacramentaliter, ut ait S. Thom. dict. quæst. 81. art. 1. sed aliter quam cæteri homines, id est non quantum ad effectum illum, qui est augmentum gratiæ, qua ipse plenus non indigebat, sed quantum ad effectum illum, qui est spiritualis dulcedinis delectatio. Cæteri enim Eucharistiam, quæ bona interpretatur gratia, spiritualiter, & sacramentaliter sumentes, gratiæ augmentum, sub sacramentalibus signis suscipiunt, quibus pro veritatis perceptione indigent: Id ipsum quod in ultima Cœna Christus Eucharistiæ Sacramentum susceperit, vel se ipsum manducaverit. S. Bonavent. in suo Breviloquio part. 6. cap. 4. inquit: *Christus quædam Sacramenta instituit initiando, & consummando, & in seipso suscipiendo: Sacramentum scilicet Baptismi, Eucharistiæ, & Ordinis. Hæc enim tria, & plenè instituit & etiam primus suscepit.* De Sacramentali Eucharistiæ manducatione à Christo celebrata, idem cum Gloss. sentit Hesychius in Levit. cap. 28. Alexand. Alensis, part. 4. quæst. 11. Bonavent. lib. 4. Sentent. art. 1. Biel. lib. 4. distinct. 9. quæst. 1. Qui Christum corpus suum sacramentaliter comedisse dicunt.

Cap. VIII.

DE Verbis Consecrationis à Sacerdote prolatis in Christi persona inquit Ambros. de Sacrament. lib. 4. cap. 4. *In superioribus, quæ à Sacerdote dicuntur, laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris; ubi autem sacrificium conficitur, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi: ergo sermone Christi conficitur venerabile Sacramentum.* Et idem infra: *Panis iste est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi? consecratione: consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Jesu Christi.*

Vera consecratio.

Hoc idem expressit D. Chrysostomus homil. 51. in Matth. ibi: *Qui dixit, hoc est corpus meum, & rem simul cum verbo conficit.* Et idem Chrysostom. ibidem. Non homo qui corpus Christi facit, & sanguinem, sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei gratia, & virtute proposita consecrantur: Hoc enim (ait) est corpus meum, Hoc verbo proposita consecrantur. Vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque ad hodiernum diem, & usque ad Christi adventum præstat sacrificio firmitatem.

Quamvis Sacerdotii munus, ac functionem beatissima Virgo MARIA longe à seipsa constituit, omnium tamen Sacerdotum jura, religiones, ac sanctitates, dignitate supergressa est: quin imo Sacerdotibus ipsa universis argumentum singulare fuit, quæ Unigenitum suum in Ara Crucis pro salute generis humani longe acceptiori voto quam totius Ecclesiæ, Patri æterno sacrum dedit.

Quæret forsan aliquis curiosior: Quomodo hæc Transubstantiatio à Christo fieri potuerit? Respondent Patres. Primus Cyrillus: *Aquam aliquando mutavit in*

Quomodo Transubstantiatio fiat?

vinum

vinum sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem mutasset? Secundus Ambrosius: *Si tanta vis est in sermone Domini JESU, ut inciperent esse, quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? cælum non erat, mare non erat, terra non erat: sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quod jam est corpus Christi. Ipse dixit & factum est.* Subjungit: *Virgam tenebat Moyses, projecit eam & facta est serpens. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? non minus enim est novas rebus dare quam mutare naturas.* Imò longe majus, ut bene Eucherius Lugdunensis, qui vixit sub annum Domini 450. *Quid mirum est, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere? imo jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscatur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare.*

Non vilis transubstantiatio

Nec vile fortè alicui videatur Deum panis & vini vestiri specie. Fuitne portentum minus Virgineo claudi ventre, Virgineoque ubere lactari Deum? tot mensibus cæco carcere claudi, tot mensibus uberibus lactari Deum? & non esurit, non sitit, non lachrymatur super Lazarum, non trepidat in horto Deus? non sanguinem in horto, in Columna, in Cruce fudit Deus? portentorum enim divites sumus.

De forma transubstantiationis.

Nec minus urget quod forma Transubstantiationis (sicut in Canone Missæ legitur) ab aliquo ex Evangelistis præcisè relata non habeatur, nam respondetur multa de verbis, & factis Dominicis ab Evangelistis omissa, quæ sermonibus suppleverunt Apostoli, & operibus expresserunt: ac etiam nos credimus prædictam Canonis formam à Christo accepisse Apostolos, & ab ipsis receperunt successores; ita in Constit. Innocentii III. Papæ, de qua in Annalibus Ecclesiast. tom. 13. Raynaldo auctore ann. 1202. num. 14. 15. & 16. ut etiam refertur in cap. Cum Marthæ; de Celebrat. Missarum.

Habetur in Canone Missæ, *Hic Calix novi, & æterni Testamenti*: ex 1. Corinth. cap. 11. Hic Christus alludit ad Fœdus Moysis inter Deum & populum sancitum sanguine victimarum, Exod. 24. quod allegorice hoc fœdus Christi sanguine sancitum significabat: ut etiam hoc loco Testamentum scripturam vel instrumentum hujus ultimæ voluntatis significat. Hinc etiam veteres Ethnici solebant fœdera victimis & sanguine sancire, ut de fœdere inter Romanos & Albanos inito, Livius lib. 1. inquit: *Positis fœderis legibus ajebat Fecialis: Populus Romanus prior non deficiet; si prior defecit, publico consilio, dolo malo; tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque; & mox porcum saxo silice percussit.* Et Virgilius 8. Æneid de Romulo & Tatio.

Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca.

Unde

Unde putant nonnulli Fœdus dictum à fœdo scilicet animali, puta porco, qui in fœdere mactabatur. Idem etiam usu receptum inter veri Dei cultores Genes.15. vers. 9. 10. & 27. Idem factum in fœdere Dei cum Moyse, & Judæis Exod.24. Simili modo Christus Dominus novum Fœdus, & Testamentum sancivit seipso, & sanguine suo quasi victima, & sanguine victimæ fœderalis, quibus promeruit nobis redemptionem, gratiam, hæreditatem, & omnia bona, quæ in hoc fœdere suo nobis promisit: ad Hebræos cap.9. vers.15. & seq. Idque expressit hic in institutione Eucharistiæ: *Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine*. Et clarius explicat S. Matthæus; *Hic est Sanguis novi Testamenti.*

Objiciunt etiam in hoc Sectarii, ut per ea verba Canonis Missæ: *Mysterium fidei.* Intelligatur sacrificium illud Exemplum; non autem vera Transubstantiatio corporis & sanguinis: quoniam respondetur per ea verba id intelligi quod aliud ibi creditur, quam cernatur, & aliud cernitur, quam credatur, ut habetur in dict. Constit. Innocentii III. ann.1202. de qua in cap. Cum Marthæ extr. de Celebrat. Missarum.

Calumniantur etiam Sectarii verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem.* Si commemoratio sacrificii Crucis: ergo non est sacrificium, sed respondetur negando consequentiam, sic enim vetera sacrificia erant vera sacrificia, etiamsi repræsentarent sacrificium Crucis: pari modo Eucharistia est verum sacrificium; etsi fiat in commemorationem sacrificii Crucis. Cornelius à Lapide in 1. ad Corinth. cap.11. vers.25. in fin.

Demum quoniam præteritis sæculis fuit controversia, utrum in sacramento Altaris aqua cum vino transubstantiaretur in sanguinem: fuit decretum, aquam cum vino in sanguinem transubstantiari, ut expressius eluceat proprietas sacramenti: ita in prædicto cap. Cum Marthæ extr. de Celebratione Missarum. §. Quæsivisti etiam.

Contra hæc sacrosancta Consecrationis & totius Missæ mysteria impudentissime etiam objiciunt Sectarii: Missam Papisticam cum toto abusuum oceano ante pauca sæcula in Ecclesiam per homines impiè audaces invectam, patribus purioris Ecclesiæ omnino incognitam fuisse. Quibus respondetur, nil impudentius unquam comminisci verbis prædictis valet, præsertim, cum ipsi Sectarii nullos tantæ impietatis prætensæ auctores prodant. Quod si eorum nomina tam detestanda existimant, ut ea nominare fas non sit; cur modum, per quem tantum mali in Ecclesiam invectum sit, non referunt, vel saltem tempus quando hæc evenere?

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo? Omnibusne fortè dormientibus inopinato ante pauca sæcula Missas enatas credunt? nonne ulli aderant, qui hæc conscriberent & memoriæ mandarent? Hæccine nullis productis testibus, nullorumve allegatis scriptis tam temerè effutire non erubescunt? Quod si fide dignis testibus, ac Doctorum scriptis hæc ostendissent; merito nos Catholici causa caderemus: nec opus foret ullos articulos probandos proponere circa nocturnas illorum comessationes, seu Orgya, longe satis diversa à Missa, seu sacra Synaxi à Christo Domino instituta, & ab Apostolis, sanctis Patribus, & summis Pontificibus, usque in præsens ordinata, ut latè supra in cap.9. & 10. fuit demonstratum.

Cap. IX. §. & S. Petrum.

Prima Missa.

DIcitur, Petrum Apostolum primum omnium Antiochiæ celebrasse. Nota eundem primum omnium beatæ Virgini adhuc viventi Aradi templum erexisse, & ibi primum sacrificasse; refert Raphael Volaterranus lib. 2. Geograph.

Eodem cap. IX.

Missa vulgaris.

JUxta ritum, & diversitatem linguarum Missam celebrant. Adverte vetitum fuisse lingua vulgari Missam celebrare, ut infra cap. 47. Unde quod Joannes VIII. leviter concesserit Moravis celebrare lingua Sclavonica, Gregorius VII. severè sustulit. Inde, & aliis prætextibus orta fabula ipsum Joannem fuisse fœminam. Ita Pater Inchofer in Annalibus Ecclesiasticis Regni Ungariæ anno 880. pag. mihi 101. ubi refertur privilegium Joann. VIII.

Eodem cap. IX.

De Missis S. Ioann. Baptistæ.

USus celebrandi jam tres Missas in festivitate sancti Joannis Baptistæ processit, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, ut viam Domino præpararet exemplo suæ conversationis, qui triumphus celebratur in vigilia ejusdem. Per mysterium Baptismi claruit insignis: hujus mysterii triumphus in prima Missa recolitur. Nazarenus permansit ex utero matris: hoc donum recolitur in secunda Missa. Alcuinus de divin. offic. cap. de sancto Joanne Baptista, Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. 3. cap. 38.

De Missa SS. Innocentum.

In Missa SS. Innocentum omittitur Gloria in Excelsis, Alleluja, & Altaria colore violaceo ornantur, & quasi in tristitia deducitur ille dies. Quoniam Ecclesia in hoc officio conjungi nos vult animis devotarum fœminarum, quæ in morte Innocentum doluerunt, & plaxerunt; sicut etiam nos ab actu malorum Judæorum in Cœna Domini, in Parasceves, & in Sabbato sancto à porrigendis osculis, sive aliis suetis abstinemus. Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 41.

Missa de Sanctis.

Dicuntur Missæ de Sanctis, quoniam de istis habentur commemorationes, refert D. Cyprianus lib. 4. epist. 5. *Sacrificia pro Celerina, Laurentio, & Ignatio, qui palmas à Domino, & coronas illustri passione meruerunt, ut semper meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.*

Quanquam Missæ dicantur de Sanctis propter earum Commemorationes, non tamen pro ipsis oratur, & sacrificium in ea soli Deo offertur. August. de verbis Apostoli serm. 17. *Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ibi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur; injuria enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Sacrificium in Missa non Martyribus, aut aliis Sanctis sed soli Deo. D. August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. inquit: *Igitur & nos Martyribus non sacrificamus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur; non tamen à Sacerdote invocantur, Deo quippè, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum.*

Quod

Quod etiam ex verbis Canonis evidenter demonstratur: ut refert D. Augustin. lib. 8. cap. 27. de Civit. Dei his verbis: (Quis enim fidelium audivit aliquando stantem Sacerdotem ad Altare etiam super sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis sociavit: ut ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem advocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.)

At quamvis in præcedenti sæculo mos fuerit in Ecclesia plures particulares sanctorum Missas etiam cum suis præfatiis celebrari, quæ hodie ab ipsis Romanis Pontificibus, & sacra Rituum Congregatione expresse prohibentur, nempè S. Gregorii pro vivis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum S. Rocchi, quinque Plagarum. De Patre Æterno, & quascunque alias non approbatas. Hoc probabile est provenisse cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sit maximum omnium Sacramentorum, illudque in sacra Missa conficiatur, ac pro peccatis totius populi Deo Patri offeratur: sanè conveniens est, ut qui omnes unum sumus in uno corpore, quod est Ecclesia, & de uno corpore Christi participamus; una & eadem celebrandi ratione, uniusque officii, & ritus observatione, in hoc ineffabili, & tremendo sacrificio utamur: sicut habetur in Bullis Pii V. & Clementis VIII. de quibus in Missali.

Missa pro defunctis celebranda.

Missas à priscis Patribus celebrari consuetas pro Defunctis. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 12. & 13. inquit: *Offertur sacrificium pretii nostri pro Monica matre ejus, quæ desideraverat sui memoriam post mortem ad Altare (cui nullius diei prætermissione servierat) fieri, unde sciebat dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.*

Posidonius in vita D. Augustini inquit: Augustinus membris omnibus sui corporis incolumis integro aspectu, atque auditu, nobis adstantibus, & videntibus, ac cum eo pariter orantibus obdormivit in pace cum patribus suis, enutritus in bona senectute, & nobis coram positis pro ejus corporis depositione commendando sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est. S. Cyrillus Hierosolym. Catech. mystag. 5. inquit: *Postea cum sacrificium offerimus, facimus etiam mentionem pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis: denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt: maximum esse credentees animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est, sacrificii.* Et dixi in cap. 88. de Purgatorio; quod inter viventium suffragia maximè sacrosanctum Missæ sacrificium prosit Defunctis.

At vero pro Excommunicatis, aut infidelibus Missas non esse celebrandas D. Cyprianus lib. 1. epist. 9. inhibet Clero Furnensi, ne pro dormitione Victoris fiat oblatio, vel deprecatio ejus nomine, eò quod antiquum Canonem violarat, & subdit: *Neque enim ad Altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & ministros sive Levitas avocare voluit.*

Nec minus ulla ratione permittendum ab Ecclesia, ut pro non-Baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis & sanguinis Christi, Aug. de

 Anima,

Anima,& ejus origine lib.1. cap. 9. & 11. ad Renatum, & lib.3. cap.12. de Anima, & ejus origine ad Vincentium Victorem.

Eodem cap. IX. §. Quotidianum.

Missa quotidiana.

DIctum est supra in Ecclesia fuisse celebratas Missas quotidianas. Quibus addere lubet D. Chrysost. homil.17. in epist. ad Hebræos his verbis: *In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens; quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus, & una est hæc hostia, non multæ: quomodo una & non multæ? quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum. Hoc sacrificium exemplar est illius: id ipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed eundem ipsum: proinde unum est sacrificium hac ratione: alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam, sed unus est Christus & hic plenus existens & illic plenus. Sicut enim quod ubique offertur, unum corpus est, & non multa corpora, ita & unum sacrificium. Pontifex noster ille est, qui hostiam mundantem nos, obtulit, ipsam offerimus, & nunc quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Quod enim nos facimus in commemorationem, fit ejus quod factum est, hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.*

Sempiternum.

Erit præterea hoc Missæ sacrificium sempiternum. Cyprian. serm. de Cœna Domini. *Perpes est hoc sacrificium, & semper permanens holocaustum. Nulla panem hunc multitudo consumit, nulla antiquitate veterascit.* Et D. Athanasius, qui floruit anno 324. adversus Arrianos, inquit: *In æternum Christi est sacerdotium, quia quotidie offertur per ministros Dei oblatio, Christum & Pontificem habens & sacrificium.*

Tempore Antichristi cessabit.

Quinquam tempore Antichristi cessaturum hoc sacrificium tribus annis, & dimidio. Chrysostomus opere imperfecto in Matth. cap 24. homil 49. inquit, his verbis: *In dimidio hebdomadis, hoc est tribus annis & sex mensibus, hoc sacrificium Christianum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta. Non erit qui aut Ecclesiam intret, aut Dei oblationem offerat.* Et Hippolyt. Episcopus, orat. de Antichristo, sic inquit: *Nam lugebunt Ecclesiæ luctum magnum, quia nec ablutio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus, sed Ecclesiarum ædes instar tugurii erunt, pretiosumque corpus, & sanguis Christi non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, psalmorum decantatio cessabit, scripturarum recitatio non audietur.*

Missa privata.

Non solum publicas, verum & privatas Missas fuit semper in Ecclesia celebrandi ritus. Augustinus lib.22. de Civitate Dei cap.8. scribit: *Hesperium virum tribunitium comparasse fundum suum, Cubebi appellatum in territorio Fussalensi, malignorum spirituum vi noxia insectatum: rogasseque presbyteros, ut aliquis illorum illo pergeret; perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessavit.*

Sozomenus lib. 9. cap. 8. & 9. Tripart. hist. narrat, Gregorium Nazianzenum Episcopum Constantinopoli, in parvo Oratorio sacra celebrasse; cum populus illic ad Missas congregaretur: mulierque prægnans ex porticu superiori delapsa, mortua esset, commemoratione facta, revixerit partu servato.

Theodoretus cap.20. hist. Relig. qui vixit anno 454. refert; *Cum Maris eremita*

longo

longo tempore desiderasset videre offerri spirituale, & mysticum sacrificium, rogavit ut divini doni illic fieret oblatio: ego vero lubenter parui, & jussi sacra vasa adferri: & pro altari usus Diaconorum manibus mysticum, divinum, & salutare obtuli sacrificium: ille autem omni spirituali implebatur voluptate, & existimabat se ipsum cœlum videre: dicebatque se nunquam tantam cepisse voluptatem.

Eodem cap. IX. §. in tugurio.

Capella.

MIssas olim celebratas in Capellis tectis virgis, & stramine; ut legimus in Annalibus Anglorum: & tale fuit Oratorium extructum ibi à Josepho ab Arimathia.

Eodem cap. IX.

De Sacerdote ministro in Missa.

QUanquam in Sacerdote celebrante Missam, Sanctitas morum requiratur, nihilominus D. Chrysost. 2. ad Timoth. 2. homil. 2. inquit: *Sacra illa oblatio, sive illam Petrus, sive illam Paulus, sive cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam Christus ipse dedit discipulis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt, nihil habet ista, quam illa minus. Nam non hanc sanctificant homines, sed ipse Christus, qui illam ante sacraverat: quemadmodum enim verba, quæ loquutus est, eadem sunt, quæ nunc Sacerdotes pronuntiant: ita & oblatio eadem est.* Unde cujuscunque meriti sit sacramentorum minister, non facit illa diversificare, seu alterare. S. Chrysost. hom. 8. in 1. ad Corinth. *Idem Baptisma non esset, aut corpus Christi; aut oblatio, quæ per Sacerdotes impiè viventes administrantur: si ubique gratia meritum exquireret, quia id omne divinæ virtutis est opus.* Non sunt enim humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna fecit Christus; nunc operatur, & perficit: nos sacerdotes ministrorum ordinem tenemus, qui vero ipsa sanctificat, & transubstantiat principaliter ipse est. Hinc D. Cyprianus lib. 2. epist. 3. inquit: *Utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri; si sic incipiat offerre, secundum quod videat ipsum Christum obtulisse.* Et propterea sacerdotium in malis sacerdotibus etiam venerandum. Chrysost. homil. 3. ad Coloss. inquit: *Oportet indignos Sacerdotes venerari ac credere, Deum per ipsos operari, quamdiu sunt. Non nos contemnis, sed ipsum Sacerdotium. Si quando videris Sacerdotio exutum, contemne: neque ego tunc præcipere potero. Quousque vero in sede constituti sumus, quousque præsidentiam habemus, habemus & dignitatem, & potestatem, licet indigni simus.* Et Hieron. epist. ad Heliodorum. *Absit jam igitur, ut de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt.*

Cap. X.

De Alleluja.

REfert Epiphan. ab Aggæo Propheta omnium primo *Alleluja*, fuisse cantatum; item *Amen*, quod fiat significat: forsan quod prophetaverit ipse Christum venturum, ut in cap. 2. ibi: *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Sed admodum videtur hoc difficile, cum ante illius ætatem in Psalmis Davidicis millies legamus Alleluja. Nisi dicamus Psalmis, & Canticis ab Aggæo primum additum Alleluja, & post orationem quasi legitime positum Amen, quod etiam modo facit Ecclesia, sicut faciebat olim ætate Pauli, ut constat 1. Corinth. 14. vers. 16. *Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem.* Ita Sanctius Societatis JESU in Aggæum Prolegomenon. 2.

Cap. X. §. Tribunali.

De ritu in Evangelio.

EVangelia ex editiori, fixoque loco à Diaconis cani solita exploratum est, idque à dilatato jampridem Ecclesiæ regno celebre satis fuit: siquidem 20. post Redemptoris mortem, aut 30. annorum curriculo doctrinam Evangelicam ubique fermè auditam fuisse. Chrysost. homil. 76. in Matth. Quo spectat & illud Apostoli Pauli Rom. 1. cap. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiabitur in universo mundo.* Recte Joann. Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiast. lib. 2. cap. 23. à n. 11. inquit: Diaconus altiorem locum ascendit lecturus Evangelium, idque variis rationibus. Prima, ut ab omnibus audiatur, juxta illud Isaiæ cap. 40. *Super montem ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam.* Secunda, ad significandum, quod veritas Evangelica enuntiari debet luce, palam ante oculos omnium, non in latibulis occultorum locorum, ut faciunt hæretici, Matth. cap. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Tertia, ad commemorationem ascensus Domini in montem, dum docebat turbas. At Amalarius lib. 3. cap. 8. inquit: *Excellentior locus excellentissimam doctrinam, auctoritatemque jud. candi designat.* Hunc Ecclesiæ morem ex edito legendi, ac concinendi Evangelium vetustissimum ostendit Cyprianus lib. 4. epist. 5. ibi: *Quid aliud quam super pulpitum, id est Tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta Evangelii Domini.* Ita religio fidelium olim in ritus immisit, ut Evangelio legendo, ac decantando, non secus ac prædicando suggestus eminentes, perpetuos, immobiles ævo, & natura penè marmoreos, eosque non in angulis, & angustiis obscurisque adytis: sed aperto, patenti, & illustri loco, & quod hodie in antiquioribus urbis Romæ, Europæque templis integra vestigia servat, in mediis propemodum Ecclesiis erigerent, exornarent; sive populari coronæ ad doctrinam; sive annuntiantibus Deum, ne Evangelium erubescerent; sive denique ad propagati per orbem regni Dei, luminisque fidei in medio constituti claritatem, firmitatem, majestatem, ad quod respexisse videtur Hilarius in Comment. cap. 10. Matth. *Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse.*

Cap. X. §. Anastasius.

REcti audimus Evangelium, ut mentem ad excelsa erigamus. Et in partibus septentrionalibus dum legitur Evangelium, omnes Laici erecti non solum stant; sed in plerisque regnis Laici manus ad capulum gladii ponunt, tanquam parati ad defensionem Evangelii: alicubi etiam evaginatis gladiis stant procincti, usque ad finem Evangelii; ut habetur in Chronicis de Rebus Polon.

Levita, seu Sacerdos lecturus Evangelium, dum transiit de parte dextera ad sinistram: significatur illud quod Judæis credere nolentibus Apostoli dixerunt: *Primum oportebat vobis loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud: & indignos vos exhibuistis, ecce convertimur ad Gentes.* Adversus Gentilitatem ergo, in qua frigus infidelitatis diu regnavit, tanquam in plaga septentrionali, adhuc prædicatur Evangelium, donec introeat

introeat plenitudo Gentium; & tandem sub Enoch & Elia ad fidem veniant reliquiæ Judæorum: & hoc significatur, cum Sacerdos ob complenda Missæ Sacramenta ad dexteram partem revertitur. Post Evangelium profitetur Ecclesia fidem suam, cantando Symbolum Apostolicum, ut ostendat, quantum profecerit per Evangelium. Ivo Carnotens. serm. de Convenient. vet. & nov. Testam.

Eodem cap. X. §. Successu temporis.

De Symbolo.

SEd adverte, ut optime probat Rev. P. Inchofer in suis Annalibus Ungariæ anno 1014. quod Romæ etiam ab initio Symbolum dici consueverat: sed postea cessavit recitari, ex quo tempore Latini addiderunt particulam, *Filioque*, à Niceno Concilio non expressam. Unde id miratus Carolus Magnus Imp. obtinuit à Benedicto Romano Pontif. potius, ut iterum Symbolum caneretur in Missa, quam de novo illud induceretur.

Cap. X.

De elevatione in Missa.

ET circa elevationem & ostensionem sanctissimæ Eucharistiæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, post consecrationem Eucharistiam in altum tollere, & populo ostendere consuetam, probat Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. his verbis: *Pontifex cum divina munera laude prosequutus fuerit: sacratissima, & augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudaverat venerandis operta signis, atque abdita, in conspectum agit, divinaque munera reverenter ostendens, ad sacram illorum communionem, & ipse convertitur*, &c. & S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Invocationis verba, cum ostenditur Panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit?* S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiast. inquit: *Elatio in altum sacrosancti Corporis Christi repræsentat Crucis elationem, & mortem in ea, & ipsam Resurrectionem.*

Elevationis vero, & ostensionis Panis & Calicis variæ afferuntur rationes à Duranto in Rationali, & aliis. Potissimè vero adorationis causa ostenditur S. Chrysost. homil. 24. in priorem ad Corinth. *Hoc Corpus in præsepi reveriti sunt Magi, & Barbari longo itinere confecti cum timore, & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur igitur saltem nos Barbaros, qui cœlorum cives sumus. Tu non in præsepi, sed in Altari: non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, &c.* & S. August. in Psalm. 98. inquit: *Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum Domini: & non solum peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Amplius adoratam fuisse Eucharistiam extra usum, & à non-Communicantibus. Chrysost. homil. 4. de Incomprehensib. Dei nat. ait: *Cur homines tremore agitatos, & furore accitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinare jubet Diaconus.* Plura de adoratione Eucharistiæ refert Algerus lib. 1. c. 3. 7. 10. & 12. & lib. 2. cap. 1. cum aliis. Porro nedum homines, sed & Angelos adorare Eucharistiam. Chrysost. lib. 3. de Incomprehensib. Dei nat. circa finem inquit: *Tempore illo non solum homines clamorem illum horribilem reddunt; sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent sibi id tempus idoneum, habent sacram illam oblationem, &c.*

Præterea

Præterea cum ostendebatur Eucharistia, veteres manus attollere consueverant. Tertull. de Spectaculis cap. 23. ait: *Illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare?* Solebant etiam dum Eucharistia ostendebatur, caput inclinare nudo vertice, genua flectere, & similia, ut tradit Brunus de ceremoniis lib. 2 cap. 40. & hoc decernit etiam Honorius III. in cap. sanè de Celebr. Miss. ibi: *Et cum in celebratione Missarum elevatur Hostia salutaris, se reverenter inclinet.* Solet etiam pulsari campana, quod recens non est. Ivo Carnotens. epist. 167. cum id denotet, ut illa salutaris Hostia pro nobis semel in ara Crucis oblata, per novi sacerdotii ministros quotidie consecretur in Altari: quod etiam statuisse Gregorium IX. anno 1240. refert Nauclerus Generat. 42. & de tali Ritu etiam in Annalibus Ecclesiast. ann. 1203 num. 42. Raynaldo auctore.

Quæritur inter Theologos, num peccator conspiciendo sacrosanctam Eucharistiam, peccet, sicut peccat sumendo indignè ante expiationem peccatorum, & respondetur, nulli esse vetitum sacrosanctam Eucharistiam intueri adorationis ergo: ut latè Alexandr. de Alex. part. 4. quæst. 52. metr. 6. quem cæteri sequuntur.

Cap. X.

Dona nobis Pacem in Missa.

PRopter schisma è medio tollendum, & propter pacem Christi fidelibus à Deo impetratam, ad hanc usque diem remansit Ritus dicendi, *Dona nobis Pacem* in tertio Agnus Dei, dum celebratur Missa: Basilica verò Lateranensis tanquam antiquior, & quatenus aliarum Ecclesiarum primogenita, nunquam in Agnus Dei dicit, *Dona nobis pacem*, sicuti nec Chorus, sed tribus vicibus uniformiter dicit: *Miserere nobis*, ad antiquitatem illam conservandam quavis alia opinione prætermissa. Hoc igitur ab omnibus ejusdem Basilicæ Sacerdotibus observatur. Quando autem in eadem Basilica coram summo Pontifice & S. R. E. Cardinalibus Missa solenniter cantatur, tertia vice tam à celebrante, quam à schola Cantorum, qui Capellæ Pontificiæ deserviunt, dicitur: *Dona nobis pacem.*

De hoc Ritu in celebranda Missa observato, deinde mutato, Innocentius III. lib. 6. Myster. Missæ cap. 4. ante annos quadringentos & quadraginta sex meminit in hæc verba: *Porro secundum consuetudinem antiquam scholæ cantorum, quam adhuc ipsi conservant, & in pluribus observatur Ecclesiis, ut in Lateranensi, nullatenus variatur; sed tribus vicibus uniformiter dicitur, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis; propter tria genera peccatorum, quæ petimus nobis remitti, cogitationis, locutionis, & actionis.* & infra: *Postmodum autem multis & variis adversitatibus, & horroribus Ecclesiæ ingruentibus, cœpit ad Dominum clamare de tribulatione; Dona nobis pacem.* Hanc Innocentii sententiam recitat etiam Guillelmus Durandus in Rationali de divin. offic. lib. 4. cap. 25. nulla tamen facta de Innocentio mentione. Stephanus autem Durantus lib. 3. cap. 53. de Ritibus Eccles. sub Innocentii nomine, affert in medium eandem sententiam, cui assentiendum omnino censetur, qualibet alia consideratione, aut opinione à nobis prætermissa.

Cap.

Cap. XXI.

EX alta profundaque ſapientia pronuntiat S. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum c. 11. *In nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſe, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligantur.* Hanc conſuetudinem populi omnes non à Philoſophis traditam acceperunt, ſed cum vita, & ſpiritu, hauſtam legibus ſuis expreſſerunt. Hanc non ratio docuit, ſed natura rationem prævenit. Inde velut è perenni fonte dimanarunt ritus, ceremoniæ, myſteriaque omnia, quibus religio omnis Ethnica temperata eſt. Neque enim religione illa homines inter ſe devinciri poſſunt, niſi ſacramentis, & ſymbolis quibusdam initiati à prophanis diſtinguantur. Nec ulla natio eſt tanta barbarie & immanitate efferata, quæ moribus ſuis hoc ipſum non profiteatur. Quemadmodum enim qui militiæ nomen dederunt, cingulo, baltheo, teſſeriſque quibusdam inſigniuntur, queis ut ſocii, & commilitones ab hoſtibus, aut exploratoribus ſeſe diſcernunt; ita qui Deo nomen dederunt, myſteriis & ſignis quibusdam, quæ ſint reciprocæ communionis pignora, & mutuæ benevolentiæ monumenta cum Deo, & inter ſeſe religari & veluti coagulari neceſſe eſt. Præterea non ſecus ac milites perduellionis aliusve criminis rei, cinguli, chlamydis, cæterorumque militantium inſignium detractione exauctorabantur; ſic qui ſcelerum graviſſimorum conſcii erant, apud omnes gentes à ſacris procul abigebantur, ne eorum contagione pollucrentur. Neque à ſacris modo, verum aliquando ab omni prophano commercio; ita ut cum cæteris hominibus, ſub eodem tecto, & in eadem menſa vivere prohiberentur, ut loquitur Syneſius epiſt. 58. Hanc communionis ſinceritatem, ut cæteros populos prætercam, rigidè obſervarunt Druides, ut auctor eſt Cæſar lib. 6. de Bello Gallico. *Si quis aut privatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos eſt graviſſima. Quibus ita eſt interdictum, numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes diſcedunt, aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.*

De Communione Chriſtiana. Religionis communicatio, & excommunicatio à natura.

Hinc ſuperſtitioſæ apud Gentes ſcelerum expiationes, februationes, luſtrationes, quarum ceremoniarum minutias Antiquarii ſolicitè perſequuntur. Quædam vero erant crimina, quorum ſcelus tam erat immane, ut ex eorum ſententia nullis piaculis expiari, aut elui poſſet. Itaque qui horum conſcientia tenebantur, inexorabili anathemate perculſi, perpetuæque execrationi devoti, à myſteriis gentium procul ſemper exulabant: quod Plato in Phœdro, & in Gorgia, Platonici, & alii tradiderunt. Peccata enim, ut loquitur Plutarchus in quæſt. Roman. in mortalia, & venialia; ſeu potius in placabilia, & implacabilia dividebant: poſterioribus Sacrorum communio nunquam reſtituebatur; prioribus vero poſt ſacrificia, libamenta, luſtrationeſque, excommunicatione ſoluta, ad myſteria aditus patebat. Ejuſmodi erat olim apud nonnullos Chriſtianos peccatorum diſcrimen: quibusdam enim ut lapſis, homicidis, & mœchis; neque in fine (ut Canones Elebritani loquuntur) communio præſtabatur; ſed excommunicatione laxata, quæ ex præcepto Eccleſiæ nunquam fuit perpetua, perpetuæ etiam erant addicti pœnitentiæ, ut eruditè Albaſpinus Aurelianenſis

Peccata mortalia, & venialia, etiam apud Ethnicos.

Excommunicatio nunquam fuit perpetua.

Antistes Observat. lib.2. cæteris pro prudentia,& clementia Episcoporum juxta Canones variè dispensata pœnitentia,venia tandem indulgebatur.

Verum in superstitionibus mutuam communionem,quam adumbrarunt Ethnici,eam in Mysteriis expresserunt Christiani. Hinc Christianorum nomen Antiochiæ primo impositum. Act. 11.26. Genebrard. in Petro.Baron. ann. 43. num.10.& seq. Idque ad distinguendos fideles ab Ethnicis,qui magno cum concursu ad fidem accedebant. Quemadmodum & Catholicorum appellatio inventa est, ut veri Christiani à falsis distinguerentur,hoc est ab Hæreticis: & quidem jam inde ab Apostolorum temporibus, quod ipse novus Symboli Apostolici articulus planum facit. Baron. ann. 43. num. 17. Franciscus Turrianus, dum Antiocheni Apostolorum Concilii Canones refert,hunc primo loco statuit: *Ut credentes in Dominum JESUM, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Christiani deinceps vocarentur.* Turrian. lib. 1. pro Canonibus Apost. cap.25. initio.

Præterea hujus mutuæ communionis efficaciam relative ad communicationem corporis Christi totam iidem fideles repetebant. Eucharistia igitur omnis communionis Christianæ fons est , à quo omnium communionum genera veluti rivuli scaturiunt,de qua sanctus Dionysius,inquit: *Arcanæ deificationis mysterium initiatur, & perficitur.* Et in Eucharistia incipit,& in Eucharistiam desinit omnis Christianorum communio,& fraternitas.

Duplex autem est Christianorum circa Eucharistiam affectio, seu relatio ; una in corpus Christi conficiendum , altera ad corpus Christi suscipiendum : illa activa, hæc passiva : illa potestatis est , hæc amoris ; illa perfectis convenit,hæc perficiendis. Hinc Christianæ communionis unitas duplex exoritur , Christianorum Communio Laica una, Ecclesiastica altera.

Communio Christiana Laica & Ecclesiastica.

Laica,qua populus mutuo & secum,& cum Ecclesiasticis, ut perficiatur , communicat: cujus communicationis terminus , & consummationis jus est percipiendæ Eucharistiæ,cætera omnia in hunc scopum , ut media in finem supremum destinantur. Ecclesiastica verò Laicam supponit,seu potius, ut superioris ordinis , Laicæ dignitatem eminenter continet. Ecclesiastica igitur Communio ea est,quam Ecclesiastici in sacrificii ministerio & inter se exercent.

Ecclesiastica communio quid?

Hujus distinctionis creberrimus est usus apud Antiquos : ut in Concil. Ephes. cap. 1. habetur. *Si quis Metropolitanus,* &c. *Omni Ecclesiastica communione abhinc jam à Synodo ejectus , & ad nullum officium exercendum idoneus.* Depositionem Antiocheni Patriarchæ iisdem verbis enuntiat idem Concilium in exemplo relat. ad Imper. Missæ Concil. part.2. inter Epist. Cathol. *Ipsum Apostatici Conciliabuli auctorem, & reliquos, qui cum eo sunt ab omni Ecclesiastica communione alienos esse censuit. Omnemque Sacerdotalem functionem ipsis ademit.* Hinc adverte, in quo porrò consistat hæc Ecclesiastica Communio.

Hanc Communionem in annum suspendit Concil. Aurel.5.cap.17. *Quod si patuerit Episcopum ipsum contra justitiam fatigatum, is qui cum injusta interpellatione pulsavit, anni spacio à communione Ecclesiastica suspendatur.*

Expres-

Expressius proponitur hæc distinctio, cum utriusque Communionis mentio habetur, & Clericus ab Ecclesiastica ejectus ad Laicam damnatur, ut explicat Optat. Milevit. lib. 7. de quodam Macario, cui Episcopi munera attributa non fuisse sic demonstrat: *Nec Episcopus fuit, nec in officio Episcopali versatus est, nec manum alicui imposuit, nec sacrificium obtulit: unde cum constet eum alienum fuisse ab Episcoporum actibus, nullus Episcopus ab eo, qui cum Episcopis non obtulit, videtur esse alienus. Restat ut dicatur eum, cum populo communicasse.* Nec dissentit Basil. ad Amphiloch. cap. 3. & 32. *Diaconus post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem ejicietur, in Laicorum autem locum extrusus, à communione non arcebitur.* Siricius ad Episc. Tarracon. cap. 11. *Quisquis sanè Clericus, aut viduam, aut certè secundam conjugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudetur, Laica tantum sibi Communione concessa.*

Communio Laica.

Tanta igitur est Laicæ Communionis ab Ecclesiastica differentia, ut Laicum esse, & esse extra Ecclesiam paria sint. Teste S. Basilio ad Amphiloch. cap. 55. Quinque autem sunt gradus hujus Laicæ Communionis, nempè fletus, auditio, substratio, consistentia, & quæ dicitur Communicatio; inde in Conciliis, & antiquissimis auctoribus frequenter commemorantur flentes, audientes, substrati (qui propriè sunt pœnitentes) consistentes, seu precibus communicantes, & Fideles. Hoc est.

Consistentia, qua peccator ab Eucharistiæ Communione removetur; substratio qua non tantum à Communione Eucharistiæ, sed etiam à conspectu, omnique sacrificio, & precum Liturgicarum præsentia, & consortio arcetur. Auditio, qua non tantum istis privilegiis, sed etiam omni manuum impositione, & expiatoria deprecatione, & benedictione mulctatur. Fletus, quo præter hæc omnia extra Eccles. eliminatur. Qui vero extra fletum vagantur, fulgure excommunic. maximæ ab Eccles. fugati, & ejurati, non secus, ac Ethnici, & publicani nullo cum ea vinculo connectuntur.

Communionis autem Ecclesiasticæ octo sunt gradus, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum. Qui supra Episcopos constituti sunt Metropolitæ, Primates, Patriarchæ, Pontifices; dignitates sunt, quæ potestatem non habent ampliorem ordinis, sed tantum jurisdictionis. Quo respexit Optatus lib. 1. cum *Diaconos in tertio, Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos; Episcopos vero omnium dixit apices, & Principes.* De quibus vide Morinum Exercitat. Ecclesiast. lib. 2. cap. 1.

Dictum est supra, ut sit duplex relatio Clericorum ad Sacramentum Eucharistiæ; ad illud conficiendum, & ad illud suscipiendum: utriusque igitur respectu puniri possunt, vel ad tempus, vel in perpetuum, si illud suspensio dicitur: si hoc Depositio, seu Excommunicatio nuncupatur.

Suspensio.

Suspensionis nomine utitur Concil. Aurel. 5. Can. 17. *Memoratæ personæ ab honore, vel officio suscepto, juxta arbitrium sui Pontificis suspendantur.* & Can. 17. *A communione Ecclesiastica suspendatur.* Et prioribus sæculis abstentum, abstineri dicebant, ut nos dicimus suspensum, & suspendi, ut latè Morinus adductus cap. 2. & 3.

Depositio. Quid vero sit Depositio, definit Canon. Apost. 15. *Clericus qui præter sui Episcopi sententiam in altera parœcia manet, eum non amplius celebrare jubemus, maxime si eum adhortante Episcopo, ut rediret, non paruit: is tamen ut Laicus communicet.* Nihil igitur aliud est Depositio, quam à sacro ministerio perpetua cessatio, & Clerici in ordinem, & Communionem Laicorum relegatio. Qui hoc fulmine tacti sunt, vocat *Excommunicatos*, Nicæna Synodus 1. Canon. 5. & 16. sunt enim excommunicati à Communione sacerdotali.

Hæc Laicorum relegatio excommunicationem minorem, seu pœnitentiæ classes nonnunquam significat, ut in Concil. Chalcedonens. cap. 8. & clarè S. Basilius ad Amphiloch. cap. 56. 57. & seqq. *Qui sponte interficit, & postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur: debet quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis cum iis, qui in substratione orant, egredietur. In quatuor annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. His autem expletis erit Sacramentorum particeps.* Prædicti pœnitentiæ gradus, qui à Canonibus definiuntur, aliquando Episcoporum prudentiæ creduntur; & testatur D. Basilius eodem in loco cap. 54. *Est autem tuæ prudentiæ pro circumstantiæ proprietate pœnas intendere, vel remittere.* Sæpe denique excommunicationem maximam significat, atque ab omni fidelium commercio repulsum. Ut in Constitut. Apostol. Can. 10. *Si quis excommunicato, vel in domo unà precatus fuerit, is segregetur.*

Quid autem sit Clericum Communione Laica frui; Innocentius I. epistol. 22. cap. 4. inquit: *Nostra lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, per manus impositionem Laicam tantum tribuere Communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Laicè enim communicare est, idem quod ecclesiasticè non communicare, officiisque Ecclesiasticis non defungi: & de his Albaspinus Observat. Ecclesiast. lib. 1. cap. 4. Morinus Exercitat. lib. 2. cap. 9.

Cap. XXVIII. §. Addimus Prædictis.

De Patriarcharum & Primatum origine, ac etiam de Ecclesiastica in Orbe divisione.

Diximus habuisse Ecclesiam distinctos Ordines Episcopatus in varias sedes Jurisdictionales juris positivi, nempè Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham, & summum Romanum Pontif. Circa quæ supponendum, & altius animo repetendum, Ecclesiasticorum ordinum compages, quibus inter se connectuntur, & inferiores à superioribus pendent, de quibus sanctus Leo epistol. 84. ad Anastas. Thessalonic. *Magna dispositione provisum esse, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidem in majoribus urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam*

Petri

Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confiueret, & nihil usque à suo capite dissideret. Loquitur enim ibi de Archiepiscopis, & Primatibus, seu Patriarchis ad unum Romanum Pontificem subordinatis. Tunc etenim membra aptis commissuris capiti suo adhærent, quando vitales influxus caput corpori suo infundit; & pariter capiti corpus obsequium sponte refundit. De hac sacerdotali unitate loquitur sanctus Cyprianus epist. 55. his verbis: *Fons, & origo, à qua varii, & multiplices Antistitum ordines scaturiunt, & multiplicantur: centrum, à quo consanguinitatis Catholicæ lineæ, per quasvis Orbis partes ducuntur: Sol denique, à quo omnium dignitatum Ecclesiasticarum radii promicant, Pontifex est Romanus. Ab ipso ut sacra illa unitas explicatur, & protenditur; sic in ipsum replicatur, & colligitur: Fraternitatis, & communionis lineæ omnes reducuntur; dignitatumque omnium radii reflectuntur; ut ab unitate multiplicitas exorta in unitatem individua desinat.* Quod etiam docet sanctus Leo epistol. 89. ad Episcopos Viennenses: *Religionis enim Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus,* &c. *Ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret.* Unde qui capitis unioni non adhæret, ejusque unitati mente saltem, & voto non inseritur, frustra fidem, frustra spem, & charitatem sibi vendicet, frustra Sacramenta, templumque Domini ostentet, ut præclare Optatus Melevitanus inquit: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primum Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus,* &c. *In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram aliam collocaret.*

Porrò compages quibus Ecclesia cum Capite suo connectitur, vincula, quibus membra Christi Pontifex moderatur, & inter se, & secum constringit, quatuor sunt Episcopalis jurisdictionis Ordines Episcoporum, Metropolitarum, seu Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum. His administris sacra Ecclesiæ unitas fœcundatur, & veluti obstetricibus filiorum multitudinem infinitam Christo educat: neque ista variarum dignitatum multitudo unitatem Ecclesiasticam perimit, imo supponit: nam ut demonstrat D. Dionys. cap. 13. de divin. nomin. *Omnis multitudo unius est princeps:* ideo D. Thomas part. I. quæst. 30. art. 3. ad tertium. *Unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis: multitudo autem non removet unitatem, sed removet divisionem circa unumquodque eorum, ex quibus constat multitudo.* Nemo igitur mentis compos sacros Antistitum Ordines è medio tollet: Ordinum vero Ecclesiasticorum varietas, & sub unoquoque ordine numerus ferè innumerus istam unitatem non lacerat, sed confirmat: nemo nisi hæreticus Episcopis in aliquibus Metropolitas præesse, Metropolitis Patriarchas inficiabitur. Nec adversus hæc quidpiam est nobis ex proposito desudandum.

Ordines Episcoporum.

Tribus orbis partibus tres sedes S. Petrus instituit Patriarchades.

Petrus Apostolus namque cum universum orbem fidei suæ à Domino creditum intelligeret, fines Ecclesiasticæ jurisdictionis dividere animo cœpit. Hoc ut animo perpenderet, terram universam olim ab Ethnicis in tres partes distinctam animadvertit, Europam, Africam, Asiam: præterea tres opulentissimas urbes, cæterarum omnium maximas consideravit, Romam, Alexandriam, Antiochiam: quarum prima Orbis Domina, Antiochia Seleucidarum in Asia; Alexandria Ptolemæorum in Ægypto, & Africa, quæ populi, & pomœrii amplitudine vix Romæ concedebant, ut plurimi circa illa tempora testantur Auctores.

Inde Petrus divino aspirante numine sedem propriam in tribus his locis constituere Reipublicæ Christianæ utilissimum judicavit: Romæ igitur, & Antiochiæ per se ipsum dedit; Alexandriæ per Marcum discipulum, quem ut Legatum, & Vicarium perpetuum, non autem ad tempus delegatum, eo misit; cujus origo, & fundatio non à Marco, sed à Petro resultaret: voluit etiam idem Petrus, ut Alexandria post Romam esset nobilissima, ipsique Antiochiæ præcederet, sicut magnitudine superavit, ut refert Strabo lib.16. Si igitur tripartitus Orbis tripartitam nactus est Ecclesiasticam administrationem: Antiocheno enim Episcopo cessit Asia, Alexandrino Africa, Romano Europa.

Sedis Petri in unitate trinitas.

Pontifex autem Romanus non tantum Europæ præerat (ut cæteri duo Patriarchæ ditioni quisque suæ) sed jus præterea summum universis Christianis dicebat, Patriarcharumque Pater & Princeps erat: ut trinitas Patriarcharum in unitate Pontificis coalesceret; docet Symmachus Papa ad Eonium Arelatens. Episcop. ibi: *Ad trinitatis instar, cui una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites sacerdotium.* Quod spectans Gregorius Magnus, huc apposite refert illud Domini apud Joannem: *Rogo Pater, ut omnes unum sint; sicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.*

Hanc eandem de trina Petri sede sententiam, varia sanctorum Patrum dicta comprobant; ita Anacletus epist.3. *Secunda sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco ejus discipulo consecrata est:* &c. *Tertia autem sedes apud Antiochiam ejusdem beati Petri Apostoli habetur honorabilis.* Et sanctus Leo: *Nihil Alexandrinæ sedi ejus, quam per beatum Marcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata nunquam fiat inferior.*

Trium Patriarcharum una sedes prævalet.

In tribus illis Civitatibus non tantum auctoritatis apicem Petrum extulisse; verum etiam tres illas sedes in unam Petri sedem confluere, unamque cum Romana constituere certum est, ideo sanctus Gregorius sedem Alexandrinam sedem suam vocat lib.11. epist.48. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum inquit: *Festinare debetis simoniacam hæresin, quæ prima in Ecclesia orta est, à sanctissima sede vestra, quæ nostra est, funditus evellere.* Quod repetit Hincmarus Opuscul.55. cap.16. *Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere,*

escere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravi sedem, in quam Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quamvis discessurus, sedit. Cum ergo unius, atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego de vobis audio, hoc mihi imputo. Ea ratione summi Pontifices ambas illas sedes maximi semper fecerunt, nec ad alias Ecclesias hujusmodi Patriarcharum, nempè Alexandrini, & Antiocheni dignitatem extendi, maxime institerunt: quarum & omnium aliarum Ecclesia Romana esset caput, ut dixit D. Gregor. Magn. lib. II. epist. 54. Unde in rebus concernentibus jurisdictionem Patriarchalem, sicuti celebratio Conciliorum provincialium, correctio morum Presbyterorum, seu Diaconorum, confirmatio Episcoporum subjectorum omnes Patriarchæ ad instar illius Romæ dirigebantur; nihilominus dum agebatur de jurisdictione, quæ excedebat illam Patriarcharum, nempè de causis universalis Ecclesiæ, de causis fidei, de moribus generalibus Ecclesiæ, seu de deponendis Episcopis, seu de judicandis ipsis Patriarchis; tunc Romanus Pontifex, ut Caput Ecclesiæ, & Superintendens aliorum Patriarcharum, solus supra illos jurisdictionem exercebat. Ita Cardin. Perronus in Replicat. ad Regem Britanniæ lib. I. cap. 32.

Quibus non refragatur objectio illa à Sectariis acriter exagitata ad firmandam prætensam æqualitatem inter Romanum Pontificem, & alios Patriarchas ex Concil. Nicæno cap. 6. cujus germanus intellectus est, ut ex Romanæ Ecclesiæ auctoritate, quæ semper habuit in universa Ecclesia primatum, Episcopus Alexandriæ omnium Ecclesiarum, quæ sunt in Ægypto, haberet potestatem; quoniam sic moris fuit Episcopo Romano illi concedere: sive quod Romanus Episcopus consueverit per Alexandrinum Episcopum illas Provincias gubernare; ut latè Cardin. Baron. ad annum 325. ubi Spondan. num. 32. 33. & seq.

Et quod ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinet, præter ea, quæ jam superius de illa in eandem sententiam dicta sunt, ejusdem privilegia non ab aliqua Synodo promanarunt, sed ab ipso Christo Domino, nec ipsum Concilium Nicænum aliquid eidem Romanæ Ecclesiæ contulisse abundè disseruit Nicolaus Papa in Epist. ad Michaelem Imperatorem Romanæ sedis, ejusque primatus acerbissimum adversarium; dum sic inquit: *Ista igitur privilegia huic sanctæ Ecclesiæ à Christo donata, à Synodis non donata, sed solummodo celebrata, & veneratione habita, per quæ non tam honor quam onus nobis incumbit.* Et infra: *Proinde animadvertendum, quia non Nicæna, non denique ulla Synodus quicquam Romanæ contulit Eccelesiæ privilegii.* Et rursus: *Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa: si omnia, ergo nihil defuit, quod illi non cesserit. Denique si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exordium.*

Objiciunt contra prædicta etiam Sectarii ex Ruffino lib. 2. historiarum, quos ille ex Græco in Latinum traduxit, videlicet: *Quod Episcopus Alexandriæ curam habeat*

beat Ecclesiarum Ægypti, & ille Romæ Ecclesiarum suburbicariarum. Inde inferentes Sectarii; quod Romanus Pontifex non aliam habeat jurisdictionem, quam supra Ecclesias urbi propinquas circiter centum milliaria.

Ad quæ respondetur primo, Ruffinum Romanæ Ecclesiæ infensum (ut inquit D. Hieron.) vertisse verbum illud Suburbicariarum, quod non extat in Græco originali. Constat præterea urbicariarum regionum appellationem non solum loca propè urbem posita, sed etiam plures continere Provincias tam in Italia, quam extra Italiam sitas: nam sicut illæ dictæ sunt apud Jurisconsultos, & Historicos Provinciæ urbicariæ, seu suburbicariæ, quæ urbi debentes annonam, eidem peculiari nexu tenebantur obstrictæ, ita eodem exemplo appellatas esse à Ruffino Ecclesias suburbicarias, quæ Romanæ Ecclesiæ Patriarchatui peculiariter viderentur esse subjectæ; quo etiam jure Episcopus Alexandrinus moderaretur omnes subjectas sibi Provincias. Addimus etiam prædictis varios Ruffini sensus aptari ad diversas Romani Pontificis muneris partes, & personas, quas sustinet: sive quia Provinciam Romanam regit, ut Metropolitanus, seu qui Italiam, ut Primas, vel Occidentem, ut Patriarcha; nec comprehendisse Ruffinum universale totius Ecclesiæ Catholicæ regimen, quod à Domino in persona Petri accepit Romanus Pontifex.

Quod autem Petrus Pontificalem sedem Romæ constituerit, fecit hoc quidem, quoniam urbs Roma totius Orbis Romani esset Regina, sed non ut ab ea auctoritatem Primatus acciperet, quo jam ante in universum terrarum Orbem insignitus ipse Papa pro se, & successoribus suis fuerat ab ipso Christo, qualem continuo usu successores suos Romanos Pontifices exercuisse constat; & hæc ex multis, quæ in hoc argumento essent dicenda, de quibus latè Cardin. Peronus Gallo idiomate in Replicat. ad Regem Britanniæ lib. 1. cap. 32. & seq.

Sed ut ad propositum, unde eramus digressi, nos modo revertamur. Quingentis annis usque ad Justinianum Imp. Ecclesia Catholica non agnovit plures hisce tribus Patriarchis. Tres illi soli sunt à S. Petro instituti, & à Concilio Nicæno confirmati, nec alios prædictis S. Leo I. admisit epist. 54. adversus Bizantinum Parœcum Patriarchatui inhiantem ibi: *Privilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.* Ideo decretum Concilii Chalcedonensis de evehendo in Patriarcham, cæterisque Patriarchis præferendo Episcopo Bizantino rescidit epist. 55. ad Pulcheriam Augstam ibi: *Consensiones sanctorum Canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Hoc idem decrevit Felix II. epist. 1 ibi: *Primates illi & non alii sint, quam qui in Nicæna Synodo sunt constituti* Quæ Synodus tres tantum sive Primates sive Patriarchas recepit; & idem etiam decrevit Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap. 92. his verbis: *Desideratis nosse quot sint veraciter Patriarchæ: veraciter illi sunt Patriarchæ, qui sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, &c. Constantinopolitanus autem, & Hierosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchæ, non tantæ sunt auctoritatis, quantæ superiores existunt.*

Adsci-

Adscititii,& irreptitii fuerunt duo illi posteriores Patriarchæ, qui diu obnitentibus Romanis Pontificibus, tandem eorum consensu Patriarchæ nomen, honorem, & privilegia consequuti sunt.

Patriarchæ irreptitii.

Quomodo autem ad hunc Ecclesiasticæ dignitatis apicem Hierosolymitanus cæca animi ambitione ascenderit? De grege enim cæterorum erat Hierosolymitanus Episcopus ad Concil. usque Nicænum: honoris & sedis prærogativa quadam quo ad jurisdictionem gaudebat; sed quæ de jure, & auctoritate Metropolitani sui Cæsariensis Episcopi nihil detraheret, ut in cap. 7. ejusdem Nicænæ Synodi ibi: *Quoniam obtinuit consuetudo, & antiqua traditio, ut qui est in Ælia Episcopus, honoretur: habeat honoris consequentiam, Metropoli propria dignitate servata.* Idem præterea testatur de suo tempore D. Hieronymus ad Pamachium adversus Joannem Hierosolymitanum Episcopum scribens: superbienti enim Joanni Æliæ, id est Hierosolymæ Episcopo Metropolim Cæsaream objicit: tunc tamen ægrè ferebat Æliæ Episcopus Cæsariensi, & Antiocheno se subjicit: & quamvis in Concilio Constantinopolitano, ut refert Theodoret. hist. Ecclesiast. lib. 5. cap. 9. fuerit Hierusalem nuncupata Mater omnium Ecclesiarum; hæc tamen fuit Maternitas antiquitatis, non auctoritatis, ut voluit Cardin. Peronus in Replicat. ad Regem Britanniæ lib. 1. cap. 30. Exortæ jam tunc erant de finibus Diœceseωn contentiones. Lis tandem à Maximo Antiocheno Episcopo, & Juvenale Hierosolymitano ita composita est, & à Concilio Chalcedonens. act. 7. confirmata, ut tribus Palæstinis Patriarchatui Antiocheno ademptis, eorum Hierosolymitanus esset Patriarcha, ut etiam testatur Concilium Hierosolymitanum, quod incipit: *Post Consulatum Flavii Bellisarii gloriosissimi 13. Kalend. Octobris in d. 15. In Colonia Ælia Metropoli, & Hierosolymis Præsidente sanctissimo, & beatissimo Patriarcha Petro, & assistentibus sacerdotio suo sanctissimis Episcopis trium Palæstinorum.* Innovationi fortissimè sese opposuit S. Leo epist. 62. ad Maximum Antiochenum Episcopum ejusdem ambitus reum, in quem auctoritatis suæ mucronem stringit his verbis: *In Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium, cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus* (Hierosolymitanus) *ad obtinendum Palæstinæ Principatum, credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare.* & infra: *Hoc tamen proprium diffinitionis meæ est, ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior, aliquid per quorundam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem, & octo Patrum constitutionibus inveniatur adversum, id justitiæ consideratione cassetur.* Imperatoribus tamen in contrarium incumbentibus, rationeque ipsa veluti suadente tandem Romani Pontifices id comprobarunt: Hierosolymitano novo Patriarchæ Metropolitæ, & Suffraganei, ex mutilatis Orientis, & Ægypti Diœcesibus de more sunt attributi, ut refert Morinus Exercitat. Ecclesiast. lib. 1. cap. 7.

Hierosolymitanus Patriarcha.

Constantinopolitanus Episcopus etiam ipse ad Patriarchatus dignitatem malis artibus evectus: nam Græci Imperatores, cum sibi persuasissent, quod semper ipsis fuerit licitum sacras Provincias mutare; ut in Canon. 17. Concilii Chalcedonens. his verbis habetur: *Sin autem Civitas aliqua ab Imperatoria auctoritate innovata fuerit,*

Constantinopolitanus.

Civiles & publicas formas Ecclesiarum quoque Parœciarum Ordo consequatur. Et Balsamon in Canon. Trullens. 38. inquit: *Licet Imperatori praeminentia thronum Ecclesiis elargiri, & Episcopatus, vel Archiepiscopatus in Metropoles erigere, eaque quæ ad electionem pertinent, & reliquam dispositionem, prout ipse voluerit, describere, & decernere.* Ideo Episcopi, qui gratia prævalebant apud Imperatores, novas sæpè dignitates ambire, atque in eum finem artificiis suis Imperatores circumvenire solebant, ut ex Concil. Chalcedonens. act. 13. aliisque Ecclesiasticis monumentis colligitur: unde factum est, ut à labefactato, & tandem postea collapso Imperio orientali Græcorum Ecclesiæ Imperatorum libidine magis, quam Patrum, & Conciliorum voluntate regerentur.

Hujusmodi Provinciarum Ecclesiasticarum perturbationibus Romani Pontifices constantissimè occurrerunt; etenim cum Anatolius Constantinopolitanus Episcopus in Synodo Chalcedonens. act. 15. cap. 28. ibidem absentibus Legatis Apostolicis, ac nemine adhuc suffecto Episcopo Alexandrino in locum Dioscori, qui ipsi contradicere posset; clandestinè atque dolosè obtinuit à reliquis fieri decretum, ut Ecclesia Constantinopolitana primum post Romanam locum obtineret; eo quod Constantinopolis esset altera Roma: ad quod decretum contra Canones Nicæni Concilii, cum deinde reclamassent Legati; nihilominus faventibus Judicibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ privilegiis, itum est in sententiam Anatolii juxta præcedentem diffinitionem Constantinopolitanæ Synodi sub Theodosio majori, licet qua id veritate fulciatur, nunquam hactenus cognitum fuisse primatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ supra Alexandrinam refert Cardin. Baron. in ann. 451. ubi Spondanus num 31. De quo graviter conquestus est Leo I. Papa epist. 59. Marcianoque Imperatori, qui illud procuraverat, fortiter contradixit his verbis: *Privilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicanæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari*, &c. *Non dedignetur regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri.* Similia repetit idem Leo ad Pulcheriam Augustam epist. 60. & ad Anatolium, qui decretum illud fraudulenter impetraverat; tandemque obtinuit Leo: à quo nihilominus successivè idem Anatolius accepit litteras Vicariæ potestatis ad recipiendos hæreticos, quamvis non rectè ea fuerit usus, & statim obierit, ut refert Baron. in ann. 458. ubi Spond. num. 2.

Ulterius Græcis in hoc idem instantibus, ut Acacius & ipse Constantinopolitanus Patriarcha declararetur, rescribit Gelasius Papa his verbis: *Risimus autem, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ Civitatis: Nunquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Syrmium, apud Triviros multis temporibus non constitit Imperator? nunquidnam harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt?* Consueverant tamen Romani Pontifices ad importunas Græcorum preces & subdolas eorundem artes concedere prædictis Constantinopolitanis Episcopis Vicariam potestatem in rebus ad hæreses, & universalis Ecclesiæ pertinentibus; sicuti de Epiphanio Episcopo refert Baron.

Baron. ad annum 521. ubi Spondan. num.2. & de Mena idem Baron. ad ann.536. ubi Spondan. num.10.

Sed in hoc non acquievit prædictorum protervia: quoniam Joannes Constantinopolitanus cum arrogasset sibi nomen Oecumenici, seu Universalis, confutatur à Pelagio II. Papa firmissimis rationibus; eo quod ille titulus soli Romano Pontifici sit debitus, ut idem Baron. ann. 587. ubi Spondan. num. 2. & idem redarguitur ab ejusdem successore Gregorio Magno lib.4. Regest. epist. 39. ad Anianum suum Apocrysarium Baron ann.595. & ibi Spondan. num.3. ubi patet, quo sensu blasphemum sit hoc nomen, & quam juste competat solis Romanis Pontificibus, quodque ejusdem Gregorii de eo fuerit sententia dict. num.3. & sequentibus.

Confutatur titulus universalis.

Confirmat hoc idem Phocas Imp. illud non convenire Episcopis Constantinopolitanis, sed tantum Romano Pontifici, ex eodem Baron. ann.606. ubi Spondan. num.2. & 3.

Et rursum quoniam Græci unà cum Imperatore Basilio illum titulum in suo Orbe muneribus suffurari conantur, à Joanne Romano Pontifice repelluntur, ut idem Baron. refert ann.1024. ubi Spondan. num.3.

Consueverunt etiam Constantinopolitani Episcopi singuli à Romano Pontifice petere usum Pallii, quem postea eis in perpetuum concessit Joann. XI. Papa tyrannicè ad id coactus. Baron.934. num.1.

Quatuor igitur Patriarchas præfatos, & non plures præter Romanum Pontificem usque ad sua tempora enumerat D. Gregorius epist.37. lib.2. ad Natalem Episcopum Salonitanum his verbis: *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine gravissimo scandalo contumacia transire nullo modo potuisset*, &c.

Ultra præfatos quatuor istos Patriarchas Majores principaliter, & communiter sic nuncupatos, fuerunt etiam alii Patriarchæ gradus inferioris. Horum inferiorum unusquisque Diœcesi propriæ præerat; hoc est multis Provinciis, & Archiepiscopis, seu Metropolitis; & hic prædictis Patriarchis majoribus subditus. Ac etiam inferior iste Patriarcha nuncupabatur Primas, seu Exarchus, ut lege Caroli Magni Imp. est cautum lib.7. cap.336. his verbis; *Non alii Metropolitani appellentur Primates, nisi illi, qui primas sedes tenent, & quos sancti Patres Synodali, & Apostolica auctoritate Primates esse decreverunt. Reliqui vero, qui alias Metropolitanas sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani vocentur.* Quanquam Patriarchæ aliquando etiam nominati sint ipsi Primates, Felix II. Papa epist. 1. his verbis: *Primates illi & non alii sint, quam qui in Nicæna Synodo sunt constituti, reliqui vero qui Metropolitanas tenent sedes, Archiepiscopi vocentur, & non Primates.*

Primates quales sint?

Quatuor igitur conditiones ad hoc Primatum genus constituendam, voluit Hincmarus. Primo ut possit convocare Synodos. Secundo ordinare Episcopos. Tertio ordinari à Provincialibus Episcopis. Quarto disponere quæque per Provinciam.

Magna est autem conformitas Primatum cum Vicariis Romani Imperii: Apostoli enim, quique eas secuti sunt Romani Pontifices, creaverunt Archiepiscopos,

Provinciis, Civitatibus Episcopos; postquam ergo circa tempora Imperatoris Constantini creati sunt Vicarii, qui Provinciarum moderatoribus præessent; instituti sunt etiam Primates, qui ipsis Metropolitis, & Provinciarum Rectoribus antestarent. Præterea ab imitatione Vicariorum Primatus duxerunt originem, nam ante Constantinum Imperatorem hujusmodi Vicariorum nulla sunt testimonia; sic nec Primatum, Exarchorum, seu Diœcesum in Catholica Eccl. ut refert Morinus Exercitat. Ecclesiast. lib. 1. cap. 19.

Advertendum autem hic est; cum Romani Pontifices Primatus aliquos instituunt, Metropolitarum jura inviolata, & illibata conservari præcipiunt: notat Hormisda Pontif. Remigio suas vices committens epist. 1. his verbis: *Vices itaque nostras per omne regnum dilecti, & spiritualis filii Ludovici,* &c. *Salvis privilegiis, quæ Metropolitanis decrevit antiquitas, præsenti auctoritate committimus.* Et S. Gregorius eundem honorem Arelatensi Episcopo deferens inquit: *Fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti juxta antiquum morem Deo auctore committimus: singulis siquidem Metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato.*

Thessalonicensis primatus.

Primatum, seu Vicariorum à Romano Pontifice primus occurrit Archiepiscopus Thessalonicensis, cujus Vicariatus per Græciam, & Illyricum longe lateque patebat, Macedoniam, Daciam, Achaiam, Dardaniam, & loca alia complectens, ut refert Nicolaus I. Papa ad Michealem Imperatorem epist. 2. Amplissima illa Thessalonicensis auctoritas, quam Vicariatus sui virtute possidebat ad Imperatores, usque Iconomachos illi conservata est, hoc est quamdiu Diœceses prædictæ è Pontificis nostri Patriarchatu tyrannicè & impiè avulsæ fuerunt, ut refert Morinus Exercitat. Ecclesiast. lib. 1. cap. 21.

Arelatensis.

Secundus in Occidente Primas, & Pontificis Vicarius fuit Arelatensis Archiepiscopus, cujus auctoritas in universam Galliam fuit, de qua D. Gregorius lib. 4. epist. 52. sic loquitur: *Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri Præpositus: idcirco opportunum esse perspeximus in Ecclesiis, qui sub regno præcellentissimi filii nostri Childeberti Regis sunt secundum antiquam consuetudinem, fratri nostro Virgilio Arelatensis Civitatis Episcopo vices nostras tribuere, quatenus, & Catholicæ fidei integritas; id est, sanctarum quatuor Synodorum, Deo protegente, solicita devotione servetur.* Ante S. Gregorium Pelagius I. Papa Sepaudo Episcopo Arelatensi vices suas delegavit his verbis: *Majorum nostrorum operante Dei misericordia cupientes inhærere vestigiis, & eorum actus divino juvamine in omnibus imitari; Charitati tuæ per universam Galliam sanctæ Sedis Apostolicæ, cui divina gratia præsidemus, vices jungimus,* &c. *Hinc est, quod nos fraternitati tuæ hujusmodi curas injungimus, ut sedis nostræ Vicarius institutus ad instar nostrum in Galliarum partibus sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem, vel dispensationem Ecclesiasticum gerendum est, servatis Patrum regulis, & Sedis Apostolicæ constitutis, divini judicii considerati one dispenses, talemque te in custodiendis Canonibus sancta conversatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.*

De

De hujusmodi etiam Arelatensis Primatus Antiquitate loquitur etiam Zosimus Papa epist. 6. his verbis: *Quid illud quod prætermisso fratre nostro Patroclo Metropolitano Episcopo Arelatensium Civitatis, sine cujus auctoritate juxta majorem Canones nulla penitus potuit ordinatio celebrari; tumultuosè, & turbidè indebitis sacerdotia impinguntur.* Quod etiam inquit Concilium Arelatens. 2. cap. 18. ibi: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandum, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis sub sancti Maurini tempore legimus celebratum fuisse Concilium, atque conventum.*

Fuerunt & alii in Gallia Vicariatus, seu Primatus, nempè Rhemensis, Maguntinensis, Senonensis, Lugdunensis. In Hispania Hispalensis, Toletanus, Carthaginensis, & similes, de quibus late Morinus Exercitat. Ecclesiast. lib. 1. & hæc satis.

Cap. XXXIII.

Locus qui in Ecclesia dicitur confessio.

QUoniam sermo est habitus de Reliquiis, quæ requiruntur in Consecratione Altaris. Advertendum hic est, quod illa Ecclesiæ pars, sive locus ille subterraneus, sub majori Altari circa Presbyterii ambitum, ubi sanctorum Martyrum reliquiæ recondebantur, Confessio dicta sit, utpote Confessoribus addicta, & confessionis fidei sanguine testatæ monumentum. Habebat autem quælibet Ecclesia antiquitus suam Confessionem. Vide Anastasium Bibliothecarium in Vitis summorum Pontificum Sixtii III. Hilarii, Leonis IV. & aliorum apud ipsum, quæ etiam appellabatur martyrium. Vide S. Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. ubi martyrium S. Stephani appellat locum, in quo is colebatur Hierosolymis. Templum in Calvariæ monte à Constantino ædificatum, magnum Martyrium dicebatur. Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 4.

In hujusmodi loco, qui Confessio dicitur, antiquitus Brandea apponebantur, quæ vice ipsarum reliquiarum inter pios fideles dispensabantur: ut ex epist. 30. Magni Gregor. lib. 3. regest. ad Constantiam Augustam ibi: *In pixide Brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur, &c.*

Hinc etiam notandum Martyres dictos Confessores, quia fidem usque ad sanguinis effusionem profitebantur. D. August. in serm. plurimorum Martyrum: *Coronabantur*, inquit, *Martyres Confessores, & remanserunt Judices desertores.* Quanquam Confessores etiam appellantur ii, qui multis pro Christi fide tormentis superatis, divina voluntate liberati, & tot agonibus superstites, sine sanguinis effusione tandem tranquillam mortem obierunt. Cyprianus epist. 46. Talis fuit inter alios Paphnutius ille Magnus, quem Maximus dextero oculo exsculpto, & poplite sinistro inciso ad metalla damnaverat. S. Athanasius item, Ambrosius, & Hilarius, de quo sanctus Hieronym. *Hilarius meorum Confessor temporum, & Episcopus.* Pluresque alii, quorum nonnullos Eusebius vocat tertio, & quarto Confessores, hoc est ob Christi Confessionem sæpius publicè cruciatos; quos tamen Tertull. nunc designatos Martyres, nunc simpliciter Martyres appellat. Interdum id nominis etiam Cantoribus, & Psalmistis, penè in infimo Clericorum gradu censitis, concessit, quod Deo laudes decantarent, ut in Concil. Carthag. 4. Can. 2. id enim est passim in S. Scriptura,

Confiteri; quod Deum cantando laudare: & ita intelligendus est Canon. 6. Concilii Toletan. 1. ubi vetat puellam Dei familiaritatem habere cum Confessore, & Can. 9. vetat Professas, & viduas absente Episcopo, vel Presbytero in domo sua Antiphonas cum Confessore, vel servo suo facere. Vide plura apud Gabrielem Albaspinum lib. 1. Observ. 21. de Veterib. Eccles. Ritib. Ubi diffusè ponit discrimen inter nomen Martyris, & Confessoris, Extorris, Libellaticorum, Thurificatorum, & blasphemorum, & lapsorum.

Denique etiam advertendum, quod sicut Martyres sæpius fuerunt dicti Confessores, ut jam dixi; ita etiam Confessores fuerunt aliquando Martyres nominati propter similitudinem afflictionis, saltem propter diuturnitatem illius, si non propter intentionem. D. Gregor. Magnus sic inquit: *Quamvis occasio persequutionis desit: habet pax nostra Martyrium suum: quia & si carnis colla ferro non subjicimus: spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Ex Supplemento D. Thom. 3. part. 3. quæst. 96. art. 6. resp. ad 5. argument.

Cap. XXXVII. §. Oleum quo ungebantur Reges.

De Regum unctionibus.

CUm plura de sacris Unctionibus Olei à nobis fuerint dicta: & quamvis ex recentioribus aliqui non dubitaverunt etiam scriptis asserere, Regum unctionem esse Sacramentum. Nos, quantum à vero illi aberrent, Deo dante ostendemus.

Sed quoniam Abulensis in cap. 10. lib. 1. Reg. dubitat, An Reges, qui uncti dicuntur in Scriptura sacra, ac etiam alii, quos & si Scriptura taceat, unctos tamen fuisse verisimile est; uncti fuerint oleo communi, vel sacro? Ac tandem statuit utroque oleo Reges potuisse, ac solitos esse perungi; ubi adducit exempla, quæ utrumque factum esse probant.

Quod vero ad Regum unctionem sacrum aliquando adhiberetur oleum, probat Salomonis unctio, de quo 3. Reg. cap. 1. *Sumpsitque Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem.* Sacro oleo unctum esse David Psalm. 88. vers. 21. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Quamvis Sancius in Comment. d. cap. 10. lib. 1. Reg. num 6. velit in Regibus Israel, postquam decem Tribus à duabus aliis fuere dissectæ, non aliter sacro, sed communi fuerint ipsi oleo delibuti: ac etiam plurimas aliorum Regum unctiones communi oleo factas fuisse; eruditioribus est notum.

Ceremoniæ vero in constituendo, atque inaugurando Rege apud Hebræos post infusionem olei super caput Regis, hæ erant, quod offerebantur Victimæ, ut in lib. 1. Reg. cap. 11. in fin. & 2. Reg. cap. 15. vers. 12. Deinde in Regis manum tradebatur lex, cujus deberet Rex custos esse, ut in Deuter. cap 17. vers. 18. Demum gratulatio, & acclamatio festiva accedebat, nempe *Vivat Rex.* Ut de Adonia in lib. 3. Reg. cap. 1. vers. 25. & 39. & in Rege Joas lib. 4. Reg. cap. 11. vers. 12. *Produxitque* (Jojadas sacerdos) *filium Regis, & posuit super eum Diadema, & testimonium* (*id est legem*) *feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt, Vivat Rex.*

Nostris vero temporibus, dum fit inauguratio Regum Orthodoxorum ex Romano Ceremoniali: primo dum ungitur, pronuntiantur verba: *Ungo te in Regem de oleo*

oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Deinde Pontifex gladio accingens Regem, inquit: *Attende quod Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt Regna.* Et Diadema capiti imponens: *Accipe Coronam Regni, quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis significare intelligas.* Et Sceptrum tradens: *Accipe Virgam virtutis, ac veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos;* &c. Quibus ceremoniis docetur Rex munera tantæ dignitatis; ne se ad fastum tantummodo secularem vocatum putet: unde per hujusmodi signa, non gratias habituales infundi, non characteres imprimi, sed actuales quosdam motus animi, Deo rebus istis, & sponsæ suæ precibus assistente suscitari.

Quod autem hujusmodi ceremoniæ, & maximè Regum unctio quanquam spiritualis sit, non tamen sacra hæc nuncupatur, sed corporalis ab unctionibus corporum; sicuti & corporalia erant, quæ nominat Apostolus spiritualia 1. Corinth. 10. *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: Petra autem erat Christus.* Et nihilominus Manna, Aqua, Petra, Christus non erant; sed res palpabiles, quamvis spirituales.

Nec minorem eminentiam tribuit Regum unctioni oleum, quomodocunque consecratum, sanctificatum, seu è cœlo allatum; sicuti & Baptismum in aqua simplici, seu consecrata, & cœlitus missa ejusdem esse sanctitatis, ejusdem in operando potestatis, & auctoritatis creare Christianos. Minister ipse qui illis utitur, idem efficit, sive sit bonus, sive sit malus, Augustin. in Joann. tract. 5. ait: *Sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur.* Et idem tract. 6. *Petrus baptizet, Paulus baptizet, Judas baptizet; hic est qui baptizat.* Videlicet Christus, qui solus baptizat potestate, discipuli ministerio: & sicuti nullam agnosci sinit Ministri differentiam, ita nec materiæ, ut diximus supra in Vet. Testam. ex oleo, seu unguento sacro è tabernaculo unctum Salomonem, ac etiam ex oleo communi alios Reges.

Præterea talis Regum unctio cum cæteris præd. ceremoniis non est Sacramentum, quia non imprimit characterem ex opere operato, ut loquitur D. August. lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Ipsum per se ipsum Sacramentum multum valet.* Ergo Rex characteris impressione ex opere operato caret. Siquidem si characterem imprimeret unctio, profecto etiam repeti nequiret: quoniam secundum Theologos tria Sacramenta iterari nequeunt, quia characterem imprimunt indelebilem. Ut ex Concilio Florentino in decret. Unionis: *Sacramenta tria sunt, quæ characterem imprimunt in anima indelebilem: unde in eadem persona non iterantur.* Et idem in Concil. Trident. Sess. 7. cap. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis,* &c. *Non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Ad quid enim iteraretur, quod semel infixum: *Evelli nequit & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Ut loquitur etiam Concil. Toletan. 8. Can. 7.

Quod autem ex Regibus Christianis fuerint aliqui bis ac ter uncti & coronati. Pipinum primò à Bonifacio Archidiacono Moguntino unctum, & coronatum esse, refert

refert Adelhemius, continuator Aymonii anno 750. ibi: *Pipinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii.* Quod etiam Annales Francorum, Regino in Chronico, & recentiores verum agnoscunt. Triennio vero post à Stephano Papa, idem Adel. ibidem ann. 754. *Stephanus Papa postquam à Rege Pipino Ecclesiæ Romanæ defensionis accepit firmitatem; ipsum sacra unctione ad Regiæ dignitatis honorem consecravit:* Cui idem ante citati adstipulantur.

Exemplum patris Carolus Magnus in filiis suis imitatus est: nam ut idem Adel. ann. 781. *Baptizavit Pontifex* (Adrianus) *filium ejus Pipinum, unxitque eum in Regem, & Ludovicum fratrem ejus, quibus & Coronam imposuit.* Pipino scilicet Italiæ, Ludovico Aquitaniæ teste Reginone in Chronico. Quem Pipinum tamen Sigonius, & Fauchetus in vita Caroli Magni, à Leone Pontifice, Carolum Imperatorem inaugurante, iterum Regem Italiæ unctum esse tradunt: Ludovicum vero Regem Aquitaniæ Stephanus Papa, qui Leoni successerat postea Rhemis, ut inquit Adel. ann. 816. *Celebratis ex more solenniis, diadematis impositione coronavit.* Quo tota illa inaugurationis, & unctionis ceremonia comprehenditur. Quin imo & ipse Carolus Magnus bis inunctus, & coronatus fuit: nam præter alios citatos, & Adel. ann. 754. & Annales Fuldenses ibi: *Stephanus duos filios ejus* (Pipini) *Carolum, & Carolomannum sacra unctione unxit in Reges.* Idem postea à Leone Pontifice in Missarum solenniis Imperator coronatus est unctione à capite ad pedes usque perfusa, juxta antiquum Judaicæ consecrationis ritum, ut voluit Constantinus Manasses.

Cæterum Judiacis etiam ritibus usus
A capite usque ad pedes eum perfudit oleo.

In promptu quoque est exemplum usitatum olim in Romano Imperatore, qui usu perantiquo tribus Coronis cingebatur, ungebaturque tribus diversis unctionibus; Prima Aquisgrani ab Archiepiscopo Moguntino. Secunda Mediolani ab Archiepiscopo Mediolanensi. Tertia à Romæ à summo Ecclesiæ Præsule: ut refert Petrus à Beuh in Aquisgrano, & alii plurimi.

Suggerunt etiam in hoc nobis majora exempla sacræ litteræ. David paucorum annorum spacio ter omnino diversis temporibus in Regem unctus est. Primum Bethlehem à Samuele 1. Reg. 16. *Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus.* Secundo in Hebron à Tribu Juda 2. Reg. 2. *Venerunt viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda.* Tertio in eadem Hebron à viris Israel. 2. Reg. 5. *Venerunt quoque & seniores Israel ad Regem in Hebron, unxeruntque David in Regem super Israel.* Salomon filius ejus bina unctione inauguratus est 3. Reg. 1. *Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem:* Et rursus Proceres familiarum ac tribuum, 1. Paralip. ult. *Unxerunt secundo Salomonem filium David: unxerunt autem eum Domino in Principem.* Quæ omnia ad sacram potius & spiritualem ceremoniam, solennemque inaugurationis ritum adhiberi unctionem, quam ad ullius characteris impressionem. Siquidem Antistitem semel unctum, & charactere verè consecratum ad quemcunque Episcopatum, vel simul, vel

tempo-

temporum successione transferatur, nunquam unctionem Episcopalem iterare; & qui ad summum Pontificatum est evectus, nullius etiam unctionis repetitione consecrandus est, qui jam ante Episcopus erat consecratus. Ex his ergo si talis unctio reiteratur, nec in Regibus imprimit characterem, sequitur quod non sit Sacramentum.

Unctio, & Coronatio non solum Romano Imperatori, Regibusque Franciæ, & Angliæ propriæ; verum omnibus Christianis Regibus talem coronationem, & unctionem esse licitam, & plerisque jam inde à primis Regnorum exordiis usitatam. Siciliæ Rex Primus Rogerius Panormi in Ecclesia Archiepiscopali sacra unctione delibutus, Regiam dignitatem sumpsit anno 1130. die Dominicæ Nativitatis, de cujus auctoritate extat Diploma, de quo Alexand. Abb. lib. 2. de Gestis Rogerii. Hoc postea successores ejus Jacobus, Petrus, Ludovicus, & alii plures imitati sunt, Chronicum Benevent. & Chronic. Arragon. Stephanus Dux Ungariæ anno 1000. primus in Regem unctus, Chartuitius in vita sancti Stephani. Eodem ferè tempore Poloniæ Princeps Boleslaus Gaudentio Archiepiscopo sacris operante præmissa unctione Regio cinctus est Diademate, refert Naugebauarus in histor. Rer. Polon. Qui ritus in nostra usque tempora perdurat. In Norvvegia refert Guil. Neubrigensis lib. 3. cap. 6. Quicunque tyrannicè Regem occidisset, Rex erat. Huic infami malo ut Optimates occurrerent, ann. circiter 1181. decreverunt Regem suum Magnum nomine, unctione mystica consecrandum, & coronandum esse, ut nemo de cætero auderet manum mittere in Christum Domini; sed Rex iterum interfectus est à famoso Presbytero, & latrone Severo, qui ritu jam consueto mystica unctione Diadema consecutus est. Rex Daniæ Christophorus anno 1403. Ripis inunctus, & Regno inauguratus est; ut ex diplomate Felicis V. de quo Cypræus in Annal. Slevicens. qui idem refert de Rege Sueviæ Christerno patrum nostrorum memoria. Similiter Balduinus anno 1101. Rex Hierosolymorum inunctus in Ecclesia Bethlehemitica. Tyr. de Bello Sacro l. 10. cap. 9. Petrus II. Rex Arragoniæ in æde S. Pancratii Romæ sacro oleo inunctus tempore Innocentii III. Gordon in Chronol. ad annum 1101. de Unctione Regum Gothorum ante 1000. annos, late refert Armacanus de Justitia Armorum lib. 1. cap. 10. Quod idem successit in Regibus Longobardorum, in quorum Diplomatibus ante unctionem sic apponebatur data: *Actum in felicissimo Palatio.* Ad differentiam alterius datæ post unctionem: *Actum in sacratissimo Beneventano Palatio.* Ut habetur in Chronico S. Sophiæ Beneventanæ. Et hæc satis.

Cap. XL.

De præcedentia Lateranensis Basilicæ.

Circa sacrosanctam Ecclesiam Lateranensem Salvatori dicatam, culmen, & summitatem totius Christianæ Religionis effectam, inquit Petrus Damiani lib. 2. epist. 1. ad Card. *Ecclesiam Ecclesiarum habere utrinque beatorum Apostolorum Petri & Pauli diversis quidem in locis constitutas, sed sui compage Sacramenti indifferenter unitas Ecclesias.* Ut ostendatur: *Quoniam his tanquam expansis D. misericordiæ brachiis, summa illa, & universalis Ecclesia omnem ambitum totius Orbis amplectitur.* Quod sanè exemplum præclarè respondet antiquæ illi Ecclesiæ consuetudini, qua Christum mediũ

inter duos Apostolos Petrum & Paulum pingi solitum Patres prodidere. Et in Concilio Florentino dum de unione inter Latinam, Græcamque Ecclesiam instauranda, redintegrandaque agebatur Eugenio IV. summo Pontifice, & Joanne Palæologo præsentibus. In Prolegom. ejusdem Synodi, & Sess. 1. habetur: *Thronus ante ipsum Altare aureo velò coopertus, splendido & magnifico apparatu est constitutus, in quo magnus ille ac justus judex Christus Dominus, hoc est, sanctum ipsius Evangelium residebat. Utrinque autem à lateribus sanctorum Apostolorum Petri & Pauli capita reposita erant, accensis facibus ante ipsa prælucentibus.* Quare opportunum visum est, ut Patres Græci in ipso apparatu Petrum & Paulum supremos post Christum Principes, & Pastores universam Ecclesiam in Oecumenico Concilio collectam supereminentes agnoscerent.

Cap. XLII. §. Sed quam sumptuosa.

De Balsamo. QUoniam de Luminibus in Ecclesia solitis, jam diximus; & inde quod Balsamum ibidem ex Magni Constantini munificentia quoque arderet. Hic addimus obiter: ut dum Terræ sanctæ pulchritudo tota, & fertilitas una cum Templo, & Natione evanuerit; similiter etiam Balsamum soli Judææ à Plinio lib. 12. cap. 25. attributum, nec nisi in Jerichontinis viridariis nasci solitum; in Ægyptum fuerit translatum, ubi non alia irrigatum aqua crescit, quam illius fontis, qui B. Virgini Mariæ, Filioque ipsius scaturiit. Genebr. lib. 2. Chron. in Tito, ex P. Jovio lib. 17. histor. post med. Baron. ann. 1. num. 46. ex Burchardo teste oculato in Descript. Terræ sanctæ part. 2. cap. 4. & Cornelio Jansenio Concord. Evang. cap. 11.

Cap. XLIV.

Contra castratos. PRæter ea, quæ diximus contra adolescentulos, qui ut carius voces locent, se castrari permittunt, ut in Can. 22. Apost. Operæ pretium esset contra eosdem pluribus agere; ut etiam prohibetur castratio in Concilio Nicæno Can. 1. ut in decreto Can. Si quis à Medicis distinct. 55. Hic abusus hodie maximè irrepsit in Ecclesia: ob quem dubio procul multa imminent à Deo flagella: ut in tractatu quem prodidit de hoc eruditissimus Inchofer, Soc. Jesu.

Cap. XLVI.

DIxi de horis Canonicis. Quibus adde ann. 1096. fuisse institutas horas B. V. Mariæ in Concilio Claramontano, præsente Urbano II. Papa celebrato. Genebr. tom. 1. in Psalm. post epistolam ad Lectorem: & in Chronic. Sec. 11. in Urbano II. Gaulterius in Chronographia status Ecclesiæ in seculo 11. col. 12.

Cap. LX.

De festo Epiphaniæ. HAnc solennitatem ab initio Ecclesiæ succrescentis mos passim obtinuit, ut Epiphaniorum, seu Theophaniorum, aliisque vocabulis ad explicandum diei mysterium spectantibus insigniretur. Magnam vero hujus diei religionem etiam vigilia eidem ab antiquo constituta declarat, de qua Ordo Romanus, Gregorius Turonens. de Gestis Francor. lib. 10. cap. 31. in perpetuo Episcopo, quem inter alias vigilias

lias hanc introduxisse memorat: quibus adidi possunt Breviarium, & Calendarium Græcum; etsi eam notent non sub appellatione vigiliæ, sed *Expectationis luminum*, seu *Illuminationis*, à Baptismo Christi, quemadmodum traditur hoc die peracto; unde religiosè antiquitus etiam, *Dies Baptismi* appellari solitus est, Græcis *Festum Luminum*, Latinis vero *Epiphania Domini*, id est manifestatio, vel apparitio Domini: dicitur ab Alcuino cum pluribus aliis, & Menologio *Theophania*, quia plura mysteria in hoc uno die repræsentantur. Denique alii eam nominant *Diem secundum Natalis Domini*; quemadmodum inquit Ordo Romanus: *Secunda Nativitas Christi tot illustrata mysteriis, honoratior est quam prima: tunc tantummodo natus est, & Angelus Pastores affatus est. Hodie vero à Magis, cum muneribus adoratus: hodie cum in Jordanicis aquis tingeretur, filius dilectus à Patre est vocatus de Cœlo, & Spiritus sanctus in specie Columbæ super eum visus est; nec non per Baptismi Sacramentum caput Draconis est contritum: hodie ex aqua vinum factum est, eidemque cœlesti sponso Ecclesia conjuncta est. Insuper & quinque millia hominum ab eo refecta sunt, & ideo manifestatio interpretatur, quia in his manifestare se hominibus dignatus est.* Præterea in Ægypto hac eadem die celebrari consueverat Nativitas prima Christi, refert Cassian. Collat. 10. Isidor. lib.1. de Eccles. off. cap.26. in hunc usque diem prorogata, sive errore, sive industria à quibusdam, ab hoc die principium anni duceretur; & proinde congruum fuit præcipuam hanc esse solennitatem.

Rectissime utique sancta Mater Ecclesia hæc tria hac eadem die memorat: nempe Adorationem Gentium, Manifestationem in Baptismo Miraculi exhibitionem in Cana; non quidem attentis temporibus, quibus singula contigerunt, sed consideratis rationibus, quod his maximè tribus Divinitas Servatoris universo Orbi manifestata est. Eadem religione ducti Ægyptii, hoc ipso die, ut diximus, & Nativitatem ex utero celebrarunt, & Africani miraculum quinque panum, quod hæc quoque maximè facerent ad contestandam Divinitatem; nulla habita ratione dierum, quibus acciderunt.

Diximus supra hunc Festum *Illuminationis* vocari consuevisse, nempe à Baptismo: ac præsertim apud Patres Græcos Baptismus *Illuminatio*, seu Illustratio plerumque appellatur, idque præter alios Dionys. Areop. de Eccles. Hierarch. cap. 2. tracto videlicet nomine ex Apost. ad Hebr. cap.6. & 10. semel nimirum *Illuminatos*, & prolapsos impossibile esse renovari ad pœnitentiam. Fuisse autem aliquando usum hoc die baptizandi in quibusdam Ecclesiis, ex Damasceno, Victore Uticensi lib. 2. Persecut. Vandal. nempe ex commemoratione ejusdem diei, quod Christus ad Joannem baptizandus accesserit; ac etiam ut sciamus nullum huic Sacramento administrando diem si res poscat, non esse idoneum: Christo semper præbente virtutem, & religionem fidelium approbante.

Tempus baptizandi.

Extitisse tamen eo tempore Canones severè prohibentes Baptismum in prædicto Epiphaniæ die: certè Siricius Papa ad Himmerium Tarraconensem scribens arguit contra Baptizantes in die Nativitatis Domini, & Epiphaniæ aliisque Festis, inquit: *Emendandam consuetudinem non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumptam.*

sumptam. Leo epist. 4. ad Episc. Siciliæ, ut refertur in decreto Canon. Non ratione. Can. Duo tempora. Can. Si quis autem Epiphaniæ. De Consecrat. dist. 4. ubi habetur non nisi Pascha, & Pentecosten legitima Baptismi tempora; idque ex mysterio Resurrectionis Christi, & Adventus Spiritus sancti, & instituto Principis Apostolorum; refellitque eos, qui in Epiphaniis baptizandum contendebant, quod hoc die Christus Dominus ad Baptismum Joannis accessisset. Idem Episcopos Siciliæ reprehendit tanquam Apostolicæ sanctioni adversantes, quod eo die baptizarent, & inposterum anathemate cavit: neque id solum, sed invehitur in Campaniæ, Samnii, & Piceni Episcopos, quod præter hunc diem aliis festis solennibus gentiles expiarint. Ex quibus efficitur non apud Græcos duntaxat, sed apud Latinos quoque passim eum usum viguisse. Contra quem tamen facit etiam Constitutio Apostolica, quæ Baptismum in solo Paschate, & Pentecoste, sicut Apostolorum tempore cœpit, celebrandum perhibet: idemque expressè insinuant Tertull. de Baptism. cap. 9. Basil. lib. de Exhort. ad Baptism. Ambros. de Helia, & Jejun. cap. 10. & lib. de Pasch. cap. 5. Nyssenus epist. Can. ad S. Latojum, præterea Concilium Gerundens. de quo in Canon. de Catechumenis, de Consecr. dist. 4. Baptismum Paschalem miraculo etiam comprobatum habemus ex ep. Paschasii Lilybæi ad Leonem Pontif. & Joann. Moscho in Prato cap. 214. Quod in Castello Cedebratis in Lycia Baptisterium in Paschate Resurrectionis ex se continuo impleretur, & aqua illa duraret usque ad Pentecosten, & transacta Pentecosten evanesceret.

Porro consuetudo ita paulatim desiit; servata namque est ad tempus duntaxat in Paschate, primum in Thessalia, deinde in aliis locis sensim evanuit: & quidem in Occidente post tempora Caroli Magni, & filiorum ejus, vix alicubi videtur tenuisse; ita de suo tempore Theophylact. ad cap. 10. Lucæ (qui vixit anno 1071.) quotidiani Baptismatis usus jam pridem fuerat introductus. Causa mutationis ex Basilio in lib. Exhort. ad Baptism. fuit commune vitæ periculum, & quia multi absque Baptismate præmoriebantur, ex Socrat. lib. 1. histor. cap. 21. Nicephor. lib. 12. hist. cap. 34. Rupert. Abb. lib. 4. de Divin. offic. cap. 18. Nam quamvis graviter infirmi, aut alia urgente necessitate coacti quocunque tempore possent baptizari, ut in Can. de Catech. Can. si qui Can. Venerab. Can. baptizandi; permulti tamen, & persæpè moriebantur, aut casu, aut occidione, & improviso decedebant. Ac etiam non pauci fræna laxabant peccandi licentiæ, freti certa remissione quandocunque vel sero ad Baptismum accessissent, ut videtur insinuare Basilius loco cit. Denique imminuenda fuit Diaboli potestas, quæ multum prævalebat adversus eos, quos innocentia nondum cœlo dignos effecisset, sed iræ Dei obnoxios dilatio temerè detinuisset.

Solennis hic dies apud Ethnicos.

Solennis hic dies etiam tempore Augusti Cæsaris habitus est, quando venturo proximè Christi regno, hoc ipso die, tametsi imprudens Augustus, mirè famulari probatus est, ut ex P. Orosio lib. 6. hist. cap. 20. his verbis: *Cæsar victor ab Oriente rediens 8. Idus Januar. Urbem triplici triumpho ingressus est: ac tum primum ipse Jani portas sopitis omnibus finitisque bellis civilibus clausit. Hac die primum Augustus consalutatus est. Quod tamen cunctis antea inviolatum, & huc usque cæteris inausum Dominis,*

minis, tantum orbis licitè usurpatum, apicem declarat Imperii: atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes unum cœpit esse, & mansit, quod Græci Monarchiam vocant. Porro autem hunc esse eundem diem, id est 8. Idus Januar. quem nos Epiphaniam, hoc est apparitionem, sive manifestationem Dominici Sacramenti observamus. Et infra: *Hoc autem fideliter commemorare ideo par fuit, ut per omnia venturi Christi gratia præparatum Cæsaris Imperium comprobetur. Nam cum primum Cajo Cæsare Avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cœlestis arcus, orbem solis ambiit: quasi unum eum ac potissimum in hoc mundo, solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore venturus esset, qui ipsum solem solus, mundumque totum & fecisset, & regeret.* Hæc Orosius.

Cæterum à primis Ecclesiæ temporibus, tanta Christianorum religione obiri solita est hujus diei solennitas, ut qui eam debitè non coluisset, notam suspectæ fidei non evaderet. Quocirca ut eam Julianus Apostata declinaret, inquit Ammianus lib. 21. *Adhærere cultui Christiano fingebat, à quo jam pridem occultè desciverat arcanorum particibus paucis, aruspicinæ, auguriisque intentus, & cæteris, quæ Deorum semper fecere cultores: & ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum Ecclesiam, solenniter numine orato discessit.* Sed meliores Juliano Principes Valentinianus, Theodosius, Arcadius, parem diei Paschatis, Natalis Domini, & Epiphaniorum solennitatem existimantes, ita hunc diem feriatum esse jusserunt, ut septenos etiam dies, qui præcedunt, & septenos, qui subsequuntur, sine strepitu fori voluerint observari, & quod contra hoc factum fuisset, modis omnibus irritari; ita l. omnes dies Cod. de Feriis.

Solennis apud fideles.

Denique Alexandrinis primum peculiari quadam celebritate fuit hic dies singularis, ac deinde Romanæ, & totius Orbis Christiani Ecclesiis insignis; quod hoc die Pontifices Alexandrini, postquam ex instituto Romanum Pontificem monuissent, ad omnes Ecclesias, & monasteria Ægypti, ipsi quidem dirigebant suas, sed Romanus Pontif. ad universas per Orbem Ecclesias destinabat epistolas; quibus & de initio Quadragesimæ, & de die Paschatis cuncti monerentur. Factum id, ne Christiani cum Judæis celebrando coinciderent, semperque dies Paschæ diem Dominicum vendicaret; quod tempus legitimum cum non nisi vel methodo Astronomica, quæ diem æquinoctii, Lunamque decimam quartam ostendat; vel Cyclica, quæ videlicet beneficio Lunaris Cycli ætatem Lunæ præfigere possint: idcirco Nicænum Concilium, sancita pro Paschate die Dominica methodum Cyclicam proponi voluit. Quam quia Alexandrini præ cæteris Matheseos periti jam antea excogitarunt, & ab ingenio Theophili in arte versatissimi, tum commendabant; non solum communi consensu fuit approbata; verum etiam Alexandrinis prærogativæ loco datum, ut ipsi inposterum ejusmodi Cyclos conficerent, atque ad Romanum Pontificem transmitterent, qui deinde singularum Provinciarum Primatibus, & Metropolitanis, cum auctoritate id ipsum indicaret; juxta relata in Conciliis Carthaginensi IV. & Bracharensi II. ut refertur in decreto Canon. Placuit ut dies, & Can. Placuit ut postquam de Consecrat. dist 3. Hinc interdum evenit, ut

Hac die Alexandrini indicabant Pascha.

Metropolitani non percepta sententia in denuntiando die Paschatis aberrarent, donec monerentur, expectandum à Romano Pontif. quid servandum esset. Idque miraculo confirmatur ex Paschasio Lilybæo in epist. ad Leonem Papam, ubi refert, errore inter Occidentales ordo de die celebrationis Paschæ, monet in Ecclesia quadam ad Meltinas Baptisterium nocte Paschali repleri, & baptizatis, si qui essent baptizandi, iterum delabi solitum; illo anno nimirum 417. officium negasse, quod perperam auspicati fuissent diem Paschæ ad 8. Kalend. Aprilis: iterum vero ad 10. Kalend. Maji, qui legitimus dies erat, ad genium rediisse, & stupefactos erroris admonuisse. Erratum vero tum in Ecclesia Occidentalium fuisse putant, ut Sigebertus notat, quod ultimo Cycli decem novennalis anno pro embolismo communem accepissent, quod contigit prædicto anno 417. ut advertit Maffæus lib.11. Chron. ad hunc annum Zozimo Pontif. & Honorio Imperante in Occidente.

Duravit porro ea consuetudo, mansitque honos condendi Cycli apud Alexandrinos, quousque tandem Orientales variis inter se conflictati dissidiis, ab Ecclesia Romana secesserunt: tunc enim Romani Pontifices dedignati ea prærogativa Hæreticos afficere, cum multi in Ecclesia Romana periti Matheseos invenirentur, horum consilio, & industria deinceps uti cœpit in designandis temporibus, & ritu præscribendo. De quibus Eruditiss. P. Melchior. Inchofer in suo Libello de Tribus Magis Evangelicis.

Eodem cap. LX.

Festum sanctiss. Sacramenti.

FEstum sanctissimi Sacramenti pro feria quinta, quæ post Octavam Pentecostes primo occurrit, institutum ab Urbano VI. ejusque officium una cum hymno, & prosa compositum, atque ad Papam missum à sancto Thoma Aquinate. Centesimo autem post anno cœptum est Papiæ in processione deferri Sacrosanctum Jesu Christi corpus. Unde mos in alias Occidentis partes dimanavit, præcipuè vero in Ecclesiam Andegavensem, ubi Sacramentariorum Dux Berengarius suum venenum sparserat. Genebr. in Urbano IV. S. Thom. Opusc. 57. Bellarmin. lib. 3. de Sanctis cap 15. Azor. Institut. Moral. lib. 1. cap. 14. Porro quod hic ex Genebrardo dixi de circumgestatione Corporis Christi ad specialem festi hujus solennitatem restringendum est: cum longe antiquiorem esse, & ad alios etiam dies festos pertinere hanc ceremoniam constet, ex Concilii Braccharensis III. cap. 5. his verbis: *Antiqua in hac parte, & solennis consuetudo servabitur, ut in festis quibusque diebus Arcam Domini, cum reliquiis non Episcopi, sed Levitæ in humeris gestent, quibus & in Veteri lege onus idem impositum novimus esse præceptum. Quod si & Episcopus reliquias per se deportare elegerit: non ipse à Diaconis in sellula vehatur, sed potius pedester una cum populis progressione procedente ad conventicula sanctarum Ecclesiarum sanctæ Dei reliquiæ per eundem Episcopum portabuntur.* Vide Sanct. Rep. 9. de Eucharist. cap. 8. multo ante medium. Ubi Arcam Domini, & sanctas Dei reliquias ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum refert, quod voluit etiam Gaulterius in Chronographia status Ecclesiæ in decimo tertio Seculo col. 12.

Trans-

Transfigurationis Jesu Christi Festum ad 6. August. diem à Callisto III. instituitur ob victoriam ann. 1456. à Turcis reportatam. Genebr. in Callisto III. Cum Mahomethes ingenti exercitu Albam Regalem Ungariæ Civitatem obsidens, ab Uniade urbem propugnante fortissimè repellitur, cæsis 40. millibus Turcarum, & ipso Mahomethe oculum hasta sauciato: quo etiam prælio B. Joannes Capistranus Ordinis Minorum sanctitate, & doctrina celeberrimus egregiam operam adhibuit in hortandis militibus, ut refert Æneas Silvius in Comment. Porro concessa fuit à dicto Callisto III. iis Indulgentia, qui officio dicti Festi Transfigurationis intersunt, non secus ac die Festo sanctissimi Sacramenti. S. Antonin. part. 3. tit. 22. cap. 4. Azor. Instit. Moral. part. 2. lib. 1. c. 15. quæst. 1. Bellarmin. lib. 3. de Sanctis cap. 15.

Festum Transfigurationis D. N. Iesu Christi.

De Festo sanctissimæ Trinitatis: supponendum quod tempore Caroli Magni compositum fuerit ab Alcuino officium sanctiss. Trinitatis, ejusque dies festus celebratus à multis seculis variisque Ecclesiis: quarum tandem ritus inductus est in Ecclesiam Romanam, non tamen ante Pontificatum Alexandri III. Azorius Instit. Moral. part. 2. cap. 13. quæst. 1. Vide Durand. Rational. divin. offic. c. 114. Bellarm. lib. 3. de Sanctis cap. 15. & cap. quoniam in parte de Feriis.

De festo sanctiss. Trinitatis

Conceptionis B. V. Mariæ Festum à tempore sancti Bernardi inchoatur, sed non nisi Sixti IV. tempore per totam Ecclesiam extenditur. Azor. Institut. Moral. part. 2. lib. 1. cap. 21. quæst. 1. Bellarmin. lib. 3. de Sanctis cap. 16. ad secundum & ad tertium.

Festum Conceptionis B. V. Mariæ.

Festum Visitationis B. V. Mariæ ab Urbano VI. Papa constitutum, ut celebretur die 2. Julii, ad hoc ut sua intercessione ipsa Eccles. unionem resarciat, & unitam conservet. Platina in vita ejusdem Urbani. Genebr. in eundem Urbanum. Azor. Instit. Moral. part. 2. lib. 1. cap. 23. quæst. 1.

Festum Visitationis B. V. M.

Eodem cap. LX. §. de Festo Annuntiationis.

FEstum Annuntiationis sanctissimæ Deiparæ Virginis Mariæ die 18. Decembris ex prisco more in Hispania celebratur. Unde advenientes dudum aliquot Monachi Cluniacum à S. Odilione inclyti illius monasterii Cœnobiarcha poposcerunt, ut sibi liceret more suo hac die ipsam solennitatem peragere: quod pius Pater iis indulsit. At Deo gratam rem non fuisse ex indicio nocturnæ visionis innotuit. Quæ visio reserata antiquam Catholicæ Ecclesiæ, quæ vigebat in Gallia, observationem, qua Annuntiatio Virginis, quo contigit die, recolitur 25. Martij: eaque quæstio Dei judicio sopita est, quæ circa hæc tempora inter Galliæ Pontifices orta erat: num scilicet congruentius esset alio quam quo consuetum pridem erat tempore tantam celebritatem recolere, quæ in Quadragesimam sæpè sæpius incideret, eoque concursu minus solenniter exequi posse videretur. Cui rationi innixi Toletani Concilii X. qui sub Vitaliani Pontificatu consederunt Patres, die octavo ante Natalem Salvatoris, Annuntiationem ipsius beatissimæ Genetricis Canone I. decreverunt recolendam.

Festum Annuntiationis B. V. M.

colendam. Qui mos inde ortus, & propagatus in hunc uſque diem apud pleraſque Hiſpaniæ Eccleſias prævaluit. Quæ tamen ne praxi Catholicæ Eccleſiæ pertinacius obluctari viderentur, ſacris Anniverſariis diem 25. Martii proſequuntur: & nihilominus hunc etiam peculiari feſtivitate colunt: at illum jam multis in locis ſub titulo Annuntiationis, iſtum vero ſub nomine Expectationis partus glorioſiſſimæ Virginis. Ita refertur in Appendice ad Martyrologium Gallicanum die 18. Decembris.

De die, tempore Incarnationis & Nativit. Chriſti Domini.

Sicuti jam viſum eſt ſupra Verbum Æternum Patris æterni Filium incarnatum 25. Martii; ita 25. Decembris natum, non ſolum aſſerit, ſed etiam pro traditione recipit Clemens Rom. 5. Apoſtol. Conſtit. cap. 12. ut etiam D. Auguſt. lib. 4. de Trinitate cap. 6. lib. 83. quæſtionum quæſt. 56. & lib. 65. qq. quæſt. 26. & ſuper Pſalmum 132. Quod ipſum apud Nicephor. lib. 2. hiſtor. cap. 3. confirmat Euodius Petri in Antiochena ſede ſucceſſor, ac etiam refert Cardin. Baron. ad annum Chriſti 301. Gentiles in feſto Natalitiorum die 25. Decembris adiiſſe Maximianum, & narraſſe conſuetudinem Chriſtianorum eo die maximum Feſtorum celebrantium, quo nempè Deum ſuum natum fabularentur. Ut hinc clarum evadat, ab initio ſolennem in Eccleſia fuiſſe hunc Nativitatis diem, nec niſi ab Apoſtolis profluxiſſe juxta Auguſtini Canonem lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24.

In quam vero hebdomadæ feriam inciderit Chriſti Domini Nativitas, de hoc varii varia, ut notatur tom. 3. Conciliorum Romæ impreſſorum, ubi in Can. 8. quod ſubjicitur, & falſo adſcribitur ſextæ Synodo, ſic habetur: *Diei vero Dominici, quia in eo Deus lucem condidit*, &c. *Et in eo naſci dignatus eſt*; *in eo Stella Magis refulſit*, &c. Cujus loci non eſt habenda ratio ex infra allegandis: Et licet verum ſit prima die creatam lucem, non tamen ideo debemus aſſerere natum Chriſtum, in ea ſed potius die quarto, in quo & ipſa lux aut formata eſt in corpus Solis; aut certè lumen ipſum Solis, quod primo die erat informe, quarto die formatum eſt. Ut S. Thomas part. 1. quæſt. 70. art. 1. ad ſecundum ex Dionyſ. cap. 4. de Divin. Nominib. aſſerit, cum qua comparatione magis conſiſtit Nativitas Chriſti in carne, quam cum primo die, in quo ſecundum Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. cap. 5. & lib. 1. cap. 9. non Lux corporalis, ſed ſpiritualis tantum facta eſt; & uno verbo Lux informis, cujus ſimilitudo non cadit in Chriſti Nativitatem, quæ Orbi Terrarum lucem attulit, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Alii & rectius, Incarnationem, ſeu Conceptionem feria ſecunda, Nativitatem vero feria quarta contigiſſe affirmant, quaſi ea feria decuerit Solem Juſtitiæ habitantibus in Regione umbræ mortis oriri, qua olim Sol iſte materialis, quem quotidie ſpectamus, illuxit Orbi. Tuetur hanc ſententiam Cedrenus in Compendio. Maximus Monachus ſatis illo vetuſtior in tract. de Chriſ. quibus accedit Venantius in vita Redegundis Regina apud Surium 13. Auguſti, affirmans, eam inter mortales deſiiſſe die 13. Auguſti, feria quarta, ideoque die Natalitio Salvatoris. Atteſtatur & Gregorius Turonenſ. lib. 9. hiſtor. cap. 2. lib. de Gloria Confeſſor. cap. 106. nec diſſentit Beda de Argum. Lunæ, dum conceptum ait Dominum feria prima in Dominica, & natum feria

feria tertia: id enim citra difficultatem explicari sic debet, si secundum Persarum, Babyloniorum, aliarumque gentium, immo & Astrologorum morem intelligatur, quæ nox ad diem lucis præcedentis referri solet; ita ut natus sit Christus media nocte, quæ lucem feriæ tertiæ (quam diem Martis vulgo vocant) est consecuta, & quartæ feriæ, seu diei Mercurii lucem est antegressa; unde & feria quarta natus dicitur, qua eadem Sol primum illuxit mundo: ut P. Inchofer, lib. de tribus Magis cap. 25. & hanc esse Ecclesiæ traditionem tradit Tirinus in Sacr. Chronic. cap. 48. concl. 3.

De Anno vero, quo natus est Christus, constat illum natum anno 41. Juliano, quod Lucas Evangelista asserit, exiisse edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis: tum vero natum Christum, nemo nisi absurdè negat. Iterum Christum natum esse in diebus Herodis Regis, quod etiam nemo inficias eat, nisi Matthæum Evangelistam falsa scripsisse calumnietur: at hoc nulli convenit anno nisi 41. Jul. qui etiam fuit Regni Herodis partim 32. partim 33. quo primum legitimè regnare cœpit. Cui assertioni addi potest hunc eundem annum Tribunitiæ potestatis Augusti 18. fuisse, quo universis gentibus una pace compositis, Jani portas idem ipse Augustus tertium clausit, & quo decretum edidit, ut universus censeretur Orbis: qui denique ex institutione C. Jul. Cæsaris fuit bissextus, quo solo nasci potuit Christus Herode Seniore adhuc in vivis agente. Et hæc satis præter alia multa, quæ in hoc argumento essent dicenda.

Cap. LX. §. Porro.

De festo SS. Innocentium.

Non est absque difficultate scrutari, Quare Ecclesia Innocentium celebret solennia? qui usum liberi arbitrii non habebant, sine quo meritum nec Martyrii laureola debetur, quoniam respondetur verè Martyres actu illos fuisse, quamvis etiam voluntas eorum non accesserit, quod videtur sentire Bernard. distinguens tria genera Martyrum, & secundum hoc licet Innocentes non pertingant ad perfectam rationem Martyrii; habent tamen aliquid Martyrii, ex quo passi sunt pro Christo: ita etiam & laureolam habent, non quidem secundum perfectam rationem; sed secundum aliquam participationem; in quantum scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse; ut etiam de pueris baptizatis, qui habebunt aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate: habetur ex supplemento D. Thomæ part. 3. quæst. 96. art. 6. ad 12. Quin imo quod in eorum singulis Christus videatur occisus, merito magno honore eos semper Ecclesia affecit. Origen. hom 3. divers. August. contr. Pelag. & serm. de Innoc. & ut Martyres coluit, atque Anniversaria memoria celebrare consuevit. August. epist. 28. ad Hieronym.

Igitur sanctos Innocentes crudelissimè ab Herode magno, seu Antipatre necatos Matth. 2 in odium Jesu Christi, idque paulo post ipsius in Templo Præsentationem. Baron. ann. 1. n. 47. & seq. De quo immani scelere scribit Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 4. Augustum, cum audisset Herodem inter alios infantes suum etiam filium jussisse trucidari, respondisse: *Melius est Herodis porcum esse quam filiū.* Quibus agnosce eo insaniæ atq; furoris processisse cæcam Herodis dominandi cupidinem, ut cum

omnes homines sic regnare velint, ut cupiant etiam regnum ipsum in filios propagare; ipsomet modo armaverit parentem in filios ne regnent. Hinc Dei judico factum, ut idem Herodes sanctorum Innocentium carnifex animam evomuerit anno Christi 8. Baron. ann. 8. num. 10. corrodentibus, alios inter cruciatus acerbissimos, totum corpus vermibus. Euseb. ann. 6. Vide Joseph. lib. 17. Antiquit. Judæorum, cap. 8.

De Festo S. Petri ad Vincula.

Festum S. Petri ad Vincula 1. Augusti die, Imperatricis Eudoxiæ rogatu à Sixto III. institutum: idque potissimum ad avertendum populum ab ea Ethnica consuetudine, qua illo die per solenne festum quotannis celebrabat victoriam ab Octavio Augusto de Antonio, & Cleopatra reportatum. Sigibert. ann. 438. Genebr. in Sixto III. Vide latè Annotat. Baronii ad Martyrolog. dict. die 1. Augusti; nec non ejusdem Annales Ecclesiast.

Festum Exaltationis sanctissimæ Crucis.

Heraclius Phocæ successor, Constantinopoli ipsomet obitus illius die à Patriarcha Sergio coronatur; eodemque die coronatur cum eo, & matrimonium init Eudoxia ante Fabia nuncupata. Baron. ann. 610. num. 5. ex Cedreno, & Zonara. Ad prælium dum proficiscitur, sacram Jesu Christi Iconem defert, magisque pietati quam armis confidit. Baron. ann. 621. num. 1. 2. 6. 7. Nec sine præmio tam nobilis pietas fuit: fusis enim fugatisque sæpenumero Persis, egregias ab illis refert victorias. Baron. ann. 621. num. 3. 9. & ann. 622. num. 5 6. 7. & ann. 623. num. 5. 6. Eripit & sacrum veræ Crucis lignum Siroi Persarum Regi. Baron. 627. num. 23. Quod pater Siroi Cosroes capta Hierosolyma in Persidem asportarat. Baron. ann. 614. num. 14. Hierosolymam autem victor reversus Crucem suis humeris in montem Calvariæ solenniter reportavit, verum depositis Imperii, triumphique insignibus, quod his antea redimitum nescio quæ vis arcana tanto magis detinuisset, quanto magis progredi conatus erat, his inquam insignibus depositis, & habitu vulgari de Zachariæ Patriarchæ consilio commutatis, nec non abjectis calceis. Quod miraculum occasionem dedit instituendi solenne Exaltationis sanctæ Crucis Festum singulis annis in Ecclesia solitum. Baron. ann. 628. num. 1. 2. Cæterum (O volubilem humanæ mentis inconstantiam!) cum Edessæ otio solveretur, Imperatorem se, non Episcopum esse oblitus, curiosa de rebus fidei disputandi prurigine, eo adductus est, ut se ab Anastasio Jacobita, à Patriarcha Sergio Monothelita circumveniri permiserit. Baron. ann. 629. num. 1. & seq. suum utique ferendis quæstiunculis, agitandisque dogmatibus animum dedens, quem enascentibus Mahumetanis extinguendis applicare debuerat. Baron. ann. 630. num. 12. Eo demum processit audaciæ, ut novam atque hæreticam fidei professionem promulgarit: quam Romam ad se missam Severinus Papa rejecit. Baron. ann. 639. num. 1. 2. 7. 8. 9. sicuti & eandem postea in plena Synodo Joannes IV. Papa condemnavit. Baron. ann. 640. num. 1. Tandem ubi per apostosiam prolapsioni Imperii aditum aperuit, animi corporisque angoribus oppressus, morbisque plurimis, atque adeo hydropisi vexatus miserè occubuit. Egregium sanè Principibus

bus exemplum, in quo dilucidè perſpiciant, quantum Deo ſubnixi poſſint; quam parum, ſi à Deo recedant, ut Eccleſiæ ac Reipublicæ bellum indicent. Baron. ann. 641. num. 1.

Dum agitur de Feſtis Sanctorum, referre non piget de Feſto ſanctæ Annæ Matris Genitricis Deiparæ, de qua tam in Orientali, quam in Occidentali Eccleſia pervetuſtum fuiſſe cultum, diffusè Baron. in Notat. ad Martyrolog. die 26. Julii: & idem tom. 1. Annalium, in Apparatu num. 41. Hunc feſtum dicto die Gregor. XIII. Romanus Pontif. divino afflatus Spiritu Apoſtolicis litteris datis ann. 1584. Kal. Maji firmavit, auxitque: præcipiens nimirum, ut perpetuis futuris temporibus beatæ Annæ dies feſtus 7. Kal. Auguſt. per totius Orbis Eccleſias duplici officio recolatur.

De S. Anna, & ejus nepotibus.

Quoniam in propoſito oritur controverſia circa deſcendentes Annæ, & Conſanguineos Chriſti Domini: nempè cur Jacobus frater Domini ſit dictus? quem aliqui falsò dicunt fuiſſe filium Joſeph ex priori conjugio, ita Euſeb. lib. 2. hiſtor. cap. 1. Epiphan. hæreſ. 78. Alii tradunt, quia filius fuit Cleophæ fratris Joſeph; hinc Maria Cleophæ. Joann. 10. dicitur ſoror matris Domini, more uſitato quod eſſent duorum fratrum conjuges, unde & earum filii fratres. In quo ſenſu putatur à D. Bernardo de Lament. Virg. Joannes dictus Nepos Mariæ Virginis.

Alii putant Jacobum eſſe fratrem Domini, quia filius fuit Mariæ ſororis Deiparæ ex eadem matre Anna, ſed diverſo patre, nempè Cleopha genitæ. Tuentur enim ſanctam Annam tres habuiſſe maritos, & ex ſingulis ſingulas habuiſſe Marias. Ita Natalis Beda in Apol. pro filiabus, & nepotibus Annæ, contra Jacobum Fabrum, cujus aliquando liber fuit ſuſpenſus. Hanc vero ſententiam tanquam antiquam ſanctorum Patrum, & Doctorum, & Eccleſiæ uſu receptam multis oſtendit, & rationes adverſantes ſolvit: pro eadem adducit 48. circiter auctores graves, inter quos plurimi ſancti Patres. Quibus addi poſſunt Petrus Dorlandus in vita Annæ, & Joachim, & præcipuè quæ leguntur in vita B. Colettæ Virginis, quæ obiit ann. Domini 1447. Surius ad 6. Mart. Molanus de Sanctis Bel.

Tres mariti Annæ dicuntur Joachim, ex quo Maria Virgo: Cleophas, ex quo Maria dicta Cleophæ, nupta Alphæo genuit Jacobum Minorem, qui & Juſtus, Joſeph item Juſtum, Simonem Cananæum, & Judam Thaddæum: Denique Salomes, ex quo tertia Maria, dicta Salomes nupta Zebedæo, genuit Jacobum Majorem, & Joannem Evangeliſtam; quæ denique in Italia apud Hernicos quievit, ut produnt Eccleſiæ Verulanæ monumenta, ubi ejus venerandum corpu religiosè aſſervari creditur.

Hæc ſi ita ſunt, ſatis apparet, cur à Bernardo Joannes dicatur nepos beatæ Virginis? cur cæteri conſobrini fratres Domini? cur vero Jacobus Alphæi hoc nomine præcipuè nobilitetur? fortaſſe originem habet ex epiſtola ad Joannem Ignatio adſcripta, in qua legitur: *Similiter & illum venerabilem Jacobum, qui cognominatur Juſtus, quem referunt Chriſto Jeſu ſimillimum facie, & modo converſandi, ac ſi ejusdem uteri frater eſſet gemellus, quem dicunt ſi videro, video ipſum Jeſum ſecundum omnia corporis ſui lineamenta.* Hæc ille. Unde & à pictoribus antique ſuſceptum, ut Jacobum

Alphæi ſimillimum Chriſto pingant: quod improbat Molanus de hiſt. Imagin. lib. 2. cap. 16. & 28. Fortaſſe periculum fuerit tempore Helvidii hæretici, Jacobum fratrem Domini dicentis, quod filius eſſet Joſeph ex Maria Chriſti Domini, quæ dementia hodie extincta eſt: & referuntur etiam prædicta ab Eruditiſſimo P. Inchofer Soc. Jeſu in Conjectatione ad epiſt. B.M.V. ad Meſſinenſes.

Cap. LX.

Lætitia in celebrandis feſtis.

OLim Dies feſti tanta lætitia celebrabantur, ut in illis convivia, & ſpectacula fierent, & choreæ ducerentur, ut obſervat S. Baſilius in ſerm. de ſancto Barlaam, & S. Gregor. Nyſſen. in Vita S. Gregor. Thaumat. Hanc ob cauſam multa apud Ethnicos in ſuis Feſtis adhiberi ſolita, videmus converſa eſſe in ſolennitatem Chriſtianorum, ne Ethnici converſi repentina mutatione deterreri viderentur, ſi apud Chriſtianos nihil ſplendoris in Feſtis celebrandis ſervari animadvertiſſent. Facit etiã hujusmodi celebritas ad Religionis magnificentiam, & ad ſanctitatem æſtimandam: ut in Notis Baronii ad diem 2. Febr. Sed tunc verè nos in Sanctorum ſolennitatibus gaudemus; quando quos veneramur, etiam imitamur: & ut inquit D. Auguſt. in ſerm. ex Cod. M. S. Biblioth. Vatic. in Natali ſanctorum Martyrum, qui dicti ſunt Maſſa Candida nuper in lucem edito à Domino Joann. Baptiſta Mari his verbis: *Sic enim volunt ſolennitates ſuas celebrari conventibus noſtris, ut eorum pietatem lætificemur moribus noſtris.* Similem ſententiam habet ſerm. 30. in Natal. 20. Martyrum Additio Sirmundi: *Illi noſtris feſtivitatibus non egent, quia in Cœlis cum Angelis gaudent: congaudent enim nobis, non ſi honoremus eos, ſed ſi imitemur eos: cum non ſit aliud honorare, & non imitari: quam mendaciter adulari.* Avocantur enim Chriſtiani à ſuperſtitione Gentilium ad operam pietatis. Vide ſerm. 7. Auguſtini de Kalend. Januar. Addit. Sirmondi ubi: *Nolite miſceri Gentibus ſimilitudine morum, atque factorum. Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynas. Advocantur illi cantionibus luxuriarum, advocate vos ſermonibus Scripturarum: currunt illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam: inebriantur illi, vos jejunate.* Vide Aſterium de Feſtis Kalend. Chryſoſt. de Spectac. Circenſ.

Cap. LXII. §. De die Paraſceve.

De diebus Paraſceves, & Sabbati ſancti.

CIrca occurrentes ritus in diebus Paraſceves, & Sabbati ſancti refert Amalarius de Eccleſiaſt. offic. lib. 1. cap. 13. col. 4. junctis etiam & cap. 15. & 16. Ex Decretalibus Innocentii Papæ Miſſas prædicto biduo penitus non celebrari: quoniam percuſſus eſt Paſtor, oves gregis diſſipatæ ſunt, Paſtores qui videntur eſſe in Eccleſia, declinatione ſui officii demonſtrant ſtatum illius temporis, quod tunc agebatur apud Chriſti diſcipulos, qui propter metum Judæorum in triſtitia & mœrore ſe occultarunt. Quod etiam Chriſtus atteſtatus eſt pridie quam pateretur ibi: *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiſcum novum.* Quod manifeſtat actum eſſe, quod legitur ſecunda feria poſt Paſcha dicente Petro: *Nobis qui manducavimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* Unde ratus ordo eſt, ut expectemus, uſque dum Dominus noſter conſecret Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui in Cruce, & nova ea faciat poſt Reſurrectionem ſuam; & ſic tandem manducemus, & bibamus ſaluberrimum illud Sacramentum non jam pranſi, quod Apoſtoli fecerunt

in Cœna Domini, ſed jejuni. Ob hoc quoque non celebratur Miſſa prædictis diebus, quia tunc Dominus ſeipſum obtulit; & ipſa oblatio ſufficit ad ſalutem credentium. Orationes tamen leguntur, quia Chriſtus oravit pro perſecutoribus: *Pater ignoſce illis*, &c. ut Dominico exemplo etiam nos pro detractoribus Hæreticis, perfidis Judæis, & Paganis oremus, & ſecuri dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Recordor, cum de hujusmodi argumento familiare colloquium habuiſſem cum Eruditiſſimo, & admodum Reverendo Patre Melchiore Inchoſer Soc. Jeſu; ipſe excitavit mihi duo dubia, ad quæ reſponderem ego: videlicet, Cur Eccleſia in hebdomada ſancta mutaverit repræſentationem Myſterii Dominicæ Paſſionis: ut die Jovis condat in ſepulchrum, quo nondum mortuus fuit? Secundo, Quare die Sabbati ſancti repræſentet reſuſcitatum, quando adhuc jacet in ſepulchro?

Ad quæ quamvis auctorem in terminis non invenerim, crederem tamen ſic poſſe ad primum reſponderi: quod cum in Eccleſia conſuetum fuerit duo hæc myſteria ſimul repræſentari, nempè commemorationem Sacrificii incruenti in Euchariſtica inſtitutione, ac etiam ſacrificii cruenti ſupra Crucem, ut in omnibus Miſſis, & liturgiis quotidianis fit commemoratio ſimul utriuſque ſacrificii, nempè Euchariſticæ inſtitutionis per Dominica verba conſecrationis: *Hoc eſt Corpus*, &c. Ut quoque Dominicæ crucifixionis, ac mortis in elevatione Corporis, & Sanguinis ad populum per illa verba: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quibus ſuppoſitis, nil mirum quod in die Cœnæ Domini fiat non ſolum ſolennis commemoratio in Miſſa incruenti ſacrificii, videlicet Euchariſtiæ eo ipſo die inſtitutæ; verum & cruenti ſacrificii in Cruce, cum deponatur Corpus Chriſti quaſi jam mortuum in ſepulchrum; & ideo propter utriusque myſterii connexionem Eccleſia à Spiritu ſancto edocta prævenit celebrando hoc die Cœnæ Domini etiam Commemorationem prædicti cruenti ſacrificii: maxime cum die Paraſceves nulla debeat Miſſa celebrari, ut vidimus ſupra.

Hoc etiam nobis maximè demonſtratur, cum in Eccleſiæ exordio mos eſſet in die Cœnæ Domini poſt Veſperas in ſero Miſſas celebrari, ut nos vidimus c.9.pag.70. & ſeq. Et cum jam tunc proximè inciperet dies Paraſceves: non incongruum fuit, ſi poſtquam Miſſas in Eccleſia ante meridiem ſolum celebrari cœptas, etiam commemoratio cruenti ſacrificii à die Paraſceves in diem Cœnæ Domini ante meridiem fuerit præventum celebrari: eodemque tempore ſacroſanctum Chriſti Corpus in ſepulchrum recondi, ut etiam in præſenti ſervatur.

Ad ſecundum dubium jam excitatum, Quare repræſentet Eccleſia die Sabbati Reſurrectionem Chriſti Domini, cum adhuc Corpus ejusdem in ſepulchro jaceret? Reſpondetur, Commemorationem Reſurrectionis, quæ hodie fit in Sabbato, ſolitum jam fuiſſe illam repræſentari in Miſſa, quæ jam celebrabatur in nocte præcedente Dominicæ Reſurrectioni, ut in benedictione Cerei, quæ habetur in Sabbato ſancto; *Hæc nox eſt*, &c. Et in oratione in Miſſa ejusdem diei: *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloria tua Reſurrectionis illuſtras.* In qua nocte uſque ad ejus dimidium perſeverantes

erant in eorum vigiliis fideles meditantes Christi mortem, & Resurrectionem, & postea solennis prædicta Missa celebrabatur propter eandem Resurrectionem, quæ in ea completa est, & propter visitationem sanctarum mulierum ad sepulchrum Domini. Ut refert Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. 4. cap. 40. At vero progressu temporis, cum justis de causis cessassent prædictæ vigiliæ nocturnæ celebrari in Ecclesia; Missa quæ jam dicebatur in nocte præcedente diem Resurrectionis, probabile est fuisse decretum, ut celebraretur in Sabbato sancto, qui dies etiam jam erat vacuus, in quo nullum tunc habebatur sacrificium, ut supra fuit ostensum; & ut fideles in prima illa Missa Sabbati sancti disponerentur ad sequentem diem magnæ Dominicæ Resurrectionis.

Sed si fortè objiciat quispiam tempore prædictæ Missæ in Sabbato, in qua habebatur solennis commemoratio Dominicæ Resurrectionis, ejusdem Corpus adhuc in sepulchro extare, nec adhuc resurrexisse; & ideo incongruè tunc Missam illam celebratam. Ad hoc respondetur, Missam illam Resurrectionis in Sabbato processisse, ut nos meditaremur, quia Christus dormivit, ut nos vigilaremus, ac etiam quia ille est mortuus, ut viveremus.

Cap. LXIII.

De Vigiliis

NOcturnæ Vigiliæ ad sepulchra Martyrum à Bonifacio I. Papa sublatæ: Jejunium vero retentum. Genebrard. in Bonifacio I. de Vigiliarum Ecclesiasticarum Antiquitate. Bellarmin. lib. 3. de Sanctis cap. 17. & lib. de Jejunio cap. 22. Cardin. Baron. ann. 51. num. 71.

Cap. LXV.

An possit quilibet in sua fide salvari, modo credat in Deum.

QUoniam satis est ostensum Fidem absque Operibus ad salutem non sufficere, alteram quæstionem hic annectere lubet: Utrum in sua fide quilibet possit salvari; modo credat in Deum, & simul honeste vivat. Quod absolute negandum.

Primo si quilibet Turca, seu Judæus in sua fide salvari potest: ergo frustra Apostoli, & sancti Patres, tantopere in Christi fide asserenda laborarunt: frustra Martyres per omnia tormentorum genera sanguinem & vitam pro ea profuderunt. Ergo frustra Deus factus est homo; frustra Christus tot miracula patravit, ut Messias, & Salvator crederetur; frustra crucifixus, & mortuus est. Nihil enim horum ad salutem hominum erat necessarium. Ita Apostolus ad Galat. 2. *Si per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Hoc est, si justitia potest obtineri per cognitionem unius Dei, & legis observationem; frustra Christus mortuus est.

Secundo mendax aliter erit scriptura, quæ Christum esse nostrum Mediatorem, Redemptorem, & Salvatorem docet; cujus sanguine nos à peccatis ablui, cujus fide nos justificari passim confirmat. Quin imo quod ejus fides nobis sit ad salutem necessaria, patet; quia ut efficiamur participes magni, & insoliti beneficii (sicuti redemptionis est beneficium) omnis ratio postulat, ut agnoscamus beneficium, & benefactorem, eumque ut par est cum omni gratiarum actione honoremus. Nec satis est cognoscere generatim omnia bona nobis à Deo provenire: sed oportet cognoscere quale, & quantum sit ipsius beneficium, & quomodo illud contulerit; nimirum quod

à pec-

à peccato,& æterna morte nos liberaverit, quod ad æternam vitam nobis aditum reſerarit; idque ſtupendo prorſus modo, nempè noſtram ſibi naturam copulando, & in ea mortem pro nobis ſuſtinendo.

Tertio, ſi quilibet in ſua Fide poteſt ſalvari. Ergo ſufficeret fides, quæ non eſt donum divinitus infuſum, ſed humana perſuaſio, privato judicio concepta, fallaci fundamento ſubſtructa. Turcæ enim etſi credant unum Deum Cœli, Terræque Conditorem, bonorum & malorum Remuneratorem; ea tamen fides non eſt à Spiritu ſancto, ſed à judicio privato, vel potius à Diabolo. Nec enim Turcæ per aliquem Prophetam propoſitam illam habent, ſed quia Mahometus in ſuo Alcorano illam tradidit: ſicuti & Judæi ab eorum Rabbinis, & Synagogæ Doctoribus poſt promulgationem Evangelii fidem corruptam acceperunt. Quomodo ergo talis fides poteſt eſſe ſalutis fundamentum?

Denique hic error nullum facit diſcrimen inter Turciſmum, Judaiſmum, & Chriſtianiſmum: quod nihil eſt aliud quam viam aperire Alcorano, & Mahometem æquare Chriſto; vel potius atheiſmum non obſcurè inducere. Probare enim omnem Religionem eſt tollere omnem Religionem: cum vera Religio non niſi unica eſſe poſſit.

Nec in hoc refragatur: quod incredibile videatur omnes Judæos, & Turcas quorum plurimi legem, quam veram exiſtimant, rigoroſe obſervant, & cum proximis juſtitiam ſervant, in æternum perire; ſolum eo nomine quod in Chriſtum non crediderint, quamvis ab ineunte ætate non aliter inſtituti ſint. Ad quod reſpondetur, ſicut Deus per aliquot annorum millia totum mundum (excepta gente Judaica, Orbis exigua partiuncula) reliquit ſub idololatria, & juſte permiſit ruere in exitium; etſi inter eos eſſent præclara ingenia, & juſtitiæ cultores: non debet etiam incredibile videri, ſi Turcas & Judæos modo juſto Dei judicio perire dicamus, & maximè hoc tempore poſtquam Chriſtiana Religio totum pervaſit Orbem, & ubique terrarum Chriſtiani reperiantur, à quibus Judæi & Turcæ poſſunt de vera Religione inſtrui; quod tenentur illi etiam in remotas Regiones perveſtigari. Si vero aliqui ſint, qui nihil de Chriſti Religione audierunt; hi non damnabuntur propter peccatum infidelitatis, ſed propter alia contra legem naturæ commiſſa, quæ ipſi divina ope vitare poterant: quoniam Deus illos ſua providentia, & auxilio non deſtituit, quin poſſent vitare peccata, ſi divinis inſpirationibus & auxiliis cooperari, & rem tantam cordi habere voluiſſent. Hinc Dionyſ. Areop. de Cœleſt. Hierarch. cap. 9. in fin. inquit: *Omnes autem Angelos, qui ſingulis gentibus præſint, ad illud ipſum principium, ut proprium, eos qui ultro, ac ſponte ſequantur deducere.* Et ſequitur D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 6. in corpore, nempè ipſos Ethnicos ſive Judæos, &c. qui lumen ipſum non repulerunt, quo docentur rectam vivendi rationem, ſubſidium à ſummo Deo reportaſſe, ut Chriſtum perfectè cognoſcerent, ac demum ad immortalitatis præmia pervenirent, ut ex Apoſt. ad Rom. 3. *An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium?*

Subſequitur altera quæſtio non multum diſſimilis, Utrum ſufficiat ad ſalutem credere in Chriſtum, eumque pro peccatis noſtris mortuum eſſe, cum his quæ haben- *Utrum ſufficiat ad ſalutē*

tur

credere in Christū? tur in Symbolo; etiam si multa alia nolimus credere? Qui error pluribus rationibus rejiciendus.

Primo, quia salvat penè omnes antiquos hæreticos: plerique enim confitentur Christum, & suo sensu tenent Symbolum. Salvari itaque poterant in sua hæresi Arriani, qui Filium Patri negabant consubstantialem: Macedoniani, qui Spiritum S. Filio faciebant minorem: Nestoriani, qui duas in Christo statuebant personas: Euthychiani, qui carnem Christi in Divinitatem conversam asserebant: Monothelitæ, qui unicam tantum voluntatem, & operationem in Christo statuebant: Pelagiani, qui peccatum Originale negabant, & hominem viribus naturæ posse gratiam & salutem promereri docebant: Donatistæ, qui Christi Ecclesiam ubique desiisse affirmabant: Novatiani, qui lapsis pœnitentiam negabant: Montanistæ, qui Montanum Paracletum putabant, cum similibus. Si enim cum hujusmodi fide salus obtineri potest, cur tot Concilia tanto labore, & sumptu convocatis ex toto Orbe Episcopis adversus illas hæreses celebrata? Cur toties anathemate fuere damnatæ? Cur sancti Patres in illis extirpandis tantopere laborarunt? Cur plurimi Catholici exilia, mortem, & omnia tormentorum genera perferre maluerunt, quam alicui ex illis hæresibus subscribere? Ergo fatendum est hæreses illas tanquam pestiferas non posse cum eisdem salutem consistere. Hinc Apost. ad Titum 3. sic præcipit: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

Nec sufficit ad excludendam hæresin inhærere in his solum, quæ habentur in Symbolo. Sic non esset hæreticus, qui vetus & novum Testamentum tolleret è medio: non esset hæreticus, qui negaret Infernum, & pœnarum æternitatem: non esset hæreticus, qui duplicem Christo assereret personam: non esset hæreticus, qui negaret septem Sacramenta, cum similibus, de quibus nil in Symbolo; & nihilominus toti antiquitati, & omnibus Doctoribus, qui à 12. seculis, & amplius extiterunt, repugnat.

Præterea hic error omnes hæreses supradictas orthodoxæ fidei exæquat, statuendo non minus per illas quam per hanc salutem obtineri posse. Itaque orthodoxa Religio nihil erit melior Arrianismo, Pelagianismo; Nestorianismo, & similibus Religionibus falsis, quod impium est asserere.

Nec dicatur, sat esse credere Symbolum juxta suum sensum. Quoniam una tantum est veritas, quæ si non attingitur, jam falsum creditur; nec potest fides falsa quidquam juvare ad salutem. Quam vero inter se discrepent Sectarii in Symboli sensu, apparet in eo Articulo: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum.* Arriani & alii Filium Patre statuunt minorem; Lutherani & Catholici æqualem & consubstantialem. Articulum, *De descensu Christi ad Inferos*, intelligunt Calvinistæ, quod ibi Christus sustinuerit tormenta damnatorum, & dubitaverit de sua salute. Et ita in omnibus Symboli Articulis maxima est discrepantia inter omnes Sectarios, & Catholicos, quanquam non sit nisi una veritas, & hæc apud Catholicos, ut alias fuit ostensum.

Ulterius Scriptura Divina non est minoris auctoritatis, quam Symbolum Apostolorum, nec minorem Deo injuriam irrogat, qui aliquid in Scripturis clarè expressum

ſum negat, quam is qui aliquem Symboli articulum rejicit. Ergo nulla eſt ratio, cur Fides reſtringatur ad Symbolum, & in reliquis ſit libertas ſentiendi.

Ac etiam Fides omnium Sectarum fallaci nititur fundamento: etenim vel credunt ſua dogmata propter auctoritatem ſuorum Anteſignanorum Lutheri, Calvini, Zvvinglii, &c. Vel quia ſinguli proprio judicio ea in ſcripturis contineri judicant: vel denique quia ſpiritus privatus interius teſtatur ea eſſe vera, vel hanc eſſe Scripturæ divinæ mentem. Quæ fundamenta cum ſint fallacia, & deceptoria, ut fuit alias oſtenſum; ſubinde fides Sectariorum inutilis eſt ad ſalutem.

Maximè id etiam agnoſcitur ex tanta inter Religiones diſſenſione, cum ſe mutuo hæreſeωs damnent, & anathemate perſtringant, cum ſe inter fratres agnoſcere recuſent, ac inter ſe impios, & blaſphemos publicè voce proclament, & ſcriptis affirment.

Eſt etiam erronea dicta opinio; quia ut quis poſſit ſalvus fieri, non ſufficit unius, duorum, vel trium mandatorum obſervatio, ſed neceſſe eſt ſervare omnia juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et ſicut obedientia ſe debet extendere ad omnia mandata, ita & fides ad omnia revelata, quia teſte ſancto Jacobo cap. 2. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis, dixerit, non occides.* Ergo qui unum articulum negaverit, etiam ſi reliqua omnia credat, factus eſt reus totius fidei, & religionis, quia contemnit primam veritatem Deum.

Concludamus ex prædictis, quod quamvis in Lege ſcripta veteris Teſtamenti ſolius Dei cognitio eſſet ad ſalutem ſufficiens; in noſtra tamen Lege Gratiæ; Chriſti quoque cognitio neceſſaria eſt, ut dictum eſt ſupra. Ita D. Chryſoſt. homil. 38. in Matth. his verbis: *Poterant enim tunc homines etiam Chriſtum non confeſſi ſalvari; non enim hoc ab illis petebatur, ſed ut idololatria abſtinerent, unumque ſolum Deum cognoſcerent. Ad conſequendam enim ſalutem Deum noſſe tunc ſat erat; nunc id non ſufficit, ſed & Chriſti cognitione opus eſt.*

Eſſet hic etiam altera quæſtio annectenda non injucunda, nempè Utrum ex Ethnicis ante Chriſtum natum fuerint aliqui ſalvi? De qua cum late dixerimus in alio noſtro tractatu, *De Veteribus Romanorum Ritibus.* Propterea hæc dicta ſufficiant.

Cap. LXVI. §. Fuit etiam.

De Ritu in funere.

INter cæteros Chriſtianorum Ritus ſepulchrales, de quibus plura jam diximus, non prætereundum fuiſſe etiam conſuetudinem diverſorum Ordinum Monaſticorum; qui Abbatibus, ſeu aliis Superioribus defunctis, cibos menſæ inferebant, in quo loco ſedebat ipſe Abbas, tanquam viventi: poſtea eoſdem per dies quadraginta in eleemoſynam dabant pauperibus. Idem uſus ſervatur etiam hodie in Gallia magna pompa defunctis Regibus, Reginis, ſeu aliis Principibus ſanguinis (ut ego ipſemet vidi) de quo Ritu habetur in hiſtoria Campanæ.

Cap. LXVII. §. Uno modo.

De miraculis Chriſti.

CAlumniantur Ethnici, ac Hæretici, quod Chriſtus populos præſtigiis dementaverit, ad ſuamque ſectam traduxerit, quod pondus habere nequit apud ſenſatos, ſi cum moribus Chriſti, ſuorumque conferatur: Humilitas certè non quæritur

præstigiis, sed duntaxat oculi fascinantur, ut honores ambiant, & usque ad demeniam divina interdum affectent. Deinde præstigiis Cœlum ad miracula non flectur, sicuti hoc succedit ad votum sui factoris, qui lucis, & astrorum, rerumque omnium naturam in virtute sua implicavit: ac talem fuisse Christum, qui ex utero Virginis Deus homo existens, mirabilium fuit operum patrator, quem & nascentem Stella in Oriente signavit, & denascentem in Cruce sol atratus deplanxit.

Non erubescunt hæretici mentiri Christum de Magia scripsisse. Hieronym. in 3. Ezech. & August. lib. 1. de Consens. Evangelist. cap. 10. narrant, Gentiles quosdam jactasse vidisse se, ac legisse libros aliquos Christi ad Petrum, & Paulum, in quibus scripta esset summa totius artis magiæ, ex cujus peritia Christus dum viveret, tot tantaque miracula edidisset. Hos S. August. inter alia sic refellit.

Primo. Quia qui legerunt tales libros, non potuerunt facere miracula illa quamvis conati sint. Secundo, quia Christus non potuit scribere ad Paulum, qui eo vivente nondum conversus fuerat. Tertio, quia non potuit Christus Magus esse antequam natus, & tamen antequam natus tot Prophetas divino Spiritu implevit.

Idem multos tenuisse in seculis Martyrum, qui mirabilia, quæ Deus in Sanctis suis ad fidem roborandam operabatur, Magicis artibus attribuere dementer solebant, His præceptoribus hodie nostri temporis hæretici, calumniantur Catholicos, quorum fide, & potestate à Christo data, miracula crebra fiunt, magno Hæreticorum probro, apud quos nihil unquam in hoc genere contingit, quo doctrinam suam vel infidelibus probent, vel confirment. Vide P. Melchiorem Inchofer in Conjectatione ad epist. beatæ Virginis Mariæ ad Messinenses. Append. 12.

Et siquidem, quod ex omnibus Sectariis prætensarum Religionum nunquam constet quempiam miraculum ullum patrasse, sicuti nec minus potuisse, prout fuisset necesse ad confirmanda eorum prætensa dogmata. Latè Lessius in Opuscul. Quæ Fides, & Religio sit capessenda. §. *Quarta Ratio ex defectu Miraculorum.* Quin imo evidentissimè constat eorum Antisignanos vitæ, & morum conditione impios, & abominandos fuisse. Scimus namque Lutherum Monachum fuisse, & quindecim annis Sacerdotem, & proinde duplici voto continentiæ obstrictum; & eundem ad vitam secularem reversum, & Monialem professam è monasterio abductam sibi copulasse, & cum ea assiduè vixisse, præter ejusdem superbiam, malidicentiam, & infamiam.

De infamia Calvini præter alia scelera, constat ex actis Judicialibus Noviodunі, illum convictum, & per sententiam damnatum de nefando crimine, & publicè exurendum fuisse, nisi ad preces Episcopi pœna ignis fuisset commutata in supplicium virgarum, & ferri candentis in tergo ustulationem: unde patet illum jure & facto fuisse infamem, ex Lessio ubi supra. §. *Quinta Ratio ex morum, & vitæ conditione.*

Cap. LXXIV.

De libris Canonicis

PRæter illa, quæ diximus de sacra Scriptura, supponendum quod in orthodoxa Ecclesia ab exordio absque contradictione ii recepti sint inter Canonicos libros, de quibus habetur mentio in Concilio Carthaginens. III. tempore Syricii Papæ, anno

anno 397. quod collectum ex ducentis decem, & octo Episcopis, inter quos etiam Divus Augustinus, ubi post diligens examen, sic decreverunt cap. 47. *Item placuit, ut præter scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomon libri quinque, Prophetarum duodecim, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Novi autem Testamenti, Evangelistarum libri quatuor, Actuum Apost. lib. unus, Pauli Apostoli Epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una, Ioannis Apostoli tres, Iudæ Apostoli una, & Iacobi una, Apocalypsis Ioannis liber unus.* Similem enumerationem fecit D. August. lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 8. tom. 3. ut etiam Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium cap. 1. tom. 7. Conciliorum Isidor. Etymol. lib. 6. cap. 1. Raban. de Instit. Cleric. lib. 2. cap. 53.

Quamvis fuerit aliquando permissum dubitare de Libris Esther, Baruch, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum. Tamen post secutam Eccles. determinationem, fuit hæresis de prædictis dubitare, ut in d. c. 74. jam diximus.

Conveniunt omnes, ut antiqui Testamenti originale Hebraici sit idiomatis, ut inquit Epiphan. lib. de Mensuris (referens Aquilam interpretatum fuisse Scripturam ex Hebræo) nisi forsan libros Ecclesiastici, Machabæorum, seu alios Syriacè scriptos, quod Hebræis maternum fuit idioma ex Hebraico, & Chaldaico post captivitatem Babylonicam septuaginta annorum. De novo Testamento non controvertitur ejus originale Græcè scriptum: refert Hieron. præf. in Evang. tom. postremo ibi: *De novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Iudæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit. Epistolam ad Hebræos scriptam primum Hebraicè, tum in Græcum sermonem translatam à Luca, vel à Clemente.* Et Clem. Alexand. apud Euseb. lib. 6. cap. 11. *Marcum verò Latinè primum probat.*

Translatio sacræ Scripturæ

Prima igitur Scripturæ translatio ante Macedonis Monarchiam, de qua Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. cap. 14. *Plato Philosophus à Mose in legibus ferendis adjutus.* De secunda translatione inquit Epiphan. lib. de Mensuris sub initium. *Primi quidem interpretes ejusdem divinæ Scripturæ fuerunt, ex Hebraica lingua in Græcam septuaginta duo viri, qui eandem primam interpretationem, tempore Ptolemæi Philadelphi interpretati sunt, & electi fuerunt è duodecim tribus Israel, ex singulis Tribubus sex viri, veluti tradidit Aristæas, &c.* Tertia translatio facta anno 12. Adriani Imp. per Aquilam, qui abnegata Gentilitate circumciditur Judæus, ut refert idem Epiphan. eodem lib. de Mensuris. Quarta anno 2. Commodi Imp. à Theodotione Pontico ex sectatoribus Marcionis Hæresiarchæ, & deinde ad Judaismum declinans, privatim ipse interpretationem edidit, & pleraque cum septuaginta duobus consonantia: idem Epiphan. adductus. Quinta, Severo Imperante Symmachus quidam Samarita ex numero Sapientum apud ipsos contra propriam Tribum indignatus,

gnatus, accedit ad Judæos, & circumciditur, acidem edidit interpretationem à se conversam. Sexta editio post persecutionem Severi inventa est in doliis occultata in Hierico temporibus filii Caracallæ. Septima Imperante Alexandro filio Mammææ reperta Nicopoli ad Orientem sita. De quibus Epiphan. ubi supra. Octava est translatio Origenis, quæ communis fuit appellata, ut refert Hieron. epist. 89. quæ est 11. inter alias August. tom.1. Hieron. Nona translatio est S. Luciani Presbyteri, & Martyris sub Diocletiano, qui cum in prædictas versiones, & Hebraicos libros incidisset & diligenter omnia correxisset, versionem hanc Christianis fratribus edidit, quæ postea Nicomediæ sub Constantino Magno inventa. Athanas. de Syncop. ubi agit de Versionibus, inquit. Decima fuit Hesychii, qui iterum interpretationem Septuaginta correxit.

Ex omnibus sacræ Scripturæ versionibus septuaginta duorum Interpretum præferenda duplici respectu; tum ob majorem cognitionem linguarum, quam illi habebant; ut propterea talis translatio primum decreta à Ptolemæo Lagii filio, ac dein jussu ejusdem successoris Philadelphi, ac etiam mediante Demetrio Phalerio absoluta, ut in Alexandrina Biblioth. illam servaret, quam sibi ex omni litteraturæ genere comparaverat: alius respectus desumitur ex miraculosa Spiritus sancti assistentia: quoniam spatio etiam septuaginta dierum opus illi mirabiliter conformes terminaverunt: ut dixerit D. Augustin. lib.2. de Doctrin. Christ. cap.15. *Ille qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat, Spiritus sanctus judicavit.* Et idem epist. ab Hieron. quæ inter epist. Hieron. 86. tom.1. inquit: *De septuaginta Interpretum, vel consilii, vel majore spiritus concordia, quasi unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendam existimo.* Athanas. in Synopsi de Versionibus Biblior. inquit: *Prima versio est 72. Interpretum: hi cum Hebræi essent, elegerunt ex unaquaque Tribu sex viros, & divinam scripturam Ptolemæo Philadelpho Rege, 230. annis ante Incarnationem Domini nostri Jesu Christi interpretati sunt.* Et in hoc etiam advertendum Apostolos secutos translationem septuaginta Interpretum: ut refert Origen. lib. 8. in cap. 10. ad Roman. Ac etiam notandum in loco completæ translationis prædictæ, singulis annis diem festum peragi solitum, ut notavit Philo Judæus de vita Moysis lib. 2. cap.9. his verbis: *Idcirco nunc etiam mos est, ut singulis annis in Insula Pharo celebrentur festi dies, eoque non Judæi solum, sed alii quamplurimi navigent, ut & locum ipsum honorent, in quo primum eluxit Interpretatio, & Deo propter vetus beneficium, cujus memoria semper est recens, gratias agant.*

Ex multis, & variis exemplaribus sacræ Scripturæ refert D. Hieron. præfat. in Josue: Unusquisque pro arbitrio suo, cum vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est, utique non potest verum esse, quod dissonat: propterea idem Hieron. in præfat. super Evang. ad Damasum inquit: *Ita calamo temperavimus, ut iis tantum, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.*

Et nos inde attestamur, recurrendum esse ad fontes Græcos pro novo Testamento; & ad Hebræos pro Veteri, ut docet idem Hieronym. in epistola ad Marcellam,

cellam, & in Comment. ad capitulum 8. Zachariæ; ut, & in Can. Ut veterum, distinct. 9.

Quo autem Idiomate in publicis Ecclesiarum Conventibus sacra Scriptura sit legenda? sicuti in Oriente Codices Hebræi, nec non versio Græca legebatur; ita in Occidente Latinum idioma recitatum D. Hieronym. præfat. in Paralip. & D. Augustin. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 13. tom. 3. & diximus diffusè supra in cap. 47.

Quo idiomate legenda?

Et in hoc argumento non prætereundum, quod sacra Scriptura in vulgare idioma nullatenus sit vertenda nec publicè recitanda, quoniam illam idiotis apprehendentibus profanatio verbi Dei inde resultaret, ut in proposito S. Basilius reprehendit Coquum Imp. Valentis ex Theod. Eccles. histor. lib. 4. cap. 17. *Tuum est jusculorum curare condimenta: nam cum aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes.* De quo maximè quilibet sensatus conquereretur una cum D. Hieronymo ad Paulinum epist. 103. his verbis; *Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant: scribimus indocti doctique poëmata passim: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant: alii adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris litteris philosophantur: alii discunt (proh pudor) à fœminis, quod viros doceant, & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imo audacia edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt.*

Perpendamus ex præfatis, quod non sit res omnino facilis intelligentia, & explanatio sacræ Scripturæ, ut omnibus possit illa palam fieri, sicut supponunt Lutherus, Calvinus, & alii. Dixit namque Philippus Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum Isaiam legenti in Actis Apostolorum cap. 8. *Putas ne intelligis, quæ legis?* qui ait; *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Denotant enim verba illa, quam pius, humilis & devotus esset ille in sacrarum Scripturarum lectione: à quo maximè abhorrent sectarii, cum quædam difficilia intellectu indocti, & instabiles depravent, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem, ut dixit D. Petrus epist. 2. cap. 3. vers. 16.

Sacra Scriptura difficultates.

Hoc ipsum docet Apostolus Paulus scribens ad Corinth. epist. 1. cap. 12. vers. 10. ad Roman. cap. 12. cap. 6. ad Ephes. cap. 4. vers. 11. Ut interpretatio Scripturarum sit donum particulare Spiritus sancti, dividens illud singulis, prout vult: quando ex nobis delictorum obstaculum non intercedat: talis namque fuit increpatio Stephani ad Scribas, & Seniores populi in Act. c. 7. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & Patres vestri, ita & vos.* Et propter hujusmodi etiam defectum Cleophas, & alter discipulus reprehensi à Christo Domino. Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ: & incipiens à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Hinc patet aperte sacræ Scripturæ difficultas tum ex se ipsa, tum propter nostram incapacitatem, quod sapientiores liberè & humiliter sunt confessi; ut infra dicendum.

 Clemens

Clemens Alexand. lib.6. Strom. cap. 6. inquit: *Neque ipse Salvator adeo crassè locutus est ipsa divina mysteria, ut facile capi possint à quibuslibet, sed disseruit in Parabolis,* &c. Et idem lib. cap.7. *Propter multas causas occultavit Scriptura sententiam: primum quidem, ut diligenter inquiramus, & semper vigilemus in inveniendis salutaribus orationibus: præterea ne omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, ne laderentur, aliter accipientes ea, quæ à Spiritu sancto dicta sunt salutariter.*

Origen. lib. 7. contr. Celsum post initium inquit: *Alii quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt, licet re vera multis locis sit obscura.* Et idem homil. 12. in Exod. *Diebus ac noctibus obsecrandus est, ut veniat Agnus de Tribu Juda, & ipse librum signatum dignetur aperire.*

Hanc eandem difficultatem in Scripturis sacris non ab omnibus intellectam, perceperunt illa duo magna lumina Orientis, scilicet Basilius epist. 75. ad Neo-Cæsarienses ibi: *Ego vero novi, quod quæ in oraculis spiritus dicuntur, haud cuivis liceat proprio subjicere examini, sed ei qui spiritum habet discretionis.* Et alter Nazianz. ad Remes. *Est in scripturis nostris duplex sensus, alter internus, ac spiritualis; alter externus, nec litteræ corticem excedens: ille à paucis percipitur, hic à plerisque intelligi potest.*

Manifestat hoc idem quanta sit Scripturarum profunditas. D. Chrysost. homil. 40. in illud Joannis cap.5. Scrutamini Scripturas: *Christus Judæos ad Scripturarum non simplicem, & nudam lectionem, sed ad investigationem perquam diligentem relegavit, non enim dixit:* legite *Scripturas, sed* scrutamini. *Divina enim summa indigent diligentia. In umbra enim majoribus illis non abs re locutus est: idcirco effodere profundius jubet, ut quæ alto delitescunt, invenire possumus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur, qui enim hujusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam, & laborem, nunquam quæsita inveniet.*

Et circa mysterium de primi parentis expulsione è Paradiso, quæ non ab omnibus intelligatur. Tertull. lib. de Pallio cap.3. inquit: *Dehinc de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi, ut metallo datur: sed arcana ista, nec omnium nosce.* Quodque hujusmodi Scripturarum intelligentia hominibus seculi sit ignota, D. Hilarius prologo in Psalmos inquit: *Sunt omnes Prophetiæ ad mundialem sensum, & prudentiam seculi clausæ, & obsignatæ, secundum illud Isaiæ: Et erunt vobis omnia verba hæc tanquam eloquia libri hujus signati.*

Quodque maris instar sit Scripturarum intelligentia, Ambros. epist. 19. lib. 3. tom.5. *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, & altitudinem Propheticorum ænigmatum, in quod mare plura intrierunt flumina.*

Quod sint singulis Scripturæ libris difficultates, ut non omnibus eorundem lectio esset præmissa, Hieronym. ad Paulinum de omnibus Script. lib. cap. 7. *Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem, qui potest vel intelligere, vel exponere?* Et infra: *Ezechiel principia, & finem habet tantis obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos ante annos 30. non legantur.* Et infra. *Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta, quot verba.* Idem ad Heldibiam quæst.10. tom. 1. *Omnis quidem*

ad

ad Romanos epistola interpretatione indiget, & tantis obscuritatibus involuta est; ut ad eam intelligendam Spiritus sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum hæc ipsa dictavit. Et idem in Prooemio in Ezechielem; *Aggrediar Ezechielem Prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio: nam nisi quis apud eos ætatem Sacerdotalis ministerii, id est trigesimum annum impleverit, nec principium Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium, & finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.*

Quod Divina providentia sapientissimè reliquerit has sacræ Scripturæ difficultates, D. Augustin. lib. 12. Confess. cap. 14. tom. 1. inquit: *Mira profunditas eloquiorum tuorum: quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas: Deus meus mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Et quare tanta profunditas: respondet idem Augustin. in præfat. in Psalm. 140. tom. 8. *Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant; ad hoc quæruntur, ut exerceant: ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Nec inde supponendum, ut Deus ambigue, obscurè, & per ambages fuerit nobis locutus: quoniam divina & recondita mysteria nos docuit, in quibus altitudo Sapientiæ latet: & quoniam Scriptura sacra à Sectariis non spiritu Dei legitur, qui hanc per Prophetas, & Apostolos dictavit; nil mirum, ut inde in præceps iidem in æternum ruant; teste D. Augustin. tract. 18. in Joannem tom. 9. *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.*

Ex quibus difficultatibus, quis sapiens erit nobis exponere, vel saltem ex se comprehendere sex priora Genesis capitula? quis indicabit nobis quales illi sex dies fuerint, in quibus paravit Deus universum opus? Quale illud lumen ante Solis creationem? qualis ille serpens qui loquebatur, & in pœnam recepit, ut super pectus suum graderetur, & terram comederet cunctis diebus vitæ suæ, quamvis jam ante serpens esset? Quis nobis palam faciet, qualis deambulatio Domini Dei in Paradiso ad auram post meridiem? quis bestiis detraxit pelles, ut inservirent in usum eorum, qui è Paradiso fuerunt expulsi? ex quibus animalibus pelles detractæ, & species eorum ad nihilum redactæ, quæ paulo ante creata à Deo, nondum probabiliter genuerant? qualis ille flammeus gladius, atque versatilis in manu Cherubim ad custodiendam viam ligni vitæ? quis demonstrabit Arcæ mirabilia, qualis poterat esse capacitas illius præ multitudine tot animalium, quæ ibidem obserata erant intra dimensionem trecentorum cubitorum longitudinis, & quinquaginta latitudinis, & triginta altitudinis: & hæc septena cujusque mundæ speciei, & bina immundæ, quæ pascua durante anno clausuræ in Arca, eisdem necessaria fuere? Quo vero ad Canticum Canticorum Salomonis hoc inquam spiritibus profanis facetias, seu amoris illecebras denotasse videtur. Ezechielis liber viros eruditiores omnibus seculis sic molestos, & solicitos reddidit, ut ænigmata sibi esse explananda crederent.

Quibus

Quibus & similibus respondetur ex sacra Scriptura tres partes desumi: prior scilicet, quæ litteram, seu historiam respicit, utporè libros Genesis, Exodus, Numeri, Josue, Judicum, Judith, Regum, Esdræ, Tobiæ, Esther, Job, Machabæorum; item Evangelia, & Acta Apostolorum. Altera pars quæ Moralis, seu Tropologica est; hæc continet Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Ecclesiasticum, Epistolas Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, & Judæ. Tertia pars, quæ Mystica, seu Analogica dicitur, habet Canticum Salomonis, Psalmos, Prophetas, & Apocalypsin.

Ex his igitur prior pars, ut plurimum facilis, sed quandoque etiam difficilis: secunda pars tam facilis quam difficilis. Pars tertia in totum obscura, ut in illa verificetur Isaias cap. 29. ibi: *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.* Verè ergo omnes asserant tam de Vetere, quam de Novo Testamento illud quod apud Laertium dixit Euripides de scriptis Heracliti planè obscuris: *Quæ intellexi præclara sunt; opinor & quæ non intellexi.*

Ac simul erubescant, & diluantur Sectarii sacræ Scripturæ interpretationibus juxta proprium sensum inhærentes; & referant à quo receperunt gratiam se interpretes esse Spiritus sancti, & Ecclesiæ: etenim, ut inquit D. August. lib. de Utilit. credendi cap. 17. tom. 6. *Si unaquæque disciplina, quanquam vilis & facilis, ut percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit: quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum Sacramentorum libros, & ab Interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?* Ut certè eosdem Sectarios increpare possimus cum eodem Augustin. lib. 1. contra Julianum Pelagianum cap. 7. tom. 7. *Nunc primum perspicis, hoc didicisse, ac docuisse tot Sanctos, quod & nos didicimus, & docemus: muta jam istam mentem, obliviscere hujus erroris, & propemodum furoris, quo in tot ac tales Patres Manichæum jacularis opprobrium.*

Optimorum & eruditorum virorum lapsus.

In hanc similem duritiam, & detestandam proprii sensus pervicaciam lapsi sunt duo doctissimi, & optimi quondam Ecclesiæ Doctores, unus Græcus Origenes, alter Latinus Tertullianus. Uterque in juventute cupidissimus martyrii, uterque abstinentiæ, & continentiæ amator, uterque scriptor egregius non solum adversus Gentes, sed etiam adversus Hæreticos, & tamen uterque in senectute lapsus est, & novas hæreses excogitavit, & inter Hæreticos numerari meruit.

Origenes.

De Origene loquitur Vincent. Lirinens. advers. hæret. novitates Commonit. 1. cap. 23. Et Euseb. Eccles. hist. lib. 6. cap. 5. inter cætera sic inquit: *Quam ob rem hic idem Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur;* Si surrexerit in medio tui Propheta, non audies verba illius.

At

At vero de Tertulliano (qui inter Latinos non inferior Origene inter Græcos) loquitur idem Vincent. Lirinenſ. cap. 24. Commonit. 1. his verbis: *Ingenio vero tam gravi, & vehementi excelluit, ut nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit. Cujus quot penè verba, tot ſententiæ ſunt: quot ſenſus tot victoria. Sciunt hoc Marciones, Appelles, Praxia, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnoſtici, cæterique, quorum ille blaſphemias multis, ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque poſt hæc omnia, hic inquam Tertullianus Catholici dogmatis, id eſt univerſulis, & vetuſtæ fidei parum tenax ac deſertor multo quam fidelior, mutata deinceps ſententia fecit ad extremum, quod de eo B. Confeſſor Hilarius ſcribit.* Sequenti errores detraxit ſcriptis auctoritatem.

Tertullianus.

Quibus tertio loco addimus magni Oſii memorandum lapſum, qui in ſubſcribendo Syrmienſi Conciliabulo exceſſit apoſtaſiam omnium quorumcunque, ut refert Baron. ad ann. 557. quoniam alius nullus illi ſimilis in ſacris Eccleſiæ functionibus, in publicis, & graviſſimis negotiis tum in Oriente, tum in Occidente: in omnibus Conc. ſui temporis primus, & maximè in Nicæno, cujus formulas direxerat: Magni Conſtantini præceptor, & ab eodem *Pater* nominatus, ſicut ab Arrianis *Synodorum Princeps*. De quo Hilarius in cap. 5. Matth. inquit: *Quis rogo de ſuo exitu potuit eſſe certus, ſi omnium ſynodorum laudibus Oſium celebratum, & ſcriptorum cunctorum illorum temporum præconiis exaltatum, totque ex diverſis, atque multiplicibus certaminibus coronis auctum, hominem in Conciliis agentem patronum, atque Magiſtrum, videas tam inopinato proſterni, ac inſtar ſalis infatuati pedibus proculcari, tantumque ducem effici exercitus deſertorem, imo ad hoſtes deficientem, & in caſtris hoſtium profitentem, transfugam adeo ignominioſe conſtitui, eoque potiſſimum tempore (proh dolor) quo de laboribus immenſis præmium accepturus, & de innumeris victoriis donandus à ſummo Imperatore Coronis.* Quanquam talis lapſus non errore intellectus, non malitia, ſed vi tormentorum, & fragilitate (erat enim centenario major) adeo ut convenerit cum Urſacio, & Valente, & ſubſignaverit prædicto Syrmienſi Conciliabulo. Unde idem Athanaſ. ad Solitarios ait: *Tantam vim intulit ſeni, quem Syrmi pro exilio detinebat, & eum ita arcte tenuit, ut afflictus attritusque malis tandem ægre cum Urſacio, & Valente communicaret*. Et Sozomen. lib. 4. cap. 5. *Oſius initio quidem iſtis conſentire renuit: ac poſt vi compulſus, & verberibus, ut fama eſt, licet ſenex graviter cæſus, eisdemque ſubſcripſit.* Idem refert Socrat. lib. 2. hiſt. cap. 26.

Oſius.

Quam tremenda ſint judicia Dei ſupra filios hominum maximè ſuperbos, agnoſcimus ex prædictis: ut propterea ex Apoſt. 1. Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Attendentes ejusdem Apoſtoli præceptum ad Galat. cap. 1. dum ait: *Si aliud nos, aut Angelus de Cœlo evangelizat vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema ſit.*

Infertur etiam, ut Juſtitia ſequitur veritatem: ſic Hæreſis comes fit iniquitatis: etiam ex eodem Apoſt. 1. ad Timoth. cap. 1. *Bonam conſcientiam quidam repellentes,*

circa fidem naufragarunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

Proventus ex sacra Scriptura.

MElius certè erit nobis, quam præfatis infelicibus quamvis eruditissimis viris si præter nostrum intellectum sacras Scripturas juxta Christi disciplinam apprehendentes, inveniamus tunc in illarum humili lectione omnia moralia, & Christiana præcepta, ut ex D. Gregorio lib. 2. Moral. cap. 1. his verbis: *Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum proficimus, ibi profectu quam longe distamus. Narrat autem gesta Sanctorum & ad imitationem corda provocat infirmorum: dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat: fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet; quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam vero non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit: ut in victoria fortium quid imitando arripere, & rursus videamus in lapsibus quid debeamus timere. Ecce enim Job describitur tentatione auctus, sed David tentatione prostratus: ut & majorum virtus spem nostram foveat, & majorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat: quatenus dum illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant: & audientis animus illinc spei fiducia, hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, quia formidine premitur; nec pressus timore desperet, quia ad spei fiduciam virtutis exemplo roboratur.* Ecce quam dissimiles eventus ex eadem sacræ Scripturæ lectione. Humiles, & Orthodoxi inde magnum faciunt salutis proventum: superbi vero & sectarii æternam ruinam recipiunt ex eadem; sic pariter ex eodem flore apes mel, & venenum aranei sumunt.

Cap. LXXXI.

De Cruce præferenda.

DE Ritu præferendæ crucis præter ea, quæ jam dicta sunt; notandum, quod Pace Ecclesiæ reddita; sicut Imperator Constantinus, & ejus successores Christiani Labarum, hoc signo Crucis expresso sibi præferri curarunt. Ita etiam anno 1000. Silvester II. Romanus Pontif. Stephano Regi Ungariæ ferventi ejusdem religione inspecta, & propagandæ fidei conatu, nec non summa in Ecclesiam Romanam, & sedem Apostolicam pietate; decrevit peculiari honore eundem & successores suos decorare, ut non solum Coronam contulerit, sed Crucem ante Regem, seu Apostolatus insigne deferendam indulserit. Ita ex Privilegio ejusdem Pontificis relato per P. Melchiorem Inchofer in Annalibus Ungariæ anno 1000.

Cap. LXXXI. §. Juvat hic etiam.

De nomine Papa & Protopapa.

DIxi quod nomen Papa tribuitur in primo sensu Romano Pontifici; ita in epistola Synodali Conc. Prov. Epiri Hormisda Pater Patrum appellatur: in secundo sensu apud Græcos Clerici Venerandi Papæ, hoc est, Patres dicti, Walfred. de Reb. Eccles. cap. 7. Et apud Latinos commune fuit etiam Episcopis: usque quo Gregorius VII. ne Schismatici illud sibi nomen usurparent, vetuit alios illo uti.

Inde etiam Protopapa à Græcis dictus est, qui Papis in secunda acceptione, hoc est Clericis officio & dignitate præiret. Unde Balsamoni in Can. Apost. 59. idem

idem quod Chorepiscopus: & in Photii Can. tit. 1. cap. 3. Clerici inferiores dicuntur Pisinini Papæ: sed major videtur tamen fuisse dignitas Protopapæ, quam Chorepiscopi: dictus quippè est Defensor, & Princeps tribunalis. Gretserus vertit primum in tabernaculo, seu in loco altaris, idemque secundas à Patriarcha obtinebat. Idem in coronatione Imp. legebat Evangelium; & in die lotionis Imperatore pauperum pedes loturo pelvim consecrabat.

Alius porro fuit Protopapa Palatii, seu in Clero Imperatoris, qui & magnus Protopapas dicebatur, cujus functiones novem generis ferè ponit Codin. in lib. 1. cap. 7. 8. 12. 14. Alius in Clero Ecclesiæ, qui eadem ferè in Ecclesia, quæ ille in Palatio peragere consueverat: & hujus generis videtur fuisse Messanensis Protopapa. Obtinebat autem secundas à Patriarcha, non simpliciter, nam exocatacœli (quasi Cardinales) majoris erant dignitatis; sed inter Sacerdotes communes primus, & sic proximus à Patriarcha, Cod. in lib. 1. cap. 10. Dictus etiam Protopadas. Inter alia legebat Evangelium primum in vigilia Nativitatis, reliqua vero legebant alii Sacerdotes. Is porro qui ab hoc Protopapa secundas tenebat: secundus sacerdotum dicebatur; & inter alia munia Sacerdotes ad Altare, seu ad sacram Mensam introducere consueverat. Ut refert P. Inchofer in Conjectatione de Epistola B. V. M. ad Messinenses Notat. 78.

Cap. LXXXI. §. Quanquam.

TItulus *Servus servorum Dei*, de quo in Diplomatibus Pontificiis, primum à D. Gregorio Magno exordium habuisse, ut in lib. 4. Regest. in dict. 13. epist. 76. Mauritio Augusto his verbis: *Ego enim cunctorum Sacerdotum servus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter vivunt*, &c.

Similiter & in eisdem Epistolis Pontificiis Salutatio, quamvis ab ipso Christo, & aliis Apostolis primo; tamen qui primus salutandi formam impertiverit: *Salutem, & Apostolicam benedictionem*; is Cletus Rom. Pontif. traditur, ut tradit Polydorus Virgilius lib. 5. cap. 2.

Cap. LXXXII.

ET circa Cardinalitiam dignitatem, ne illa in deerrante ad alios inferiores Illustrissimi titulo vilesceret: decrevit Urbanus II. Rom. Pontif. 10. Junii ann. 1630. Cardinales Eminentissimi appellatione discernere; eaque alios præterquam Imperatoris Electores, Magnum Magistrum Melit. & si quibus sedes est inter Cardinales, voluit abstinere.

Cap. XCI. in fine ejusdem Capituli.

Græcorū Ritibus.

PLura de Græcorum Ritibus dixi, quæ satis testantur, Ecclesiam esse Sanctorum Communionem. Nam parum à nobis illorum Catholici in suis Rei Divinæ Ritibus differunt; ut taceam fidei capita de Transsubstantiatione, de veritate Corporis & Sanguinis Domini, de Precatione pro Mortuis, de Invocatione Sanctorum, &c. quæ planè habent nobiscum communia.

Primum singulos habent Papas (sic enim vocant Presbyteros, vel Curiones) in Parœciis singulis cum uno Diacono, ut dixi supra in Notabili ad cap. 81.

Hodie propter tyrannidem Turcarum (opinor) unam duntaxat Missam in Ecclesiis dicunt: vixque aliis quam Dominicis, & festis diebus. Jejuni singuli Parochiani Panem benedictum festis diebus,& quoties celebratur,osculato Sacerdote capiunt. At Paschatis Festo,post auricularem Confessionem, etiam communicant: sed sub utraque specie: Ad ægrotos tamen panis duntaxat species defertur.

Vestes sacerdotales , ferè cum nostris conveniunt : nisi quod ultra nos habent Subgeniale, à zona ad lumbos usque protendens, forma Rhomboide. Prima ergo vestis Tunica,secunda Manipulus,tertia Stola,quarta Subgeniale,quinta Casula.

Diaconus similiter,nihil amplius quam apud nos habet, præter Orarium id est Stolam: & quasi alas, quibus exprimatur Angelorum velocitas. In hac Stola scriptus est *Sanctus*, ter.

Ecclesia in quinque partes divisa. Prima sanctum Tabernaculum , quod gradibus in illam scandatur solis sacrificantibus pervium : illic sunt duo Altaria: Majus in medio : sacra Mensa,sancta Sanctorum, Cathedra , locus Dei, Requies, Propitiatorium, Magni sacrificii officina , Christi monumentum , & ejus gloriæ tabernaculum: tot enim vocabulis appellatur: Minus Altare , in quo Sacerdos sacra præparat, Prothesis dicitur; quasi Propositio,quod panis consecrandus in eo primum ponatur. Secunda pars Sacrarium,Chorus,locus Clero,& Cantoribus deputatus: ubi tabulatum duo habens ostia, & vela in utroque ostio interjecta. Tertia Pulpitum, ubi recitantur Evangelia,& Epistolæ,& verba fiunt ad populum : unde oratio ante cancellos, post completam Missam. Quarta pars Templi, Atrium populi,navis Ecclesiæ (inde etiam Latini Templi partem , navim videntur nominasse.) In ima ejus ita mulieres à viris separantur,ut à nullo videri possint. In tabulato superiori,sunt viri : ex quo per clathros sacra,quæ conficiuntur,prospiciunt.

Baptisterium propè Templi vestibulum, ubi erant pœnitentes.

Sacram supellectilem habent Græci : Lagenula capiens aquam calidam: Corporale, Flabellum : & Astericus, stellula: Fuscina , tenaculum , forcipula: Sudarium quo velantur res sanctæ: Patena : Tabellæ inscripta Mortuorum, & Sanctorum habentes nomina: Lanceola qua desecatur: sigillum oblationis; nempè imo Christi crucifixi in pane, quæ excisa consecratur: Reliqua enim pars est,quam frustulatim incisam, Sacerdos post Missam dividit iis, qui Corpori, & sanguini Domini non communicaverint: quasi sit loco Doni sive Eucharistiæ, alias εὐλογία dicitur : ut à nobis Panis benedictus. Quæ supra sunt deducta, referuntur omnia à G. Genebardo in Interpretatione Liturgiæ S. Joann. Chrysostomi,ut in Bibliotheca Patrum tom. 12. Lutetiæ anno 1644. pag.346.

Cap. XCVIII. §. Sed propterea.

Pœna Infernorum æterna.

QUoniam nos de fide esse contestati sumus, pœnas Inferni sempiternas esse: fuit tamen Origenis error, quem plurimi Græcorum sunt secuti, pœnarum Inferni aliquando finem esse , & damnatorum redemptionem insinuant. Hunc errorem præter Catholicorum mentem irrepsisse,& postea latenter apud orientales nationes fuisse propagatum ; supponentes illi , ut preces à sanctis viris Deo effusas , proficuas esse

esse damnatis ad æternos cruciatus, quibus & recreentur, & aliquando etiam earum ope à pœnis liberentur: & nolunt Græci, qui in eam iverunt sententiam, Sanctorum precibus detrahere, qui id negarent, quasi illæ nullius essent roboris apud Deum. Inde factum aliorum exemplis comprobantes referunt primo de sancto Macario: hic siquidem infidelis hominis Gentilis exsiccatam calvariam præteriens in itinere adinventam interrogavit: si quam in Inferno consolationem Animæ persentiscant. Illa respondit summopere eas recreari, cum pro mortuis preces pater effundis. Quam historiam è Palladii Lausiacis desumptam præter Nicephorum Joann. Damascenus refert ibidem, & comprobat Joann. Hagidelita in encomio Macarii. Secundo referunt iidem Græci de D. Gregorio Magno, qui effusis precibus ad Deum pro anima Trajani Imp. qui vitam in impietate finierat, eundem à pœnis Inferni liberavit; monitus propterea à Deo, ne de cætero pro infideli deprecaretur. Glycas. epist. 27. Joann. Damascenus in orat. de Fidelibus Defunctis; de quo etiam Nicephorus Blemmida Tractatu: *Qualem deceat esse Imperatorem*: Tertio adducunt etiam, quod prima Martyr sancta Thecla pro Gentili, cui Falconillæ nomen, supplicans à sempiternis pœnis eam eripuit. Præterea & Mauritius Imp. cum in peccatum grave incidisset, innumeram enim exercitus multitudinem barbaris trucidandam exhibuit, precibus hominum sanctorum æternas pœnas aufugit. Ita cum Damasceno refert auctor vitæ Cosmæ Melodi præter alios auctores. Denique volunt etiam Theophilum ab alterius vitæ suppliciis liberatum Sanctorum precibus, præter Nicephorum tradunt Zonaras hist. tom.3. in vita Michaelis filii, Manasses in Synopsi,&c. Quæ si vera essent, ut revera sunt falsa, jam post hanc vitam in Inferno redemptionem, ac salutem esse comprobarent. Et licet plerique apud Latinos, quibus historia de Trajani salute cordi est, ut similem errorem evitarent, multa commenti sunt: hi quidem Trajanum vita functum ad vitam revocatum à sancto Gregorio, & baptizatum rursumque vita functum abiisse in Cœlum. Alii haudquaquam ab Inferis liberatum, sed tantummodo pœnis allevatum: alii scholasticè disserentes rem ita potuisse esse voluerunt; Trajanum postquam ex hac vita migravit, secundum præsentem justitiam in Tartarum detrusum; secundum autem superiores causas, quibus prævidebatur ad vitam revocandus orationibus Gregorii, non finaliter fuit in Inferno deputatus. Quorum omnium opiniones tanquam nullius momenti, & erroneas repellit Card. Baron. tom. 8. ann. 604. sicuti etiam Spondan. in Epitom. ann. 119. num.2 & seqq. Maximè cum iidem Græci auctores, neque causas sententiæ suæ quærant, sed admiratione perciti omnia in misericordiam Dei,& vim orationis deferant. Quæ autem de Macario,& aliis sunt relata, mera figmenta reputantur: vel quia hominem non integræ fidei habeant auctorem: vel ut Orthodoxorum, & sanctorum Patrum virtute, & doctrina sua tutarentur nugamenta Origenicæ hæreseos perniciosa venena in scriptis illorum malitiose admiscuerunt: de quibus spuriis additamentis conqueritur Gennadius Patriarcha in libro à se edito, & ex malè sanorum hominum fraudibus nata esse apertissimè ostendit; ideoque omnes illæ auctoritates de tali errore incusari possunt tanquam suspectæ. Ut latè hæc probat Leo Alatius hodiè

Græcorum ipse Eruditissimus. De lib. Ecclesiast. Græcor. Dissert. 2. §. Primus ergo error est.

Cap. XCVIII.

NOn absimilis præcedenti est alter Græcorum error de Descensu Christi ad Inferos, & animarum ibi degentium liberatione: quare sive dicant omnes damnatos per Christi prædicationem in Inferno, sive aliquos esse salvatos, error est, & hæresis manifesta damnata à Divo Augustino lib. de Hæresib. cap. 79. Quam etiam in Marcione Irenæus, & Epiphanius damnarunt, qui descensu Christi ad Inferos omnes impios salvatos regnum Dei percepisse; justos vero ac Sanctos non fuisse ab illo liberatos, cum noluissent illi credere, asserebat. Et Gregorius Papa tanquam hæreticum in Georgio Presbytero, & Theodoro Diacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ condemnavit lib. 6. Regest. epist. 15. his verbis: *Præterea post discessum vestrum dilectissimis filiis meis Diaconis narrantibus agnovi, quod dilectio vestra dixisset. Omnipotentem Dominum Salvatorem nostrum Jesum Christum ad Inferos descendentem omnes, qui illic confiterentur eum Deum salvasse, atque à pœnis debitis liberasse. De qua re volo, ut fraternitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippè ad inferos solos illos per suam gratiam liberavit, qui eum, & venturum esse crediderant, & præcepta ejus vivendo tenuerant. Constat autem quia post Incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent: quia scriptum est, confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et Joann. ait: Qui dicit quia novit eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Si ergo fideles nunc sine bonis operibus non salvantur, & infideles, ac reprobi sine bona actione Domino ad Inferos descendente salvati sunt, melior illorum sors fuit, qui Incarnationem Domini minimè viderunt, quam horum, qui post Incarnationis ejus mysterium nati sunt: quod quantæ fatuitatis sit*, &c. Ubi etiam idem Gregorius suam sententiam confirmat Augustini, & Philastrii auctoritate, & idem etiam sic subdit: *Quod enim per Evangelium dicit: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se à Deo male vivendo separavit.* Ex quibus utique confirmatur pœnas damnatorum esse æternas, & in Inferno nullam esse redemptionem.

Quatenus vero Græci dicant ex speciali privilegio, Christi arbitrio illos fuisse liberatos, doceant de privilegio. Sane proposita illis prædicatio, libera, sed effectu tantum valida, si ipsi credidissent, non speciale privilegium, sed legem ordinariam arguit. Verum quoniam Græci suam sententiam Damasceni auctoritate confirmant. Respondetur, nunquam Damasceni fœtum legitimum reputatum, sed ut alias sæpe contigit, à nebulonibus, ut gratiam ac pondus orationi tanti Patris nomine adderent, illi fuisse appictum. Et hæc de multis tetigisse sufficiat, quæ in hac quæstione diffuse confutantur à Leone Allatio, de libris Ecclesiast. Græcor. Dissertat. 2. pag. 236. §. Tertium est.

Cap.

Cap. XCIX.

De septem Dormientibus.

DE Mortuorum Resurrectione licet plura sint dicta: visum est tamen hic etiam referre de septem Dormientibus, quorum gesta ab hoc argumento non multum erunt aliena. Referunt post Metaphrasten Surius tom. 4. die 27. Julii, Nicephor. lib. 14. cap. 45. Cedren. in Compend. anno 23. Theodosii, Gregor. Turon. de Glor. Confess. cap. 95. Sigebert. in Chron. anno 447. quod septem prædicti Dormientes temporibus Decii Imp. usque ad ultima tempora Theodosii Junioris intra specum clausi somno capti, ad ducentos fere annos re vera dormierint. Id miraculum divinitus factum ob eam causam, quod eo tempore de Resurrectione carnis Constantinopolis hæresis esset orta; & ex hoc inde sopita.

Excitantur tamen difficultates contra prædicta; miraculum istud divinitus factum ob causam supradictam, non subsistere, cum supponatur nihil tale temporibus Theodosii Junioris contigisse, sed longe post hæresis illa dicatur exorta: etenim saltem si de hoc extaret memoria in Concilio Ephesino sub Theodosio, aut paulo post in Chalcedonensi celebrato, ubi tamen nulla de ejusmodi hæresi fit mentio, quam aliter primum damnari oportuisset. Præterea si ad struendam fidem Resurrectionis, voluit Dominus hos Martyres excitare: manifestum est eos re vera fuisse mortuos: alioquin dormientium à somno excitatorum, fidem Resurrectionis non reddidissent. Accedit tertio, quod nullus illorum scriptorum, qui illis temporibus vixere, rem tam insignem, miraculum tam grande scriptis commendarunt, quæ omnia sanctos Prosperum, Marcellinum, & alios ejusdem temporis scriptores non latuisse verisimile est. Ita Card. Baronius in Notat. ad Martyrolog. Roman. 27. Julii, & idem tom. 2. ann. 254. ubi Spondan. num. 25. qui ambiguus decernere, aut diffinire hoc non audet.

At vero Eruditissimus Pater Inchofer Soc. Jesu in Conjectatione de Epistola beatæ Virginis Mariæ ad Messanenses, in Appendic. 77. ad pag. 344. audacter testatur ea disceptatione tam insigni miraculo sopita, operæ pretium non fuisse in dictis Conciliis ob alias præsertim causas coactis, pluribus de hoc decernere. Fuit quippè Ephesinum contra Nestorium, & Pelagianos; Chalcedonense contra Eutycheten celebratum. Certè Philastrius Ambrosio ferè coætaneus, atque adeo longe superior Theodosio, meminit in Catal. Hæres, Prodianitarum, Florianorum, denique Manichæorum, qui omnes inter alia Resurrectionem negarunt; omnes tamen ante Theodosium vixerunt: ut proinde necesse sit talem antea extitisse de Resurrectione controversiam, quam tali miraculo repressam esse oportuit. Addit præterea idem auctor valuisse argumentum ad Resurrectionem probandam, etsi tantum verè dormientes, nec mortui fuerint; neque enim historiam tanto omnium consensu ab antiquo firmatam de vera dormitione facile negandam, de qua re plura idem P. Inchofer in suo Martyrologio.

Perora-

Peroratio.

DIxi & expreſſi de Veteribus Chriſtianorum Ritibus; quæ inſtar Apiculæ ex ſacroſanctæ Scripturæ medulla, ſacris Conciliis, Eccleſiaſticis Scriptoribus, probatorumque Auctorum floribus antiquitatem perſcrutando mea ingenii tenuitate adinveni; vel hac ratione, ut Sectariorum errores retundantur, & præclarioribus ingeniis inde præſtetur occaſio illa accuratius, uberiusque cum ſumma ſtudiorum utilitate proſequendi: ſed quoniam hujusmodi Ritus maxima quæque continent cœleſtium arcanorum Sacramenta, ab eorum intelligentia propterea excluduntur homines minus eruditi, nec virtute, ſeu vitæ integritate præditi. Ideo namque priſci illi ſancti Patres myſteria ſacroſanctæ Euchariſtiæ clauſis januis celebrabant, & ii qui nondum initiati erant, adeſſe prohibebantur, nec coram Catechumenis, & quod pejus erat, coram Ethnicis permiſſum erat ea offerre: quoniam ſicut Sanctum non fas eſt dare canibus, nec margaritas ante porcos projicere: ita nec fas eſt myſteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea ſubſannent, aut Catechumeni ex prædictis per curioſitatem ſcandalizantur, ſeu etiam nos in rebus humani ingenii captum excedentibus myſteria non eſſe myſteria ſinamus. Curemus igitur nos & doctrina, & vitæ innocentia hujusmodi ſacrorum Rituum arcana rimari, ut ad majorem Divinæ Majeſtatis gloriam noſter hic labor proficiat. Qui vero ſacroſanctæ Miſſæ, & aliorum officiorum myſteria, ſeu alias preces, quas ipſi de ore proferunt, non aſſequuntur intelligentia; ſit ſatis eis, ut illæ Angelicæ virtutes, quæ ipſis aſſiſtunt, præfata intelligant; &, velut carmine quodam tunc invitatæ, adeſſe eisdem, & ferre auxilium excitentur; quoniam in Scripturis ſanctis vim quandam ineſſe, eſt ſatis compertum, ut legenti etiam ſine explanatione ſufficiat.

REGI SÆCULORUM, IMMORTALI, INVISIBILI: SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Index, in Johannis Baptistæ Casalii Tractatum, de Veteribus Christianorum Ritibus, accuratissimus & locupletissimus.

Bapti-

INDEX.

Adju-

Pere-

D.

Metreta

Solenne

Jeju-

Lita-

Cele-

Oratio-

INDEX.

Com-

Pro-

Re-

Cere-

FINIS.

Damit die Kupffer nicht mögen an unrichtigen Ort gebracht werden / als wolle man die *paginas* wohl mercken / welche durchgehends in diesem *Opere* folgen/obgleich die Kupfer/wegen absonderlicher Theilen/ von neuem wieder anfangen.

CASALII (*Johannes Baptistæ*). De Profanis Ægyptiorum, Romanorum et Sacris Christianorum Ritibus. *Many folding plates.* 4to, vell., 7s. 6d. *Francofurti*, 1681

28/